# R. P. F. VINCENTII CANDIDI DISQVISITIONES MORALES.

# R. P. F. VINCENTII
# CANDIDI
## ORD. PRÆDICATORVM,

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRI, S. ROMANÆ,
ac Vniuerſalis Inquiſitionis Qualificatoris, necnon Sanctiſſimi
Domini noſtri in Alma Vrbe Pœnitentiarij,

## ILLVSTRIORVM
# DISQVISITIONVM
## MORALIVM,

TOMI DVO,

*QVIBVS OMNES CASVS CONSCIENTIÆ*
*maximè practicabiles explicantur,*

EX SACRIS CANONIBVS ET PROBATIS
DOCTORVM SENTENTIIS,

*AD INSTRVCTIONEM CONFESSARIORVM, ET POENITENTIVM.*

Cum duplici Indice, vno Diſquiſitionum, & Articulorum; altero Rerum
notabilium, inſtar Compendij adornato.







LVGDVNI,
Sumptib. IACOBI & PETRI PROST.
*M. DC. XXXVIII.*





# EMINENTISSIMO,
## ET REVERENDISSIMO DOMINO,
## D. IOANNI BAPTISTÆ
# PAMPHILIO,
## S. R. E. CARDINALI
## EXIMIO,

*FR. VINCENTIVS CANDIDVS, F.*



AD Confeſſariorum inſtructionem, & pœnitentium informationem, EMINENTISSIME PRINCEPS, poſt tot egregios tractatores nouiſſimus euigilaui de iis, quæ ſuperſunt, racemis, hac mea tantilla ſcriptitatione, cupiens Domini replere torcular ad vulnera myſtici Samaritani oleo, & vino ſolidanda. Magnum pietatis argumentum cooperari Deo in ſalutem animarum, at non propterea ſuperfluum quod ab aliis tractatum grauiſſimis viris, expedit enim, dicebat Auguſtinus in lib. 1. de Trinit. cap. 3. vt de vna, & eadem re multi libri fiant, vt ad alios veritas perueniat ſic, ad alios ſic. Stylo illo plano, & ſcholaſtico vſus ſum ad pharmacorum vim & natu-

ram explicandam, ne condimentis humanæ eloquentiæ vis medicamentorum euaneſceret. Nec enim idem, dicebat Auguſtinus lib. 5. Confeſſ. cap. 6. ideo aliquod verum dicitur, quia eloquenter dicitur, nec eo falſum, quia incompoſitè enunciatur, ſeu non ideo verum, quia enunciatur, nec ideo falſum, quia ſplendidus ſermo eſt. Certè verbis ornatis, & inornatis, ſicut vaſis vrbanis, & ruſticanis cibi poſſunt miniſtrari. Retardabant multa vt mihi ſoli ſola mea archetypa apud me remanerent; ſed parere debui imperantis voluntati, & Religioſorum obſequio, vt hoc opus prælo mandaretur exponerem, ſed illud reportabo, quod pictoribus accidit, qui imagines rudi forma informatas, lineamentis circumſcriptas, vbi in auguſti alicuius Templi, vel fori, aut theatri fronte appenderent, & omnium tranſeuntium oculis exponunt, ad multorum ſententiam, vel obloquentium, vel admonentium, politiori poſtea eaſdem rurſus elaboratas penicillo, vmbris diſtinctas, coloirbus, atque pigmentis aſperſas, ad vnguem perfectas, omnibúſque artis præceptis abſolutas, ad lucem poſtea Solis iucundius, & laudabilius exhibent. Qualiſcumque autem labor meus ſit, nihil illi poteſt felicius accidere, quàm tuo Nomini dicatus, ab authoritate, & iudicio tuo luce, accipiat: quando Eminentiam T. ſcientiarum ſimulacrum viuam ſacrorum Canonum animatámque Bibliothecam

omnes

omnes agnoſcunt. Dignetur ergo hilari fronte quod dedico accipere, ſi non dignum ex offerentis obſequio, dignum acceptatione eidem valorem tribuente. Nec enim minus regium eſt, minúſque humanum, magna tradere, quàm minima læta fronte excipere. Viue Deo, viue Cælo, viue in perpetuas æternitates. Romæ in Conuentu ſanctæ Mariæ ſuper Mineruam, die 20. menſis Martij 1637.

AD



# AD LECTOREM.



Vastissimam caſuum conſcientiæ ſyluam in duos Tomos diſtributam, Candide Lector, exhibeo, & ne longiora, vel prolixiora viderentur, quæ ex omni materia morali excerpta ſunt, diuidendus propterea per partes lectorum erat labor. Conſiderabam,quod tradidit Orientis lumen Nazianzenus in ſuis Tetraſtichis, videlicet, tibi cauendum ne curriculum totum maris ſimul aſpiciens à toto excedas, totámque nauigationem ſimul obeas; hinc totum opus in duas partes diſtribui, quilibet Tomus ſuas continet Diſquiſitiones, vnaquæque verò diſquiſitio ſuos articulos ſibi ſubalternat, & in quocumque articulo incidentales dubitationes inſpicies, vt diſtinctio appareret, omniſque confuſio euitaretur. hæc forma meorum laborum. Circa materiam, quia nullibi periculoſius erratur,quàm in materia morali, curaui per tritos calles incedere probatorum Doctorum, ne per abruptos nouitatis calles incedentes tyrones præcipitia incurrerent. Ob id non proprias phantaſias ſectatus ſum, ſed præcepta optima quæſiui, è ſacris Canonibus, & Doctorum grauiorum arcanis excerpta; ſic veteres inſectatus ſum, vt poſteriores tractatores non aſpernarer, quando cum veneranda canicie tutas, & conformes ſententias tradere inſpiciebam. Cùm verò neutra pars contradictionis expreſſa diſpiciebatur, nec in grauioribus authoribus firmamentum clarè haberi, legitimis rationibus dedi locum, ita tamen, vt conſequenter à grauium Doctorum dictis, atque ſententiis ſuſciperent firmitatem, non phalerata,ſed fortia tractare ſtudui,& bono ſucco doctrinarum pœnitentes, & Confeſſarios paſcere. Optimus enim ille Doctor eſt, qui floribus veritatis Chriſti oues pingueſcere faciat. hoc enim elogio talis honeſtatur in Concil. Chalcedonenſ. *act.* 5. omnibus tamen numeris opus abſolutum non audeo, nec poſſum aſſerere, pij Lectoris iudicio & doctrina[illegible]manda relinquo, & corrigenda, quando & ingeniorum flos magnus Auguſtinus liberum correctorem ſuorum operum flagitabat. His ergo laboribus noſtris vtere, & fruere. Vale.

FACVL

*FACVLTAS R. P. F. NICOLAI RODVLFII, totius Ordinis Prædicatorum Magistri Generalis.*

DIsqvisitiones morales per adm. R. P. sacræ Theologiæ Magistrum Fr. Vincentivm Candidvm, nostri Ordinis Prædicatorum in Romana Prouincia Priorem Prouincialem elaboratas, & à tribus è nostris Theologis Magistris de speciali nostra commissione diligenter perpensas, ac, velut dignum authore suo opus, magna cum doctrinæ, sinceritatis, soliditatis, & eruditionis commendatione approbatas, in lucem dari, quantum nostra interest, concedimus; eidémque authori in sanctæ Obedientiæ meritum mandamus, vt illas in publicam vtilitatem quàm primùm excudi curet. In quorum fidem his sigillo nostro munitis manu propria subscripsimus. Romæ in Conuentu S. Mariæ super Mineruam, die 28. Februarij 1637.

Fr. Nicolavs Rodvlfivs, *Magister Ordinis Præd.*

Fr. Ignativs Ciantes, *Magister Prouincialis Angliæ, & Socius*, &c.

*Imprimatur si videbitur Reuerendissimo P. M. S. P.*
A. Torniellvs Vicesg.

OPvs Disquisitionum moralium duobus tomis comprehensum, summa cura elaboratum ab adm. R.P.F. Vincentio Candido, S.Th. Magistro, Prouinciali Romano Ordinis Prædicatorum, S. Officij de Vrbe Qualificatore, ex commissione Reuerendissimi P. Magistri sacri Palatij Fr. Nicolai Riccardij, qua potui diligentia vidi, & expendi vndequaque salutaribus pharmacis esse instructum ad medendum contritis corde, feliciter ex arcanis sacrorum Canonum, & Doctorum intessellatum, & indefessè elaboratum, candida doctrina exornatum in quacumque quam tractat morali materia, à candido Doctore candidis lectoribus exhibitum. Nullum ibi næuum in rebus Orthodoxæ fidei, vel morum deprehendi. Omnino tuta, & digna quæ publici iuris fiant ad directionem Confessariorum & pœnitentium. Romæ in Conuentu S. Mariæ super Mineruam, die 25. Martij 1637.

*Sic censeo ego Fr. Dominicus Grauina, S.Th. M. Ordinis Præd. Theologus, Cur. Archiepisc. Neapol. S. Officij Consultor, primam S.Th. Cathedram Regens in Reg. Vniuersitate.*

*Opus aureum à R. P. M. Grauina probatum, & à me ipso, quantum per tempus licuit, recognitum, assentior vt imprimatur.*

Fr. Nicolavs Riccardivs, *Sac. Pal. Apost. Mag.*

## Iudicium admodum R. P. F. Abraham Bzouij, S. Th. Magistri, Historiographi post Baronium Ecclesiastici.

SI quis Theologicus Hercules animorum monstra ( quæ delicta & ignorantias iuuentutis ac senectutis lubet appellare ) radio illustriore detexit, clauáque iudicij candida & vinci nescia vicit, calcauit, oppressit; maximè adm. R.P.F. VINCENTIVS CANDIDVS, S.Th. Magister, in Basilica Liberiana Romæ scrutandis conscientiis & peccatis pœnitentium magna cum authoritate Præfectus, data in lucem casuum conscientiæ Disquisitione, docta candido radio abscondita tenebrarum cordis illuminare, spiritus, cogitationes, intentionésque animæ discernere, ac viuo sermone, planè diuino, efficaci & penetrabiliore omni gladio ancipiti vsque ad diuisionem animæ pertingere, serpentémque tortuosum, aspidem, basiliscum, & draconem conculcare. Qua ego ex commissione Reuerendissimi P. Magistri Generalis F. Nicolai Rodulfij Ordinis Prædicatorum attentiùs peruoluta ita testabar Romæ die 10. Ianuarij 1635.

F. ABRAHAM BZOVIVS *Ord. Præd.*

---

SAPIENTISSIMI P. Magistri F. VINCENTII CANDIDI, Prouinciæ Romanæ Ordinis Prædicatorum Prouincialis, & Vniuersalis Inquisitionis Qualificatoris, Disquisitiones morales perlegi; & dum ex mandato Reuerendissimi Patris nostri Fratris Nicolai Rodulfij, sacræ Theologiæ Professoris, & totius Ordinis Prædicatorum Generalis Magistri munus Censoris subeo, disquirens diligenter an vel minimum erratum irrepserit, quod floridissimis ingeniis accidere solet; nihil fidei Catholicæ incongruum, nihil bonis moribus contrarium, nihil à veritate alienum reperi; sed plurima, quæ in sacris Canonibus obscura videbantur, luce perfusa, peruia aspexi, selectissimaque ex classicis in dubium vocata, facili, & firma sententia enodata suspexi, omnia denique sacramenti Pœnitentiæ Ministris perutilia iudicaui, & vt prælo in bonum publicum edatur necessarium. Romæ die 20. Martij 1637.

Fr. FRANCISCVS DE ARAGON.

## CENSVRA.



Vssv Reuerendiſſimi P.noſtri Generalis recognoui Diſquiſitiones morales elaboratas ab admodum R. P. Magiſtro Fr. Vincentio Candido, Romanæ Prouinciæ Ordinis Prædicatorum Prouinciali, atque ſanctæ Inquiſitionis ſupremæ Qualificatore; in quibus eruditionem in vtroque iure oſtendit; Theologicam in moralibus veritatem breui reſolutione illuſtrat; Doctrinæ ſanæ ſecuritate conſcientias inſtruit; viam Regiam Confeſſariis patat; vt in ſacro Pœnitentiariæ Tribunali eum vberrimo animarum fructu certum iudicium proferant. Nil fidei inſonum, omnia potiùs conſona, propterea dignas publica luce iudico. Romæ apud S.Mariam ſuper Mineruam 25. Ianuarij anno 1637.

Fr. Ioannes Gonzalez de Leon, Magiſter, & Collegij Romani S.Thomæ Aquinatis ſuper Mineruam Regens, &c.

## APPROBATIONES.



Go infraſcriptus Doctor Theologus Pariſienſis hos duos Diſquiſitionum moralium Tomos à Reuerendo admodum Patre Vincentio Candido editos recognoui, atque in eis Catholicæ fidei & orthodoxis moribus diſſentaneum offendi nihil; ita verò plurima ex quibus Chriſtiana Religio ſplendorem referat & profectum. Quamobrem typis mandandos, & omnium Confeſſariorum manibus ferendos cenſeo. Lugduni die 19. Ianuarij anno 1638.

Fr. I. ROBE'.



Go Fr. Stephanvs Molin Carmelita, Doctor almæ Facultatis Pariſienſis, legi & approbaui Diſquiſitiones morales, duobus Tomis comprehenſas, R.P. Vincentii Candidi, Magiſtri ſacræ Theologiæ, necnon vniuerſalis Inquiſitionis Qualificatoris Ordinis Fratrum Prædicatorum, & propter ſubtiles & vtiles materias ibi inſertas, & diligenter exaratas, iudicaui dignas vt lucem videant. Actum in Carmelo noſtro die 19. Ianuarij anni Domini 1638.

Fr. MOLIN.



Pvs hoc Diſquiſitionum Moralium à R.P. Vincentio Candido, Ordinis Prædicatorum, compoſitum, tanquam peregregium non modò approbamus, & laudamus, verùm etiam viſis Reuerendorum Patrum Doctorum approbationibus ſupraſcriptorum ſub prælum mitti in communem vtilitatem lubentes permittimus. Lugduni 26. Aprilis 1638.

De Ville, Vic. Gen. Subſtitutus.



# SERIES DISQVISITIONVM, ET ARTICVLORVM.

## *TOMVS PRIMVS.*


### DISQVISITIO I.
*De materia Abortus.*

ART. 1. AN abortum procurare liceat pharmacis; potionibus, aliisve modis ad prægnantis salutem reparandam, etiamsi probabiliter ipsa moritura credatur. pag. 1

2. Sit ne licitum impedire conceptionem ad euitandam infamiam; vt scilicet fœmina post concubitum sterilis euadat. 2

### DISQVISITIO II.
*De Abscissione membrorum.*

*Art. vnic.* An sit licitum, abscindere sibi membrum, ad defendendam pudicitiam. 3

### DISQVISITIO III.
*De Absolutione.*

1. An Confessarius absoluere valeat nominatim excommunicatum, suspensum, vel interdictum, virt te Bullæ Cruciatæ, vel Iubilæi; quamuis censuræ illæ deductæ sint ad forum contentiosum. 4
2. An liceat absoluere & dispensare in irregularitate per Bullam Cruciatæ, Iubilæum, vel priuilegium alicuius Religionis, concedens Confessario, vt possit absoluere pœnitentem ab omni censura & pœna Ecclesiastica. ibid.
3. An absolui possit excommunicatus nominatim denuntiatus, virtute Iubilæi, vel Bullæ Cruciatæ, qui ob veram impotentiam satisfacere non potest parti offensæ. 5
4. An inferior Cōfessarius absoluere possit per se, & absque aliqua necessitate, eum pœnitentem, qui habet casus reseruatos, prius quàm ab istis à Superiore absoluatur. 6
5. An absolutio à peccatis impensa pœnitenti, prius quàm ab excommunicatione, qua detinetur ligatus, absoluatur, afficiat, ita vt absolutus non obligetur ad confessionem reiterandam. 7
6. An quilibet simplex Sacerdos absoluere possit constitutū in articulo mortis, à quibusuis reseruatis, etiam cum assistentia proprij Sacerdotis, vel alterius approbati. 8
7. An absoluere possit ab omnibus peccatis, & casibus reseruatis, quilibet Sacerdos, constitutos nedum in articulo, sed etiam in periculo mortis. ibid.
8. An absoluendus in articulo mortis ab hæresi, siue quouis alio reseruato habente excommunicationem annexam à simplici Sacerdote, vel ab eo, qui non habet iure communi talem potestatem, cautionem præstare debeat, & quam. 10
9. An absolutio sacramentalis possit impendi ab eo, cui fieri potest delegatio sub ratihabitione potentis delegare rationabiliter præsumpta. 11
10. An absoluere possit Sacerdos licitè, & validè, dum sunt diuersæ opiniones circa suam auctoritatem; an scilicet ipse sit legitimus Minister confessionis; vel licentia illi concessa sit legitima; aut priuilegium, virtute cuius absoluit, sit reuocatum; vel extendatur ad illum casum, vel peccatum à quo absoluit. 12
11. An sit valida absolutio data ab eo, qui communiter putatus Sacerdos, & verus Parochus, audit confessiones, si reuera non sit Sacerdos. 13
12. An absolutio sacramentalis collata per Sacerdotem non electum à legitimo Superiore ad audiendas confessiones, si communi populi errore habeatur, & putetur verus Confessarius, sit valida. 14

13. An absolutio collata à Patocho excommunicato occulto, vel habente aliud impedimentum occultum, sit valida etiam respectu scientium impedimentum. 16
14. An sacramẽtaliter absoluere possit Sacerdos hæreticus in articulo mortis cõstitutos. 17
15. An absolui possit infirmus in extrema necessitate constitutus, qui neque voce, neque nutu aliquod particulare peccatum exprimit, neque cõtritionis signa demonstrat in præsentia Sacerdotis, licèt ante illius aduentum petierit confessionem, & signa contritionis exhibuerit. 18
16. An absolutus à reseruatis ab eo, qui poterat, & confessio fuit ficta, & inualida, si postea iterũ cõfiteatur de eisdẽ casibus, possit absolui à quocumque Cõfessario, etiamsi nõ habeat potestatem absoluendi ab illis. 19
17. An subditus absolutus à suo Superiore à casibus reseruatis, si tamen per obliuionem inculpabilem omisit peccatũ aliud reseruatum, liber maneat à reseruatione, ita vt confiteri possit illud cuicumque Sacerdoti habẽti communem iurisdictionem. 20
18. An absoluere liceat pœnitentem accedentem ad sacramentum Pœnitentiæ cum attritione cognita. 21
19. An absoluendi facultas à peccatis reseruatis non habentibus censuram annexam, concedi liceat sub onere postea comparendi coram Superiore. 22
20. An Confessarius siue proprios, siue non proprius, possit absoluere pœnitentem, sequẽtem opinionẽ probabilẽ, relicta sua probabiliori, si opinio quã sequitur pœnitens, sit in materia iustitiæ, & in damnum tertij. 23
21. An absolutio sit à Confessario deneganda nolenti abstinere ab exactione debiti coniugalis tempore menstruorum. 24
22. An quilibet Sacerdos absoluere possit ab omnibus censuris & casibus reseruatis captiuos Christi fideles apud Turcas commorantes, præcipuè veniente tempore Quadragesimali, si non adest proprius Confessarius, vel alius expositus ab aliquo Ordinario. 25
23. An absolui possint viatores, & peregrini à casibus reseruatis in propria illorum diœcesi ab ordinariis Confessariis diœcesis alienæ, in qua iter agẽtes repetiuntur. ibid.
24. An absolui possint viatores, peregrini, scholastici, mercatores propriam habentes diœcesim, à casibus Papalibus ex decreto Concilij Trid. *sess.24. c.6. de Reform.* concessis Episcopis ab Episcopo alienæ diœcesis in qua tunc versantur. 26
25. An Capitulum absoluere & dispensare possit, Sede vacante, circa omnes casus occultos, nec deductos ad forum contentiosum, excepta irregularitate ex homicidio voluntario, virtute concessionis Concilij Trident. *sess.24. cap.6. de Reformatione* 27
26. An absoluendi & dispensandi facultas circa casus Papales occultos concessa Episcopis, & habentibus quasi iurisdictionem Episcopalem, vi Concilij Tridentini *sess. 24 de Reform.* sit delegabilis. 28
27. An absoluere possint Episcopi Religiosos exemptos à casibus Papalibus sibi concessis vi Concilij Tridentini, & cum illis dispensare in irregularitatibus, si ex sui Prælati licentia eisdem subiiciantur. 29
28. An absoluere possint Episcopi ab omnibus casibus occultis illis concessis virtute Concilij Tridentini *sess.24. de Reform. c.6.* quos post Tridentini publicationem sibi Pontifex reseruat. 30
29. An Confessarius possit absoluere virtute Bullæ Cruciatæ à casibus ibi concessis Anno Iubilæi. 31
30. An absolui possit à censura interdicti virtute Iubilæi, vel Bullæ Cruciatæ, aliquis ex populo nominatim, & per cedulas declarato interdicto, si in Iubilæi, vel Cruciatæ concessione prohibeatur, ne absoluantur nominatim interdicti, vel nominatim denunciati tales. ibid.
31. An Confessarius absoluere possit pœnitentem tacentem aliquod peccatum mortale, quod euidenter scit commisisse. 32
32. An Confessarius absoluere possit pœnitentem, qui per ignorantiam est in statu de se malo, vt si inter virũ & vxorẽ intercessisset impedimẽtũ irritans matrimonium, quod ipsi inuincibiliter ignorãt, & ideo bona fide debitũ petunt & reddunt, an possit istos absoluere, vel debeat illos admonere. 33
33. An sit absoluendus coniux occultæ nullitatis matrimonij conscius, quia, v g. priorem virum superstitem esse, vel præcentem esse sibi affinem, qui ad euitanda scandala, quæ ex separatione sequerentur, in eo matrimonio vult perseuerare, reddendo debitum alteri petenti inscio de nullitate. 34
34. An sit absoluẽdus cõiux qui bona fide iniẽs matrimoniũ, postea incipit de eius valore dubitare, si stãte tali ambiguitate à petitione, & redditione debiti cessare nõ vult. 35
35. An Episcopi absoluere possint virtute facultatis sibi cõcessæ in decreto Concilij Tridẽt. *sess 24. c. 6. de Reform.* à casibus in Bulla Cœnæ Romano Pontifici reseruatis. 36
36. An Confessarij delegati absoluere possint subditos diœcesis, in qua sunt expositi extra illam diœcesim. 37
37. An absolutus in sacramentali confessione de aliquo peccato dubitans, an sit mortale, si postea doctior factus, aut aliis consultis nouit id peccatum esse mortale, teneatur illud iterum confiteri. 38

38. An

38. An absolui possit in sacramentali confessione, qui est certus de debito contracto, siue ex delicto, siue aliunde id contraxerit, dubius tamen an soluerit, si nolit integrè soluere. ibid.

39 An absolui sacramentaliter possint Religiosi exempti, obtenta priùs licentia suorū Prælatorum, à Confessariis alterius Ordinis ab Ordinario loci non approbatis. 39

40. An absoluere possit secūdus Sacerdos habēs tantùm iurisdictionem communem à casibus reseruatis habentibus censuram annexam, illa ablata per Superiorem: vel, quod idem est, An ablata censura à casibus reseruatis tollatur omnino reseruatio. 40

41. An absolui possit à Confessario habente iurisdictionem communem dominus temporalis, qui impediuit litteras Apostolicas, vel mandatum de manutenendo alicuius Diœcesani, tanquam non incurrerit excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini *sub n.* 16. contra impedientes iurisdictionem Ecclesiasticam, si litteræ Apostolicæ, seu mandatum Diœcesani sit manifestè subreptitium, & ipse dominus temporalis aliàs non habuerit alios casus reseruatos. ibid.

42. An Confessarius Italus linguæ pœnitentis ignarus absoluere possit, si ex omnibus peccatis, quæ pœnitens Gallus est confessus, vnum, aut alterum dumtaxat audiuit, currente præcepto communionis in die Paschatis, si non adsit alius in illo oppido, qui omnia illius peccata intelligere possit. 41

43. An absolui debeat in sacramentali confessione adolescens si nolit relinquere beneficium, quod simoniacè, cura & studio parentum accepit? Et quid si non recitet horas Canonicas si parentum authoritate cogitur acceptare beneficium, cùm tamen ipse non habeat animum Ecclesiasticos characteres suscipiendi? Et quid de eo, qui beneficium tenue recepit, si pensum Officij non soluit. 42

44. An Inquisitores absoluere possint hæreticum occultum in solo foro conscientiæ. 43

45. An absolui possit hæreticus occultus virtute Bullæ Cruciatæ concedentis casus Cœnæ, & similiter virtute Iubilæi eosdem casus concedentis. 44

46. An sit absoluendus in sacramentali confessione, qui alium impediuit à consequutione beneficij, si non recompensauit, nec velit recompensare damnum illatum impedito. 45

## DISQVISITIO IV.

### *De Acceptione personarum.*

*Art. vnic.* An acceptio personarum sit peccatum, & quale peccatum, & in quorum bonorum distributione locum habeat. 46



## DISQVISITIO V.

### *De Accusatione.*

1. An quis accusare aliquando teneatur ex præcepto, & sub peccato mortali. 47

2. An secreta monitio debeat præcedere denuntiationem & accusationem iudicialem, sicut debet præcedere denuntiationem Euangelicam. 49

3. An accusationem & denuntiationem iudicialem debeat admonitio priuata præcedere, quando Prælati, vel Episcopi in suis edictis iubent blasphemos, v. g. vel eos, qui tale crimen commiserint, denuntiari. 51

4. An quando excommunicatio latæ sententiæ fertur contra detinentes talia bona aliena, vel tales scripturas, & contra omnes qui sciunt habentes talia bona, & tales scripturas, si eos non accusent, & denuntient, si intra tempus in edicto præfixum detinentes non restituant, & scientes si non denuntient, & accusent, incurrant excommunicationem. 53

5. An filij teneantur accusare parentes vi litterarum & mandatorum generalium, in quibus sacræ fidei censores sub pœna excommunicationis nobis præcipiunt accusare, & reuelare hæreses, quas nouimus. 56

6. An subditi scientes auctorem occultum criminis publici, teneantur accusare, vel denuntiare, si iudex sub iuramento, vel sub pœna excommunicationis latæ sententiæ inquirat à subditis quis fecerit illud. 58

7. An aliquis absens ignorans edictum Superioris præcipientis sub pœna excommunicationis reuelari tale delictum intra octo dies, post elapsum tempus certior factus de edicto, incurrat excommunicationem si sciat delictum, & probare possit si non accusat, & denuntiat delinquentem. 59

8. An custodes syluarum, montium, fluminum, lacuum, pascuorum & locorum ad Principem pertinentium, teneantur accusare delinquentes, nimirum ligna prohibita scindentes, piscantes, venantes, merces prohibitas transferentes; & teneantur in conscientia soluere damnum, ad quod soluendum delinquentes condemnandi forent si accusarentur. 60

9. An sit licitum, inimicum veraciter veniam petentem, apud iudicem accusare, vt luat pœnā corporalem per legem impositam, puta abscisionem manus, aut capitis. 62

## DISQVISITIO VI.

### *De Adiuratione.*

*Art. vnic.* An liceat hominem, Dæmonem, vel creaturam irrationabilem adiurare. ibid.

DISQVISITIO VII.

*De Adoratione.*

*Art. vnic.* An adoratio sit actus Religionis. 63

DISQVISITIO VIII.

*De Adulatione.*

*Art. vnic* An adulatio sit peccatum, & quale. 65

DISQVISITIO IX.

*De Adulterio.*

1. An sit adulterium abusus vxoris contra naturam. 66
2. An coniux adulter habeat ius exigendi debitum à coniuge innocente. 67
3. An adulter si partus sit sequutus teneatur ad restaurãda damna, quę consequuntur marito, vel hæredibus legitimis ex sustentatione prolis, & hæreditatis partitione. 69

DISQVISITIO X.

*De Aduocatia.*

1. An Aduocatus teneatur circa extremam necessitatem patrocinari pauperibus. 71
2. Quis sit prohibitus ab officio Aduocati? & quomodo Aduocatus suum munus exercere teneatur. 72

DISQVISITIO XI.

*De Amplexibus.*

1. An Amplexus, tactus, & oscula sint peccata lethalia. 74
2. An aspectus pulchræ mulieris, gratia delectationis, quæ in ipso captatur, sit peccatum mortale, & an dicere, vel audire verba turpia, sit culpa lethalis. 77

DISQVISITIO XII.

*De Apostasia.*

1. An Apostata sit idem qui hæreticus, & quæ pœnæ contra Apostatas à iure infligantur. 79
2. An apostasiæ à fide sit secundùm se annexa irregularitas, ac proinde quamuis hæresis & apostasia sit occulta, incurratur, & post peractam pœnitentiam, & receptam absolutionem ab excommunicatione adhuc qui fuit Apostata occultus, maneat irregularis. 80
3. An Apostata à Religione, habitu tamen Religionis retento, iure communi ratione solius apostasiæ excommunicationem incurrat. 82
4. An retrocessio à minoribus Ordinibus ad statum sæcularem, maximè bis ducendo vxorem, aut non virginem, sed viduam, aut aliàs corruptam, sit simpliciter apostasia ab Ordine. 83

DISQVISITIO XIII.

*De Arrha, & retrocessione à contractibus.*

*Art. vnic.* An recipiens arrham traditam in securitatem emptionis, & venditionis, si resiliat à contractu, teneatur illam danti in duplum restituere. 86

DISQVISITIO XIV.

*De Arte componendi & vendendi ea, quibus bene & malè vti possumus.*

*Art. vnic* An sit licita ars componendi & vendendi chartas lusorias, taxillos, fucos, venena, arma, gladios, quibus bene, & malè vti possunt homines, maximè si artifices, & vendentes huiusmodi suspicentur ementes malè eis esse vsuros. 87

DISQVISITIO XV.

*De Astrologia.*

*Art. vnic* An liceat per Astrologiam prædicere, & præcognoscere futura. 88

DISQVISITIO XVI.

*De Baptismo.*

1. De institutione, diffinitione & necessitate Baptismi, & quotuplex sit Baptismus. 90
2. De materia remota, & proxima Sacramenti Baptismi. 93
3. An forma Baptismi sint hæc verba, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, &c. 96
4. De Ministro Baptismi, & de susceptore baptizati de facto fonte Baptismatis. 99
5. De subiecto Baptismi, an scilicet sit tantùm homo natus, vel etiam puer in ventre matris. 105
6. De dispositione suscipientis Baptismum. 109
7. De effectibus principalibus Baptismi. 114.
8. An Baptismus habeat in omnibus æqualem effectum. 117
9. An Baptismus susceptus cum fictione producat suũ effectũ recedente fictione. 120

DISQVISITIO XVII.

*De Bello.*

1. An sit licitum bellum inter Christianos. 125
2. An indici possit bellum à Principe qui dubitat vtrùm ad illud indicendum iustam habeat causam. 128
3. An licitè bellum à Principe Christiano inferri possit infidelibus, eósque bonis, & vita priuare. 129
4. An omnes bellantes in bello iniusto teneantur insolidum ad restitutionem omnium damnorum. 131

5. An sit licitum in bello iusto occidere innocentes. 132
6. An sit licitũ in bello iusto expoliare innocẽtes, & in captiuitatem illos ducere. 133
7. An capti in bello iusto, & in seruitutẽ redacti à suis dominis, licitè fugere possint. 134
8. An Ecclesiæ, & Clerici, tempore iusti belli, licitè expoliari possint. 136
9. An licitum sit Clericis bellum gerere. 137
10. An Clerici possint aliquando præliari absque licentia summi Pontificis. 138
11. An Clerici, vel Monachi in bello iusto pugnantes sine licentia summi Pontificis possint hostes, contra quos militant, suis bonis expoliare. 139
12. An omnes militantes in bello iusto defensiuo sint irregulares, sequuta morte, vel mutilatione. 140
13. An militãtes in bello iusto aggressiuo, si fiat à Principe nõ habente in temporalibus Superiorem ad reparanda damna iniustè illata Reipubl. vel vlciscendas iniurias, iniquè illatas ab aduersaria parte, sint irregulares sequuta morte, vel mutilatione. 141
14. An Clericus repugnans in bello iusto incurrat irregularitatem, si socij eius interfecerint aliquos, licèt ipse non interfecerit. 142
15. De dispensatione huius irregularitatis. Quis in hac irregularitate contracta ex homicidio iusto voluntariè facto in bello iusto dispenset. 145
16 An licitum sit bellum iustum aggressiuum diebus festis inire. 147

## DISQVISITIO XVIII.
### *De Beneficijs.*

1. An definitio beneficij communiter assignata à Canonistis sit bona? &, An simoniacè illud obtinens sit excommunicatus, & in conscientia dimittere teneatur. ibid.
2. An Cardinalatus & Monachatus sint beneficia Ecclesiastica. 150
3. An Capellania sit beneficium. 151
4. An vbi beneficium simplex est sacerdotale, possit Episcopus cum consensu patroni, saltem pro vna vice dispensare, vt conferatur non Sacerdoti, nec actu, nec habitu, qualis est, qui nec Sacerdos est, nec in ætate, qua intra annum possit esse. 152
5. An beneficiorum Ecclesiasticorum summus Pontifex sit Dominus. 153
6. An beneficiarij sint veri domini fructuum, quos ex beneficio iusto titulo possesso capiunt. 156
7. An sit peccatum mortale obtinere plura beneficia sine cura animarum, absque dispensatione summi Pontificis. 158
8. An collator beneficiorum si conferat indigno, prætermisso digno, vel digniore, teneatur damnum quod intulit resarcire digno, vel digniori. 160
9. An in distributione beneficiorum sit absolutè necessarium eligere digniorem; an verò satis sit eligere dignum. 161
10. An irregulares sint beneficiorũ capaces. 163
11. An sint beneficiorũ capaces, filij coniugatorũ, qui post patentũ mutuum castitatis votum, aut mutuam alterius professionem, aut Ordinem sacrum alterius, generantur. 166
12. An beneficiarij incidentes in hæresim sint ipso iure priuati beneficiis. 168
13. An filij hæreticorũ ante parentũ hæresim acquisiti similiter sint ipso iure priuati, aut saltem per sententiam priuandi beneficiis. 169
14. An irretitus aliqua censura sit inhabilis ad beneficia Ecclesiastica. 170
15. An beneficiarius excommunicatus manens in excommunicatione, sit ipso facto priuatus fructibus ex beneficio perceptis. 172
16. An beneficiarius suspensus ab officio fructibus beneficij priuetur. 174
17. An suspensus à beneficio lucretur distributiones quotidianas, quæ tribui solent illis qui diuinis Officiis intersunt. ibid.
18. An beneficiarij curam habentes, vel prouisi de Canonicatibus, vel dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus, si fidei professionem non fecerint iuxta decretum Concilij Tridentini *sess. 24. cap. 12 de Reformatione*, possint sibi fructus beneficij in conscientia retinere. 175
19. An qui ad beneficium parochiale promouetur, si non habet animum clericandi, nec intra annum ad Sacerdotium ascendendi, in conscientia fructus perceptos restituere teneatur. 177
20. An teneatur ad restitutionem fructuum qui simplex beneficium accipit, nisi habet intentionem determinatam status Ecclesiastici, & ordinem suo muneri necessarium suscipiendi. 179
21. An Clericus in Sacris, vel in minoribus constitutus, eo ipso beneficia obtenta amittat, quando validum init matrimonium. 180
22. An beneficia Ecclesiastica ipso iure amittantur si Clericus irritè per verba de præsenti contrahit. 181
23. An per matrimonium amittantur pensiones, sicut beneficia Ecclesiastica. 182
24. An beneficiarij non recitãtes preces canonicas teneãtur ad restitutionẽ fructuum. 183
25. An beneficiarius omittens preces horarias teneatur ad restitutionem omnium fructuum ex beneficio perceptorum, an verò tantùm ad partem correspondentem oneri recitandi diuinum Officium. 185
26. An beneficiarij ad chorũ, & cantũ deputati, vt sunt Canonici Cathedralium, non canẽtes in choro Officium diuinum, teneantur ad restitutionem distributionum. 186

27. Ao beneficiarij curam habentes, iure diuino residere teneantur. 188
28. An habentes beneficia, quibus cura est annexa, si non resideant, teneantur in conscientia fructus ex beneficiis perceptos restituere. ibid.
29. An beneficiarij habentes dignitates in Cathedralibus, vel Collegiatis, Canonicatus, præbendas, vel portiones, si non resideant, in conscientia faciant fructus suos. 190
30. An beneficiarij docentes, & Scholastici studentes in Vniuersitatibus, in absentia possint licitè percipere fructus beneficiorum. 191
31. An beneficiarij Canonici, qui sunt in seruitio Episcopi, lucrentur fructus præbendarum suarum, & distributiones quotidianas. 193
32. An beneficiatius obtinens solum titulum, absque possessione, & receptione fructuum, diuinum Officium persoluere teneatur. 195.
33. An consuetudine induci possit, vt beneficiarius ad canendum in choro deputatus, possit alium in sui locum substituere, & distributiones capere. 196
34. An beneficiatius ratione litterarij studij liber sit à lege, & præcepto precum canonicarnm, si per substitutum beneficio inseruiat. 597
35. An beneficij renunciatio per metum extorta sit ipso iure irrita. 198
36. An beneficiarij permutantes beneficia authoritate priuata sine licentia Ordinarij traditione sequuta sint ipso iure excommunicati, & vtriusque beneficij ipso facto priuationem incurrant. 199
37. An liceat ad remouenda impedimenta, quæ iniustè opponuntur ob redimendas vexationes, aliquid temporale pro beneficiis assequendis elargiri. 202
38. An si quis expensas fecerit, in obtinendo beneficio litigioso, possit eas repetere si beneficium velit resignare. 203
39. An traditio beneficij, & receptio alicuius temporalis pro ea, animo ex vtraque parte simoniacè depraoato, sine pacto tamen, obliget in conscientia ad restitutionem pretij, & dimissionem beneficij. 205.
40. An beneficiarius, cui beneficium quæritur per simoniam mediatoris, quam ignorauit, postea certior factus de simoniaca collatione, teneatur beneficium vnà cum froctibus perceptis resignare. 207
41. An obtinens beneficium post pactum de pretio soluendo, sed non adhuc illo impenso, in conscientia illud dimittere teneatur. 209
42. An quando simonia est realis ex vtraque parte completa in materia beneficiali, restitutio pretij tẽporalis sit facienda ei, qui dedit, an verò Ecclesię, vel pauperibus. 210
43. An beneficium resignatum per simoniam realem verè vacet, ita vt sic resignans sit ipso iure illius titulo priuatus. 211
44. An pœna inhabilitatis ad beneficia tam obtenta, quàm imposterum obtinenda, apposita in constitutione Pij V. cuius initium est, *Cum primùm*, contra simoniacos in beneficio, incurratur ipso iure ante omnem iudicis sententiam, etiam criminis declaratoriam. 212
45. An beneficiarij fructus annuos, quos ex suis beneficiis percipiunt, vltra triennium locare possint. 214

## DISQVISITIO XIX.

### *De Blasphemia.*

1. An blasphemia opponatur virtuti Religionis. 217.
2. An blasphemia hæreticalis sit distincta ab infidelitate. 218
3. An iurare per vitam Dei sit blasphemia, in qua etiam de aliis modis blasphemandi dicitur. 219
4. An sit blasphemia iurare per Dei membra, & Sanctorum. 220
5. An maledictum prolatum in Sanctos sit blasphemia. 221
6. An blasphemia in Deum differat specie à blasphemia in Sanctos. 223
7. An assuetus blasphemare si inaduertenter, & indeliberatè blasphemet, peccet mortaliter blasphemando. 224
8. An peccatum blasphemiæ sit grauius omnibus aliis peccatis. 225
9. An qui vno sermonis impetu blasphemando simul maledicit Beatissimæ Virgini, & duodecim Apostolis, vnicum tantùm blasphemiæ peccatum committat. 226

## DISQVISITIO XX.

### *De Cambijs.*

1. An campsotia ars sit licita, & honesta. 228
2. An in cambio minuto, & manoali liceat commutare pecuniam cum pecunia cum aliquo lucro. ibid.
3. An qui non fungitur officio campsoris, possit tuta conscientia ex cambio minuto lucrum accipere. 230
4. An in cambio per litteras, cùm quis dat campsori pecunias, & campsor dat litteras, vt per eas dans pecuniam accipiat alibi, licitè nummularius, & tuta conscientia possit aliquid lucrari. ibid.
5. An in cambio reali, in quo campsor dat pecunias campsario, vt eas in alio loco recipiar, possit tuta conscientia ex tali cambio aliquid lucrari. 231

6. An cambium fictitium, siue siccum, sit vsurarium. 232
7. An campsor possit pacisci cum campsario de aliquo certo lucro recipiendo, si vltra terminum præfixum non soluerit pecuniam vbi est soluenda. 233
8. An illud cambium sit licitum, in quo campsor dans pecuniam exhibet campsario suum factorem, qui eo in loco existens, puta Lugduni, vbi facienda est pecuniarum solutio, soluit pro campsario, qui Genuæ à campsure pecunias acceperit. 234
9. An licitum sit cambium cum recambio. 236
10. Vtrùm liceat alteri cambientium recipere mercedem cambij ab altero, quando vterque ex eo cambio reportat æquale commodum, & onus. 238
11. An campsor, qui Romæ, v.g. bona fide dedit pecuniam Titio ad cambium, soluendam Lugduni, si postea inuenerit Titium non habere pecuniam actu, vel potestate, vel correspondentem in eo loco, possit illud lucrum exigere, quod percepisset, si Titius Lugduni soluisset. 239
12. An cambia, quæ fiunt de nundinis in nundinas, quæ dicuntur *de feria in feriam*, sint licita. 240
13. An ratione diuersæ æstimationis pecuniarum pretium cambiorum possit licitè augeri, vel minui. 241
14. An cābiatores possint constituere pretium, & valorem præfinire pecuniis, quæ ab ipsis traduntur in cambium. 243
15. An sit iustum cambium, in quo campsor dat Romæ, v.g. centum aureos in vim cambij, vt soluat alio in loco, vbi nullæ nundinæ celebrantur, eo pacto, vt totidem aureos cum tanto lucro ibi soluat ad tres menses, cum quanto lucro soluerentur ad primas nundinas in loco consueto. 244
16. An sit licitum cambium, cuius pretium mutuo contrahentium consensu relinquitur in incertum, scilicet cùm campsor confert alicui pecunias eo pacto, vt illius cambij solutio fiat iuxta pretium cambiorum nundinarum proximè sequentium. 245
17. An sit iustum & licitum cambium, quod interpositis primis nundinis, fit in alias subsequentes, si in eo pretium augeatur. 246
18. An campsor possit plus lucri exigere ex cambio quod ad primas, vel proximas nundinas fit, quo magis tempore distant primæ nundinæ. 248
19. An sit iustum cambium, factum, v.g. Romæ Lugdunum sub vno pretio, & Lugduni Romam sub alio diuerso. 249
20. An quando mensarius, seu depositarius nomine eius, qui pecunias deposuit, alteri soluerit aliquam summam eiusdem pecuniæ, possit accipere stipendium ab eo solùm, qui pecunias deposuit, an verò etiam ab eo, cui soluerit. ibid.
21. An quando mercator, vel campsor remittit venditorem mensarium, vt ab eo recipiat pretiū rei venditæ; vel remittit campsarium ad mensarium, vt cambitam pecuniam in cambio per litteras ei persoluat, licitum sit mensario lucrum aliquod à venditore, vel à cāpsario exigere, eo quòd non in chirographis, & syngraphis, sed in numerato, eis credita persoluat. 251

## DISQVISITIO XXI.

### *De Carne.*

1. An carnibus humanis vesci in extrema necessitate cibi sit licitum. 252
2. An carnium esus fuerit licitus, & in vsu, ante diluuium. 253

## DISQVISITIO XXII.

### *De Censuris.*

1. Quid sit censura. ibid.
2. Quotuplex sit censura. 254
3. An censura excommunicationis, suspensionis, & interdicti benè diuidatur in censuram, quæ est ab homine, & in censuram, quæ est à iure. 255
4. An censura sub his verbis; *Qui hoc, vel illud fecerit, sit Anathema, sit excommunicatus*, dicatur censura latæ, vel ferendæ sententiæ. 256
5. An causa efficiens censuræ sit Deus, vel homo. 257
6. An fœminæ possint ferre censuras. 258
7. An ad incurrendam censuram sufficiat peccatum purè internum. 259
8. An ad ferendam censuram requiratur contumacia, vel sufficiat actio peccaminosa commissa. 261
9. De causa materiali remota censuræ, quis scilicet sit subiectum, seu censuræ capax. 262
10. An pluries incidens in actum, cui est annexa censura latæ sententiæ, plures etiam incurrat censuras. 265
11. An plures censuræ contrahantur ab eo, qui facit vnum actum, habentem plures circunstantias, pro quibus singulis lata est excommunicatio. 266
12. An faciens aliquem actum prohibitum sub pœna censuræ, à pluribus ad hæc potestatem habentibus, tot incurrat censuras, quot sunt Superiores prohibentes illum actum sub pœna censuræ. 268
13. An lex, quæ solùm profert censuram contra committentes aliquod delictum, comprehendat etiam consulentes, & mandantes. 269
14. An mandans, vel consulens ligetur censura, quando non influit in effectum. ibid.

15. An quando consulens dubitat, an per suum consilium influxerit in factum prohibitum sub censura, possit practicè deponere dubium, & reputari non incurrisse talem censuram. 271

16. An de essentia formæ censuræ tom iuris, tum hominis sit scriptura, vel verbum. 273

17. An censura lata sub disiunctione liget si iudex, v. g. ita ferat censuram: Qui noctu tulerit arma, sit excommunicatus, vel suspensus; aut ita, Clericos, qui detulerit comam, sit suspensus ab officio, vel beneficio. 275

18. An censura ferri debeat in scriptis, cum expressione causæ in eodem scripto, & traditione exemplaris censuræ parti petenti infra mensem. ibid.

19. An ante censuram ferendam præcedere debeat canonica admonitio. 277

20. An trina illa monitio sit de essentia censuræ latæ ab homine pro culpa præterita, ita vt illo iuris ordine prætermisso, sententia sit nulla. 279

21. An dentur aliqui casus, in quibus censuræ sententia ab homine lata, sit nulla, & inualida. 280

22. An censura sit valida, quando causa propter quam fertur, non est iusta. 281

23. An ille, contra quem lata est censura, debeat se gerere tanquam censurâ ligatum, quãdo causa, seu materia, propter quam lata est censura, est dubia, vel sub opinione, an sit censura digna, nec ne. 283

24. An error intolerabilis in sententia censuræ faciat censuram nullam. 285

25. Verùm Superior possit ferre censuras dum existit extra proprium territorium. 286

26. An censura lata per modum statuti liget subditos existẽtes in alieno territorio. 288

27. An subditus Episcopi agens in alieno territorio contra sententiam generalem sui Prælati, per quam censura fertur in eos, qui hoc agunt, vel omittunt, talem censuram incurrat. 290

28. An subditus vnius diœcesis existens in altera diœcesi, & ibi agens contra statuta, & præcepta Episcopi illius diœcesis, incurrat censuras ab eo latas. 292

29. An censura per vim metúmque illata valida sit. 295

30. An qui censuras contraxerunt sint denunciandi. 296

31. An ignorantia inuincibilis à censuris incurrendis excuset. 297

32. An ad incurrendas censuras Ecclesiasticas non sufficiat scientia iuris positiui rem illã prohibentis, sed requiratur etiam scientia ipsius pœnæ; atque ita sciens ius prohibens, ignorans id prohibere sub pœna censuræ, illam minimè incurrat. 300

33. An ignorantia concomitans eximat à censuris incurrendis. 302

34. An ignorantia vincibilis excuset ab incurrendis censuris. 303

35. Qualis ignorantia excuset à censuris incurrendis dum canon imponit pœnam censuræ facienti aliquid scienter. 304

36. Quando ignorantia, & inaduertentia siue iuris, siue facti reputantur vincibilia, quæ à culpa non excusant, nec à censuris incurrendis. 306

37. An ebrij incurrant censuram, si committunt delictum sub censura prohibitum, tempore ebrietatis. 307

38. An appellatio expressa, vel tacita sententiam censuræ postea latam annullet. 309

39. An impotentia faciendi quod præcipitur sub censura, excuset ab incurrenda censura. 311

40. An pẽsionatius in forma Cameræ obligatus, ad soluendã pensionẽ certis temporibus, sub pœna censuræ, ipso facto incurrendæ, illam incurrat ante intimationem litterarum, continentium censuræ pœnam, si elapso termino pensionem non soluerit. 313

41. An metus excuset ab incurrendis censuris. 314

42. An manente censura per dispensationem fieri possit vt effectus alioquin per illam prohibitus licitè fieri possit. 317

43. An consensus illius, in cuius fauorem lata est censura, excuset ab incurrenda censura, eámque suspendat. 319

44. A quo possit auferri censura. 321

45. Quis possit à censuris ab homine latis absoluere. ibid.

46. An censura per generalem sententiam lata solùm à ferente auferri possit. 324

47. An *cap. nuper, de sentent. excommunicationis*, concedens proprio Sacerdoti facultatem ad absoluendum à censura iuris, per contrariam consuetudinem sit abrogatũ. 325

48. An excommunicatus, suspensus, vel interdictus ab homine, si ingreditur Religionem, possit absolui à Prælato Religionis, qui videtur succedere in iurisdictione in illum. 328

49. An Prælati Regularium possint absoluere suos subditos à censuris, excõmunicatione scil. suspensione & interdicto, ac ab aliis priuationibus & inhabilitatibus. 330

50. An virtute Conc. Trid *sess 24. c. 6. de Reform.* possit absolui à suo Episcopo subditus absens à censuris occultis, Sedi Apostolicæ reseruatis? & similiter Regularis à suo Prælato vi concessionis Sanctissimi Pii V. 335

51. An sub facultate absoluendi à censuris Sum. Pontifici reseruatis comprehendantur reseruatæ Episcopis. 338

52. An

51. An absolutio à censuris per expressionem falsitatis vitietur, vt si excommunicatus ob vnam causam, dum absolutionem petit, aliam causam explicet. 340

53. An habens priuilegium absoluendi à censuris, absque limitatione satisfactæ partis, validè absoluat pœnitentem à censuris, qui nondum satisfecit parti læsæ. 344

54. An absolutio à censuris data in foro interiori, seu conscientiæ, in sacramentali confessione, valeat etiam in foro fori, seu exteriori. 346

55. An absolutio à censuris, per laicum, vel Clericum non Sacerdotem, in articulo mortis, impendi possit. 348

56. An absolutio censurarum dari possit sub conditione, vel ad cautelam. 349

57. An absolutio à censuris, valeat si dicatur, Absoluo te, non addito, ab excommunicatione, suspensione, vel interdicto. 351

## DISQVISITIO XXIII.

### *De Concilio generali.*

1. An Concilium generale, ritè, & legitimè congregatum, maioris sit auctoritatis, quàm Romanus Pontifex. 352

2. An Concilium generale legitimè, auctoritate scilicet summi Pontificis, congregatum, assistentibus Legatis ipsius Pontificis, possit errare in rebus fidei definiendis, ante Pontificis confirmationem. 354

3. An Concilium generale legitimè congregatum, & auctoritate summi Pontificis confirmatum, in canonizatione Sanctorum errare possit. 357

4. An negans Concilium generale, v.g. Tridentinum, legitimè congregatum, & auctoritate summi Pontificis confirmatum, esse verum, & legitimum Concilium, esset tanquam hæreticus puniendus. 360

# TOMVS SECVNDVS.

## DISQVISITIO XXIV.

### *De Confessione sacramentali.*

1. Vid sit Confessio sacramentalis. 1

2. Vtrùm confessio sit pars essentialis sacramenti Pœnitentiæ. 2

3. An Confessionis sacramentum sit de necessitate salutis. 5

4. An peccata sint materia remota sacramenti Confessionis. 8

5. An pœnitens teneatur in confessione peccata venialia manifestare. 10

6. An dolor necessariò requisitus in sacramento Pœnitentiæ debeat confessionem præcedere. 11

7. An forma sacramenti Confessionis sit hæc, *Ego te absoluo.* 13

8. An sensus huius formæ sacramenti Pœnitentiæ, *Ego absoluo te*, semper sit verus. 16

9. An valeat absolutio sacramentalis, si pœnitens per litteras peccata sua transmittat ad Confessarium, deinde in præsentia absoluatur. 18

10. An aliquis dolor internus sit de essentia sacramenti Confessionis. 19

11. An ad recipiendum hoc sacramentum Pœnitentiæ, & eius effectum consequendum necessaria sit contritio, ita vt attritio non sufficiat. 20

12. An attritio, vt sit sufficiēs ad valorem sacramenti Pœnitētiæ, debeat includere efficacē volontatē non peccandi de cætero. 23

13. An attritio, & contritio, quæ sunt partes essentiales sacramenti Confessionis, differaunt specie, & essentialiter. 26

14. An ad valorem confessionis sacramentalis pro singulis peccatis singulæ contritiones requirantur. 29

15. An contritio sit necessaria necessitate medij, & præcepti ad salutem. 31

16. Quo tempore obliget præceptum contritionis. 34

17. An Confessionis sacramentum possit dari validum quoad substantiam, ita ut non teneatur homo iterum confiteri eadem peccata, atque adeò sit verum sacramentum; & nihilominus quòd sit confessio informis, id est, non conferens gratiam, & hoc defectu veræ attritionis necessariò requisitæ in sacramento. 36

18. An ad obtinendam iustificationem per contritionem, secundùm se, extra sacramentum Confessionis, requiratur recogitatio, & consideratio omnium peccatorum mortalium nondum dimissorum. 39

19. An ad veram contritionem, per quam peccata remittuntur, certa aliqua intentio requiratur. 41

20. An attritio possit fieri contritio. 43

21. An possit homo iustificari absque vllo contritionis actu. 44

22. Vtrùm oporteat confessionem esse integram. 46

23. An peccata necessariò sint explicanda in confessione, quoad omnes circunstantias. 56

24. An assignari possint aliquæ causæ excusantes pœnitentes ab integritate confessionis, seu ab explicandis omnibus peccatis mortalibus quoad numerum, & quoad species, & quoad circunstantias infinitè aggrauantes. 70

25. De confessione sacramentali coram præsente Confessario facienda, & de absolutione ab eodem præsente impertanda. 75

*Dub.*1. An pœnitens peccata sua sacramentaliter præsenti Confessario confessus, possit ab eodem absente absolutionis formam obtinere. ibid.

2. An pœnitens peccata sua per litteras, seu internuntium absenti Sacerdoti sacramentaliter confiteri, & ab eodem præsente absolutionem impetrare possit. 76

3. An pœnitens morti vicinus, qui absente Sacerdote, in præsentia testium, contritionis signa exhibuit, & Pœnitentiæ sacramentum petiit, ac postea sensibus fuit priuatus, possit à superueniente Sacerdote, ex relatione testium, illud sciente, sacramentaliter absolui. 78

4. An pœnitens, præsenti Confessario initio Quadragesimæ peccata sua confessus, dilata absolutione in festum Paschæ, si ante illud morti proximus, in præsentia testiũ, contritionis signa ostenderit, & sacramentum Pœnitentiæ petierit, & deinde priuetur sensibus, possit à superueniente eodem Sacerdote illud ex relatione testium sciente sacramentaliter absolui. 79

5. An pœnitens peccata sua absenti Sacerdoti per litteras, seu internuntium confessus, possit ab eodem absente absolui. 80

6. An per decretum Sanctissimi Domini Clementis VIII. die 20. Iunij 1602. factum, damnata sit propositio, ad minus vti falsa, temeraria, & scandalosa, quòd liceat per litteras, seu internuntium, Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere; itaut vtraque pars propositionis diuisiuè, & non copulatiuè fuerit damnata. 81

26. An pœnitens excusetur ab integritate confessionis, si manifestando in confessione suum peccatum, vel aliquam circumstantiam sui criminis necessariò fatendam, personam complicis in particulari Confessario reueler. 83

27. An pœnitens, qui animo non deferendi occasionem proximam peccandi, accessit ad sacramentum Pœnitentiæ, & in hoc animo perseuerans, integrè alia sua peccata confessus est, teneatur postea hanc confessionem iterare. 84

28. Quo tempore obliget præceptum auricularis confessionis. 86

29. An summus Pontifex possit cum aliquo dispensare, vt semel in anno non confiteatur? &, An aliquæ causæ assignari possint, quibus excusentur fideles à confessione annuali. 96

30. An pœnitens teneatur satisfactionẽ sibi impositã acceptare, & acceptatã implere. 100

31. An Confessarius teneatur sub mortali pœnitentiam pœnitentibus iniungere. 105

32. An Confessarius possit commutare, vel minuere pœnitentiam ab alio Confessario impositam. 112

33. An per confessionem sacramentalẽ remittantur peccata, non solùm quoad culpam, sed etiam quoad omnem reatũ pœnæ. 115

34. An post sacramentalem confessionem, seu per sacramentum Pœnitentiæ, remittantur peccata venialia. 119

35. An peccata venialia remittantur per Sacramentalia. 121

36. An extra sacramentum, & Sacramentalia per alios virtutum actus, peccata venialia deleantur. 123

37. An quotiescumque remittuntur peccata venialia, infundatur gratia, abstrahendo à prima gratia, & ab augmento illius. 129

38. An per actus æquales habitui præexistenti, aut etiã per actus remissos verè mereatur homo augmentum gratiæ, & charitatis, & semper augmentũ gloriæ essentialis. ibid.

39. An peccatum veniale possit remitti sine mortali. 135

40. An venialia iustorum hominum delicta in futuro sæculo remittantur. 141

41. An ad hoc quòd opus bonum existentis in gratia, sit meritorium vitæ æternę de condigno, & consequenter satisfactorium pro pœnis debitis, peccatis dimissis; requiratur necessariò, quòd per actum charitatis referatur formaliter, aut virtualiter, in vltimum finem supernaturalem: an verò sufficiat, quòd opus illud bonum sit coniunctum in eodem subiecto, cum habitu gratiæ, & charitatis, per quem possit referri in finem supernaturalem. 145

42. An peccata dimissa per sacramentalem confessionẽ, redeant per sequens peccatũ. 148

43. An per ingratitudinem peccati sequentis, consurgat tantus reatus, quantus fuerat peccatorum priùs dimissorum. 150

44. An opera bona, mortificata per peccatum, postea per pœnitentiam reuiuiscant, ita vt valeant ad vitam æternam. 154

45. An amissa virginitas, quæ est virtus, restituatur aliquando per pœnitentiam, & quibus casibus restitui queat. 156

46. Quomodo opera meritoria, per peccatum mortificata, per pœnitentiam postea reuiuiscant. 164

47. An Sacerdos teneatur celare peccata, quæ sub sigillo confessionis nouit, & quo iure. 167

48. An sigillum cõfessionis se extendat ad alia, quàm ad ea, quæ sunt de confessione. 169

49. An solùm Sacerdos teneatur ad sigillum confessionis. 172

50. An Confessarius in aliquo casu loqui possit

de

de auditis in confessione sacramentali, sine culpa, & sine fractione sigilli. 175
51. An Confessarius teneatur potius morti se obiicere, quàm confessionem fugiendo reuelare, si ex auditis in confessione cognoscat sibi parari insidias. 178
52. An Confessarius capitularis, cùm suffragiũ in electione Prælati dat, illud ideireò confitenti suo denegare possit, quia eum ex sola confessione scit esse indignum. 180
53. An si fortè pœnitens manifestet in confessione complicem, v.g. mulierem, cum qua fornicatus est, Confessarius reuelans peccatum, non ipsius pœnitentis, sed complicis, peccet contra sigillum confessionis. 182
54. An Confessarius possit obligare pœnitentem, vt sibi reuelet personam complicis, ad hoc solùm, quòd talis persona corrigatur; etiamsi hoc nullo modo sit necessarium ad cognoscendam conscientiam ipsius pœnitentis. 183
55. An solus Sacerdos sit Minister Pœnitentiæ sacramenti. 186
56. An sit necessarium, quòd homo confiteatur proprio Sacerdoti. 188
57. Quis Sacerdos possit audire confessiones Religiosorum. 190
58. An Nouitij teneantur confiteri Confessario à Superiore illis assignato, & mutando Confessarium, teneat absolutio. 194
59. An Prælati Regularium Ordinum Mendicantium possint sibi subditos absoluere à casibus Papalibus. 196
60. An absolutio à censuris Sedi Apostolicæ reseruatis à Superioribus Ordinum Mendicantium sibi subditis, vi suorum priuilegiorum impensa, habeat locum tantùm in foro interiori, an etiã in foro exteriori. 199
61. An Prælati Regularium possint cum suis subditis dispensare in irregularitatibus, si quam, vel si quas contraxerunt. 200
62. An Regulares inconsultis suis Prælatis tempore Iubilæi plenissimi possint confiteri extra suum Ordinẽ, & validè absolui. 206
63. An Confessarius expositus ab Ordinario, ad excipiendas fidelium confessiones, præter Monialium, tempore Iubilæi plenissimi, in quo conceditur omnibus fidelibus vtriusque sexus tam secularibus, quàm Regularibus quòd possint sibi eligere in Confessarium quemlibet Sacerdotem expositum ab Ordinario, siue sit Confessarius Regularis, siue secularis, possit vi talis concessionis, audire in confessione, & validè absoluere Moniales. 209
64. An tempore Iubilæi liceat confiteri cum approbato alterius diœcesis, v.g. Sacerdos approbatus ab Ordinario Mediolani, sed tempore Iubilæi degit Venetiis, vbi non est approbatus, possitne Venetiis eligi in Confessarium, virtute Iubilæi. 211
65. An Parochi post Concilium Tridentinum possint exponere Confessarios pro suis Parochianis, etiam sine facultate Episcopi. 212
66. An Sacerdos, fingens se habere iurisdictionem, cùm re vera neque approbationem ab Episcopo, neque commissionem aliquam habeat ad audiendas confessiones, validè absolueret pœnitentem, qui bona fide illi confiteretur, tum peccata venialia, tum mortalia. 215
67. An extra articulum mortis inferior Sacerdos possit absoluere pœnitentes à casibus reseruatis. 216
68. An Superior teneatur concedere facultatem pœnitenti, petenti per se, vel per alium, qua possit alteri Sacerdoti peccata reseruata confiteri. 219
69. An qui tempore alicuius concessæ Indulgentiæ, vel Iubilæi, fuit absolutus à censuris, & à peccatis reseruatis, remaneat directè absolutus, etiamsi postea non præstet cætera, quæ ad Iubilæi consequutionem præscribuntur. 221

## DISQVISITIO XXV.

### *De Votis.*

1. De his quæ pertinent ad votum. 238
2. De dispensatione, vel irritatione votorum facta à Prælatis. 240
3. An in commutatione votorum requiratur iusta causa. 241
4. De dispensatione votorum, iuramento firmata, vel in vtilitatem tertij emissa. 243
5. De commutatione votorum iam aliàs commutatorum, & pœnalium. ibid.
6. De commutatione votorum, tempore Iubilæi. 244
7. De commutatione votorum conditionalium. 247
8. De commutatione votorum castitatis, & Religionis. 248
9. De votis emissis à coniugibus. 250
10. De votis emissis à pueris. 256
11. De votis emissis à muliere coniugata. 259
12. De votis emissis à viro vxorato. 261
13. De Superioribus habentibus facultatem irritandi vota suorum subditorum. 263
14. De illis qui Religionum emiserunt vota. 264
15. De vouentibus, vel ingredientibus Religionem habentibus parentes in aliqua necessitate constitutos. 272
16. De vouentibus, vel ingredientibus Religionem, fratres, vel sorores habentibus in necessitate constitutos. 277
17. De parentibus ingressum Religionis vouentibus, si filios habeant paruulos. 278

18. De illis qui votum castitatis, vel Religionis emiserunt, & postea rem habent cum virgine, vel alia muliere, sub spe futuri matrimonij. ibid.
19. De vouentibus aliquid indeterminatè, vel aliquid, quod potest habere aliquam æquiuocationem, aut dubium. 280
20. De intentione requisita ad adimplendum votum, vel aliquam obligationem ex voto, aut ex præcepto. 283
21. De recitantibus diuinum Officium ex voto, vel ex præcepto. 288
22. De illis qui operantur opera, ad quæ ex duplici voto, vel ex voto, & alio titulo obligationis tenentur. 290
23. De his qui cum interruptione exequuntur opera, ad quæ tenentur ex voto, vel alia obligatione. 292
24. De modo quo diuinum Officium recitandum est dum quis ad illud recitandum ex voto, vel ex præcepto, tenetur. 293
25. De modo, quo opera debita ex voto, vel ex præcepto, exequi debeant. 294
26. De ordine seruando in recitando diuino Officio debito ex voto, vel ex præcepto. 296
27. De omissione diuini Officij, ad quod tenetur quis ex voto, vel ex præcepto. 297
28. De attentione requisita ad implendum opus debitum ex voto, vel ex præcepto. 298
29. De requisitis ad satisfaciendum præcepto Missæ. 300
30. An Confessarius tempore Iubilæi electos possit vota commutare. 302

## DISQVISITIO XXVI.

### *De Iuramentis.*

1. De natura iuramenti. 303
2. De adimpletione iuramenti. ibid.
3. De iuramento sub æquiuocatione, tam extra iudicium emisso, quàm in iudicio. 306
4. De iuramento facto circa sponsalia. 315
5. De iuramento, emisso in rebus prohibitis per legem. 317
6. De iuramento emisso in contractibus. 318
7. De iuramento facto cum errore, & dolo. 323
8. De iuramento facto per nuncium, vel Procuratorem. 324
9. De iuramento assertorio. 326
10. De iuramento promissorio, & comminatorio. ibid.
11. De iuramento emisso in rebus peccaminosis, vel non bonis. 328
12. De iuramento obligatorio: in quibus scilicet casibus sit obligatorium, & in quibus non seruandum iuramentum. 331
13. De iuramento edito de non fornicando, vel non ludendo. 338
14. De iuramento emisso à Medicis in sua professione. 343
15. De dispensatione & commutatione iuramentorum. 344
16. De promissione iurata, & non iurata. 349
17. De absolutione à iuramento. 351
18. An Confessarius electus tempore Iubilæi possit commutare iuramenta. 352

## DISQVISITIO XXVII.

### *De Dispensatione in votis, & iuramentis.*

*Art. vnic.* An Confessarij Regulares possint dispensare, & commutare vota fidelium. 353

## DISQVISITIO XXVIII.

### *De Dispensatione in impedimentis dirimentibus matrimonium.*

1. De impedimentis dirimentibus matrimonium in genere. 361
2. De impedimento erroris. ibid.
3. De impedimento conditionis. 362
4. De impedimento voti. 363
5. De impedimento cognationis. 366
6. De impedimento criminis. 368
7. De impedimento disparitatis cultûs. 373
8. De impedimento vis, seu metûs. 382
9. De impedimento Ordinis. 394
10. De impedimento ligaminis. 397
11. De impedimento publicæ honestatis. 399
12. De impedimento affinitatis. 400
13. De impedimento impotentiæ. 405
14. De impedimento raptûs. 412
15. De impedimento ætatis. 413
16. De impedimentis tantùm impedientibus. ibid.
17. & vlt. An Confessarij Regulares Ordinum Mendicantium, virtute suorum priuilegiorum, possint dispensare in impedimentis dirimentibus matrimonium. 416



# ILLVSTRIORES DISQVISITIONES MORALES,

*QVIBVS OMNES CASVS CONSCIENTIÆ, maximè practicabiles, explicantur.*

## DISQVISITIO PRIMA.

*De materia Abortus.*

### ARTICVLVS I.

An abortum procurare liceat pharmacis, potionibus, aliísve modis ad prægnantis salutem reparandam, etiamsi probabiliter ipsa moritura credatur?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *An liceat sumere, vel porrigere medicinam, in extinctionem fœtus, tam ante, quam post animationem ipsius?*
3. *Dubitationi respondetur.*
4. *An liceat adhibere huiusmodi remedia, casu quo mater & fœtus, etiam illis non adhibitis, probabiliter perituri censeantur?*
5. *Ad argumentum in contrarium respondetur.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm fœtus, dum est in ventre, est pars vteri, *cap. si quid, de consecrat. distinct. 3. & l. 1. §. 1. ff. de ventre inspiciendo*; sed partem abscindere, viáque priuare, ob totius incolumitatem, culpâ vacat, vt expressè docet D.Thom. 2. 2. *quæst. 65. art. 1. ad* 1. ergo, &c. Ita censent Marianus Socinus *cap. si aliquis, de homicidio.* Simon de Brixia *Clement. 1. eodem tit.* quos refert Felinus *dicto cap. si quis*, statim *in principio*, vbi asserunt, absque distinctione, fas esse, fœtum in vtero necare, quo matris vitæ periclitanti consulatur. Pro resolutione,



DVBITATIO I.

II. *An liceat sumere, vel porrigere medicinam, in extinctionem fœtus, tam ante, quàm post animationem ipsius?*

Dico primò, non licet sumere, seu præbere medicinas, directè ad fœtus occisionem tendentes, seu eo animo, vt fiat prolis abortus, siue ante, siue post animationem fœtus. Probatur: non licet post animationem; quia hoc est cooperari directè neci innocentis, quod est intrinsecè malum. Vnde ei, qui hoc fecerit, constituitur pœna mortis, *l. penult. C. de sicariys.* Neque etiam ante animationem, quia procurare pollutionem, propter sanitatem, est illicitum. ergo similiter procurare abortum ante animationem, ob eundem finem; vtrumque enim est contra naturam generationis, neque est medium, per se necessarium, ad sanitatem. Ita Couarr. *Clement. si furiosus, p. 2. §... num. 2.* Less. *lib. 2. de Iustitia, cap. 9. dub.* 10.

III. *Dubitationi respondetur.*

Dico secundò, si prægnans periculosè laboret, & non superest aliud remedium, potest sumere pharmacum, directè tendens ad curationem, etiamsi probabiliter credatur abortus sequuturus, modò fœtus non sit animatus. Probatur, quia actiones humanæ, speciem, bonitatem, malitiámque, ex eo quod per se est, in operantis intentione accipiunt, non autem ex effecto per accidens, ac præter intentionem subsecuto, teste D.Thom. 2. 2. *quæst. 64. art. 7.* ergo licitè poterit prægnans sumere medicamentum, directè tendens, vt ad pristinam salutem restituatur, quamuis sequatur abortus inanimati fœtus per accidens, ac præter intentionem. Tum, quia valetudinis causâ, possumus vti medicamento, directè tendente ad curationem; quamuis inde per accidens, & præter intentionem pollutio sequutura putetur; quia tunc censetur solùm permissa, & non procurata. ergo, &c. Ita Sylu. *verb. Medicus, quæst. 4.* D. Anton. 3. *p. t. 7. cap.* 2. §. 2. Nauarr. *sum. cap. 25 num. 62.*

Dico tertiò, ſi fœtus iam eſt animatus, non eſt licitum præbere matri medicamenta, directè curatiua, ſi ſpes probabiliſſima à peritis Medicis conciperetur, fore, vt matre abſtinente ab his medicamentis, cũ vitę tamen propriæ periculo, fœtus in lucem prodiret, & baptizari poſſet. Quia quilibet tenetur præferre ſalutem æternam proximi, ſuæ vitæ corporali, & hanc pro illa exponere. Secondò probatur à ſimili, ex Armil. *verb. Defenſio n.3.* Nam ſi Clericus baptizans puerum, inuaderetur ab hoſte, non poſſet effugere, gratia vitæ propriæ tuendæ, ſi puer abſque Baptiſmate periturus ſit. Quia ordo charitatis hoc expoſtulat; ergo ſimiliter, &c. Ita Armilla *verb. Abortus n.2.* Ioannes de Neap. *quodl.* 10. quos ſequitur Sanch. *lib.9. de matrim.diſp.*20. *num.*17.

### Dvbitatio II.

**IV.** *An liceat adhibere huiuſmodi remedia, caſu quo mater & fætus, etiam illis non adhibitis, probabiliter perituri cenſeantur?*

Dico quartò, ſi valdè probabile eſt, non adhibito remedio, vtrumque periturum, matrem, & fœtum, tunc licitè remedium adhiberi poterit, etiam ſi medicamentum prorſus ſit anceps, nom auxilium, an mortem potiùs, ſit illaturum. Quia inter duo mala, quorum alterum neceſſariò eligendum eſt, minus eſt præferendum; *c.duo mala, & c.nerui, diſt.*13, at minus malum eſt, mors vnius, quàm duorum, & mors dubia vnius, aliquid ſpei ſaluris habens, quàm omnino certa duorum. ergo, &c. Ita Rodriquez *ſumm.1.p.c.5.n.2 fine,* Sanchez *loc.proximè cit.n.*19.

Dico quintò, non ſolùm quando conſtiterit, quòd fœtus ſit animatus, ſed etiam quando id dubium eſt, & Medici in neutram partem deflectant, & ſpes ſit probabilis, quòd matre abſtineote à medicamentis, fœtus in lucem prodiret, & baptizari poſſet, ſi eſſet animatus, tunc lethaliter mater peccaret, aſſumeos medicamentuo, cum periculo abortus, quia noo licet alteri ſubuenite cum periculo, & dubio ſaluis æternæ alterius, Armil. *verb. Abortus n.2. fine,* quod colligitur ex *c.denique,* 14.*q.*5. vbi dicitur, *ſi alteri ſubueniri non poteſt, niſi alter lædatur, commodius eſt neutrum iuuare.*

**V.** *Ad argumentum in contrarium reſpondetur.*

Nec officit ratio in principio adducta. Dicimus enim quòd partem abſcindere, vitáque priuare ob totius incolumitatem, culpa vacat, quando eſt propriè pars, nec diſtincta anima informatur, quæ ob bonum, & conſeruationem ſolam ipſius procreata eſt, quod in fœtu ſecus ſe habere conſtat: ſaluo tamen, &c.

---

## Articvlvs II.

### Sit ne licitum impedire conceptionem ad euitandam infamiam; vt ſcilicet fœmina poſt concubitum ſterilis euadat?

*Svmmarivm.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Quibus modis poſſit procurari abortus?*
3. *Dubitatio reſoluitur.*
4. *Argumentum in contrarium diluitur.*
5. *An liceat præſtare conſilium, vt in his caſibus minus malum eligatur?*
6. *An liceat committere peccatum veniale, vt alter non peccet mortaliter?*
7. *Quibus pœnis afficiantur procurantes abortum, & an Epiſcopus illos poſſit abſoluere?*

**I.** *Pars affirmatiua probatur.*

Licitum eſſe, ſcilicet procurare remediũ impediens conceptionem fœtus, quando infamia probabiliter magna timetur, aut magnum ſcandalum aliorum. v.g. ſi Monialis, aut puella nobilis in domo parentum cum aliquo coëat; quia cùm fœtus non ſit conceptus, nulli ſit iniuria. Tum, quia hoc non eſt abortum procurare, nam abortus eſt cùm fœtus iam conceptus excluditur. ergo ob ignominiam, & dedecus euitandum fas eſt ſterilitatis remedium adhibere, & ita hanc ſententiam tenet Sanchez *lib.9.de matrim.diſp.*10.*n.*11. & alij, quos tacito nomine refert Azor. *part.1. lib.2.c 26. dub.4. & p.3.lib.1.c.4 dub.2.*

### Dvbitatio I.

**II.** *Quibus modis poſſit procurari abortus?*

Pro reſolutione & declaratione dubij,

Dico primò, tribus modis procurari ſolet abortus fœtus, primò impediendo, ne fœtus concipiatur procurádo vt fœmina poſt concubitũ fiat ſterilis. Secundò vt fœtus iam cóceptus, ſed nondũ animatus eiiciatur. Tertiò vt fœtus iã conceptus, & animatus excludatur.

**III.** *Dubitatio reſoluitur.*

Dico ſecundò, licitum non eſſe procurare remediũ impediens conceptionem fœtus ad euitandam infamiam, periculum vitæ, quod ex partu fœmina ſibi imminere experta eſt, vitæque iacturam, quam probabiliter meruit detecto crimine ſi concipiat fœtus vt in locem prodeat. Imò oppoſitum aſſerere eſt omnino improbabile; quia eſt cótra ordinem naturæ impedire conceptionem fœtus: nã ſemen, & copula ſunt inſtituta à natura ad prolis generationẽ, & proinde ad conceptionem prolis, ſiue fœtus. ergo, &c. Quia non ſunt facienda mala, vt veniant bona, ad *Rom.*3. Item ſibi imputet fœmina, quæ ſponte ſua peccauit, ſi ipſa, vel ſocius peccati, cum quo deliquit, mortis periculum adeat: & ita hanc ſententiam ſuſtinet Nauar. *c.*16.*n.*33. dicens nullo bono fine honeſtari poſſe ſumptionem potionis, qua prolis conceptioni obſtetur. Azor. *p.3. lib.1.c.4.dub.1. & p.2.lib.1.c.16.dub.*4.

**IV.** *Argumentum in contrarium diluitur.*

Et per hæc patet ad rationes pro parte affirmatiua. Dicimus enim ſterilitatem procurare eſſe contra bonum prolis naſcituræ, & contra ordinem naturæ. Nam ſemen, & copula à natura ſunt inſtituta ad prolis generationem, & conſequenter ad conceptionem prolis, ſeu fœtus, & non ſunt facienda mala, vt veniant bona.

### Dvbitatio II.

**V.** *An liceat præſtare conſilium, vt in his caſibus minus malum eligatur?*

Sed dices per regulam in iure poſitam, inter duo mala, quorum alterum neceſſariò eligẽdum eſt, minus præferendũ eſt. *c.duo mala, & c.nerui, diſt.* 13. at multo minus malũ eſt generationem per venenũ ſterilitatis impedire, & fœtum imperfectũ perdere, quàm miſerã aliquam mulierem occiſioois periculo exponere, ſi partus prodeat, vnde ſcandala infamiæ, ioimicitiæ & id genus multa oriri ſolent, quæ longè grauiora mala ſunt, quàm illius occulti perditio fœtus, &c.

Reſpondetur quòd quamuis liceat conſulere alteri minus malum ad vitandum maius, at nemini licet ſibi tali conſilio vti. Quippe in altero non poteſt vtrumque malum vitare, & proinde tutò conſulit minus quod propriè eſt remouere à maiori malo: at in ſeipſo poteſt, & tenetur vtrumque cauere. Tum, quia quilibet propriam voluntatem tenetur, & poteſt remouere à

toto

foro malo culpæ: ſed in altero non habet hoc dominium; ideo licet ſi totum malum remouere nequeat, ſaltem partem remouere, & id conſulere bonum eſt, & non malum, obiectiuè loquendo. Ita Sotus *lib. 6. de iuſt. q. 1. art. 5.* paulo ante verſ. *ex his ergo.* Salon. *2. 2. q. 78. art. 4. controuerſ. 1. ſolut. ad 3.* Conrad. *1. p. reſpon. q. 1.* quos ſequitur Sanchez *lib. 7. de matr. diſp. 11. n. 27.*

### Dvbitatio III.

VI. *An liceat committere peccatum veniale, vt alter non peccet mortaliter?*

Vnde neque etiam licet cuipiam veniale admittere, vt caueat in altero mortale; quia quamuis malum pœnæ poſſit amplecti ad culpam alterius vitandam, at ſecus eſt de malo culpæ, quantumuis minimæ, implicat enim culpam eſſe, & licitè poſſe eligi. Sotus nuper allegat, gloſſ. *cap. 1. diſt. 14. verb. periculoſiſſimè*, & Turrecr. *ibi art. 2. n. 4.* quamuis aliqui relati à gloſſa ibi teneant partem affirmatiuam, ſed malè, &c.

### Dvbitatio IV.

VII. *Quibus pœnis afficiantur procurantes abortum, & an Epiſcopus illos poſſit abſoluere?*

Obſeruandũ quòd pœnæ poſitæ à Sixto V. in conſtitutione, quæ incipit, *Effrænatam*, ſolùm habent locũ contra procurantes abortum, cùm fœtus eſt animatus, ex noua conſtitutione Gregorij XV. cuius initium eſt, *Sedes Apoſtolica*, & quod attinet ad excommunicationem, Epiſcopus in foro conſcientiæ poteſt ab ea abſoluere, vel alius Confeſſor ab eo ad hoc ſpecialiter deputatus. Et ſic quod attinet ad pœnas procurantium abortum fœtus inanimis, aut exhibentium mulieribus, vel ſumentium venena ſterilitatis, vel conſilium eis dantium, conſtitutionem Sixti idem Gregorius penitus abrogauit, & ſic nec excommunicati, nec irregulares manent. Vide Sayr. *lib. 3. de cenſ. cap. 35. n. 25.* Sà *verb. Homicidium, n. 3.* Raynerinus *in ſuo Catalogo de excom. Epiſcopalibus, c. 10. excom. 6. fol. 186.*

## DISQVISITIO II.

### *De abſciſſione membrorum.*

### Articvlvs Vnic.

### An ſit licitum, abſcindere ſibi membrum, ad defendendam pudicitiam?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Pars negatiua tenenda.*
3. *An ad ſalutem corporis, liceat fornicatione vti?*
4. *Ad argumentum in contrariũ à principio reſpondetur.*
5. *An propter ſanitatem, pollutionem procurare cõueniat?*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

Licitvm eſt ſibi membrum abſcindere & amputare pro ſalute corporis, non ſolùm ſe membro permittendo truncari ob ſalutem totius corporis, ſed etiam id in ſe exequendo, vt docet D. Thom. *2. 2. q. 65. art. 1.* Syl. *Homicidium 1. q. 1.* Sotus *lib. 5. de iuſt. q. 2. art. 1. concluſ. 1.* Sayr. *lib. 7. c. 9. n. 36.* Sanchez *lib. 9. de matr. diſp. 17. n. 16.* Ratio eſt, quia bonum partis iuxta dictamen rationis exponendum eſt pro bono totius, ſi enim totum periret, pars conſequenter periret: ergo multo magis ad ſalutem ſpiritualem, & pudicitiam tuendam licitum erit, &c. cùm ſit maius bonum.

II. *Pars negatiua tenenda.*

Pars verò negatiua eſt omnino vera, & abſolutè tenenda, cuius optimam rationem aſſignat D. Th. *2. 2. cit. ad 3.* Quia ad finem aliquem iuxta rectam rationem vti non licet mediis arduis, & actibus, niſi quãdo ſunt omnino neceſſaria, & ad illum per ſe ordinata; ſed ad ſalutem animæ, & pudicitiam tuendam, ad turpes cogitationes vitandas, &c. non ſunt omnino neceſſariæ, aut ſecundùm ſe ordinatæ abſciſſiones membrorum; ſed potiùs orationes, ieiunia, euitatio periculi, & occaſionis: ergo non licet ad pudicitiam ſeruandam membrum ſibi amputare.

### Dvbitatio I.

III. *An liceat vti fornicatione ad ſalutem corporis.*

Confirmatur. Nam nemini licet committere ſimplicem fornicationem pro conſeruatione propriæ vitæ, quia actus fornicationis non ordinatur ad conſeruationem propriæ vitæ, ex neceſſitate, vt docet idem D. Th. *2. 2. q. 64. art. 7. ſolut. ad 4.* ergo cùm ſaluti ſpirituali, & pudicitiæ ſeruandæ poſſit aliter ſubueniri, quàm per membri abſciſſionem. Ideo in nullo caſu licet membrum præſcindere propter quodcunque peccatum vitandum, & pudicitiã ſeruandã. Tum, quia non inquinatur corpus, niſi de conſenſu mentis, vt rectè Beatiſſima Virgo Lucia Paſchaſio Tyrãno reſpondit.

IV. *Ad argumentum in contrarium reſpondetur.*

Quòd non eſt ſimile de ſalute corporis, quoniam aliquando ſalus, & vita corporis aliter conſeruari non poteſt, niſi per abſciſſionem membrorum, & tunc per ſe, & ex neceſſitate ad illam conſeruandam eſt ordinata. Videatur D. Th. *2. 1. q. 65. art. 1. ad 3.* Sot. Sayr. *loc. cit.* Conrad. *tom. 1. q. 1. ad finem.* Azor. *part. 3. lib. 2. c. 3. dub. 1.*

### Dvbitatio II.

V. *An propter ſanitatem procurare pollutionem conueniat?*

Reſpondeo negatiuè; quia quamuis licitum ſit teſticulos, aut quoduis aliud membrum ſibi amputare, vbi id ad vitam tuendam omnino deſideratur: at pollutionem procurare nunquam poteſt licere, quamuis ſemen ſit pars ipſius indiuidui. Ratio eſt, quia cùm cętera membra ad ipſius indiuidui bonum, & incolumitatem natura deſtinarit, adminiſtrationem ipſorum in indiuiduo conceſſit, vt ipſa amputare poſſet vbi neceſſitas, ac ipſius incolumitas id poſtularet; ſeminis autem, vtpotè à natura inſtituti, non ad ipſius indiuidui bonum, ſed ad ſpeciei conſeruationem medio coniugali congreſſu nullatenus dominium, aut adminiſtrationem ipſi homini conceſſa fuit, ac ſubinde eius effuſionem extra coniugalem copulam in nullo euentu procurare poterit: hæc differentia communiter à DD. aſſignatur, ſed cùm ratio hæc impugnari poſſit, aliter mihi reſpondendũ videtur. Natura omnino denegauit homini in omni euentu ſeminis effuſionem extra matrimonij copulã, etiã inſtante vitæ indiuidui periculo, vt bono cõmuni totius humanę ſpeciei cõſuleret, quia ſi in aliquo caſu extra congreſſum coniugalem fuiſſet homini conceſſa ſeminis effuſio, euidentiſſimũ ſubeſſet periculum, vt homo paſſione libidinis excæcatus paſſim ſibi perſuaderet cauſam effundendi iuſtã adeſſe,

indéque fornicationes, adulteria, aliáque innumera luxuriæ vitia aduersùs commune bonum pullularent. Vnde non obstante vitæ indiuidui periculo, quæ bono communi cedere debet,& illi postponenda; meritò natura prædictam effusionem procurare homini denegauit, extra matrimonij copulam.

# DISQVISITIO III.

## *De Absolutione.*

### ARTICVLVS I.

### An Confessarius absoluere valeat nominatim excommunicatum, suspensum, vel interdictum, virtute Bullæ Cruciatæ, vel Iubilæi; quamuis censuræ illæ deductæ sint ad forum contentiosum?

*SVMMARIVM.*

1. *Proponuntur argumenta pro parte negatiua.*
2. *Pars affirmatiua tenenda.*
3. *Argumenta in contrarium soluuntur.*

I. *Proponuntur argumenta partis negatiuæ.*

PArs negatiua probatur, quia Sixtus IV. *Extrauag. etsi Dominici la 2. de pœnitentijs & remissionibus*, iubet ne virtute Bullæ Cruciatæ, vel alterius generalis priuilegij absoluatur denunciatus sentẽtialiter condemnatus, vel publicè diffamatus. Tum, quia etsi Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 6. de Reformat.* amplam concedat Episcopis facultatem absoluendi à censuris,& dispensandi in irregularitatibus, addit tamen limitationem, dummodo in forum contentiosum deductæ non sint. Tum, quia facultas illa absoluendi cùm sit odiosa,& damnum inferat Ordinariis, in eorum fauorem videtur restringenda, per notata *c. olim, de verborum significat.* & ita hanc sententiam tenent Sorbus *in compendio priuilegiorum mendicantium, verbo Absolutio, quoad sæculares, secundo notabili.* Guttierez, vt refert Manuel Rodriq. *tom. 1. qq. regul. q. 61. art. 6.*

II. *Pars affirmatiua tenenda.*

Pars verò affirmatiua videtur verior, & tenenda; quia in Bulla Cruciatæ & Iubilæi absolutè concedi solet facultas absoluendi à censuris sine vlla restitutione, aut limitatione. Priuilegium autem concessum sine restitutione non est à nobis limitandum. Confirmatur, quia si Concil. Trid. *loc. cit.* non apponeret dictam limitationem, possent Episcopi sine vlla restrictione absoluere, & dispensare in foro saltim conscientiæ; ergo cùm Bulla Cruciatæ, & Iubilæi non addat eam limitationem, sine restrictione erit accipienda. Ita censet Sotus *in 4. d. 22. q. 2. art. 3. concl. 2.* Sayr. *lib. 2. de cens. c. 20. n. 29.* Angles Floribus *2. p. q. vnica, de excommunic. art. 4. diffic. 2. concl. 4.* Sanchez *lib. 6. in præcept. c. 17. n. 41.* Manuel Rodriquez *loco cit.* Nauar. *tom. 2. cons. lib. 5. de sent. excom. cons. 47. n. 2.*

III. *Argumenta in contrarium soluuntur.*

Nec primum argumentum partis aduersæ obest, quia in illa Extrauag. solùm prohibetur absolutio criminum deductorum ad forum contentiosum facienda virtute facultatum concessarũ ab eodem Sixto IV. non tamen restringuntur facultates ab aliis summis Pontificibus concessæ, vt bene notat Soto *loc. cit. vers. Primus eius casus.* Syl. *excom. 7. n. 32.* Nau. *sum. c. 27. n. 55.*

Secundum etiam fundamentum non obstat, quia Concilium expressit eam limitationem, quam non apponit Romanus Pontifex in Bulla Cruciatæ, nec in Iubilæo.

Nec tertium fundamentum officit, quia Confessariis per Bullam Cruciatæ, & Iubilæi concedi potuit facultas absoluendi pro solo foro interiori, ex cuius vsu nullum infertur damnum Ordinariis, absolutio enim fori pœnitentialis non impedit processum in foro exteriori, ex gloss. *in cap. de his, verbo replicari, de accusat.* Sayr. *loc. cit. n. 31.*

### ARTICVLVS II.

### An liceat absoluere & dispensare in irregularitate per Bullam Cruciatæ, Iubilæum, vel priuilegium alicuius Religionis, concedens Confessario, vt possit absoluere pœnitentem ab omni censura & pœna Ecclesiastica.

*SVMMARIVM.*

1. *Proponuntur argumenta partis negatiuæ.*
2. *Quotuplex sit irregularitas, & quibus modis incurri possit.*
3. *Difficultati respondetur.*
4. *Rationes in contrarium à principio posita diluuntur.*

I. *Proponuntur argumenta partis negatiuæ.*

QVia in huiusmodi Bullis, Iubilæis, vel priuilegiis tantùm datur facultas, regulariter loquendo, absoluendi à censuris, ac irregularitas non est censura. ergo, &c. Maior patet ex verbis Bullarum. Minor probatur ex *c. quærenti, de verborum significat.* vbi Innocentius nomine censuræ Ecclesiasticę solum interdictum, suspensionem, & excommunicationem intellexit, & enumerauit. ergo, &c. Confirmatur, quia irregularitas non absoluitur, sed tollitur, & dispensatur in ea, sed in Bullis, Iubilæis, & priuilegiis tantùm datur facultas absoluendi, & non dispensandi, &c. & ita hanc sententiam tenent Nauar. *summ. cap. 27. n. 194 vers. 4. & tom. 1. cons. lib. 5. de pœnit. & remiss. cons 9. n. 5.* vbi dicit sacram Pœnitentiariam ita seruare. Sayr. *lib. 6. de cens. c. 2 n. 33.*

### DVBITATIO VNIC.

II. *Quotuplex sit irregularitas, & quibus modis incurratur?*

Dico primò, irregularitatem esse duplicem. Altera est vera pœna, quæ incurritur propter delictum, vt cùm excommunicatus celebrat, aut suscipit Ordines sacros: altera non est vera pœna, sed incurritur propter decentiam, vel significationem; primam incurrit iudex cùm pœna sanguinis punit nocentem, & reum, non enim decet vt qui sanguine contaminatus est, sacramenta innocentissimi Agni dispenset. Secundam incurrit bigamus; Christus enim vnam Ecclesiam sibi desponsauit; bigamus igitur erit irregularis propter significationem; status enim bigamiæ nequit significare vnitatem Christi summi Sacerdotis cum Ecclesia. Ita bene notat Medina *1. 2. q. 96. art. 4.*

Dico secundò aliquas irregularitates esse censuras, & pœnas Ecclesiasticas & inhabilitates ex defectu significationis, huiusmodi sunt omnes irregularitates, quæ contrahuntur ex homicidio culpabili & volun-

tatio.

tario. Qua parte homicidium eſt culpabile, & voluntatium, ſunt cenſuræ, & pœnæ illius culpæ; qua parte verò eſt homicidium, & effuſio ſanguinis, eſt inhabilitas ex deſectu ſignificationis, lenitatis ſcilicet perſectæ: vt bene obſeruat Salon. 2. 2. *q. 64. art. 8. controuerſ.* 4.

III. *Dubitationi reſpondetur.*

Dico tertiò, ab irregularitate, quæ contrahitur ex deſectu ſignificationis, non poteſt aliquis abſolui per Bullam Cruciatæ, Iubilæum, vel priuilegium; quia huiuſmodi irregularitas non eſt pœna, aut cenſura, ſed mera inhabilitas; ſed Bulla Cruciatæ & Iubilæum regulariter tantùm concedunt, vt poſſit Confeſſarius à pœna, vel cenſura abſoluere; ergo, &c. Hoc dictum eſt commune apud omnes DD.

Dico quartò, ſimpliciter, & abſolutè loquendo, ab irregularitate, quæ ſimul eſt inhabilitas, cenſura, ac pœna, non poteſt quis abſolui per Bullam Cruciatæ, Iubilæum, vel priuilegium aliquod. Probatur, quia ex eo quòd hæc irregularitas eſt ſimul cenſura, non mutat naturam inhabilitatis. Tum, quia culpa nemini debet patrocinari, ſed in ea irregularitate, quam contrahit iudex propter homicidium iuſtum, non poteſt Confeſſarius diſpenſare. ergo neque in hac quæ incurritur, v. g. ex homicidio voluntario.

Dico quintò. Probabile eſt quòd ab irregularitate, quæ eſt purè pœna, & contrahitur ex ſolo peccato, poſſit Cõfeſſarius abſoluere virtute Bullæ, & Iubilæi, in quo habetur clauſula, vt valeat abſoluere à cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis. Probatur, quia huiuſmodi irregularitas eſt pœna Eccleſiaſtica, quæ imponitur in iure, propter culpam, & non aliàs, vt pro peccato celebrandi in excommunicatione maiori, & ſimilibus. ergo ſi in Iubilæo apponitur clauſula, vt valeat Confeſſarius abſoluere à cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, poterit, &c. & ita hanc ſententiam tenuit expreſsè Soto *in 4 d. 22. q. 3. art. 1 col. 2. § ſecundum diſcrimen.* Medin. 1. 2. *q. 96. art. 4.* Salon. 2. 2. *q. 64. art. 8. controu. 4. concl.* 1. Et ideo hanc ſententiam in rigore diſputationis tanquam probabilem defendere poſſumus, quamuis communis praxis negatiuam receperit: cùm id ſeruet ſacra Pœnitentiaria, vt Nauarr. *tom. 2. conſil. conſilio 9. citato*, fatetur: & Praxis Romanæ Curiæ, vt adnotant etiam Sà *Abſolutio n.* 19. Bonacina *tract. de cenſ. diſp. 7. q. 5. punct. 2. n.* 8.

IV. *Rationibus à principio reſpondetur.*

Nec obſtat ratio contra hoc quintum dictum in principio adducta, ſi in rigore diſputationis loqui velimus: negamus enim minorem, ſi loquamur de irregularitate, quæ ex ſolo peccato, & culpa incurritur. Et ad *c. quærenti*, reſpondetur quòd ibi ſolùm enumerantur cenſuræ, quæ ſolùm ſunt pœnæ, & ſecundùm totam ſuam ſpeciem, & latitudinem ſunt cenſuræ, quales ſunt illæ, quæ ibi apponuntur. Irregularitas autem ſecundùm totam ſuam ſpeciem, & latitudinem, non eſt tantùm pœna, & cenſura, cùm dentur aliquæ, quæ nec pœnæ ſunt, nec cenſuræ, ſed ſolùm inhabilitates ex defectu ſignificationis: vnde textus *c. quærenti*, non eſt diminutus, &c.

Ad confirmationem dicimus, propriè poſſe dici irregularitatem, ſeu irregularem abſolui, quia hæc vox *abſoluere* non ſolùm ſignificat remittere, verùm etiam liberare, & ita dicunt Confeſſarij, *Abſoluo te à ſententia excommunicationis*, i. libero te ab excommunicatione, & in eodem ſenſu dicitur, *Abſoluo te ab irregularitate*, i. libero te ab ea. Videatur Salon *loc. cit. ſolut. ad* 1. *& ad* 6.

Sed quia ſtylus Curiæ facit legem, *cap. ex litteris, de conſtitutionibus, & cap. quàm graui, de crimine falſi*; ideo pars negatiua communior eſt, & verior, & omnino tenenda.



## ARTICVLVS III.

### An abſolui poſſit excommunicatus nominatim denunciatus, virtute Iubilæi, vel Bullæ Cruciatæ, qui ob veram impotentiam ſatisfacere non poteſt parti offenſæ?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Quidnam intelligatur ſub hoc nomine*, pars offenſa?
3. *An ſatisfactio debeat antecedere abſolutionem dum debitum non eſt certum, ſed dubium?*
4. *Dubitationi reſpondetur.*
5. *Quid operetur cenſurarum abſolutio præſtita in foro conſcientiæ?*
6. *Argumentis in contrarium, à principio poſitis, ſatisfit.*

I. *Pars negatiua probatur.*

QVia facultas nõ eſt amplior, quàm verba ſonant, verba autem Iubilæi, & Bullæ Cruciatæ ſimpliciter requirunt vt parti ſatisfiat: immo ſi in Bulla Iubilæi non fiat mentio de ſatisfactione præmittenda; ſemper tamen de iure communi intelligitur ſatisfacta parte: vt notat bene Sayr *lib. 1. de cenſ. cap.* 20 *n.* 33. Tum, quia ſi ille ſemel abſolutus à cenſura poſtea eſſet capax ſoluendi, & non ſatisfaceret, licèt quoad Deum reincideret in culpam, non tamen reincideret in cenſuram, quia hæ Bullæ non conferunt facultatem abſoluendi ad reincidentiam, ſed ſimpliciter; hoc autem cederet in detrimentum partis læſæ; ergo non eſt veriſimile per hæc priuilegia concedi talem poteſtatem. Ita Vgolinus *lib. de conſ. Eccleſ. tab. 1. cap. 19. § 6. n.* 5. & alij. Pro declaratione & reſolutione,

## DVBITATIO I.

II. *Quidnam intelligatur ſub hoc nomine*, pars offenſa?

Dico primò, quando in Iubilæo, vel Bulla dicitur, *praeuia ſatisfactione*, vel *parte ſatisfacta*, nomine partis nõ intelligitur Prælatus præcipiens, vel excommunicans, ſed aliqua alia perſona offenſa, quia illa offenſio iudicis generalis, eſt in omni cenſura. Vnde illa ſatisfactio in propoſito idem eſt, quod reſtitutio ſiue honoris, ſiue famæ, ſiue aliorum bonorum. Ita rectè Sotus *in 4. d. 22. q. 2. art. 3. concluſ. 2. §. Nemine*, &c.

## DVBITATIO II.

III. *An ſatisfactio debeat antecedere abſolutionem, dum debitum non eſt certum, ſed dubium?*

Reſpondeo & dico ſecundò, quando debitum non eſt certum, ſed dubium, tunc non eſt neceſſarium, vt ſatisfactio partis antecedat abſolutionem, etiamſi in ipſa conceſſione expreſsè illa requiratur; quia debet intelligi, quando debitum certum eſt, & indubitatum: argum. *c. ſolet, de ſententia excomm. in* 6. ibi, *Niſi eum excõmunicatũ, pro manifeſta dicat offenſa.* Nauarr. *ſum. c. 26. n.* 7.

Dico tertiò, ſi pœnitens poſſit commodè priùs ſatisfacere, nihilominus Confeſſarius eum abſoluat ante exhibitam ſatisfactionem, contentus eius propoſito, promiſſione, aut iuramento, talis abſolutio eſt inualida: quia in iſta abſolutione eſt defectus poteſtatis, non tamen abuſus, vt optimè declarat Caietan. *ſumm. verb. Abſolutio.* Armill. *ibi num.* 55. Sayr. *lib. 2. de cenſ. cap. 18. num.* 10.

**I V.** *Dubitationi reſpondetur.*

Ad dubitationem reſpondeo & dico quartò, ſi pœnitens verè ob impotentiam ſatisfacere non poſſit, ſi exhibet talia ſigna pœnitentiæ,& propoſiti, vt Confeſſor probabiliter iudicet abſolutionem & profuturam ipſi pœnitenti, & non futuram occaſionem, quominus comparata poteſtate poſtea ſatisfaciat, tunc talis pœnitens poterit in foro conſcientiæ abſolui. Quia cùm Pontifex ait, *ſatisfacta parte*, intelligẽdus eſt, quando pœnitens ſatisfacere poteſt, non enim eſt veriſimile Pontificem poſtulare conditionem impoſſibilem; quia ad impoſſibile nemo tenetur, *l. impoſſibilium, ff. de reg. iuris*. Ita Barthol. Medina *lib. 2. inſtruct. confeſſ. cap.* 12. Armil. *Abſolutio, num.* 55. Nauarr. *tom. 2. conſil. lib. 5. de ſent. excomm. conſil.* 47. *num.* 2.

## Dvbitatio III.

**V.** *Quid operetur cenſurarum abſolutio, præſtita in foro conſcientiæ?*

Reſpondeo & dico quintò, abſolutio iſta in foro conſcientiæ operabitur in abſoluto vt poſſit diuina recipere Sacramenta, & beneficia ſibi canonicè collata, & poterunt omnes, qui ſunt certi de illa, licitè ei communicare quoad forum conſcientiæ. Nauar. *loc.* immediatè *cit. num.* 3.

**V I.** *Ad argumenta in contrarium reſpondetur.*

Nec obſtat Pontificis conſtitutio, Bulla, ſeu Iubilæum, quia cùm Pontifex ait, *ſatisfacta parte*, intelligendus eſt quando id fieri poteſt. Ita Medina *loc. cit.* quem ſequitur Suarez *de cenſ. diſp.* 7. *ſect.* 5. *num.* 41. Secundum fundamentum ſimiliter non officit. Nam abſolutus per ampliſſimum Iubilæum, ſi erat adſtrictus ære alieno, ſi erat impotens, & abſoluatur cum promiſſione ſoluendi, & poſtea factus potens non ſoluit, reincidit in excommunicationem. Ita decreuerunt Pius V. per Bullam *anno Domini* 1568. & Gregorius X I I I. *anno* 1572. Sic refert Conradus *tom.* 1. *reſponſionum, quæſt.* 172. Lauorius *part. 2. de Iubilæo, cap.* 38. *num.* 45.

---

## Articvlvs IV.

### An inferior Confeſſarius abſoluere poſſit per ſe, & abſque aliqua neceſſitate, eum pœnitentem, qui habet caſus reſeruatos, prius quàm ab iſtis à ſuperiore abſoluatur.

*S V M M A R I V M.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Quæſitum reſoluitur.*
3. *An accedens bona fide ad Confeſſarium, in reſeruatos facultatem non habentem, ſi ab iſto abſoluatur, ſit abſolutus?*
4. *An inferior Sacerdos aliquando poſſit abſoluere à reſeruatis excommunicationem habentibus?*
5. *Ad rationem in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur, an ſuperior poſſit abſoluere à reſeruatis, remittendo pœnitentem ad inferiorem Confeſſarium, vt à non reſeruatis abſolutionem recipiat?*

**I.** *Pars affirmatiua probatur.*

NAm ſuperior auditis in confeſſione ſolis reſeruatis, poteſt ab eis ſacramentaliter abſoluere, & reliqua inferiori committere, & hanc dicit Caietanus *verb. Confeſſio, conditione* 10. eſſe conſuetudinem Romanam, neque oportere ſapere pluſquam oportet, eam in dubium reuocando; ergo ſimiliter inferior poterit abſoluere ab aliis non reſeruatis, præcipuè, quia caſus reſeruati non reſeruantur ratione excommunicationis, ſed ratione ipſorum peccatorum, propter aliquam grauitatem. hanc ſententiam tenet Tol. *ſumma lib. 3. cap.* 8. *num.* 3. Emanuel Sà *verb. Abſolutio, num.* 24.

**II.** *Reſoluitur quæſitum.*

Dico primò, ſi nulla ſit neceſſitas, imò ſi non ſit grauis neceſſitas, puta ſi ſit neceſſe implere præceptum annuæ confeſſionis, aut communicare, vel ſacrum facere, ita ut non poſſit omitti ſine graui ſcandalo, aut infamia, & pro tunc non patet aditus ad Superiorem, non poteſt inferior abſoluere ab aliis peccatis antequam ſuperior abſoluat à reſeruatis. Quia integritas in confeſſione eſt de iure diuino; ergo nunquam licebit abſque cogente cauſa illam dimittere. Tum, quia confeſſio ſacramentalis eſt accuſatio ſui coram legitimo iudice fori interioris; ſed Confeſſor inferior tunc non eſt legitimus iudex, quia non habet iuriſdictionem pro integra cauſa, &c. ergo, &c. Ita Sotus *in 4. d.* 18. *quæſt. 2. art.* 5. Nugno *in 3. part. in add. quæſt. 9. art. 2. dub. 1. fol.* 327. *col. 2. mihi*, quos ſequitur Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 31. ſect. 2. n.* 5.

## Dvbitatio I.

**III.** *An accedens bona fide ad Confeſſarium, in reſeruatos facultatem non habentem, ſi ab iſto abſoluatur, ſit abſolutus?*

Dico ſecundò, ſi abſolutio ab inferiori hoc modo detur, & pœnitens confiteatur bona fide, talis abſolutio erit valida; quia cùm pœnitens excuſetur ignorantia inuincibili, & Sacerdos habeat iuriſdictionem ſuper perſonam, & ſuper peccata mortalia non reſeruata, à quibus poteſt abſoluere, abſolutio erit valida, etſi non adſit rationabilis cauſa. Tenetur tamen pœnitens poſtea certior factus, quòd inferior non habebat facultatem abſoluendi à reſeruatis, petere de reſeruatis abſolutionem à Superiore. hanc opinionem tenet Caiet. *in ſumma cap.* 9. *num.* 7. Suarez *loc. adducto, num.* 6.

## Dvbitatio II.

**I V.** *An inferior Sacerdos aliquando poſſit abſoluere à reſeruatis excommunicationem habentibus?*

Reſpondeo & dico tertiò, in aliquo caſu neceſſitatis, de qua neceſſitate diximus in primo dicto, poteſt inferior Sacerdos abſoluere pœnitentem, qui habet caſus reſeruatos habentes etiam excommunicationem annexam, antequam coram Superiore compareat. Probatur, quia tunc talis videtur eſſe voluntas Superioris interpretatiua, & tunc etiam abſoluitur pœnitens ab excommunicatione, quæ ſententia eſt pia, & valde probabilis. Dummodo taliter intelligatur, quòd compareat poſtea ille pœnitens coram Superiore quamprimum poterit, & aliàs reincidat in excommunicationem. Ita Nugno *loc. cit. §. inter omnes iſtas.* Angel. *verb. Confeſſio* 5. quos ſequitur Suarez *vbi ſuprà ſect. 3. num.* 2.

V. Ad

V. *Ad rationem in contrarium à principio respondetur, & explicatur, an Superior possit absoluere à reseruatis, remittendo pœnitentem ad inferiorem Confessarium, vt à non reseruatis absolationem recipiat?*

Ad illud quod obiicitur contta primum dictum, respondetur quòd etiam Superior non extante rationabili causa, non potest absoluete à solis reseruatis, & remittere pœnitentem quoad alia ad inferiorem; bene ramen poterit supposita rationabili causa, vt si ita esset occupatus in aliis grauibus negotiis, vt non posset audire totam confessionem, neque sibi videatur conueniens quòd peccatum reseruatum remittat ad inferiorem, & tunc erit confessio materialiter per accidens, & inculpabiliter, noo integra.

Hic tamen obseruandum, quòd cùm Episcupus, vel Superior absoluit à sibi reseruatis, stante, vt disimus, aliqua rationabili causa, tune datur gratia, qua omnia alia indirectè, & consequenter remittuntur: similitet quando inferior absoluit ab his, à quibus potest, datur graria, qua reseruata consequntiuè remittuntur, sed noo ob id esimitot obligatio confitendi, vel Superiori reseruata, vel inferiori omnia, sicur eum sola contritione datur graria, qua peccata remittuntur, sed non ob id obligatio confessionis aufertur. Ita optimè notat Sotus *in 4. dist. 18. quest. 2. art. 5. vers. Vnde ad primum.* Manuel Rodriquez *tom. 1. qq. Regul. q. 20. art. 30. fol. 128. col. 1. mihi, ad finem.* Tol. *loco citato.*

---

## Articvlvs V.

## An absolutio à peccatis impensa pœnitenti, prius quàm ab excommunicatione, qua detinetur ligatus, absoluatur, afficiat, ita vt absolutus non obligetur ad confessionem reiterandam?

*Svmmarivm.*

1. *Pars negatiua suadetur.*
2. *Veritas aperitur, & explicatur, an validum suscipiat Sacramentum scienter excommunicatus, accedens ad confessionem antequam ab excommunicatione absoluatur.*
3. *An conficiatur validum Sacramentum, si tam Confessarius, quàm pœnitens, sciant non posse prius absolui à peccatis, quàm ab excommunicatione.*
4. *Ad rationem in contrarium respondetur.*
5. *An aliqua adsit differentia inter receptionem sacramenti Pœnitentiæ, & aliorum Sacramentorum.*

I. *Pars negatiua suadetar.*

NAm excommunicatio reddit hominem inhabilem, vt priùs absolutionem recipiat peccatorum. ergo, nisi priùs absoluatur ab excommunicatione, absolutio impensa de peccatis nulla est. ergo reiterare tenetur totam confessionem, & absolui priùs ab excommunicatione.

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

### Dvbitatio I.

*An validum suscipiat Sacramentum, scienter excommunicatus, accedens ad confessionem, ante quàm ab excommunicatione absoluatur?*

Dico primò, si scienter excommunicatus vel per ignorantiam vincibilem accederet ad sacramentum Pœnitentiæ vt absoluatur prius à peccatis, quàm ab excommunicatione, nullatenus Sacramentum & rem Sacramenti susciperet. Probatur, quia materia proxima sacramenti Pœnitentiæ sunt actus pœnitentis habentis contritionem, vel attritionem, sed sciens, & prudens excommunicatus, nisi priùs petat absolutionem ab excommunicatione, accedens ad sacramentum Pœnitentiæ, peccat mortaliter. ergo non est pœnitens; ergo sic accedens ad sacramentum Pœnitentiæ, neque Sacramentum, neque rem Sacramenti recipit; ergo tenebitur reiterare confessionem, quia nulla est, & irrita, cùm non adsit propria materia. Videatur D.Thom. *in addit. 3. p. q. 24. art. 1. ad 2.* Sotus *in 4. dist. 22. quest. 1. art. 1.* Sylu. *Confessor 3. q. 8.* Tabiena *Absolutio 1. §. 10.* Sayr. *lib. 2. de cens. cap. 2. num. 2.*

Dico secundò, quando pœnitens ignorat inuincibiliter se esse excommunicatum, vel si scit se esse excommunicatum, iusto tamen quodam iuris, vel facti errore, existimat se à peccatis absolui prius posse, quàm ab excommunicatione absoluatur, si à peccatis tantùm recipit absolutionem, valet absolutio, nec confessionem reiterare tenetur: quamuis certior factus de suo errore remaneat obligatus ad impetrandam absolutionem ab excommunicatione; quia excommunicatio est quidem impedimentum absolutionis à peccatis scientibus, non autem probabiliter ignorantibus. Ita Caiet. *summa Absolutio, vers. secundum est.* Nauarr. *summa cap. 9. n. 3.* Sotus *loc. cit.*

Dico tertiò, quando pœnitens solus ignorat probabiliter, & putat prius absolui posse à peccatis, quàm ab excommunicatione, licèt Confessor ignoret vincibiliter, vel aduertat excommunicationem pœnitentis esse reseruatam, & tamen ex sua malitia intendit absoluere illum, in hoc casu Confessarius absoluendo peccat, absolutio tamen valet, & pœnitens certior factus de excommunicatione reseruata tenetur petere absolutionem excommunicationis ab habente facultatem. Quia pœnitens per ignorantiam probabilem excusatus non est inhabilis vt absolutionem à peccatis recipiat, & Confessarij peccatum non debet obesse peccatori verè pœnitenti, & ignoranti inuincibiliter. Ita Sayr. *lib. 2. de cens. cap. 2. num. 4.*

### Dvbitatio II.

III. *An validum conficiatur Sacramentum, si tam Confessarius, quàm pœnitens, sciant non posse prius absolui à peccatis, quàm ab excommunicatione?*

Dico quartò, si tamen ambo, tam pœnitens, quàm Confessarius scirent quòd excommunicatos non potest absolui prius à peccatis, quàm ab excommunicatione absoluatur, & tamen petit absolutiooem à peccatis, & Sacerdos impendit absolutionem, tunc Sacramentum est inualidum, & absolutio impensa irrita, & confessio reiteranda, cùm ambo sacrilegium committant, & pœnitens reddit se indignum absolutione ob sacrilegium, & peccatum quod committit. Sayr. *loco cit. num. 20.*

IV. *Ad rationem in contrarium respondetur.*

Et per hæc patet ad argumentum in principio adductum, quatenus militat contra secundum & tertium dictum. Negamus enim quòd excommunicatus nesciens, & non aduertens inuincibiliter vel factum, scilicet se esse excommunicatum, vel ius, vel excommunicato non licere accedere ad sacramen-

tum Pœnitentiæ,fit inhabilis & incapax absolutionis à peccatis.Interdictum enim Ecclesiæ, quo prohibetur quis in excommunicatione existens Sacramenta recipere,ignorantiam inuincibilem non condemnat; excommunicatio igitur est impedimentum recipiendi beneficium absolutionis à peccatis scientibus quidem,non autem inuincibiliter ignorantibus.

### DVBITATIO III.

V. *An aliqua adsit differentia inter receptionem sacramenti Pœnitentiæ, & aliorum Sacramentorum.*

Sed contra primum dictum vrget argumentum, nam sacramenta Ordinis,Matrimonij,Confirmationis, Extremæ vnctionis, ab excommunicato sciente suam excommunicationē,suscepta,valida sunt Sacramenta; ergo & sacramentum Pœnitentiæ,&c. Negatur consequentia. Et ratio discriminis est, quoniam in illis Sacramentis materia eorum est quid extrinsecum,ac ob id forma illorum Sacramentorum cadens supra debitam materiam, validum efficit Sacramentum,& recedente fictione excommunicationis & culpæ propriam gratiam sacramentalem operantur: at in sacramento Pœnitentiæ materia sunt actus pœnitentis, & volens absolui sciens, & prudens prius à peccatis, quàm ab excommunicatione, est impœnitens,& incapax absolutionis, cùm excommunicatio fit impedimentum recipiendi beneficium absolutionis,scientibus quidem se esse impeditos tali censura, &c. saluo semper,&c.

## ARTICVLVS VI.

### An quilibet simplex Sacerdos absoluere possit constitutum in articulo mortis,à quibusuis reseruatis, etiam cum assistentia proprij Sacerdotis, vel alterius approbati?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Pars negatiua verior demonstratur.*
3. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*
4. *Explicatur causa,propter quam quiuis simplex Sacerdos potest audire confessionem existentis in periculo mortis,etiam præsente proprio Sacerdote.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

QVia Concil. Trid.*sess.* 14. *de sacramento Pœnitentia,cap.*7.*ad finem*, absolutè & indistinctè asserit, omnes Sacerdotes ea potestate gaudere in articulo mortis absoluendi,scilicet ab omnibus peccatis, & ab omnibus reseruatis. ergo omnibus Sacerdotibus parem iurisdictionem pro eo articulo concedit. Ita docent Emanuel Sà *verb. Absolutio,num.*5. Nauarr. *tom.*2. *consil.lib.*5.*de pœnit.& remiss.consil.*13.*num.*1.*&* 3.Rodriquez *tom.*1.*summa cap.*59. *num.* 5.*fine,& tom.*1. *qq.Regul, q.*56.*art.*4.*in fine.* Conradus *tom.*1.*q.*12.

II. *Pars negatiua tutior.*

Pars verò negatiua est verior,& tutior, quòd scilicet prædicta concessio cuilibet Sacerdoti pro articulo mortis facta,intelligenda est,quando deest copia proprij Sacerdotis,seu alterius Sacerdotis expositi ad audiendas confessiones, quia Concilium Trid. *loco cit.* dicit id esse inductum ratione necessitatis, ne æger absque confessione decedat;sed existente proprio Sacerdote,vel alio exposito, cessat talis necessitas. ergo, &c.& ideo hanc sententiam tenet Sotus *in* 4.*d.*18.*q.*4. *art.*4. statim *in principio.* Syl. *Confessor.* 3. *q.* 6. quos sequitur Suarez *tom.*4. *in* 3. *part.disp.*26.*sect.*4.*n.*4. Sanchez *lib.*1.*operis mor.c.*13.*n.*7.

III. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

Nec obest quod inducitur in contrarium, quia Concilium Trid. loquitur quando adest etiam necessitas ex parte Sacerdotis,cùm non est alius ad quem ex officio,vel delegatione tale munus pertineat: quapropter si adsit Parochus proprius, vel qui habet iurisdictionem delegatam, non potest simplex Sacerdos absoluere in articulo mortis ab omnibus peccatis, & à casibus reseruatis, quia iam non est articulus necessitatis ex parte legitimi,idonei,& proprij Sacerdotis.& constat hoc à simili ex *c. Presbyter* 26. *quæst.* 6. in illo verbo,*Nisi absente Episcopo extrema necessitas cogat.*

IV. *Explicatur causa,propter quam quiuis simplex Sacerdos potest audire confessionem existentis in periculo mortis, etiam præsente proprio Sacerdote?*

Extante tamen rationabili causa in articulo mortis,etsi sit præsens proprius Sacerdos,quilibet simplex Sacerdos poterit audire confessionem talis infirmi constituti in periculo mortis: puta si proprius Sacerdos, qui adest, esset solicitator ad malum, vel vehementer dubitaretur esse reuelatorem confessionum. Ita bene adnotat Victoria *in summa q.*145.

## ARTICVLVS VII.

### An absoluere possit ab omnibus peccatis, & casibus reseruatis, quilibet Sacerdos, constitutos ne dum in articulo,sed etiam in periculo mortis.

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur,& explicatur, quidnam sit articulus & periculum mortis.*
3. *An Sacerdos, etiam præcisus & denunciatus, possit à peccatis absoluere in articulo mortis.*
4. *An Sacerdos nullibi approbatus, possit absoluere in articulo mortis, præsente alio,in alia diœcesi approbato.*
5. *An præsentibus Sacerdote, excommunicato, & altero non approbato, in articulo mortis, possit ex æquo, ab vtroque impendi beneficium absolutionis.*
6. *An simplex Sacerdos possit absoluere existentem in articulo mortis,si inter confitendum, ante absolutionem superueniat Parochus.*
7. *An à quolibet Sacerdote possit absolui constitutus in articulo mortis habens casus reseruatos, superueniente Superiore.*
8. *An simplex Sacerdos, qui iam absoluit constitutum in articulo mortis, possit huius excipere confessionem, de peccatis,quorum tunc memoriam non habuit.*
9. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

QVia Concilium Trid.*sess.*14.*cap.*7.de casuum reseruatione,& cætera iura loquuntur de articulo mortis,

mortis, omnes Sacerdotes, ait Concilium Tridentinum, in articulo mortis quoslibet pœnitentes à quibusuis peccatis, & censuris absoluere possunt, &c. ergo, &c. Hanc sententiam tenet Valent. *tom. 4. disp. 7. q. 10. puncto 2. col. 6.* asserens in articulo quidem mortis quemlibet Sacerdotem posse quidem quosuis absoluere ab omnibus peccatis, & censuris, non tamen in periculo.

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

### Dvbitatio I.

*Quidnam sit articulus, & periculum mortis?*

Dico primò, articulus mortis tunc contingit, quando mors est in fieri, & ita proxima, & moraliter certa, vt ferè sit ineuitabilis, siue id ex causa naturali proueniat, vt morbo, siue ex causa violenta, vt si quis morte plectendus esset. Periculum verò mortis est, quando adest probabile dubium, & frequenter solet in tali casu mors accidere, vt est actuale bellum, longa nauigatio periculosa, partus mulieris, quæ difficiles partus solet habere, & similia. Ita Soto *in 4. dist. 18. q. 4. art. 4.*

Dico secondò, sufficere articulum & periculum mortis, vt quilibet simplex Sacerdos, si abest proprius, possit absoluere quosuis ab omnibus peccatis & censuris, &c. Probatur optimè ex *cap. si quis suadente, 17. q. 4.* vbi posita reseruatione excipitur periculum mortis, & apertè significatur *in cap. eos qui, de sententia excomm. in 6.* Nam in eodem contextu nunc periculum, nunc verò articulus mortis appellatur. ergo quoties in aliis locis fit exceptio articuli mortis, rectè, & secundùm ius extenditur ad periculum, cùm fauores sint ampliandi. Ita tenet Syl. *Confessor. 1. q. 6.* Nauarr. *in sum. c. 26. n. 31. & c. 27. n. 271.* quos sequitur Suar. *tom. 4. in 3. p. disp. 26. sect. 4. n. 3.* Sanch. *lib. 2. oper. mor. c. 13. n. 1.*

### Dvbitatio II.

III. *An Sacerdos etiam præcisus & denunciatus, possit à peccatis absoluere, in articulo mortis?*

Dico tertiò, in articulo, seu periculo mortis quilibet Sacerdos non toleratus, etiam præcisus & denunciatus, quando non est copia alterius, est proprius Sacerdos, absoluere potens ab omni peccato, & excommunicatione, quia necessitas extrema legi humanæ non subiacet. *cap. quod non est, de reg. iuris.* Ita Syl. *Confessor. 3. n. 10.* Nauarr. *summ. c. 27. n. 171. vers. 7.* Nugno *tom. 1. super 3. p. fol. 300. col. 1. mihi.*

### Dvbitatio III.

IV. *An Sacerdos nullibi approbatus possit absoluere in articulo mortis, præsente alio, in alia diœcesi approbato.*

Dico quartò, in articulo mortis non potest simplex Sacerdos absoluere, &c. si adsit Sacerdos, qui in alia diœcesi Parochus, aut approbatus ad audiendas confessiones sit, non tamen in illa. Quia etsi respectu huius diœcesis sit simplex Sacerdos, at est alibi approbatus. Ita Sanchez *lib. 2. operis mor. c. 13. n. 10.*

### Dvbitatio IV.

V. *An præsentibus Sacerdote excommunicato, & alio non approbato, in articulo mortis, possit ab vtroque ex æquo impendi beneficium absolutionis?*

Dico quintò, in articulo mortis si adsit Sacerdos expositus, excommunicatus tamen, denunciatus, seu suspensus, non toleratus, & simul etiam simplex Sacerdos, tunc vterque eligi potest & absoluere. Ita Nugno *in addit. ad 3. part. q. 8. art. 6. dub. 4. conclus. 6.* At meliùs dicimus quòd tunc Sacerdos expositus, excommunicatus tamen, seu suspensus, non toleratus, non potest absoluere, quia caret iurisdictione, & hoc ministerium est illi interdictum, nisi in casu extremæ necessitatis, quæ tunc non occurrit, eo quòd adest simplex Sacerdos hoc impedimento non affectus. sic Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 26. sect. 4. n. 4.*

### Dvbitatio V.

VI. *An simplex Sacerdos possit absoluere existentem in articulo mortis, si inter confitendum, ante absolutionem, superueniat Parochus?*

Dico sextò, si deficiente Sacerdote approbato, simplex confessionem constituti in articulo, aut periculo mortis, audire cœpit, & ante absolutionem adsit legitimus Confessarius, potest prior Confessarius cœptam confessionem perficere. Quia *in cap. statim, & c. relatum, de officio delegati*, dicitur non cessare facultatem delegatam ob mortem delegantis, quando delegatus cœpit ea vti: at simplex Sacerdos tunc habebat facultatem quasi delegatam. ergo, &c. Ita D. Antun. *3. p. tit. 17. cap. 9. fine*, quem sequitur Sanchez *lib. 2. oper. mor. c. 13. n. 15.*

Hinc meritò Petrus Ledesma *cap. 12. de pœnit.* post quintam conclusionem asserit, esse valde probabile, habentem licentiam audiendi confessiones ad tempus, posse eo transacto prosequi confessionem antea cœptam. Quia licèt finierit licentia audiendi nouas confessiones, non tamen licentia finiendi inceptas, vt bene notat Ioannes de la Crux *lib. 2. de priuilegys, c. 6. dub. 4. concl. 1. ad finem.*

### Dvbitatio VI.

VII. *An à quolibet Sacerdote possit absolui constitutus in articulo mortis, habens casus reseruatos, superueniente Superiore?*

Dico septimò, si constitutus in articulo mortis haberet casum ratione excommunicationis reseruatum, & antequam simplex Sacerdos absoluat, adueniat Superior ordinarius, tunc priùs absoluendus est talis pœnitens à suo Superiore ab illa excommunicatione, deinde Sacerdos ille, quicumque sit, posset à peccatis absoluere. Quia Confessarius tenetur pœnitenti id onus iniungere, vt quàm primùm commodè posset se legitimo Superiori præsentet; cùm ergo tunc adsit, & commodè possit pœnitens se illi præsentare, teneatur vtique. Sanchez *loc. cit. n. 15.*

### Dvbitatio VII.

VIII. *An simplex Sacerdos, qui iam absoluit constitutum in articulo mortis, possit huius excipere confessionem de peccatis quorum tunc memoriam non habuit?*

Dico octauò, si in articulo mortis simplex Sacerdos pœnitentem iam absoluerat superueniente legitimo Confessore, non posset postea audire peccata oblita, vel quæ æger non potuit fateri tunc; quia est noua confessio, & à priori independens, atque adeò legitimo Confessori, si adest, est facienda:

sic

sic Zambranus *de casibus articuli mortis*, *c.4. dub.5.n.4.*

Dico nonò, si constitutus in articulo mortis inualidè est absolutus à simplici Sacerdote, puta quia in ea confessione mentitus est, in re graui, si superueniat legitimus Confessor, adhuc potest detecto illo mendacio à Sacerdote illo simplici absolui; quia is re vera habuit iurisdictionem ad priorem illam confessionem, & dum absolutio validè non est præstita, non censetur finita.

IX. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

Ad argumentum in principio adductum, quatenus pugnat contra secundum dictum, respondetur quòd iura indifferenter loquuntur de articulo & periculo mortis, vt videre est *in c. si quis suadente 17. q.4. & c. eos qui, de sententia excomm. in 6.*

---

## Articvlvs VIII.

## An absoluendus in articulo mortis ab hæresi, siue quouis alio reseruato habente excommunicationem annexam à simplici Sacerdote, vel ab eo, qui non habet iure communi talem potestatem, cautionem præstare debeat, & quam?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, explicando, an ab excommunicato in articulo mortis, requiri debeat iuramentum, de parendo mandatis Ecclesiæ, vel coram Superiore comparendi, vel satisfaciendi.*
3. *An absolutus à reseruatis in articulo mortis, in vim Bullæ, vel alterius priuilegij, teneatur se præsentare Superiori, cessante impedimento.*
4. *An priuilegium auferat obligationem satisfaciendi.*
5. *An potestas absoluendi ab hæresi in articulo mortis, possit extendi extra articulum mortis.*
6. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

Videtur quòd non tenetur præstare cautionem, &c. Nam hæreticus absolutus in articulo mortis non tenetur seruare dispositionem *c. eos qui, de sententia excomm. in 6.* quatenus obligat taliter absolutos vt se præsentent coram Superioribus. ergo non tenetur præstare cautionem iuratoriam, &c. Antecedens probatur. nam hæretici accusati apud officium sacræ Inquisitionis propter absentiam, & contumaciam in non comparendo, solent ad mortem damnari. ergo non tenetur seruare, & præstare iuramentum seruandi dispositionem *c. eos qui*, &c. cùm nemo teneatur facere id vnde mors sequitur, vt docet D. Th. *2.2. q.69. art. 4. ad 2.* Caiet. *ibi, ad dubium 8.* Syl. *verb. Accusatio q.16.* Armilla *ibi num. 21.*

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

### Dvbitatio I.

*An ab excommunicato in articulo mortis, debeat requiri iuramentum de parendo mandatis Ecclesiæ, vel coram Superiore comparendi, vel satisfaciendi?*

Dico primò, ab excommunicato absoluto in articulo mortis ob hæresim, vel ob aliud magnum crimen, iuramentum postulatur parendi de cætero mandatis Ecclesiæ, ex *c. tenore, & c. de cætero, de sententia excomm.* Sed non est necessarium iuramentum generale de seruandis Ecclesiæ mandatis, sed in illa materia, ob cuius violationem excommunicatus mansit. Ita Caiet. *verb. Absolutio, c. penultimo.* Syl. *verb. Absolutio 3. n.3.*

Dico secundò, absoluendo ratione articuli mortis, aut cuiusuis impedimenti temporalis ab excommunicatione reseruata, siue Pontifici, siue cuicunque inferiori, tenetur Confessarius iniungere vt cessante morbo, vel eo impedimento se præsentet Superiori, qui extra eum casum de iure poterat eum absoluere. Quòd si non se præsentauerit, quando commodè poterit, propter contumaciam in eandem excommunicationem incidit, vt expressè habetur *c. eos qui, de sententia excomm. in 6.* & hoc se præsentandi onus est sub iuramento imponendum. *cap. quamuis, & c. ea noscitur, de sententia excomm.*

Dico tertiò, si tale fuit delictum, ob quod excommunicatio lata fuerit, vt specialem satisfactionem requirat, & illa nondum sit exhibita, neque alia sufficiens cautio de illa implenda data sit pignoratitia, aut fideiussoria, tunc etiam cautio iuratoria, seu iuramentum est exigendum de satisfactione exhibenda: ita bene Caiet. *cap. 77. de excomm.* quem sequitur Suarez *tom.5. in 3. part. disp. 21 sect. 3. num. 1.* Sanchez *lib. 2. oper. mor. cap. 13. num. 23.*

### Dvbitatio II.

III. *An absolutus à reseruatis in articulo mortis in vim Bullæ, vel alterius priuilegij, teneatur se præsentare Superiori, cessante impedimento?*

Dico quartò, absolutus tamen in articulo mortis, si à tali postea periculo liberatur, non tenetur se præsentare Superiori pro peccato reseruato non habente annexam excommunicationem. Quia in articulo mortis quilibet Sacerdos in absentia habentis facultatem est legitimus, & ordinarius. Ita Syl. *Confessio 1. n.21.* Caiet. *summa verb. excõmunicatio, n.69.* quos sequitur Sayr. *lib. 1. de cens. cap. 10. n. 35.* Nauarr. *summa cap. 26. num. 17.* Suarez *tom. 4. in 3. part. disp. 3. sect. 3. art. 6.* Sanchez *loco cit. num. 24.*

Dico quintò, habentes impedimentum perpetuum, sicuti senes mulieres, quibus vagari non expedit: pauperes, qui tanta paupertate laborant, quòd ad Curiam ire non possunt: valetudinarij, i. laborantes morbo incurabili: impuberes, propter defectum ætatis, vt patet ex *cap. ea noscitur, & cap. finali, de sententia excomm.* ab Episcopo suo debent & possunt absolui, ita vt non sit iniungendum eis mandatum de præsentando se Apostolicæ Sedi. Syl. *verb. Absolutio 4. notabili 3.* Sayr. *de cens. lib. 3. c. 38. n. 34.*

Dico sextò, filius autem familias licèt absolui possit, per *cap. mulieres, de sententia excomm.* non tamen sine iuramento comparendi, & ideo si emancipetur, vel quacunque alia ratione fiat sui iuris, tenetur comparere. Seruus similiter si manumittatur simpliciter, vel quoad illum actum, tenetur accedere ad Sedem Apostolicam, &c. Habentes etiam graues inimicitias possunt absolui, imposito tamen iuramento quòd cessante inimicitia teneantur accedere, &c. *cap. quamuis, de sententia excomm.* & docet Syl. *Absolutio 4. n.9.* Nauarr. *summa cap. 27. num. 88.* quos sequitur Suarez *tom. 5. in 3. p. disp. 22. sect. 1. n.86.*

Dico septimò, hoc onus se præsentandi Sedi Apostolicæ,

stolicæ, vel alteri Superiori, non est imponendum, quando sanus aliquis, aut in mortis articulo absolutur à reseruatis habentibus annexam excommunicationem virtute Bullæ, aut Iubilæi, aut alterius priuilegij concedentis eam absolutionem. Quia priuilegium in hoc consistit, vt absolutus absque illo, etsi teneatur se præsentare, secus quando virtute illius, aliàs enim priuilegium nihil concederet. Ita Medina *lib.1.summ.cap.12.* quem sequuntur Suarez *tom.4. in 3. p.disp.30.sect.3.num.6 fine.* Sanchez *lib.2. oper.mor.c.13. num.31.*

### Dvbitatio II.

### IV. *An priuilegium auferat obligationem satisfaciendi.*

Dico octauò, priuilegium obligationem satisfaciendi auferre non potest, vnde quando quis Monachum, aut Clericum percusserit, satisfactio eisdem priùs facienda est; quòd si pars læsa esset absens, posset tunc Confessarius per Bullam & priuilegium absoluere cum cautione iurata, vt quamprimum commodè poterit satisfaciat. Videatur *cap. Parochianos, de sententia excomm.*& *ibi gloss.in verbo satisfaciant.*

Dico nonò, si Confessarius nō imponat prædictum onus se præsentandi, & satisfaciendi; absolutio tamen valet in articulo, vel extra articulum mortis præstita, cùm in iuribus citatis non inducatur conditio irritans aliter factum. Sylu. *Absolutio 3. num. 3.* quem sequitur Sayr. *lib. 2. de cens. cap.18. num.5.* Sanchez *loco cit. num.35.*

### Dvbitatio III.

### V. *An potestas absoluendi ab hæresi in articulo mortis, possit extendi extra articulum mortis.*

Dico decimò, potestas absoluendi ab hæresi in articulo mortis non est extendenda, vt possit quis absolui alia ratione impeditus, puta paupertate, inimicitiis, senectute, aut similibus impedimentis. Vnde in tali casu extra articulum mortis ad Inquisitores, vel ad Pontificem per Procuratorem, aut literas tacito nomine recurrendum est. Quia cùm non exprimatur *in cap.ea noscitur, de sententia excomm.* & in aliis, casus hæresis, non censetur in illo comprehendi, propter strictissimam eius reseruationem. Ita bene Sotus *in 4.d. 22. q.2. art. 2. ad fin. vers. Demum*; quamuis partem affirmatinam censeant esse veram, Nauarr. *summ.c.27.num.89.* & alij multi, videndi apud Sanchez *lib. 2.oper.mor.c.13.num.36.*

### VI. *Rationi in contrarium respondetur.*

Ad argumentum à principio adductum respondetur, quòd hæreticus absolutus in articulo mortis, qui aliàs apud officium Inquisitionis accusatus propter contumaciam in non comparendo fuit damnatus ad mortem, tenetur præstare cautionem se præsentandi sub iuramento, cessante tamen tali periculo mortis: sicut si pœnitens certus non sit, an ipse fuerit causa damni, vel an talis fuerit offensio, vt ad satisfactionem obliget, tunc licèt non præmissa satisfactione absolui possit, tamen cautionem saltim iuratoriam dare debet, quòd scilicet satisfaciet cùm probabitur se satisfactionem debere, vt bene docet Sayr. *lib. 2. de cens. c.18.n.16.* Ita similiter, &c.

## Articvlvs IX.

## An absolutio sacramentalis possit impendi ab eo, cui fieri potest delegatio sub ratihabitione potentis delegare rationabiliter præsumpta.

### *Svmmarivm.*

1. *Pars affirmatina suadetur.*
2. *Quid & quotuplex sit ratihabitio.*
3. *Veritas resoluitur, explicando, an ad communicandam iurisdictionem, ita vt validetur Sacramentum, sufficiat ratihabitio de futuro, vel saltim de præsenti.*
4. *Argumenta diluuntur.*

### I. *Pars affirmatiua suadetur.*

POtest alienus Parochus Extremam vnctionem ministrare alieno Parochiano, ex ratihabitione de futuro, quia nimirum probabiliter credit ratum habiturum proprium Parochum, vt tradit Syl. *verb. Vnctio extrema. q 4.* Tabiena *ibi q.5.* Armilla *n.5.* Sotus *in 4. dist.13.q.1.a.1.* ergo similiter poterit absoluere ex ratihabitione de futuro. Confirmatur ex *reg.10. de reg.iur. in 6.* vbi dicitur ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari: ergo cùm regula sit generalis, debet etiam extendi ad sacramentum Confessionis. Ita docet Hostiensis *summa titulo de pœnit. & remiss.§.cui confitendum, n.14.vers.8.* Henric. *super c.omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.n.14.vers.8.*

### Dvbitatio I.

### II. *Quid & quotuplex sit ratihabitio?*

Dico primò, quòd ratihabitio, quæ est assensus quo quis consentit in id, quod nomine suo gestum est, est duplex, altera de præsenti, altera de futuro. Prima est, quando rationabiliter existimamus quòd in præsenti placet potenti delegare, quòd concedatur delegatio, & fiat absolutio. Secunda etiam, quando rationabiliter credimus, quòd quando Superior cognouerit, approbabit absolutionem factam. Ita Nugnon *tom.2. in 3.part.fol.278.col.2. mihi.* Lodouicus Beia *part.1 casuum, casu 10.*

### III. *Veritas resoluitur, & explicatur*

### Dvbitatio II.

### *An ad communicandam iurisdictionem, ita vt validetur Sacramentum, sufficiat ratihabitio de futuro, vel saltim de præsenti?*

Dico secundò ratihabitio de futuro non sufficit ad conferendam iurisdictionem, & consequenter, neque vt sacramentum Pœnitentiæ sit validum. Probatur, quia quod sub ratihabitione de futuro fit, quamuis voce tunc fiat, at re vera vt pendens fit, ita vt postea possit ratificari, & irritari; sed valor Sacramenti non potest esse in pendenti, sed statim aut debet esse validum, aut irritum. ergo non est validum, quando est tantùm ratihabitio de futuro. Ita Syl. *Confessor. 1 q.6.* Nugno *loc.cit.* quos sequitur Sanchez *lib.3. de matrim. disp.35.num.17.*

Dico tertiò, ratihabitio de præsenti, quæ est licentia tacita, sufficit vt alienus Sacerdos possit validè absoluere, vt si vidente, sciente, ac tacente Ordinario, ac Parocho, & potente contradicere, exciperet confessiones Parochianorum illius. Quia ista scientia, & patientia-

patientia de præsenti habetur pro legitima licentia, cùm operetur consensum. Tum, quia vbi requiritur licentia in actu, sufficit tacita & præsumpta ex ratihabitione de præsenti, vt probat Ioannes Lupus *rubric.de donatione*.§.68 *n*.17. & ita hanc opinionem tenet Syl. *Confessor*.1.*q* 6.*in fine*. Caiet.*summa verb. Absolutio ex parte absoluentis*,*versic. licentia*. Sotus *in* 4. *d*.18. *q*.4.*art*:3. *vers.circa concessiones*, quos sequitur Sanchez *lib*.3.*de matr.disp*.35.*n*.20.

## IV. *Argumenta diluuntur.*

Ad primum argumentum, quod militat contra primum dictum, respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam, & ratio negationis est, quia vbi licentia, & iurisdictio est necessaria ad substantiam & valorem rei, vt in sacramento Pœnitentiæ, non satis est ratihabitio de futuro, quia cùm Sacramentum sit præsens, non potest esse pendens in futuro euentu; vbi autem licentia non requiritur ad substantiam actus, vt in sacramento Eucharistiæ, Extremæ vnctionis, sed ad solum debitum ordinem in Ecclesia seruandum, satis est probabilis spes & præsumptio voluntatis Pastoris, & consequenter sufficiet tunc ratihabitio de futuro.

Ad confirmationem respondetur, quòd regula illa iuris valet in rebus, quæ licèt à principio non sint validæ, possunt tamen fieri validæ per solam acceptationem Superioris, vt sunt contractus humani. Isti enim ita firmantur per subsequentem ratihabitionem, quòd tunc veræ fiunt. Sacramentum autem Pœnitentiæ non potest esse pendens ex futuro euentu, vt diximus; videatur Nugno *loc.cit.*

---

# ARTICVLVS X.

## An absoluere possit Sacerdos licitè, & validè, dum sunt diuersæ opiniones circa suam auctoritatem; an scilicet ipse sit legitimus Minister confessionis; vel licentia illi concessa sit legitima; aut priuilegium, virtute cuius absoluit, sit reuocatum; vel extendatur ad illum casum, vel peccatum à quo absoluit.

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *An Confessarius possit validè absoluere pœnitentes, si habeat titulum coloratum circa suam iurisdictionem, ex communi populi errore.*
3. *Dubitatio proposita resoluitur.*
4. *An Confessarij semel approbati verè, vel fictè, & postea iurisdictione priuati, validè absoluant.*
5. *Rationibus in contrarium respondetur, & explicatur, an opinio probabilis circa iurisdictionem, sufficiat ad conficiendum validum Sacramentum.*

## I. *Pars negatiua probatur.*

ET primò quòd non licitè, quia in his quæ pertinent ad necessitatem, & existentiam Sacramentorum, non licet sequi opinionem probabilem, quia practicè se exponit homo periculo faciendi Sacramentum nullum, vt docet Sayr. *lib*.1 *Clauis c*.7.*n*.4. Secundò, quia si opinio asserens esset falsa defectu iurisdictionis, confessio audita esset inualida, difficultas hæc dependet ex sequenti dubitatione.

### DVBITATIO I.

## II. *An Confessarius possit validè absoluere pœnitentes, si habeat titulum coloratum circa suam iurisdictionem, ex communi populi errore?*

Dico primò, si aliquis Sacerdos habet titulum coloratum, seu putatiuum, & communi populi errore legitimus Confessor putetur, validæ sunt confessiones ab eo auditæ virtute tituli colorati, & communis erroris, nec sunt reiterandæ detecto impedimento. Probatur, quia communis error concurrente titulo putatiuo Superioris auctoritate collato iurisdictionem confert, vt patet ea vtroque iure, *l.Barbarius ff.de officio pratoris*, *& cap. infamis* 3.*q*.7.*vers.Verumtamen*, & ita hanc sententiam tenent Syl. *verb Confessor*. 1.*q*.19. Caiet.*summa verbo Confessionis iteratio*, *c.confessio sacramentalis*.Lopez 1.*part.Instruct cap*.38.§.*iteranda est confessio*,quos sequitur Sanchez *lib*.3.*de matr.disp*.22.*n*.13. 64.65.& Less.*lib*.2.*c*.29.*dub*.8.*n*.68.

Ex hoc sequitur quòd si Episcopus conferret illegitimo, vel occulto homicidæ beneficium parochiale, licèt collatio sit nulla, confessiones tamen auditæ ab eo essent validæ, nec reiterandæ, cùm eius nullitas sit occulta, & adest coloratus titulus, & communis error, licèt illegitimus, & occultus homicida sit incapax, & inhabilis ad beneficium parochiale suscipiendum, cùm sit irregularis.

Similiter licentia concessa excommunicato alibi denunciato audiendi confessiones à legitimo Superiore, inualida esset; at si in loco, vbi excipit confessiones, excommunicatio est occulta, validæ sunt confessiones auditæ, virtute talis licentiæ, quæ est titulus putatiuus, seu coloratus ad audiendas confessiones. Vide Sanchez *loc. citat. num*. 64. & Syl. *loc. superius adducto*.

## III. *Dubitatio proposita resoluitur.*

Dico secundò, si sint diuersæ opiniones, an aliquis sit legitimus Minister confessionis, vel licentia illi concessa sit legitima, vel priuilegium virtute cuius absoluit sit reuocatum, vel extendatur ad illum casum à quo debet absoluere; & opinio affirmans non esse legitimum Ministrum, aut licentiam non esse sufficientem, aut priuilegium esse reuocatum, vel minime extendi ad illum casum, sit coram Deo vera, dum tamen veritas illa lateat, & probabili sapientum opinione reputetur probabilis opinio opposita, confessiones auditæ à tali Ministro virtute talis licentiæ, aut priuilegij sunt validæ & licitæ. Probatur quòd sint validæ; quia hic est titulus præsumptus collatus à legitimo Superiore, & probabilis opinio DD. quæ sufficit ad communem existimationem, vt bene docet Suarez *tom*.4.*in* 3.*part.disp*.26. *sect*.6. *num*. 7. Ergo sunt validæ confessiones, quia communis error & titulus coloratus collatus à legitimo Superiore confert iurisdictionem. Tum quia non solùm communis error, sed etiam probabilis DD. opinio efficit vt Ecclesia det iurisdictionem, etiamsi opinio illa sit falsa coram Deo. Videatur Syl. *Confessor*.1. *q*.19.*vers.tertiò verò*. Enriquez *lib*.1. *de pœnit.c*.14.*n*.34. Sanchez *lib*. 3. *de matr. disp*. 22. *num*. 65. *&* *lib*. 1. *in Præcepta*, *cap*. 9. *num*. 35. Less. *lib*. 2. *de Iust. cap*. 29. *dub*.8. *num*.68. Quòd autem licitè absoluat talis Confessor, probatur, quia licitum est operari ex opinione probabili.

DVBITA

### Dubitatio II.

IV. *An Confessores semel approbati verè, vel fictè, & postea iurisdictione priuati excipiendo confessiones validè absoluant?*

Dico tertiò, valet etiam absolutio sacramentalis habita à Confessatiis à legitimo Superiore semel approbatis, licèt occultè ob aliquod delictum occultum, vel ob occultam Superioris reuocationem, vel inhibitionem sint illa facultate audiendi Confessores priuati; quia hic concurrit communis error, & titulus à legitimo Superiore collatus, eiúsque extinctio est occulta. Tum, quia quando ignoratur, an Pontifex reuocauerit gratiam Bullarum, aut Iubilæi, valent confessiones virtute Bullæ, aut Iubilæi factæ, etiamsi talis gratia sit reuocata, vt docet Henriquez *lib. 6. de pœnitentia, cap. 7. num. 2. in commento littera G. & lib. 5 de pœnitentia, cap. 14. num. 4.* ergo similiter valebunt confessiones factæ semel expositis, etiamsi occultè ob aliquod delictum occultum, vel ob occultam Superioris reuocationem, vel inhibitionem illa facultate audiendi confessiones Confessarij sint priuati. Tum quia, quamuis mortuo Episcopo potestas Vicarij expiret, at si Vicarius incertus de morte concedat litteras dimissorias ad Ordines, valerent, quia communi errore habetur vt Vicarius legitimus. Idem dicendum quando reuocatus est Vicarius ab Episcopo ipso, valerent eius gesta dum reuocationis est communis error, siue ipse sciat, siue ignoret reuocationem: ergo similiter erit valida absolutio habita à Confessario semel exposito, licèt occultè ob aliquod delictum illam facultatem amiserit, vel per reuocationem, vel inhibitionem occultam fuerit illa priuatus. Videatur pro hac assertione Rodriquez *tom. 1. summa cap. 60. num. 3.* vbi expressè fatetur valere confessiones Religiosis semel approbatis factas, licèt occultè priuati sint facultate audiendi confessiones. Sanchez *lib. 3. de matrim. disp.* 55. 58. 59. Henriquez *loc. cit. & lib. 10. de sacramento Ordinis, cap. 22. num 3.*

Dico quartò, Sacerdos ad annum approbatus ab Ordinario loci ad audiendas confessiones, licèt elapso anno non sit approbatus, & idoneus, tamen si communi errore vulgi censeretur adhuc approbatus, valeret absolutio sacramentalis ab eo habita. Quia error communis ortus à iusto tituli initio facit quòd gesta valeant: sic Enriquez *lib. 6. de pœnitentia, cap. 6. num. 3. in commento littera I.* quem refert, & sequitur Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 22. num. 58. medio.* Contrarium tenet Bonacina *tom. 1. tract. de matr. q. 2. puncto 8. num. 19.*

Dico quintò, Confessiones Confessariis semel approbatis factæ licèt occultè priuatis, vel ob occultum delictum, vel ob occultam reuocationem, vel inhibitionem, ita sunt validæ, vt etiam postea detecto vitio priuationis, reuocationis, inhibitionis non sint repetendæ: quia titulus coloratus à legitimo Superiore à principio collatus, & communis error confert facultatem, & facit vt valeant omnia gesta: ergo tunc omnes confessiones non sunt repetendæ, &c. Ita Innocentius super *cap. dudum, el 2. de electione, num. 3. fin.* Hostiens. *ibi*, super *verb. damnabiliter,* Card. *ibi q. 6.* Hos sequitur Sanchez *lib. 3. cit num. 56. fine.* Videatur etiam Syl. in consimili casu *vers. Confessor. 1. q. 19. vers. Tertiò verò.*

Dico sextò, validam esse absolutionem datam ab eo Sacerdote, cui Episcopus verbis tantummodo, sed absque intentione, & cum fictione concessit facultatem absoluendi. Nam interuenit error communis, & titulus præsumptus collatus à legitimo Superiore, & facultas, seu iurisdictio, quam Episcopus fictè concessit, potest ab Ecclesia suppleri, sic Bonacina *tom. 1. tract. de matrim. quæst. 2. puncto 8. n. 33.* Oppositum tamen tenet Petrus de Ledesma *q. 45. de matrim. art. 5. puncto 3. dub. 4.*

V. *Rationibus in contrarium respondetur, & explicatur*

### Dubitatio III.

*An opinio probabilis circa iurisdictionem sufficiat ad conficiendum validum Sacramentum.*

Nec officit primum argumentum positum à principio; dicimus enim quòd quando versantur opiniones circa iurisdictionem Sacerdotis ad audiendas confessiones, & opinio probabilis docet illam habere, etiamsi probabilior neget; talis Sacerdos nullo modo peccabit audiens confessiones, nec tunc se exponit periculo conficiendi Sacramentum nullum. Quia tunc intentio supremi Prælati est quòd quotiescunque sequimur opinionem probabilem circa iurisdictionem ad audiendas confessiones, quòd recipiatur talis iurisdictio.

Vnde sicuti is, qui Parochus communiter reputatur, verè & legitimè tamen non est, quia simoniacè obtiuuit beneficium parochiale, validam absolutionem confert. Quia Ecclesia tunc dat iurisdictionem, ne communis ignorantia populo noceat, & grauissima incommoda euitentur; sic in præsenti. Quia opinio probabilis circa iurisdictionem sufficit ad communem existimationem. Verisimile est Ecclesiam supplere defectum si fortasse aliquis in re manet, & conferre iurisdictionem. Non tamen est eadem ratio de his, quæ pertinent ad Sacramentorum essentiam, quia illud Ecclesia supplere non potest. Vnde peccaret Minister contra charitatem proximi in administrandis formis & materiis Sacramentorum, si sequeretur opinionem probabilem, relictâ tutâ, & probabiliori, cùm se exponat periculo conficiendi Sacramentum irritum in maximum proximi detrimentum: de quo infrà, Deo dante, dicemus latiùs.

Ad secundum argumentum negamus confessionem illam esse inualidam. Quia, vt diximus dicto secundo, probabilis opinio DD. circa iurisdictionem efficit, vt Ecclesia dét iurisdictionem, etsi opinio illa coram Deo sit falsa. Videantur Syl. Sanchez, Less. *locis suprà cit.*

---

### Articulus XI.

## An si valida absolutio data ab eo, qui communiter putatus Sacerdos, & verus Parochus, audit confessiones, si reuera non sit Sacerdos?

*Summarium.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas demonstratur.*
3. *An fœmina posset validè absoluere, si errore communi putaretur vir, & ad Sacerdotium assumeretur.*
4. *An summus Pontifex posset validè absoluere, si simoniacè esset electus.*
5. *Argumento in contrarium à principio respondetur.*

### I. *Pars affirmatiua probatur.*

QVia communis error, & titulus coloratus confert iurisdictionem, vt dubio præcedenti diximux. ergo absolutio collara ab eo, qui communi opinione putatus Sacerdos, & verux Parochus, audit confessioues, erit valida. Sic Albericus *l. Barbarius n.29.ff.de officio pretoris.* Iason *ibi 63:* & alios, quox refert Sanchez *lib.3.de matr.disp.22.n.21.*

### II. *Veritas demonstratur.*

Dico primò, si non Sacerdos sacramentaliter absoluat, quamuis communiter existimetur Sacerdox, & verus Parochus, absolutio est irrita, & contraria opinio est prorsux à veritate aliena. Probatur, quia ideo valent gesta per habentem titulum putatiuum, quia ius Pontificium & ciuile ob publicam vtilitatem supplet eum defectum, concedendo iurisdictionem, sed nequit supplere defectum iuris diuini, & naturalis, cùm inferior potestatem non habeat in superiorem. ergo cùm absoluens sacramensaliter diuino iure debeat esse Sacerdos, absolutio sacramentalis collata à non Sacerdore non valebit, quamuis communiter existimetur Sacerdox, sic Tabiena *Confessio 1.q.23. num.25.* Caiet. *summ. verb. Confessionis iteratio, cap. confessio quare ex parte Confessoris iteranda.*

## DVBITATIO I.

### III. *An fœmina posit validè absoluere, si errore communi putaretur vir, & ad Sacerdotium assumeretur?*

Dico secundò consequenter, absolutio sacramentalis impensa per fœminam errore communi ad summum Ponrificatum prouectam, cùm fœmina iure diuino sit incapax, Ponrificatus non valet, quia Ecclesia non potest supplere defectum iuris diuini: ergo cùm potestas Ordinis in absoluente sacramentaliter sit de iure diuino, & fœmina iure diuino sit incapax Ponrificatus, & potestatis Ordinis, absolutio ab ea collata errore communi ad summum Pontificatum prouecta erit nulla.

## DVBITATIO II.

### IV. *An summus Pontifex poßet validè absoluere, si simoniacè electus fuisset?*

Dico tertiò, si quis tamen iure diuino capax Pontificarus, quia scilicet est vir baptizatus, inualidè ad Pontificatus apicem eueheretur, ratione vitij occulti interuenientix in electione, puta simoniæ, ob quod vitium nulla esset electio, iuxra constitutionem Iulij II. quæ incipit, *Cum tam diuino*, dum communis error est, quo hic verus Pontifex existimatus validè absolueret sacramentaliter, & omnia gesta per illum valerent, quia cùm impedimentum sit solius iuris humani, Ecclesia tunc conferret illi iurisdictionem. Quamnis enim Ecclesia non sit supra verum Pontificem; esset tamen supra hunc, qui verus non esset Pontifex, sed tantùm putatiuus. ita aliqui DD. dixerunt.

Quòd si dicas, iurisdictio quam habet summus Ponrifex, est ex iure diuino. ergo, &c. Respondent quòd iurisdictio ordinaria, quam habet summus verus Pontifex, est quidem ex iure diuino: delegatam tamen potest conferre illi Ecclesia, & hanc haberet tunc summus Pontifex non verus, sed putatiuus: qualem similiter delegat Vicario Pontificis per ipsam Sede vacante electo. Ita Sanchez *lib. 3. de matrim. disput. 22. num. 28.*

Obseruant etiam quòd si in Ecclesia ex hypothesi esset aliquis Pontifex putatiuus, simoniacè scilicet electus, vt dicitur in constitutione Iulij II. non haberet iste potestatem definiendi res fidei infallibiliter. Quia hæc potestas in solo vero Romano Pontifice residet. Ita Magister Bannes *2. 2. quæst. 1. art. 10. dubio 2. §. Ad secundum argumentum.* Sanchez *lib. 3. de matrim. disp.22. num.18.* Oppositum tamen est omnino tenendum, non obstante scilicet dicto vitio occulto, electum in summum Pontificem à duabus partibus Cardinalium, esse verum, & legitimum summum Pontificem, ita statuit Alexander III. *cap. licèt, de electione*; ne sequatur in Ecclesia Dei confusio, & ne schismati via aperiatur: imò dato, & non concesso quòd aliquis non esset verus Pontifex, sed solùm putatiuus; piissimus Dominus propter commune bonum suæ Ecclesiæ illi assisteret, ne in rebus fidei definiendis erraret; ita optimè obseruauit Less. *lib. 2. de iust. cap.35. dub.15.n.146.*

### V. *Argumento à principio respondetur.*

Nec officit argumentum à principio positum contra nostrum primum dictum: cùm enim Ecclesia non possit supplere defectum potestatis Ordinis, quæ iure diuino requiritur in absoluente sacramentaliter, iure optimo dicimus quòd absolutiones collatæ ab eo, qui non est Sacerdos, licèt communi errore verus Parochus putetur, sunt irritæ & inualidæ: sic Abbas *cap. 2. in fine, de Presbytero non baptizato.* Tabiena & Caiet. *loc. cit.*

---

## ARTICVLVS XII.

## An absolutio sacramentalis collata per Sacerdotem non electum à legitimo Superiore ad audiendas confessiones, si communi populi errore habeatur, & putetur verus Confessarius, sit valida?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas demonstratur.*
3. *Explicatur an Confessarius, vsu rationis carens, validè absoluat, si reputetur sana mentis ab omnibus.*
4. *An sit valida absolutio collata a Sacerdote substituto loco Parochi a Concilio Oppidano laicorum.*
5. *An Archiepiscopus possit conferre licentiam audiendi confessiones in diœcesibus suffraganeorum, vel Episcopus Regularibus, nisi sint approbati in Religionibus eorum.*
6. *Rationi in contrarium respondetur.*

### I. *Pars affirmatiua probatur.*

PArtem affirmatiuam tenere videtur Abbas *Clement. Dudum, de sepulturis, num. 25.* vbi ait, si frater non electus ad confessiones audiendas se ingerat, et bona fide confitentem absolutum esse quoad Deum, eiusdem sententiæ videtur Anastasius Germonius *tract. de indultis. §. tibi quoad vixeris, num. 58.* vbi ait, aduersario opponente aliquem non esse

eſſe verum Vicarium, ſufficere parti aduerſæ probatæ communem reputationem, vt acta per cum valeant, per *l. Barbarius, ff. de officio Prætoris*. & probatur, nam ex doctrina aliquorum DD. validæ ſunt ob communem errorem Indulgentiæ conceſſæ à falſis omnino Prælatis. Ita Iaſon *l. preſcriptione, num.16. C. ſi contra ius.* Felin. *ſermone de Indulgent. verſ. Caterùm de Indulgent. Epiſcoporum.* Borgaſius *de irregul. 3. part. tit. de Indulgentys Epiſcopi, num.4.* ergo ſimiliter valebit abſolutio collata à Sacerdote, qui communi populi errore putatur verus Confeſſarius, licèt non ſit electus ad confeſſiones audiendas à legitimo Superiore.

## II. *Veritas demonſtratur.*

Dico primò, Sacerdos qui in officium Parochi, aut Confeſſoris ſe intruſit ſine titulo, & authoritate legitimi Superioris, licèt communis error facti accedat, inualidè abſoluit confitentem peccata mortalia, ita vt abſolutio ſit prorſus irrita & nulla. Probatur ex *cap. infamis 3. quæſt. 7. verſ. verumtamen, & l. Barbarius, de officio Prætoris*, vbi vtrumque ius non ſolùm communem errorem ponderat, vt geſta valeant, ſed etiam interceſſiſſe authoritatem Superioris delegantis poteſtatem: ergo Sacerdos, qui in officium Confeſſoris ſe intruſit ſine authoritate legitimi Superioris, quamuis communiter putetur Confeſſarius, inualidè, & nulliter abſoluit pœnitentem confitentem peccata mortalia.

Dixi *confitentem peccata mortalia*, quia ſimplex Sacerdos validè abſoluit pœnitentem à ſolis peccatis venialibus, vel à mortalibus aliàs confeſſis, & ita hanc ſententiam tenent Syl. *Confeſſor. 1. quæſt. 19. verſ. Primo caſu.* Caiet. *ſumma verbo Confeſſionis iteratio, tit. Confeſſio ſacramentalis*, quare ea parte Confeſſoris iteranda, Lopez *1. part. inſtruct. cap. 38. §. iteranda eſt confeſſio*; quos ſequitur Sanchez *lib. 3. de matr. diſp. 21. num. 49.*

Si tamen Prælatus ſit videns, & tacens alienum Sacerdotem in propria Eccleſia audire confeſſiones, etiamſi non conſentiat, nec ei expreſſis verbis dediſſet licentiam audiendi confeſſiones, validè tamen talis Sacerdos abſoluet: quia ratihabitio de præſenti reputatur in iure, & apud peritos vt vera licentia expreſsè conceſſa, & ita concurreret tunc titulus præſumptus, & communis error, nam ratihabitio de præſenti reputatur legitima licentia: videatur Sanchez *lib. 3. de matr. diſp. 22. n. 64. verſ. caterùm credo*, licèt Metina *tract. 1. de confeſſione, quæſt. de multiplici licentia alieno confitendi*, Bonacina *tom. 1. de Sacramentis diſp. 5. 6. 7. puncto 4. §. 1. num. 14.* oppoſitum teneant.

## Dvbitatio I.

**III.** *An Confeſſarius, vſu rationis carens, validè abſoluat, ſi reputetur ſana mentis ab omnibus?*

Non tamen eſſet valida abſolutio collata ab eo, qui verè eſt Sacerdos habens facultatem audiendi confeſſiones à legitimo Superiore, ſi vſu rationis careat: quamuis communi errore credatur ſanæ mentis. Nam tunc interueniret defectus naturalis, qui non poteſt ab Eccleſia ſuppleri. Tum quia ſententia lata ab inſano, iure naturæ non obligat; ergo cùm Confeſſor in foro interiori ſit iudex, ſi ſit mente captus, non habens intentionem abſoluendi, inualida erit abſolutio à tali mente capto collata, videatur Maſcard. *de probation. concluſ. 649. num. 89.* Sanchez *lib. 3. de matrim. diſp. 22. num. 19.* Bonacina *tom. 1. tract. de matr. q. 2. & 8. num. 37.*

## Dvbitatio II.

**IV.** *An ſit valida abſolutio collata à Sacerdote ſubſtituto loco Parochi à Concilio Oppidano laicorum?*

Item colligitor ea hac prima aſſertione nullam eſſe abſolutionem collatam à ſimplici Sacerdote loco Parochi ſubſtituto à Concilio Oppidano laicorum, licèt communi omnium errore verus Parochus eſſet exiſtimatus. Quia in Parocho iſto præſumpto defuiſſet titulus collatus à legitimo Superiore Eccleſiaſtico. Concilium enim Oppidanum laicorum iuriſdictionem Eccleſiaſticam conferre non poteſt. Ita bene Syl. *verb. Confeſſor. 1. q. 19.* Sanchez *lib. 3. de matr. diſp. 22. num. 63.*

## Dvbitatio III.

**V.** *An Archiepiſcopus poſſit conferre licentiam audiendi confeſsiones in diœceſibus ſuffraganeorum: vel Epiſcopus, Regularibus, niſi ſint approbati in Religionibus eorum?*

Dico ſecundò, titulus & licentia audiendi confeſſiones debet conferri à legitimo Superiore potente conferre, aliàs abſolutiones non valebunt, quamuis communis error adſit. Vnde ſi titulus & licentia audiendi confeſſiones conferretur ab Archiepiſcopo, non valerent abſolutiones collatæ ab his Sacerdotibus expoſitis ab Archiepiſcopo ſubditis ſuffraganei: quia tunc non concurrit verè authoritas Superioris, cùm ille Superior non ſit reſpectu ſubditorum ſuffraganei. Sic Compoſtellanus, quem refert & ſequitur An. on. *cap. nihil n. 14. de electione.*

Hic tamen obſerua, quòd licèt Archiepiſcopus dum viſitat in Epiſcopatibus ſibi ſuffraganeis, poſſit abſoluere pœnitentes, & audire confeſſiones ſubditorum ſuffraganeorum, abſoluendo etiam illos à caſibus reſeruatis ſuo ſuffraganeo, vt bene aduertit Nugno *tom. 2. in 3. part fol. 167. col. 1. §. quarta concluſio*, Suarez *in 3. part. tom. 4. diſp. 30. ſect. 2. num. 8.* extra tamen tempus viſitationis non habet hanc facultatem, cùm non ſit ordinarius Superior ſubditis ſuffraganeorum.

Dico tertiò, ad maiorem intelligentiam in Religionibus, in quibus grauiter prohibetur ne fratres audiant confeſſiones ſine expoſitione ſuæ Religionis, lethale peccatum eſt, quòd Religioſus audiat confeſſiones ſine expoſitione Ordinis, & ſi ſit poſita ſibi aliqua cenſura ipſo facto incurrenda, verè illam incurrit oppoſitum faciens, etiamſi ſit approbatus ab Ordinario loci, & eligatur à pœnitente per priuilegium Iubilei, vel Bullæ Cruciatæ. Quia Prælatus poteſtatem, & iuriſdictionem habet ad præcipiendum ſuis ſubditis ea, quæ ſunt rationabilia; ſed nimis rationabile eſt, quòd Religioſus iudicetur in proprio Ordine, an ſit idoneus ad excipiendas in ſacramento Pœnitentiæ confeſſiones, & quarum perſonarum poſſit audire confeſſiones; ergo tenetur ipſe Religioſus obedire, & ſecus agens peccabit mortaliter, &c. Ita bene obſeruauit Nugnus noſter *tom. 2. in 3. part. D. Thom. q. 8. art. 5. dub. 8. concluſ. 5. fol. 187. mihi.*

Dico quartò, nihilominus abſolutio ſic facta tenet, licèt talis ſubditus eſſet excommunicatus, tolerato tamen ſi Epiſcopus tali Sacerdoti Religioſo

facultatem concessit simpliciter audiendi confessiones, non dependeoter ab Ordine, & Prælatis illius Religionis. Quia vt absolutio sit valida ex parte Sacerdotis, sufficit quòd habeat potestatem Ordinis, & potestatem iurisdictionis. ergo si tunc talis Sacerdos haberet potestatem iurisdictionis, licèt esset excommunicatus, toleratus tamen, validè absolueret, quamuis non licitè; sic Sotus *in 4. dist.* 18. *quæst. 4. art. 3. versic. ad glossas autem.* Syl. *Confessor.* 1. *quæst.* 5. Nugnus nouissimè relatus *conclus* 3. Sanchez *lib. 3. de matrimon. disp.* 32. *num.* 2. *versic. Tandem probatur.* Henriquez *lib. 6. de Pœnitentia, cap.6. num.6.* contra Contadum *tom. 2. respons. casuum, quæst.* 168. Lopez *cap. 26. quæst. 1. sui instructory.*

Dico quintò, si verò Episcopns conferat tali Religioso facultatem audiendi confessiones secundùm dispositionem proprij Ordinis, dicens quòd tantum valet facultas concessa, sicut in Ordine tuæ Religionis est dispositnm. tunc neque validè, neque licitè absoluit talis Religiosus, si in Ordine prohibetur ne Religiosi audiant confessiones nisi à deputatis in Religione fuerint approbati. Hoc dictum est euidens, quia talis Confessarius non est approbatus, & expositus ab Episcopo simpliciter, sed cum limitatione; ergo si præter limitationem audit confessiones, inualida erit absolntio. Videatur Nugnus proximè adductus *conclus.* 4.

Sed contra quartum pronunciatum vrget argumentum. Nam iurisdictio confertur à Superiori, siquidem conferre iurisdictionem est proprius actus Superioris, sed Episcopus nullam habet superioritatem, vel iurisdictionem super Religiosos. ergo sine licentia sui Prælati non potest ei conferre talem iurisdictionem. ergo, &c.

Respondetur primò negando maiorem, quia ad conferendam iurisdictionem non requiritur superioritas super recipientem eandem iurisdictionem, quoniam aliàs non posset vnus Episcopus committere suum ministerium alteri Episcopo, sed debet esse superioritas super ipsas oues, quia ad bonum illatum ordinatur iurisdictio. ita præclatè Nugnus cit. solutione ad tertium argumentum.

Respondetur secundò, ex Suarez *tom. 4. in 3. part. disp.* 28. *num.* 14. *sect.* 6. quòd Religiosi licèt sint exempti ratione domicilij & habitationis, fieri aliquo modo subiectos Episcopo loci in quo resident, quoad approbationem ad confessiones sæcularium audiendas, iuxta dispositionem sacri Concilij Trid. *sess.* 23. *cap.* 15. *de reform.* Ideo poterit Ordinarius loci independenter à Prælato ordinario conferre facultatem audiendi proprias oues Religiosis subditis aliàs exemptis, &c.

VI. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

Nec ratio in cootrarium adducta obstat, negamus enim Indulgentias à falsis omnino Prælatis concessas esse validas, sunt enim irritæ, & vanæ defectu tituli, quamuis adsit communis error; sic etiam Sacerdos non electus à legitimo Superiore ad confessiones audiendas non validè absoluit, quamuis communis error facti concurrat. Videantur Caiet. Syl. Sanchez *locis suprà adductis*, Less. *lib. 2. de Iustitia, cap.* 29. *dub.* 8. *num.* 65. §. *Notandum est.*

ARTICVLVS XIII.

An absolutio collata à Parocho excommunicato occulto, vel habente aliud impedimentum occultum, sit valida etiam respectu scientium impedimentum.

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua suadetur.*
2. *Veritas demonstratur, & explicatur, an subditus possit confiteri suo Parocho excommunicato, si æque bene ab alio Confessario possit audiri.*
3. *Dubitatio resoluitur.*
4. *Soluitur ratio in contrarium.*
5. *Explicatur, an liceat participare cum excommunicatis in administratione Sacramentorum.*

I. *Pars affirmatiua suadetur.*

NAm ex decreto Concilij Constantiensis statim sub Martino V. in Basiliensi recepto, vt refert Sotus *in 4. dist. 1. q. 5. art. 6.* solos ministros excommunicatos, suspensos, interdictos, vel irregulares vitare tenemur in administratione Sacramentorum, & quacunque alia re denunciatos, aut notorios Clerici percussores ergo valida erit absolutio collata in sacramẽto Pœnitẽtiæ à Parocho excommunicato occulto, vel habente aliud impedimentum occultum, etiam respectu scientium impedimentum. Probatur consequẽtia. nam huiusmodi Parochus occultè excommunicatus, vel aliud habens impedimentum occultum, per dictũ Concilium Constantiense habet vsum iurisdictionis, & similiter prædictum Concilij Constantiensis decretum omnibus fidelibus indulsit, vt possint participare cũ his excommunicatis in administratione Sacramẽtorum. ergo validæ erunt absolutiones sacramentales collatę ab excommunicato occulto, siue is in cuius fauorem fiunt, ignoret, siue sciat excommunicationem: cùm prædictum decretũ indulserit omnibus fidelibus posse participare in administratione Sacramentorum cum his occultè excommunicatis, vel alio impedimẽto occulto ligatis. hanc sententiam tenuit Vinaldus *Candelabro Sacramentorum 1. p. de matr num.* 80. Sanchez *lib. 3. de matr. disp. 22. n. 44. & lib. 7. disp. 9. n. 8*

II. *Veritas demonstratur, & explicatur*

DVBITATIO I.

*An subditus possit confiteri suo Parocho excommunicato, si æquè bene ab alio Confessario possit audiri?*

Dico primò, subditus, qui scienter petit sacramentaliter absolui à suo Parocho occultè excõmunicato, suspenso, vel interdicto, extra articulum necessitatis peccat lethaliter, & consequenter inualida est absolutio. Probatur, quia licèt secundùm iustitiæ rigorẽ vnicuique liceat petere ab altero ius suum quod sibi debet, tamen quando inde magnum detrimentum proximo est euenturum, & mea nihil interest illud bonũ obtinere ab alio, qui sponte & sine peccato dabit, lex charitatis Dei & proximi tũc obligat, vt auferam occasionem ruinæ proximi. ergo subditus alicuius Parochi si absque necessitate scienter petit à suo Parocho occultè excommunicato sacramentaliter absolui, cùm possit ab alio Ministro sine vllo suo detrimento beneficium absolutionis obtinere, peccat mortaliter, & inualidè, cùm sit indispositus, absoluitur. Quia offert occasionem peccandi mortaliter suo Parocho,

indignè

indignè scilicet ministrandi Sacramentum in peccato mortali, & excommunicatione. Ita optimè D. Th. *in addit. ad 3. p. q. 36. art. 5. ad 3.* quem sequitur Suarez *3. p. q. 65. art. 4 disp 18. sect. 1. §. vnde infero primò, tom. 3.*

Dices, Parochus occulte excommunicatus non est in necessitate constitutus peccandi lethaliter si præuentus & requisitus Sacra ministret suo subdito, dummodo pèr internum animi motum conteratur, vt docet Sotus *in 4. dist. 1. q. 5 art. 6. propos. 7.* ergo sua voluntate peccabit mortaliter, si non conteratur, si præuentus à subdito ministrat sacramentum Pœnitentiæ, & alia. ergo subditus petendo non offert occasionem ruinæ, peccandi scilicet lethaliter.

Respondetur non esse quidem Parochum occultè excommunicatum in necessitate physica peccandi lethaliter si præuentus ministret Sacramenta, quia si per contritionem apud Deum emendetur, licitè Sacramenta ministrabit per concessionem Extrauagantis Martini V. quæ incipit, *Ad euitanda*, &c. tamen est in morali indigentia, & miseria satis graui, quæ satis est, vt subuenire illi debeam lege charitatis, si commodè possim, ab alio scilicet Sacramenta recipere.

Dico secundò, non licet à ministro parato occulta excommunicatione, suspensione, interdicto, vel peccato mortali irretito sacramentalem absolutionem recipere, dummodo æquali facilitate, & commoditate possim alium eligere, & ei confiteri; sit exemplum: Si duo Confessores sedeant parati ad confessiones audiendas, & mihi moraliter satis constet vnum esse bonum, & alium iniquum, quia est excommunicatus, licèt occultus, suspensus, interdictus, vel aliquo crimine lethali manifestè obstrictus, & cum eadem facilitate possim alterutrum eligere, teneor sine dubio vitare peccatum vnius, & alteri, qui bonus est, confiteri. Quia saltem vitatur illud sacrilegium externum, & iniuria, quæ fit Sacramento quando in re ipsa dispensatur à prauo Ministro, Suarez *loco citato*.

### III. *Dubitatio resoluitur.*

Dico tertiò, existente aliqua iusta vtilitate, vel necessitate confitendi peccata sua, licèt non sit extrema, vt in articulo mortis, neque valde grauis, vt est necessitas implendi præceptum Ecclesiasticum, sed sit solùm, v.g. vtilitas, & necessitas, non differendi nimium vsum Sacramenti confessionis: tunc licebit petere Sacramentum confessionis à Ministro, qui vel ex officio tenetur, vel paratus est, etiamsi in peccato sit ministraturus, si non est alius, qui sine peccato ministret. Ita Nauarr. *summ. cap. 9. num. 7. vers. verumtamen.* Probatur, quia hoc non est inducere ad malum, sed vti iure suo, quia non potest ab alio commodè exigi, & vti malitia parati ad suam vtilitatem in actu, quem licitè Minister conferens Sacramentum potest exercere si per internum animi motum contereretur.

Dico quartò, à malo Ministro, tolerato quidem, licèt non parato, si non sit alius, qui sine peccato ministret sacramentum Confessionis, licebit illud petere si instet grauis aliqua causa, puta si subest necessitas faciendi Sacrum, & intercedat conscientia peccati mortalis, vel instet necessitas, scilicet præceptum Ecclesiasticum annuæ confessionis adimplendi, & multo magis si sit necessitas in articulo mortis. Probatur, quia ista petitio non est ex se inductio ad peccandum, eo quòd res iusta petitur, atque grauis necessitas, & vtilitas magna cogit ad petendum, sed sit sola quædam permissio peccati malitia sua peccantis. Quia talis minister Sacramenti potest remonere malitiam ab opere postulato, si per contritionem emendetur. Videatur Suarez *loco citato §. Dixi autem ad finem.* Sanchez *lib. 3. in præcepta Decal. cap. 8. num. 19.*



### IV. *Soluitur ratio in contrarium.*

Ad rationem à principio adductam quatenus militat contra primum & secundũ dictum, respondetur quòd licèt ex ratione & meritis excommunicationis solùm adstringantur fideles vitare excommunicatum denunciatum, aut notorium Clerici percussorem, ac proinde ab aliis excommunicatis non interdicatur illis recipere Sacramenta: at ex vi legis charitatis non cooperandi ad peccatũ alterius, obligantur fideles ad non petendum, nec recipiendum Sacramentum à ministro quomodocumque excommunicatum, vel quem scimus mortali crimine esse infectum: vnde lethale peccatum est, quando absque vlla necessitate, vel vtilitate ab illo petimus administrari aliquod Sacramentum, quando adest alius minister, qui sine peccato ministrare potest. Ita bene Nauarr *summ. c. 9. n. 7. vers. Vnde infertur.*

Essent igitur tunc tales absolutiones sacramentales inualidæ, non ex defectu iurisdictionis, sed ex indispositione pœnitentis, quia cooperatetur ad peccatum alterius dum nulla intersit necessitas recipiendi sacramentum Confessionis à tali excommunicato, vel aliquo alio crimine irretito, dum adest alius, qui sine peccato ministrare potest sacramentum Pœnitentiæ. Saluo semper meliori iudicio.

## Dubitatio II.

### V. *An liceat participare cum excommunicatis in administratione Sacramentorum?*

Indulsit quidem Concilium Constantiense omnibus fidelibus, vt possint communicare cum excommunicatis toleratis in administratione Sacramentorum, quando tamen adest aliqua necessitas, & tunc non est cooperari ad peccatum alterius, cùm excommunicatus præuentus ad Sacramenta ministranda, si sit toleratus, si per internum animi motum conteratur, validè, & licitè confert Sacramenta, extra tamen necessitatis articulum, non est tutum petere Sacramentum à talibus ministris, vt diximus ex D. Th. *3. p. in add. q. 36. art. 5. ad 3.* Nauarr. *summ. c. 9. n. 7.*

---

## Articulus XIV.

## An sacramentaliter absoluere possit Sacerdos hæreticus in articulo mortis constitutos.

### *Summarium.*

1. *Pars negatiua probatur, & explicatur.*
2. *Veritas demonstratur.*
3. *Explicatur, à quònam habent iurisdictionem absoluendi in articulo mortis omnes Sacerdotes etiam hæretici.*
4. *Argumenta diluuntur, & explicatur, an Sacerdos hæreticus sit membrum Ecclesiæ; & an teneatur positus in extrema necessitate confiteri illi peccata sua.*

### I. *Pars negatiua probatur, & explicatur.*

Nam iurisdictio absoluẽdi sacramentaliter recipitur ab Ecclesia, & à Christo Domino, sed Sacerdotes hæretici non possunt recipere hanc iurisdictio-

nem sacramentaliter, & validè absoluendi etiam respectu constitutorum in articulo mortis. ergo, &c. Maior est clara. Minor probatur. Nam Ecclesia est quoddam corpus mysticum vitale, in quo membra recipiunt influxum à capite; sed membra separata & præcisa, quales sunt hæretici respectu Ecclesiæ, nullum possunt recipere influxum: ergo neque etiam iurisdictionem sacramentaliter absoluendi, cùm talis iurisdictio sit quidam motus vitalis spiritualis receptus à Christo Domino per Ecclesiam, & ita hanc sententiam docent Couarr. *in cap. Alma mater p.* 1. §.6, *n.8.vers.8.conclus.* Adr. *in* 4. *dist*.3. *de Baptis.* & alij Iuristæ super *cap. non est, de sponsal.*

Hoc dubium licèt à nobis superiùs sub vniuersaliori titulo fuerit discussum, an scilicet omnes Sacerdotes absoluere possint constitutos in articulo mortis, nunc autem specialiter inquirimus, an hæreticus possit esse minister sacramenti Pœnitentiæ in articulo mortis, quia maiorem habet sub isto titulo speciali difficultatem. Nam Sotus *in 4 dist*.18.*q*.4.*art*.4. fatetur omnes Sacerdotes Catholicos excommunicatos, & degradatos, sacramentaliter absoluere in articulo mortis, negat tamen de hæreticis. Sotum sequitur Nauarr. *summa c*.26.*n*.26.

II. *Veritas demonstratur.*

Dico primò, absolutio sacramentalis in extrema necessitate licitè ab excommunicato denunciato etiam hæretico peti, & administrari validè potest. Probatur apertè ex Concil. Trid. *sess*.14. *cap*.7. De casuum reseruatione in articulo mortis, inquit sacrum Concilium, omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusuis peccatis & censuris absoluere possunt: ergo hæreticis eo in casu, mortis scilicet articulo, cōceditur validè sacramētaliter absoluere cōstitutos in extrema necessitate, cùm lex generaliter loquēs, generaliter sit intelligenda: tum, quia hoc ipsum quòd quilibet Sacerdos in articulo mortis quemlibet absoluere possit, gratia & fauor est populi Christiani. ergo eum ampliare potius, quàm restringere debemus. Nam pœnæ legum interpretatione molliendæ sunt, non exasperandæ. *cap. pœna, de pœn.d*.1. Sic docent Syl. *verb. Confessor*.1.§.*vltimo*. Caiet. *summ. verb. Absolutio.* Nugno *p*.2. *in 3 p. in add.q*.8. *art*.6. *dub*.2. quos sequitur Sayr. *lib*.2. *de cens.cap*.2. *num*.18. Sanchez *lib*.2. *operis mor. cap*. 13. *num*.5. Nauarr. *summa*, sibi contrarius, *cap*.27.*num*.171. *vers*. 7.

DVBITATIO I.

III. *A quonam habeant iurisdictionem absoluendi in articulo mortis, omnes Sacerdotes, etiam hæretici?*

Dico secundò, hanc iurisdictionem absoluendi in articulo mortis ab omnibus casibus, & censuris omnes Sacerdotes, etiam excommunicati, denunciati, & hæretici habent de iure diuino, participatam tamen & deriuatam à summo Pontifice; sicut Episcopus iure diuino habet iurisdictionem, & etiam Parochus. Nihilominus habent illam participatam, & deriuatam ab ipso R.P. Quia totum hoc ordinauit Christus Dominus; cùm enim regimen Ecclesiæ sit Monarchicum, est in vno & ab vno R.P. ex eius saltim tacito consensu. Ita Sotus *in 4.d*. 18. *q*. 4. Nugno *loc. cit. dub*.1. quos sequitur Azor *part*.2. *lib*.3.*cap*.30. *dub*.13. *vers. secunda sententia.*

Sed instabis, si iurisdictio in articulo mortis absoluendi traditur Sacerdotibus à Papa; ergo poterit hanc illis auferre, quod videtur absurdum, & inconueniens. Respondetur posse quidem aliquibus Sacerdoribus hanc iurisdictionem R.P. auferre, nunquam de facto auferet; quia in his quæ pertinent ad bonam gubernationem communem, & vniuersalem Ecclesiæ, non potest summus P. errare; ad tollendam verò iurisdictionem alicui Sacerdoti absoluendi in extrema necessitate, nulla potest rationabilis causa assignari. Ita bene Nugno *loc. cit. dub*.1. *ad* 3. quem sequitur Suarez *tom*.4. *in* 3. *part. disp*.26. *sect*.4.*n*.8.

IV. *Argumenta diluuntur, & explicatur*

DVBITATIO II.

*An Sacerdos hæreticus sit membrum Ecclesiæ, & an positus in extrema necessitate illi teneatur confiteri?*

Ad argumentum à principio adductum respondetur, negando minorem: nam Sacerdotes etiam hæreticos certum est coniungi Ecclesiæ ex Christo Domino per characterem sacerdotalem, quod sufficit vt recipiant motum vitalem spiritualem, scilicet iurisdictionem in ordine ad bonum fidelium, & Ecclesiæ, licèt sibi nullum motum vitalem possint recipere, eò quòd non habent fidem, quæ est principium vitæ spiritualis. Ad probationem similiter negatur minor, licèt enim in rebus physicis, & naturalibus ad hoc vt caput, & vnum membrum influat in aliud, debeat coniungi cum illis: at in moralibus hoc non requiritur, potest enim præcisum membrum recipere aliqualem influxum à capite in beneficium aliorum, sic statuente Deo ob commune bonum fidelium: tum quia hæretici in administrandis Sacramentis considerantur vt instrumenta Dei, ac Deus infinitæ virtutis cùm sit, operari potest per instrumenta præcisa, & separata. Quòd si dicatur, extra Catholicam Ecclesiam, non sunt vera sacrificia & Sacramenta, ex *cap. extra Ecclesiam*, 1.*q*.1. Respondetur ex gloss. *in eodem c. extra Ecclesiam*, id est, extra formam Ecclesiæ. Nam cùm quis in administratione Sacramentorum non vtitur vera forma Sacramentorum, qua vtitur Ecclesia, verè non confici Sacramenta: quamuis enim possimus dicere hæreticos esse in Ecclesia non simpliciter, sed secundùm quid, quia scilicet characterem baptismalem retinent, & vera Sacramenta administrant.

Ex his infertur teneri infirmum confiteri Sacerdoti hæretico, per se loquendo, quando non est alius Catholicus Sacerdos: quando verò probabiliter timet periculum subuersionis, infectionis, & attractionis ad hæresim, vel schisma, non debet, nec potest confiteri.

ARTICVLVS XV.

An absolui possit infirmus in extrema necessitate constitutus, qui neque voce, neque nutu aliquod particulare peccatum exprimit, neque contritionis signa demonstrat in præsentia Sacerdotis, licèt ante illius aduentum petierit confessionem, & signa contritionis exhibuerit?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas demonstratur, & explicatur, quidnam requiratur ad absolutionem sacramentalem.*

3. *An*

3. *An sit aliquo modo valida confessio facta per litteras.*
4. *An isti, de quibus suprà, saltim possint absolui per absolutionem deprecatiuam, vel ab excommunicatione,*
5. *Rationi in contrarium respondetur.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

EX *cap. is qui pœnitentiam*, 26. q. 6. vbi habentur hæc verba formaliter. *Is qui in infirmitate pœnitentiam petit, si casu dum ad eum Sacerdos inuitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam.* Idem habetur *dist. 4. de consecr. c. ægrotantes* 75, & ita hanc sententiam tenet Tol. *summa lib. 3. c. 8. n. 2. fine.* Suarez *tom. 4. in 3. part. disp. 21. sect. 4. & disp. 23. sect. 1. num. 21.*

II. *Veritas demonstratur, & explicatur*

DVBITATIO I.

*Quidnam requiratur ad absolutionem sacramentalem?*

Dico primò, necessariom est vt quis sit capax absolutionis sacramentalis quòd aliquo modo nutu, vel voce in præsentia Sacerdotis sua peccata confiteatur, vnde non sufficit quòd infirmus ante aduentum Sacerdotis sua peccata confessus fuerit, vel signa contritionis exhibēs petierit pœnitentiam. Probatur, quia confessio est actus personalis quo homo presenti Sacerdoti confitetur, vt bene Sotus *in 4. dist. 18. q. 2. art. 6. vers. secundum membrum.* Tum quia Sacerdos non potest absoluere sacramentaliter, nisi pœnitentem dispositum; sed impossibile est quòd Sacerdos dum ad infirmum venit, cognoscat illum esse dispositum, si neque nutu, neque voce sua peccata exprimat. Quia licèt aute aduentum Sacerdotis signa contritionis exhibuerit, facile tamen est, vt medio illo tempore mutetur, itaut quando absoluitur, sit in actuali affectu homicidij, v.g. vel fornicationis, &c. ergo, &c.

DVBITATIO II.

III. *An sit aliquo modo valida confessio facta per litteras?*

Confirmatur. nam ex decreto Clementis VIII. edito anno Domini 1602. die Iunij 20. non licet per litteras, seu internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere. ergo neque etiam poterit quis infirmus absolutionem obtinere, licèt alij dent testimonium, illum ante aduentum Sacerdotis signa contritionis dedisse, &c. Quia de necessitate Sacramenti requiritur in sacramento Pœnitentiæ præsentia inter materiam & formam.

Respondet Suarez ad decretum Clementis VIII., summum Pontificem non condemnare illam sententiam, quæ affirmat confessionem posse fieri in absentia, dummodo absolutio detur in præsentia, & sic illa particula, *&*, non est sumenda diuisiuè, sed complexiuè, &c. Sed iam summus Pontifex præcepit viuæ vocis oraculo, vt folium illud in quo hæc continebantur, deleretur, vt bene notauit Nugno *tom. 2. in 3. part. q. 9. art. 3. diffic. 2. vers. vnde infertur, fol. 333. col. 2.* & sufficienter etiam probatur rationibus propositis hanc explicationem non posse consistere.

Dico secundò, si infirmus in extrema necessitate positus in præsentia Sacerdotis dicat confessionem generalem, vel proferat hoc verbum *peccaui*, vel aliquod signum contritionis exprimat hoc ipsum significans, dummodo probabiliter colligat Sacerdos hoc facere infirmum cum intentione confessionis, etiamsi postea mente turbatus non possit aliud proferre, potest sacramentaliter absolui saltim sub conditione, quia confessio generalis, & signa illa contritionis prolata hic, & nunc cum istis circumstantiis habentur pro confessione particulari licèt imperfecta, quæ sufficit propter vrgentem necessitatem, vt proferatur saltim sub conditione absolutio: ita Paludanus *in 4. dist. 2. q. 2. art. 2.* Nugno *loc. suprà cit. fol.* 314. *col.* 2.

DVBITATIO III.

IV. *An isti, de quibus suprà, saltim possint absolui per absolutionem deprecatiuam, vel ab excommunicatione?*

Dico tertiò, consequenter vtentes in articulo mortis formulis absoluendi manualiom vulgarium, caueant ne intendant absoluere sacramentaliter eos, qui sibi nec verbo, nec nutu, vel signo aliquo contritionis peccata sunt confessi: ita bene Nauarrus aduertit *summa cap. 26. n. 18. vers. Quare vtentes.* Conradus *tom. 1. quæstio 10. §. Quando infirmus, fine fol. 18. mihi.* Quia ibi nulla est materia sacramenti Pœnitentiæ; ergo nulla forma, & irrita erit.

Poterunt tamen vtentes tali forma in articulo mortis excusari, & intelligi de absolutione alia, quàm sacramentali, puta generali deprecatiua, vel de absolutione à pœna per Indulgentias fidelibus concessas, & sic intelligendus est D. Th. *opusc. 65.* dum asserit talem infirmum posse à peccatis absolui. Ita bene Nauarrus *summ. c. 27. n. 269. & c. 26. n. 28.*

V. *Rationi in contrarium respondetur.*

Nec obstat ratio in contrarium adducta, quia textus ille capitoli *is, qui, 26. q. 6. & dist. 4. de consecratione, c. ægrotantes*, debent intelligi nō de absolutione sacramentali, sed de absolutione excommunicationis, de qua illum intelligi sentit gloss. *ibi 26. q. 6.* quatenus allegat capitulum 2. *à nobis, de sententia excommunicationis*, vbi textus apertè loquitur de absolutione ab excommunicatione. Ita bene Nauar. *sum. c. 26. n. 18.* Quia confessio est pars essentialis sacramenti Pœnitentiæ facta in præsentia Sacerdotis; ergo absolutio sacramentalis inualida erit, & nulla, nisi confessio in præsentia Sacerdotis fiat: absolutio tamen ab excommunicatione absenti & inuito etiam dari potest. Videndus est pro hac solutione necessariò Nauarrus *loc. cit.*

---

ARTICVLVS XVI.

An absolutus à reseruatis ab eo, qui poterat, & confessio fuit ficta, & inualida; si postea iterum confiteatur de eisdem casibus, possit absolui à quocumque Confessario, etiamsi non habeat potestatem absoluendi ab illis?

SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur an confitenti sua peccata reseruata Superiori, remaneant non reseruata, si reseruationem tacuerit.*
3. *Dubitatio resoluitur.*
4. *Argumento in contrarium satisfit.*

I. *Pars negatiua probatur.*

Quia si peccatum non est per directam absolutionem remissum, eodem modo manet subiectum clauibus quo antea erat. ergo sicut antea tolli non poterat, nisi ab habente iurisdictionem in casus reseruatos, ita nec postea, & eo magis, si confessio sit ficta, & inualida. Ita Rodriquez *summa p.1.c.184.n.13.* Quamuis idem *tom.1. quaest. regul. quaest.* 21. *art.* 7. limitet, si peccata fuerint reseruata ratione alicuius censuræ. Vnde si quis inualidè absoluatur à peccatis reseruatis non habentibus excommunicationem annexam, minimè sublata fuit ipsa reseruatio.

## DVBITATIO VNIC.

II. *An confitenti sua peccata Superiori, remaneant non reseruata, si reseruationem tacuerit?*

Dico primò, quando subditus confessionem facit Superiori sine vlla mentione, vel intentione casuum reseruatorum, & absolutio simili modo datur ab ipso, non satis est vt peccatum oblitum, quod antea erat reseruatum, postea maneat non reseruatum, & sine onere confitendi illud Superiori: quia esset valde absurdum voluisse Superiorem tollere reseruationem cùm de casibus reseruatis nihil omnino in ea confessione ageretur.

Sed obiicies, quando reseruatio habet censuram annexam, per communem & generalem absolutionem tollitur censura; ergo in talibus peccatis aufertur reseruatio per quancumque ordinariam confessionem, & absolutionem eius, qui potest à talibus peccatis directè absoluere; quod si de his peccatis conceditur, idem erit dicendum de aliis reseruatis. Antecedens patet, quia absolutio generalis solet præmitti ab excommunicatione in ordine ad absolutionem sacramentalem concedendam. Respondetur cum Suarez *tom.4.in 3.p.disp.31.sect.4.num.19.* per talem absolutionem auferri quidem excommunicationem etiam reseruatam, non tamen simpliciter, sed tantùm ad illum effectum obtinendi, scilicet absolutionem sacramentalem à peccatis confessis; & ideo post illum effectum statim excommunicationem redire; vel si fateamur auferri tunc excommunicationem reseruatam, non tamen aufertur reseruatio culpæ, quia non tollitur intuitu reseruationis, sed solùm quadam generali, & quasi materiali modo.

III. *Dubitatio resoluitur.*

Dico secundò quando subditus comparuit coram Superiore, eique peccata reseruata integrè reuelauit, quamuis contingat Superiorem absoluendo verè non absoluere à peccatis ex defectu circa alia peccata, nihilominus absoluit, seu liberat à reseruatione, licèt confessio fuerit ficta, & inualida ex aliquo alio defectu. Quia pœnitens satisfecisse videtur intentioni, & fini reseruationis. Ita Syl. *verb. Confessio* 1. *n.*21. D. Anton. 3.*p.tit.*14. *c.*19. §.17. Quod etiam insinuat Caiet. *verb. casuum reseruatio.* hos sequitur Suarez *tom.4.in 3. p.disp.31. sect.cit.n.9.* Vnde poterit postea talis pœnitens confiteri de eisdem casibus cuicumque alteri Confessario, & absolui ab illis, etiam si non habeter potestatem absoluendi ab illis.

IV. *Argumento in contrarium satisfit.*

Ad rationem in contrarium quatenus militat contra secundum dictum, respondetur quòd quando pœnitens integrè confessus est casus reseruatos, licèt ex defectu circa alia peccata absolutio esset nulla, quia tamen satisfactum est intentioni Superioris, cùm sit coram illo sufficienter comparitum, peccata reseruata maneant quidem subiecto clauibus, non autem reseruata, quia Superiori satisfactum est, quòd si defectus esset in integritate peccatorum reseruatorum, quando scilicet pœnitens non integrè illa coram Superiore exposuit, sine dubio non auferretur reseruatio. Ita bene Suarez *n.9. citato.*

---

## ARTICVLVS XVII.

### An subditus absolutus à suo Superiore à casibus reseruatis, si tamen per obliuionem inculpabilem omisit peccatum aliud reseruatum, liber maneat à reseruatione, ita vt confiteri possit illud cuicumque Sacerdoti habenti communem iurisdictionem.

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua suadetur.*
2. *Veritas demonstratur.*
3. *Explicatur, an remaneat reseruatum peccatum relictum ex defectu memoriæ, si obliuio fuerit culpabilis.*
4. *An absolutus à reseruatis, virtute Iubilæi, nisi fecerit necessaria ad consequendum Iubilæum, si alicuius reseruati obliuiscatur, possit à quocumque Confessario absolui.*
5. *Ratio in principio adducta soluitur.*

I. *Pars negatiua suadetur.*

NAm per illam absolutionem tantùm indirectè remittitur peccatum illud reseruatum, sed hæc indirecta remissio non sufficit vt auferatur reseruatio. ergo non poterit pœnitens hoc peccatum oblitum reseruatum, quando postea illius reminiscitur, confiteri Sacerdoti habenti communem iurisdictionem, sed Superiori qui aliàs habet facultatem absoluendi à reseruatis. Minor probatur à simili. Nam si ille pœnitens confessus fuisset bona fide inferiori Sacerdoti non habenti iurisdictionem in peccata reseruata, quia non putat se habere illa, tunc etiam peccatum reseruatum oblitum indirectè tolleretur, & nihilominus æquè reseruatum maneret ac antea, vt omnes concedunt: ergo indirecta remissio non sufficit ad tollendam reseruationem.

II. *Veritas demonstratur.*

Dico primò, quando pœnitens confitetur Superiori, vel habenti iurisdictionem eius ad hunc finem exonerandi, scilicet omnino conscientiam, & consequendi absolutionem peccatorum reseruatorum, quamuis aliquis casus reseruatus propter obliuionem inculpabilem taceatur, liber manet à reseruatione, ita vt possit postea illud confiteri cuicunque simplici Sacerdoti habenti communem iurisdictionem. Probatur, quia tunc habens iurisdictionem intendit & vult pœnitentem liberum relinquere quantum potest; cùm ergo possit tollere vinculum reseruationis, illud tollit. ergo pœnitens poterit postea peccatum oblitum cuicunque alteri confiteri. Ita bene Syl. *Confessio* 1.*q.*4. Nauarr. *summ.c.*26.*n.*13.

Dico secundò, quando aliquis absoluitur virtute alicuius priuilegij, puta Iubilæi, vel Bullæ Cruciatæ

in fauorem ipsius pœnitentis concessi, alicuius tamen peccati reseruati absque sua culpa obliuiscitur, liber censetur manere à tali reseruatione, & potest postea cuicunque Sacerdoti ordinario illud confiteri. Quia ius acquisiuit pœnitens per ipsum priuilegium in sui fauorem concessum, vt possit postea liberè cuiuis Confessario reseruata oblita fateri. Syl. *loco cit.* Sayr. *lib. 2. de cens. cap. 20. n. 35.* Sanchez *lib. 8. de matr. disp. 15. n. 20. & lib. 4. c. 54. operis moralis, n. 45.*

## DVBITATIO I.

III. *An maneat reseruatum, peccatum relictum ex defectu memoriæ, si obliuio fuit culpabilis?*

Dico tertiò, si obliuio fuit culpabilis, tunc peccatum non solùm oblitum remanet reseruatum, sed etiam alia explicita reseruata in tali confessione: quia vna ex conditionibus requisitis ad gratiam Iubilæi, vel Bullæ Cruciatæ, est vt quispiam confiteatur, quod saltim intelligi debet de confessione valida, quia alia confessio culpabiliter facta non est sacramentalis confessio. Ita Nugno *tom. 2. in 3. part. in expositione Bullæ Cruciatæ, §. 11. vers. dubium tamen est*, quem sequitur Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 31. sect. 4. n. 12.*

Neque hoc dictum aduersatur secundo dicto dubij præcedentis, quia in illo casu satisfit Superiori, & impletur totum id quod per reseruationem intenditur. At in præsenti casu absolutio à peccato reseruato conceditur cum conditione, vt fiat scilicet confessio sacramentalis, irrita verò, & inualida, non est sacramentalis.

## DVBITATIO II.

IV. *An absolutus à reseruatis, virtute Iubilæi, nisi fecerit necessaria ad consequendum Iubilaeum, si alicuius reseruati obliuiscatur, possit à quocumque Confessario absolui?*

Dico quartò, quando quis virtute Iubilæi, vel priuilegij sibi concessi absoluitur ab omnibus peccatis, etiam reseruatis, & obliuione inculpabili obliuiscitur alicuius reseruati, si post absolutionem acceptam non facit opera necessaria ad consequendum Iubilæum, cuius virtute absoluitur, potest postea à quocunque Confessore ab eo absolui. Quia cùm confessio illa valida fuerit, vt supponimus, Confessor absoluens virtute Iubilæi intendit omnino auferre omnem reseruationem, cùm absoluat quatenus potest, & reuera potest omnem reseruationem auferre. Ita Conradus *tom. 1. casuum q. 208.* quem sequitur Suarez *loc. cit. n. 14.* Sanchez *lib. 8. de matr. immediatè cit. n. 2.*

### V. *Ratio in principio adducta soluitur.*

Nec obstat ratio in principio adducta; respondetur enim quòd licèt quando quis confitetur Confessario habenti tantùm iurisdictionem communem, si obliuiscitur alicuius reseruati inculpabiliter, quando postea illius reminiscitur, teneatur confiteri illud non cuicunque Confessori, sed Superiori, vel habenti iurisdictionem super illud; secus tamen, quando inculpabiliter confitetur Superiori, vel si absoluatur virtute Iubilæi. Quia tunc Superior habens iurisdictionem super omnia reseruata per facultatem, quam habet, tollit omne ligamen, impediens consequutionem gratiæ, & consequenter excommunicationem omnem, & omnem reseruationem actualiter de confessis, & virtualiter ab oblitis, quæ impediebant gratiæ consequutionem. Similiter hoc intendit absoluens virtute Iubilæi, tollere scilicet omnem reseruationem à reseruatis; ita vt pœnitens si obliuiscitur absque sua culpa alicuius reseruati, postea possit illud cuicunque Sacerdoti habenti iurisdictionem communem confiteri. videatur Ludouicus Beia *part. 2. casuum, casu 10. vers. Imò, quia, f. 174. col. 2. mihi.* Saluo semper meliori iudicio.

---

## ARTICVLVS XVIII.

## An absoluere liceat pœnitentem accedentem ad sacramentum Pœnitentiæ cum attritione cognita.

### SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua suadetur.*
2. *Veritas demonstratur.*
3. *Explicatur, an sit licitum extra casum necessitatis accedere ad sacramentum Pœnitentiæ cum sola attritione cognita.*
4. *An possim in extrema necessitate, possit absolui cum sola attritione cognita.*
5. *Argumento à principio satisfit.*

### I. *Pars negatiua suadetur.*

Nam sacramentum Pœnitentiæ est Sacramentum eorum, qui auersi sunt à Deo, & ad Deum propria voluntate conuertuntur, sed quem non pœnitet, quia Deum offendit, non conuertitur ad Deum: ergo non satis est in sacramento Pœnitentiæ attritio cognita, cùm istum non pœniteat, quia Deum offendit, sed tantùm doleat de peccatis ob timorem gehennæ, turpitudinem peccati, & ob incommoda, quæ ex peccato sequuntur: ergo non erit licitum talem absoluere pœnitentem, & ita hanc sententiam tenent, Nauarr. *summ. c. 1. n. 11.* Viualdus *in suo Candelabro p. 1. tit. 6. de attritione, dubio 7.* Cosmus Philiarcus *de officio Sacerdotis p. 2. lib. 1. c. 18.*

### II. *Veritas demonstratur.*

Dico primò, licitum est Confessario absoluere pœnitentem accedentem ad sacramentum Pœnitentiæ cum attritione cognita, præcipuè quando pœnitens non est in extrema necessitate, nec in articulo, vel periculo mortis constitutus. Probatur, quia satisfit reuerentiæ debitæ Sacramentis administrandis, conferendo, & conficiendo illa, prout opinio probabilis dictat, vt benè docet Sayr. *lib. 1. clauis, c. 7. n. 5.* ergo cùm opinio satis probabilis sit ad sacramentum Pœnitentiæ sufficere attritionem cognitam, licitum erit Confessario absoluere pœnitentem accedentem cum attritione existimata attritione.

Tum, quia sacrum Concilium Tridentinum *sess. 14. c. 4.* absolutè de attritione declarat, quòd sit dispositio in sacramento Pœnitentiæ ad gratiam impetrandam: ait enim quamuis attritio ex gehennæ metu, aut ex turpitudinis peccati consideratione concepta per se ad iustificationem peccatoris perducere nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit; ergo, si in se considerata attritio disponit ad gratiam in Sacramento consequendam, etiam vt cognita erit dispositio sufficiens: tum, quia si attritio cognita non esset sufficiens dispositio, sacrum Concilium declarasset, ne in re tanti momenti ad salutem æternam parum tutos, & securos nos

nos relinqueret: ergo licitum erit Confessario, &c. & ita hanc sententiam sustinent Lopez 1. *part. sui instruct. cap. 9. vers. vltimò stabilitur.* Nugno *tom. 1. in 3. p. q. 1. art. 4. diffic. 4.* Conradus *tom. 1. q. 65. in additione quæsiti.* Sayr. *lib. 1. clauis c. 7. n. 3.*

## DVBITATIO I.

III. *An sit licitum extra casum necessitatis accedere ad sacramentum Pœnitentiæ cum sola attritione cognita?*

Dico secundò, licitum est etiam pœnitenti extra articulum extremæ necessitatis ad sacramentum Pœnitentiæ accedere cum attritione cognita. Probatur, quia licèt sit sub opinione, an attritio cognita sufficiat ad effectum Sacramenti consequendum, tamen quòd ad ipsum Sacramentum conficiendum sit materia sufficiens certum est, & extra omnem dubitationem. ergo qui sic accedit, materiam certam Sacramenti præbet; & ideo in hoc non peccat. Ita bene Suarez *tom. 3. in 3. part. disp. 16. sect. 2. vers. Sed vrgebit aliquis.*

## DVBITATIO II.

IV. *An positus in extrema necessitate possit absolui cum sola attritione cognita?*

Dico tertiò, quando pœnitens est in extrema necessitate, & in articulo mortis constitutus, & habere posset contritionem auxilio Dei adiutus, tunc esset mortale & recipere, & ei sacramentum Pœnitentiæ ministrare, propter graue periculum æternæ mortis, quod est damnum irreparabile, cui pœnitens exponeretur, si fortè hæc sententia non esset vera, cùm tamen gratia Dei adiutus possit securum contritionis remedium assequi. Ita Sanchez *lib. 1. operis moralis, c. 9. num 34. fine.*

Sed contra secundum dictum vrget argumentum, pœnitens quando attritione cognita extra articulum extremæ necessitatis accedit ad sacramentum Pœnitentiæ, exponit se periculo frustrandi Sacramentum suo effectu, sed hoc non videtur minus malum, quàm exponere se periculo non conficiendi Sacramentum. ergo illicitè accedit ad sacramentum Pœnitentiæ attritione cognita. Respondetur quòd licèt verum sit quòd tunc pœnitens se exponit periculo non obtinendi effectum sacramenti Pœnitentiæ, tamen ob difficultatem habendi contritionem excusari potest à culpa, præsertim cùm ille effectus non sit tunc simpliciter necessarius ad salutem, & postea possit aliis viis suppleri, si fortè in hoc non obtineatur. Videatur Suarez *loc. cit. vers. sed vrgebit, ad finem.*

V. *Argumento à principio satisfit.*

Ad rationem pro parte negatiua, quatenus militat contra primum, & secundum dictum, respondetur quòd licet attritio cognita ex se perfecta conuersio in Deum non sit, tamen, vt ait Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 4.* est donum Dei, & Spiritus sancti impulsus mouentis, quo pœniteus adiutus viam sibi ad iustitiam parat, & disponit in sacramento Pœnitentiæ ad gratiam impetrandam, quæ quidem gratia secum affert perfectam conuersionem, & cùm, vt diximus, attritio cognita sit sufficiens materia ad sacramentum Pœnitentiæ conficiendum, ideo qui sic accedit extra articulum necessitatis extremæ, & qui sic attritio attritione cognita ministrat sacramentum Pœnitentiæ, non peccant: secus autem in extrema necessitate, propter graue periculum æternæ salutis, quod est damnum irreparabile. Saluo semper saniori iudicio.

## ARTICVLVS XIX.

### An absoluendi facultas à peccatis reseruatis non habentibus censuram annexam, concedi liceat sub onere postea comparendi coram Superiore?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua suadetur.*
2. *Pars affirmatiua verior.*
3. *An Confessarius possit absoluere pœnitentem nolentem acceptare hanc conditionem comparendi, &c.*
4. *An pœnitens acceptans conditionem comparendi, teneatur illam implere.*
5. *Rationi partis negatiuæ satisfit.*

I. *Pars negatiua suadetur.*

Quia peccata semel ritè confessa non sunt materia necessaria sacramenti Pœnitentiæ, vt docet D. Thom. *quodl. 1. q. 12.* Nauarr. *summ. c. 9. num. 1.* & communiter DD. ergo non licet facultatem concedere absoluendi à casibus reseruatis sub onere postea comparendi, &c. Pro resolutione

II. *Pars affirmatiua verior.*

Dico primò, Prælatus licitè potest sub tali conditione, vt iterum pœnitens se illi præsentet, facultatem absoluendi concedere à reseruatis. Probatur, quia talis conditio honestum finem habet, vt scilicet pœnitens magis de peccato graui commisso erubescat, & difficilior sic reddatur pœnitenti in illud reincidentia. Ita Caiet. *summ verb. Absolutio, cap.* Nauarr. *summa c. 26. n. 12.* Beiap 2. *casuum, casu 11.* quos sequitur Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 30. sect. 5. n. 8.*

## DVBITATIO I.

III. *An Confessarius possit absoluere pœnitentem nolentem acceptare hanc conditionem comparendi, &c.*

Dico secundò, Confessor in casu præsenti hanc conditionem pœnitenti manifestare tenetur, & si pœnitens eam non acceptat, non potest tunc illum absoluere: quia careret iurisdictione, quæ data est conditionaliter, & ita non potest agere vltra limites in concessione præfixos, *c. si cui, de elect. in 6.*

Dico tertiò, si Confessor priùs absoluit pœnitentem, & postea declarauit conditionem præsentandi se coram Superiore, & pœnitens non vult dictæ conditioni assentiri, absolutio est valida, neque reincidit in peccatum illud reseruatum. Quia peccatum semel per sacramentum Pœnitentiæ deletum redire nullo modo potest, sine pœnitentia enim sunt dona Dei, vt Apostolus *ad Rom 11.* ait.

Si instes, nam absolutus in articulo mortis ab excommunicatione, si cessante tali impedimento non se præsentat Superiori, reincidit in excommunicationem, vt est textus *in cap. eos qui, de sentent excomm. in 6.* Respondetur quòd non reincidit in eandem numero excommunicationem, sed propter inobedientiam non comparendi curam Superiore excommunicatur ipso iure. Aliud enim est casus reseruatus Episcopo, vel alteri Superiori, & aliud excommunicatio reseruata.

uata. Absolutio à casu reseruato nullam admittit de futuro conditionem cùm sit sacramentalis absolutio: absolutio verò ab excommunicatione potest illam de futuro conditionem admittere: vnde non est eadem ratio; tum quia cùm ille textus sit pœnalis, non extenditur ad ea, quæ sunt diuersi generis, *cap. ad audientiam, de decimis*.

Dico quartò, pœnitens sic absolutus si postea non acceptauit dictam conditionem comparendi, scilicet coram Superiore, secundùm opinionem multorum, non tenetur ad comparendum, etiamsi postea declaretur conditio: quia potest non acceptare illam, & sic suo consensu non obligatur, & nihilominus manet absolutus, vt bene Beia *loco cit.* notauit, *versi in casu igitur præsenti*. Quamuis aliquibus DD. quos refert Suarez *loc. cit. num.* 18. visum fuerit absolutionem illam non fuisse validam, si pœnitens acceptare noluerit conditionem comparendi coram Superiore.

### Dvbitatio II.

IV. *An pœnitens acceptans conditionem comparendi teneatur illam implere?*

Dico quintò, pœnitens acceptando dictam conditionem comparendi coram Superiore, remanet obligatus ad illam implendam, vnde quoad vsque persistit in proposito non adimplendi, est impœnitens, ac per consequens inhabilis ad absolutionem iterum de aliis peccatis postea commissis obtinendam. Quia illa pœnitentia, vt iterum debeat se Prælato præsentare cùm sit à superiore Prælato iniuncta, non potest per alium Confessorem inferiorem commutari, qui ab eo peccato reseruato, ob quod illa imposita fuit, non potest absoluere, vt docet Nauarr. *summa cap. 26. num. 2.* Beia *loc. cit. fine*.

V. *Rationi partis negatiuæ satisfit.*

Nec officit ratio in contrarium, quatenus militare videtur contra primum dictum, quia tenetur tunc pœnitens Prælato se præsentare, & casum illum reseruatum manifestare, non vt de nouo absoluetur à tali culpa, quæ iam per præcedens Sacramentum remissa est, sed vt de grauitate delicti magis erubescat, & vt remedium salubrius ad similia in futurum præcauenda delicta à Prælato adhibeatur, præcipuè quando peccatum est aliis nociuum. Neque ob hoc pœnitens grauatur, quia Prælatus eodemmet sigillo confessionis arctatur, quo Confessor, etiamsi nona sacramentalis confessio tunc non perficiatur. Quia tota illa manifestatio est in ordine ad claues, prout pertinentes ad hoc forum sacramentale, vt optimè declarauit Sotus *in 4. d. 18. q. 2. art. 5.* quem sequitur Beia *loc. cit. vers. nec ob hoc.* Suarez *loco similiter adducto, n.* 30.

## Articvlvs XX.

An Confessarius siue proprius, siue non proprius, possit absoluere pœnitentem, sequentem opinionem probabilem, relicta sua probabiliori, si opinio quam sequitur pœnitens, sit in materia iustitiæ, & in damnum tertij?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua suadetur.*
2. *Pars affirmatiua verior.*
3. *Explicatur, an liceat in qualibet materia consulere opinionem probabilem, relicta probabiliori.*
4. *An liceat pœnitenti consulere diuersos DD. ad finem inueniendi aliquem iuxta suam mentem.*
5. *An Confessarius possit absoluere pœnitentem habentem opinionem probabilem, quam tamen ipse indicat falsam.*
6. *Soluitur ratio partis negatiuæ.*

I. *Pars negatiua suadetur.*

Qvia sicuti iudex fori externi tenetur ferre sententiam iuxta probabiliorem opinionem, aliàs enim esset acceptor personarum, si non secundùm causæ merita diiudicaret, sicuti is, qui digniori pòst habito confert beneficium minus digno: ergo similiter Confessarius cùm sit iudex fori interni, & conscientiæ, tenetur absoluere pœnitentem, iuxta opinionem quam probabiliorem credit, præcipuè in materia institiæ, vt restitutionis. Sic Valentia 1. 2. *disp. 5. q. 7. puncto 4. vers. Respondeo dupliciter*.

II. *Pars affirmatiua verior.*

Dico primò, Confessarius quicunque absoluere potest pœnitentem sequentem opinionem probabilem, relicta sua opinione probabiliori, siue opinio, quam sequitur pœnitens, sit in materia iustitiæ, siue non. Ratio est, quia Confessarios denegare non potest absolutionem, nisi malè disposito, sed pœnitens eo ipso, quòd sequitur opinionem probabilem, relicta probabiliori, non est malè dispositus, quippe existimans opinionem suam esse probabilem, nec temeritatis, nec imprudentiæ notam incurrit, ergo Confessarius quicunque absolutionem illi denegans iure suo illum expoliaret. Ita bene Medina 1. 2. *q. 19. art. 6. dubio antepenultima.* Bannez 2. 2. *q. 10. art. 1. dubio 3. in obiectione contra quartam conclusionem*, quos sequitur Sayr. *lib. 1. clauis, c. 9 n. 13.* Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 32. sect. 5.* Sanchez *lib. 1. aperis mor. c. 9. n. 28.*

Dico secundò, Confessarius extraordinarius, non proprius, seu ex commissione, quamuis non teneatur confessionem talis pœnitentis, de quo in primo dicto, audire, excepta tamen eius confessione talem pœnitentem bene dispositum absoluere tenetur, & negando absolutionem peccatet. Quia iure optimo conqueri posset talis pœnitens, quòd sibi bene disposito, auditaque eius confessione, absolutio denegetur. Ita bene Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 5. ad 5.* Sayr. *lib. 1. clauis c. 9. n. 15.* Sanchez *loc. cit. n. 29.*

### Dvbitatio I.

III. *An liceat in qualibet materia consulere opinionem probabilem, relicta probabiliori?*

Dico tertiò, quicunque alius consultus extra confessionem licitè potest probabilem opinionem in omni materia amplecti, ac etiam aliis consulere, relicta probabiliori. Quia sicut opinio probabilis in specularius est, quam absque deceptionis & erroris periculo amplecti licet, ita in moralibus opinio probabilis est, quam absque peccandi periculo sequi licet: tum, qvia cùm omnimoda de rebus certitudo haberi nequeat, ad eam Deus minimè nos obligat, sed ad operandum cum morali certitudine, qualis in opinione probabili reperitur. Ita Lopez 1. *part instruct. cap. 120.* quem sequitur Sanchez *loc. cit. n. 22.* Sayr. *lib. 1. clauis c. 6. n. 4.*

Neque hic taliter agens, seu consulens, se exponit periculo peccandi formaliter; itaut id peccatum illi

impute

imputetur, quia prudenter, & ratione probabili ductus operatur, sed materialiter, id est, admittendi id, quod à parte rei peccatum est, vt bene aduertit Sanchez *loc.cit.num.* 14.

### DVBITATIO II.

IV. *An liceat pœnitenti consulere diuersos DD. ad finem inueniendi aliquem iuxta mentem suam?*

Dico quartò, tutius est in conscientia pœnitens habens vsum & propositum varios DD. & Confessarios consulendi, donec aliquem ad libitum suum respondentem inueniat, dummodo animo firmo id faciat nihil mali efficiendi, nisi id solum, quod inuenerit sibi licere. quia vnicuique ius suum protegendi ius est, & ad id rationes quærendi. Ita Zumel 1.2. *quæst.* 76. *art.* 2. *disp.* 4. *ad finem.* quem sequitur Sanchez *loc.cit. c.9.n.*14.

### DVBITATIO III.

V. *An Confessarius possit absoluere pœnitentem habentem opinionem probabilem, quam tamen ipse iudicat falsam?*

Dico quintò, si Confessarius proprius, vel non proprius, falsam esse opinionem pœnitentis existimaret, si alias probabilis reputetur inter DD. probatæ authoritatis, potest licitè talem pœnitentem absoluere, quia cùm non teneatur pœnitens consilio Confessoris potius, quàm aliorum acquiescere, adhuc non deficit ei debita dispositio vt absoluatur. Ita bene Sotus *in* 4. *dist.* 18 *q.* 2. *art.* 5. *ad* 5. quem sequitur Sanchez *lib.* 1. *operis moralis, cap.* 9. *n.* 30.

Dico sextò, si pœnitens sit indoctus, nec instructus de probabilitate opinionis, quam sequitur, potest Confessarius informare illum de opinionis probabilitate, & sic eum absoluere. Probatur, quia Confessor tenetur ex officio bonum pœnitentis procurare, illique consulere, ipsum instruendo, vt bene Sanchez *lib.* 1. *operis moralis, c.* 9. *n.* 31.

VI. *Soluitur ratio partis negatiuæ.*

Nec obstat quod à principio adducitur in contrarium. Respondetur enim negando consequentiam, latum enim est discrimen inter iudicem fori externi, & interni: ille enim iudex est inter partes, & constituitur à Republ. vt secundùm acta allegata, & probata sententiam ferat, secundùm id, quod magis æquum reputat: at Confessarius, & Consultor est iudex in foro conscientiæ, quod iudicium non est inter partes, sed inter Deum, & hominem: quare satis est Confessario, & Doctori consulto efficere, vt in ordine ad Deum consulens rectè componatur; quod ambo præstant dum opinionem probabilem in consulendo sequuntur. Videatur Sanchez *loc.cit.n.*22.

---

## ARTICVLVS XXI.

## An absolutio sit à Confessario deneganda nolenti abstinere ab exactione debiti coniugalis tempore menstruorum?

### SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua suadetur.*
2. *Explicatur, an sit licitus coniugalis vsus tempore menstrui prater naturam, vel quando est naturale.*
3. *Quæsitum resoluitur.*
4. *Soluitur ratio partis affirmatiuæ.*

I. *Pars affirmatiua suadetur.*

Quia ideo fornicatio est mala intrinsecè, & lethaliter mala, quia est in damnum educationis prolis; ergo à fortiori concubitus tempore menstrui cum propria vxore, eadem malitia afficietur, cùm inferat damnum proli in se ipsa; ergo absoluendus non est uolens abstinere ab exactione, &c.

### DVBITATIO VNIC.

II. *An sit licitus coniugalis vsus tempore menstrui prater naturam, vel quando est naturale?*

Dico primò, si fluxus menstrui sit præter naturam, præter communem fœminarum consuetudinem continuò ex morbo aliquo consurgens, tunc licitus est coniugalis vsus: quia tunc nullum proli damnum imminet; fœmina enim eo morbo oppressa inepta est conceptioni. Ita optimè D.Th *in* 4. *dist.* 32. *q. vnica, art.* 2. Syl. *verb. debitum, q.* 6. *n.* 8.

Dico secundò, vbi menstruum est naturale, quod quibusdam fœminis tertio quoque mense accidit, communiter autem singulis mensibus aliis nunquam, tunc absoluè exigere debitum culpa solùm est venialis, quia in eo coitu est turpitudo, & indecentia, cùm immunda sit mulier, & aliqualiter inepta commodæ seminis retentioni, & receptioni. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 32 *q. vnica, art.* 2 *ad secundum.* Caiet. 2.2. *q.* 154 *art.* 1. *circa solutionem ad* 4. *verf. ad* 3. Armilla *verb. matrimonium, num.* 68.

III. *Quæsitum resoluitur.*

Dico tertiò, qui, vel quæ coniux bono fine ducitur ad debitum exigendum, vt gratia vitandi in se, vel in altero fornicationem, vel ne sit illi odio, tunc tempore menstruorum exigere debitum nullum est peccatum, & sic absoluendus est si abstinere nolit à tali exactione. Quia hæ rationes præpondertant turpitudini & inhonestati illius coitus. Ita Nauarr. *summ. c.* 16. *n.* 32. *verf. septimò,* &c. quem sequitur Sanchez *lib.* 9. *de matr. disp.* 21. *n.* 7.

Dico quartò, reddere debitum tempore menstrui naturalis nullum est peccatum, quia coniux tenetur ex debito iustitiæ debitum reddere coniugale, nec est ratio sufficiens excusandi damnum prolis, quoniam vel nullum est, vel rarissimum, vel incertissimum: sic Syl. *verb. debitum q.* 6. ex D.Thom. *in* 4. *dist.* 32 *q. vnica, art.* 2. *quæstiunc.* 3. quos sequitur Sanchez *loc.cit.n.* 16.

IV. *Soluitur ratio partis affirmatiuæ.*

Nec obstat ratio in contrarium: quia fornicatio est intrinsecè & lethaliter mala, & iure diuino prohibita, quoniam qui talia agunt, inquit Apostolus ad *Galat. cap.* 5. scilicet loquens de fornicariis, Regnum Dei non consequentur, & quia iure naturæ illicita; fornicatio enim de se importat, vt bene obseruat Caiet. 2.2. *q.* 154. *art.* 2. seminationem deordinatam, quia scilicet fornicarius dat operam generationi, non secundùm quod expedit proli nascituræ. Cæterùm redditio & petitio debiti coniugalis non est intrinsecè malum lethale, neque ob damnum prolis inde consurgens, nisi fortè tantùm veniale ex parte petentis, vt diximus *dicto* 2. Non enim certum est fore, vt tunc coniux

coniux cuncipiat. Immo oppositnm est certius, fluxus eoim menstrui valde officit retentioni seminis in mattice, vbi conceptio est facienda. Tum, quia innumeri tempore menstrui coëunt, & tarissimè damnum in peole sequi experientia testatur, & esto damnum sequatur in prole, eius tamen incertitudo, & raritas excusat saltem à p.m. Ita D. Anton. 3. *part. tit.* 1. *cap.* 20. §. 5. *in fine.* Atmilla *verb. matrim.* 68. Imò, vt diximus, ex Nauarro *cap.* 16. *num.* 32. si bono fine ducitur coniux ad petendum, neque veniale committit. Saluo semper meliori iudicio.

## ARTICVLVS XXII.

### An quilibet Sacerdos absoluere possit ab omnibus censuris & casibus reseruatis captiuos Christi fideles apud Turcas commorantes, præcipuè veniente tempore Quadragesimali, si non adest proprius Confessarius, vel alius expositus ab aliquo Ordinario?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua suadetur.*
2. *Pars affirmatiua verior.*
3. *Rationi partis negatiue satisfit.*

I. *Pars negatiua suadetur.*

NAm priuilegium non est ampliandum, maximè in re tam periculosa; sed sacrum Concilium Tridentinum *sess.* 14. *de sacramente Pœnitentia, cap.* 7. *ad finem,* tantùm concedit, qoòd in articulo mortis quilibet Sacerdos potest absoluere quoslibet pœnitentes à quibusuis casibus, & censuris. ergo cùn captiui fideles apud Turcas commorantes non sint in articulo mortis constitui, non poterunt absolui à quolibet simplici Sacerdote, &c.

II. *Pars affirmatiua verior.*

Mitior, & magis pia mihi videtur, captiuos scilicet apud Turcas, seu infideles, si nulla sit spes habendi proptium Confessatium, posse tunc à quolibet simplici Sacerdote absolui, præcipuè tempote Quadragesimali, & Paschatis. Probatur, nam per mortis articulum, oon solùm intelligitur dom quis est in tali infirmitate, qua in extremis laborat, sed & quando est in aliquo statu & periculo in quo mori probabiliter timetur, qualis status est per multos annos detineri in vinculis apud infideles, vt tradunt Innocentius, & Hostiensis *cap. super, de sententia excom.* Syl. *verb. Absolutio* 1. *n.* 8. *vers. si quis timet hostem, vel crudelitatem potentis.* Nauarr. *in summa c.* 26. *n.* 31. ergo, &c.

Tum quia ille, qui pro tempore, quo est sub iugo & ditione Turcarum, non potest dici, quòd sit sine remedio salutis; sed sacramentum Pœnitentiæ est necessarium remedium babenti peccata actualia mortalia, vt quo ex attrito fiat peccator contritus, & ad hoc Sacramentom caret protsus ministro, seu Sacerdote proprio; ergo poterit eligete sic degens apud infideles extraotdinarium, & illum, qui à iure constitutus est necessitatis minister, qualis est quilibet Sacerdos. arg. *cap. is qui, de sepult. in* 6.

Tum, qnia propter locotum maximam distantiam permittuntur quæ aliàs sunt probibita, *l. heres absens, ff. de iud.* ergo in casu nostro cùm detenti apud infideles disteut longissimè à propriis Sacerdotibus, hæc distantia operabitur, vt simplex Sacerdos, qni non habet actu super aliquem iurisdictionem, in foro conscientiæ illam babeat. Videatur *cap. cùm longè, dist.* 63. *cap. si quis incognitus* 17. *q.* 2.

Tum quia Sacerdos ex charactere sacerdotali habet claues, & potestatem ligandi, atque solueudi, seu iurisdictionem in habitu, & hanc in actu, seu quoad exercitium Pontifex restrinxit & coarctauit, per subtractionem subditorum, seu materiæ, subiiciendo pœnitentes Episcopis, & Parochis. ergo illis, quibus nullus omnino ad Episcopos & Parochos est aditus, præsomi iure potest, velle Matrem Ecclesiam ab alienis, seu simplicibus Sacerdotibus impendi posse beneficium absolutionis; ne pro fide Christi in corpore afflictis deessent animæ solatia, & peccatotum remedia. Ita bene Beia *part.* 3. *casuum, casu* 2. *vers. Tandem Mater Ecclesia.*

III. *Rationi partis negatiua satisfit.*

Ad rationem pro parte negatiua respoudetur quòd iura pro eodem reputant articulum, & periculum mortis, & probatnr optimè ex *c. si quis suademe* 17. *q.* 4. vbi posita reseruatione casus percussionis Cletici, excipitur periculum mortis; & *in cap. non dubium, de sent. excomm.* facta mentione illius exceptionis dicitur esse in articulo mortis; ergo hæc duo iura pro eodem reputant articolom & periculum mortis. Quod apertè etiam significatur *in c. eos qui, de sement. excom. in* 6. nam in eodem contextu nunc periculum, nunc articulus mortis appellatur. Cùm ergo sacrum Concilium Tridentinum concedat omnibus Sacerdotibus in articulo mortis posse quoslibet pœnitentes à quibusuis censuris & peccatis absoluere, rectè, & secundùm ius talis concessio extenditnr ad periculum mortis, præsertim cùm fauores sint ampliandi; poterunt ergu captiui apud Turcas degentes, cùm sint in continuo morali periculo mortis, propter crudelitatem infidelium absolui à quouis simplici Sacerdote, si nulla sit spes probabilis habendi proprium Confessorem: saluo semper meliori iudicio.

## ARTICVLVS XXIII.

### An absolui possint viarores, & peregrini à casibus reseruatis in propria illorum diœcesi ab ordinariis Confessariis diœcesis alienæ, in qua iter agentes reperiuntur?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur, an viatoribus sit necessaria licentia Parochi proprij vt possint in aliena diœcesi confiteri.*
3. *Dubitatio resoluitur.*
4. *An viatores incidentes in aliena diœcesi in casus ibi reseruates, non in sua, possint à quolibet Confessario absolui.*
5. *Soluitur ratio partis negatiue.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm omnes fideles teuentur confiteri proprio Sacerdoti, vel alteri de illius licentia, itaut aliàs confessio sit nulla, ita habetur determinatum in Concilio Florentino *tract. de Sacramentis, & in cap. si Episcopus, de pœnitentijs & remissionibus in* 6. ergo viatores, & peregrini, nisi habeant specialem licentiam, non possunt absoloi à reseruatis in proptia diœcesi ab ordinariis Confessariis diœcesis alienæ, in qua iter agentes versantur.

### Dubitatio I.

II. *An viatoribus sit necessaria licentia Parochi propry, vt possint in aliena diœcesi confiteri?*

Dico primò, mos erat antiquitus, vt viatores, & peregrini à suo Diœcesano facultatem impetrarét vbilibet confitendi. Ita refert Sotus *in 4. dist. 18. q. 4. art. 2, vers. similiter*, &c. Modò verò quamuis absque licentia proprij Sacerdotis viam fecerint, possunt confiteri, & absolui ab ordinario Confessario diœcesia alienæ, in qua iter agentes reperiuntur. Ita tenet Caiet. *verb. Absolutio 2.* §. 7. & dicit Eugenium IV. Summum Pontificem ita viuæ vocis oraculo expressisse, Toletus *lib. 3, summa c. 13. n. 7. vers. Tertius casus.*

Et licèt Caiet. hanc facultatem concessam viatoribus & peregrinis confitendi in aliena diœcesi restringat ad tempus solum quando est necessaria confessio in Paschate, & in articulo mortis; sed restrictionis causam non video, ait Sotus *loc. cit.* Vnde ad libitum poterunt illa vti omni tempote: dummodo non in fraudem, & malitiosè hoc facerent in præiudicium proprij Sacerdotis. Ita Syl. *verb. Confessor. 1. q. 11.* & sacra Congregatio super Conc. Trid. ita fertur determinasse.

III. *Dubitatio resoluitur.*

Dico secundò, viatores, & peregrini bona fide iter agentes habentes casus reseruatos in propria diœcesi, possunt absolui ab ordinariis Confessoribus diœcesis in qua versantur, si aliàs non sint etiam reseruati per Episcopum loci illius in quo morantur, quia tales viatores & peregrini sunt iudicandi vt incolæ illius diœcesis, & iuxta forum eius. Ita censet Caiet. *verb. Absolutio 2.* D. Ant. *3. part. tit. 17. c. 4.* Toletus *loc. cit.* quos sequitur Suarez *tom. 4. in 3. part. disp. 30. sect. 1. n. 6.*

Dico tertiò, si peccata sint reseruata in illo Episcopatu, in quo pœnitens viator & peregrinus confitetur, non autem in suo: tunc talis pœnitens cùm iudicetur vt subditus, & incola illius loci in quo versatur, non poterit absolui à Confessariis ordinariis, qui aliàs non habent facultatem circa reseruata. Oportet igitur, vt ab Episcopo loci, vel ab habente illius facultatem absoluantur; quia iuxta modum & iurisdictionem ibi concessam debet talis viator & peregrinus iudicari: tum, quia talis persona potest absolui à quocunque Confessore de peccatis reseruatis à suo Episcopo, si ibi reseruata non sint; ergo è conuerso à peccatis ibi reseruatis non poterit ab eisdem absolui, etiamsi reseruata non sint à suo Episcopo. Ita bene censet Sotus *in 4. dist. 18. q. 4. art. 2. vers. est hic tamen*, quem sequitur Suarez *loc. nuper allegato ad finem.*

### Dubitatio II.

IV. *An viatores incidentes in aliena diœcesi in casus ibi reseruatos, non in sua, possunt à quolibet Confessario absolui?*

Dico quartò, viatorea, & peregrini qui dum se inueniunt in aliena diœcesi, incurrunt in casus ibi reseruatos, licèt non sint reseruati in sua propria diœcesi, non possunt ibi absolui ab ordinariis Confessariis, sed ab Episcopo loci, vel ab habente illius facultatem super reseruata: quia quoad casus reseruatos viatores, & peregrini subduntur legibus eius diœcesis, cui applicuerunt tanquam adepti incolatum quoad sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ. Ita bene Sotus *loc. nuper allegato.*

Qoamuis Medina *in sua instruct. lib. 1. §. 3. de casibus reseruatis*, Lopez *tom. 2. sui instruct. fol. 751. col. 2. mihi*, cēseant viatores, & peregrinos non incurrere reseruationem illorum casuum, quoniam qui sunt de aliena prouincia, regulariter ignorant istam reseruationem casuum illius diœcesis: sed contrarium ptobabilius.

V. *Soluitur ratio partis negatiuæ.*

Ad rationem partis negatiuæ quatenus pugnat contra primum dictum, respondetur, quòd licèt omnes fideles teneantur regulariter confiteri proprio Sacerdoti, vel alteri de illius licentia: tamen ex concessione Eugenij IV. viatores & peregrini possunt confiteri ordinariis Confessoribus illius diœcesis, in qua tunc reperiuntur: quin quicunque extranei sunt, vt incolæ, & subditi Episcopi, in cuius diœcesi reperiuntur, censentur quoad sacramenta Confessionis & Eucharistiæ recipiendi, vt bene docet Sanchez *lib. 2. oper. mor. c. 11. n. 9.* Saluo semper meliori iudicio.

---

## Articulus XXIV.

## An absolui possint viatores, peregrini, scholastici, mercarores propriam habentes diœcesim, à casibus Papalibus ex decreto Concilij Trid. *sess. 24. cap. 6. de reform.* concessis Episcopis ab Episcopo alienæ diœcesis in qua tunc versantur?

### *Summarium.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas dilucidatur, explicando, quid in illo decreto Concily intelligatur nomine subditorum.*
3. *Dubitatio resoluitur.*
4. *An Episcopus possit dispensare in votis, & irregularitatibus cum illis, qui maiori anni parte in aliena diœcesi commorantur.*
5. *Quantùmnam temporis requiratur, vt quis habitet in vna diœcesi vt possit ab Episcopo recipere Ordines: vel in vna Parochia, vt possit cōiungi matrimonio.*
6. *Soluitur ratio in contrarium.*

I. *Pars negatiua probatur.*

Qvia isti non videntur subditi Episcopo illius diœcesis in qua ad breue tempus commorantur: ergo cùm concessio Conc. Trid. facta Episcopis sit in fauorem subditorū, non poterunt subditos absoluere.

II. *Veritas dilucidatur, & explicatur*

### Dubitatio I.

*Quid in illo decreto Concilij intelligatur nomine subditorum?*

Dico primò, nomine subditorum in prædicto Tridentini decreto comprehenduntur vagabundi: qoia cùm nullibi firmum domicilium habeant, subduntur Episcopo in cuius diœcesi reperiuntur, vt bene docet Syl. *verb. Confessio 1. q. 1. & 6* quem sequitur Sanch. *lib. 2. oper. mor. c. 11. n. 8.* Suarez *tom. 4. in 3. part. disp. 30. sect. 2. n. 3.* ergo hi poterunt absolui à casibus, &c.

III. *Dubitatio resoluitur.*

Dico secundò, viatores, peregrini, scholastici, mercatores propriam diœcesim habentes, possunt absolui à casibus in eo decreto contentis ab Episcopo alienæ diœcesis

diœcesis, in qua tunc reperiuntur, etiamsi ad breue tempus in suam diœcesim sint redituri, nec exigitur vt in ea diœcesi maiori anni parte sint moram tracturi: quia pro tunc sunt subditi in foro conscientiæ, & ex consuetudine, seu interpretatiua voluntate suorum Prælatorum se habent, vt incolæ illius diœcesis. Ita bene Sanchez *loc.cit.n.9.*

### Dubitatio II.

IV. *An Episcopus possit dispensare in votis & irregularitatibus, cum illis qui maiori anni parte in diœcesi aliena commorantur?*

Dico tertiò, potest Episcopus virtute Concilij Tridentini eum scholasticis, mercatoribus, & aliis, qui maiori anni parte in sua diœcesi inhabitant, licèt perpetuum domicilium habeant in aliena, dispensare in votis, & irregularitatibus, & coniungere eos matrimonio, nec opus est expectare, vt maiori anni parte hi in sua diœcesi habitarint, sed statim, ac animum habitandi maiori anni parte habuerint: quia hi efficiuntur Parochiani suæ diœcesis statim, ac habent animum habitandi in illa maiori anni parte. sic Syl. *verb. Domicilium, n.1.* Tabiena *excommunic.5.casu 11.q.4.num.5.* ergo poterit cum illis dispensare, tanquam cum suis subditis, & Parochianis. Ita docet Manuel Rodriquez *part.1.summæ c.55. n.5.* quem sequitur Sanchez *lib.3.de matrim.disp.23.n.13.*

Dico quartò, non potest tamen Episcopus cum viatoribus & peregrinis dispensare in votis, & irregularitatibus, quamuis possit illos absoluere à casibus in eo decreto Concilij Tridentini concessis. Quia quoad dispensationes tam in eo decreto, quàm in quocunque alio Episcopis concessas erga subditos, exigitur in aliis habitatio, aut saltim animus habitandi maiori anni parte in diœcesi, quia isti vt sic dicuntur in diœcesi habere quasi domicilium, etsi non perpetuum, & habentur tanquam Parochiani Ecclesiæ illius diœcesis, in qua habitant. Ita Syl. *verb.excom.7. casu 14.dub.1. n.31.* ergo cùm viatores, & peregrini non habeant animum ibi inhabitandi maiori anni parte, consequenter non acquirunt domicilium, nec poterit cum istis Episcopus dispensare in votis, & irregularitatibus. Videatur Suarez *tom.5.in 3.p.disp.41.sect.2.n.12.*

### Dubitatio III.

V. *Quantúmnam temporis requiratur vt quis habitet in vna diœcesi vt possit ab Episcopo recipere Ordines, vel in vna Parochia, vt possit coniungi matrimonio?*

Dico quintò, ad recipiendum sacramentum Ordinis ab ordinario Episcopo alicuius diœcesis non sufficit habere quasi domicilium, id est, habere animum in illa diœcesi habitandi maiori anni parte, sed requiritur simpliciter domicilium, id est, animus perpetuò ibi inhabitandi, quod est speciale in hoc Sacramento, *ex cap. cùm nullus, de temp ordinat. in 6.* Ita bene aduertit Sanchez *lib.3.de matrim.disp.23.n.12. vers. Tertiò probatur.*

Dico sextò, licèt Parochus & Episcopus degentes in sua Ecclesia parochiali possint coniungere matrimonio, si habitauerint ibi toto anno, vel maiori anni parte, vel habuerint animum ibi inhabitandi maiori parte anni; non tamen poterunt si ibi quasi ruri, vel causa recreationis aliquot diebus, vel mensibus habitauerint, redituri deinde ad solitum domicilium; quia degentes ruri non solent esse ibi maiori anni parte, neque etiam pro dimidia anni parte, sed tantùm per tres, aut quatuor menses. Vnde Rota *in nouissimis decisione 656.* definiuit tale matrimonium contractum coram Parocho rurali esse nullum: videatur Sanchez *lib.3.citato, de matrimonio, eodem n.12.*

VI. *Soluitur ratio in contrarium.*

Nec officit ratio à principio posita contra primũ & secundum dictum; dicimus enim quòd viatores peregrini, scholares & mercatores eo ipso quo subduntur Episcopo in cuius diœcesi reperiuntur, ex generali Ecclesiæ consuetudine, & interpretatiua propriorum Prælatorum voluntate, censentur subditi illius, quoad sacramenta Confessionis, & Eucharistiæ suscipienda, vt optimè aduertunt Doctores *suprà* citati.



## Articvlvs XXV.

An Capitulum absoluere & dispensare possit, Sede vacante, circa omnes casus occultos, nec deductos ad forum contentiosum, excepta irregularitate, ex homicidio voluntario, virtute concessionis Concilij Trident. *sess. 24. cap.6. de reformatione.*

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua suadetur.*
2. *Pars affirmatiua verior, & explicatur, quanam potestas Episcopi transeat ad Capitulũ Sede vacante.*
3. *Quid dicendum in hac difficultate de Abbatibus, & de Superioribus Religionum exemptarum, an illi scilicet habeant.*
4. *An hæc facultas competat Episcopis electis, & confirmatis, non tamen consecratis, & etiam Episcopis Titularibus.*
5. *Soluitur ratio partis negatiuæ.*

I. *Pars negatiua suadetur.*

Quia hæc facultas non competit Episcopis iure ordinario, sed iure speciali Concilij Tridentini *loco cit.* at quæ competunt Episcopis iure speciali, non transeunt in Capitulum, ergo, &c.

II. *Pars affirmatiua verior, & explicatur*

### Dubitatio I.

*Quanam potestas Episcopi transeat ad Capitulum Sede vacante.*

Dico primò, hanc facultatem transire in Capitulum Sede vacante veriùs dici potest: quia quamuis hæc potestas iure speciali Conc. Trid competat Episcopis, & Capitulum non succedat in his, quę competunt iure speciali delegato, seu ex commissione, secus si competunt de iure speciali ordinario: sed hæc potestas competit Episcopis iure ordinario speciali, quia potestas competens non personæ, sed dignitati, vel officio perpetuo, est ordinaria, vt docet bene Syl. *verb. Delegatus q.4. dicto 1.* Quem sequitur Sanchez *lib.2. de matr. disp.40.n.14.*

Tum, quia in eo decreto Conc. Trid. non dicitur vt id competat Episcopis tanquam delegatis Sedis Apostolicæ, in quo euentu licèt potestas competat officio in perpetuum, est delegata, vt communiter asserunt DD. cum gloss. *c. fin. de hæret.* Tum, quia

C 2 non

non asserit Conc. vt authoritate Apostolica dispensent Episcopi, quæ verba etiam denotant authoritatem delegatam: poterit ergo Capitulum Sede vacante exercere omnia, quæ in eo decreto competunt Episcopis, cùm in omnibus ferè vice Episcopi fungantur. Sic Aragon 2.2. *quæst.*88. *art.*12. *conclus.*5. Rodriquez *qq.regul.tom.*1.*q.*61.*art.*9. Sanch.*lib.*2.*oper.mor.c.*15.*n.*4.

## Dvbitatio II.

III. *Quid dicendum in hac difficultate de Abbatibus, & de Superioribus Religionum exemptarum, an illi scilicet habeant?*

Dico secundò, ea potestas competit Abbatibus & aliis Prælatis habentibus iurisdictionem Episcopalem, & Diœcesim nulli Episcopo subiectam: quia hi in sua Diœcesi plenam Episcoporum iurisdictionem habent, & ab illis sola consecratione differunt, & Confessarios pro suis Diœcesibus approbant; cùm tamen id esse Episcoporum statuatur in Concilio Trid. *sess.*23.*c.*15.*de reform.* Hanc sententiam tenent Rodriquez *summa part.*2.*c.*10.*n.*6. Sayr.*lib.*6.*clauis,c.*11.*n.*83. *fine.* Sanchez *lib.*8.*de matrim.disp.*2.*num.*12. Quamuis Suarez *tom.*4.*in* 3.*part. disp.*30. *sect.*2. *num.* 6. & alij negent.

Dico tertiò, ea potestas Conc.Trid.*sess.*24. *cap.*6. *de reformatione*, competit Superioribus, etiam localibus, seu Conuentualibus Religionum exemptarum, tum ex vi prædicti decreti Tridentini, quia hi Prælati in eo decreto nomine Episcoporum comprehenduntur, quoniam hi Prælati funguntur iurisdictione quasi Episcopali in suos subditos Religiosos, vt probat Sanchez *lib.*8.*de matr.disp.*3.*n.*9. & ita hanc sententiam tenet apertè Rodriquez *qq.regul.tom.*1. *q.*61.*art* 9. quam Sanchex *lib.*2.*oper.mor.cap.*11.*num.*7.*in princ.& lib.*8 *de matr.disp.*2.*n.*13. non reputat improbabilem: tum, quia concessio decreti Concil. Trid. ex speciali priuilegio Pij V. extenditur ad Prælatos etiam locales Religionum exemptarum in suos subditos Regulares: verba priuilegij Pij V. refert Rodriquez *loc. cit.* videatur etiam Sanchex *lib.*8.*cit.n.*13.

## Dvbitatio III.

IV. *An hac facultas competat Episcopis electis, & confirmatis, non tamen consecratis? & etiam Episcopis Titularibus?*

Dico quartò, ad maiorem explicationem ea facultas Conc. Trid. competit etiam Episcopis electis, & confirmatis, licèt nondum consecratis. Quia iuxta omnes, illis competunt ea, quæ sunt iurisdictionis, quale est hoc. Ita Rodriquez *loc. cit.* & Sanchez *lib.* 8. nuper adducto: Episcopi verò Titulares, qui carent Diœcesi, & subditis, non habent hanc facultatem, quia hæc facultas Episcopis non conceditur respectu omnium fidelium, sed respectu subditorum in propria Diœcesi. Videatur etiam Suarex *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.*41. *sect.*2.*num.*7.

V. *Soluitur ratio partis negatiuæ.*

Nec obstat ratio in contrarium à principio adducta primo nostro dicto. Quia potestas competens Episcopis iure ordinario speciali transit in Capitulum Sede Vacante Episcopali, vt diximus. Nec eligitur à Concil. Trid. industria personæ Episcopi, & si qua industria eligitur, est Episcopi, vel habentis iurisdictionem Episcopalem. Id enim nomine Episcopi in Conc. Trid. intelligitur. Ita Petrus de Ledesma *tom.*2.*summæ,tract.*1.*cap.*6.*post* 20.*conclusionem, difficult.*5. Sanchez *lib.*2.*oper.mor.c.*11.*n.*4. Tum, quia potestas in corpore iuris clausa est fauorabilis, & latè interpretanda, qualis est hæc de qua loquimur; Tridentinum enim Concilium ius commune constituit. Sanchez *lib.*8.*de matr.disp.*2.*n.*11.*in fine.*

---

## Articvlvs XXVI.

## An absoluendi & dispensandi facultas circa casus Papales occultos concessa Episcopis, & habentibus quasi iurisdictionem Episcopalem, vi Concilij Tridentini *sess.*24.*cap.*6.*de reform.* sit delegabilis?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua suadetur.*
2. *Veritas aperitur, explicando, quidnam requiratur, vt quis possit suam delegare authoritatem.*
3. *Dubitatio resoluitur.*
4. *An Prælati Religionum exemptarum possint suam iurisdictionem circa casus Papales occultos alijs delegare.*
5. *Ad rationem in contrarium respondetur.*

I. *Pars negatiua suadetur.*

Ex *cap. vltimo*, §. *finali, de officio deleg.* ibi, *nulli cui commissum fuerit excommunicare, vel absoluere aliquos, dispensare cum irregularibus, liceat hæc alijs demandare, quia non sibi iurisdictio, sed certum ministerium potiùs committitur.* ergo, &c. cùm hæc facultas absoluendi & dispensandi circa casus Papales committatur Episcopis, & habentibus quasi iurisdictionem Episcopalem, non poterunt hanc aliis delegare.

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

## Dvbitatio I.

*Quidnam requiratur vt quis possit suam delegare authoritatem?*

Dico primò, cum Nauarro *tom.*2. *consil.lib.*5. *de priuilegijs, consil.*11.*num.*4.*ad finem,fol.*419.*mihi*, quòd potestatem habens in aliquibus casibus, si ea sibi competit ex officio, siue ex priuilegio perpetuo suæ dignitati annexo, potest hanc facultatem alteri committere, quia ad libitum poterit hoc, vel illo modo, hac, vel illa pœnitentia imposita absoluere. Quòd si ei competat ex delegatione, tunc nudum tantùm ministerium potest alteri committere; itaut mandans priùs de omnibus informatus mandatario committat, vt talem hoc modo hácque imposita pœnitentia absoluat, mandatariúsque nulla in re suo vtatur arbitrio, sed sola sibi iniuncta exequatur.

III. *Dubitatio resoluitur.*

Dico secundò, posse Episcopos generaliter delegare hanc facultatem sibi concessam in decreto Conc. Trid. generaliter Vicario, vel alij, vt habeant facultatem generalem absoluendi & dispensandi pro suo libito. Probatur, quia iurisdictio ex Principis priuilegio competens non personæ, sed perpetuò dignitati, vel officio, non est delegata, sed ordinaria, vt docet Syl. *verb. Delegatus, quæst.* 4. *dicto* 1. Sed hæc facultas competit Episcopis ex priuilegio perpetuo. ergo, &c. Tum, quia hæc commissio perpetua

facit

facit Ordinarium; cùm ergo hæc facultas competat perpetuò Episcopis, poterit delegari. Ita Syl. *verb. Absolutio 4.quæst.2.§.6.* Sanchez *lib.2.de matr.disp.40.n.17.*

Sed vrgebis: nam Concilium Tridentinum concedens Episcopis casus Pontificis occultos explicat, quòd possint hanc concessionem exercere per se, vel per Vicarium ad hoc specialiter deputatum. ergo non possunt generaliter hanc facultatem delegare. Respondetur cum Nauarro *loco cit.* Concilium Tridentinum intelligendum esse, quòd Vicarius Episcopi non habet ex generali commissione vicariatus hos casus, nisi sibi specialiter committantur: non autem vult Concilium negare Episcopis hanc potestatem generaliter delegandi.

### DVBITATIO II.

**IV.** *An Prælati Religionum exemptarum possint suam iurisdictionem circa casus Papales occultos alijs delegare?*

Dico tertiò, Prælati Religionum exemptarum, qui gaudent eadem facultate, ac Episcopi circa casus Papales occultos, illam generaliter aliis delegare possunt: quia, vt tenet Rodriquez *tom.1. qq. regul. q. 61. art.9.* Prælatis Regularibus competit eadem facultas, non ex vi solius priuilegij Pij V. cuius verba refert Rodriquez *eodem loco*, sed etiam ex vi prædicti decreti Tridentini, atque ita Prælatos hos nomine Episcoporum comprehendi, & cùm Episcopi, vt diximus dicto præcedenti, possunt facultatem Concilij Tridentini sibi concessam generaliter delegare, poterunt etiam prædicti Prælati Religionum exemptarum generaliter illam delegare in fauorem suorum subditorum.

Dico quartò, verius tamen & probabilius censeo cum Sanchez *lib.2.oper.mor.c.11.n.7.* Suarez *tom.4.in 3. part.disp.30. sect.2. n.7.* Prælatos exemptos Regulares non habere facultatem circa casus Papales vi Concilij Tridentini, sed tantùm ex speciali priuilegio Pij V. Et ratio est, quia ex tenore decreti Concilij Tridentini constat nomine Episcoporum non intelligi in eo qualiscumque habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, sed solos eam habentes in aliqua Diœcesi sibi subdita: vt patet ex Trid. *eodem cap. 6.* ibi, *Quoscumque sibi subditos in Diœcesi sua*, &c. & consequenter non poterunt Prælati Religionum exemptarum generaliter hanc facultatem delegare, sed tantùm specialiter nudum ministerium aliis committere: quia in concessione Pij V. habetur quòd per se ipsos possint absoluere & dispensare suos subditos in casibus Papalibus occultis. Videatur Sanchez *lib. 6. oper.mor.c.15.n.18.* Nauarr. *tom.2.consil.lib.5.de priuilegijs, consil.4. n.4.* Iuxta tamen sententiam Rodriquez possunt illam generaliter delegare, vt diximus *dicto 3.* præcedenti.

**V.** *Ad rationem in contrarium respondetur.*

Ad rationem pro parte negatiua, quatenus militat contra secundum & tertium dictum; respondetur concedendo antecedens, quòd scilicet facultas absoluendi, & dispensandi, quæ competit Episcopis ex mera commissione, non possit generaliter delegari. Cæterùm potestas absoluendi, & dispensandi, quæ perpetuò competit dignitati Episcopali, vel alicui officio, potest generaliter delegari. Quia commissio perpetua facit Ordinarium, vt docet Syl. *verb. Absolutio 4. q.2.§ 6.* Saluo semper meliori iudicio. Cùm ergo potestas absoluendi, & dispensandi circa casus Papales concessa Episcopis in Concilio Tridentino sit perpetua, perpetuò dignitati, & officio Episcopali competens, poterit generaliter delegari. Ita bene Sanchez *lib.2.de matr.disp.40.n.17.vers.Sed dicendum.*

## ARTICVLVS XXVII.

## An absoluere possint Episcopi Religiosos exemptos à casibus Papalibus sibi concessis vi Concilij Tridentini, & cum illis dispensare in irregularitatibus, si ex sui Prælati licentia eisdem subiiciantur?

### SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua suadetur.*
2. *Explicatur, an Religiosus exemptus possit se ipsum subycere Episcopo, pro absolutione, vel dispensatione.*
3. *Dubitatio resoluitur.*
4. *An Prælatus Regularis possit se ipsum subijcere Episcopo, vt ab illo absoluatur, &c. &, An Episcopus possit sibi eligere pro Confessario Sacerdotem non approbatum.*
5. *Quidnam requiratur, vt Episcopus possit absoluere, vel dispensare cum Religioso exempto.*
6. *Soluitur ratio partis negatiua.*

**I.** *Pars negatiua suadetur.*

Quia in exemptione non solius exempti fauor est, sed etiam Superioris, id est, summi Pontificis eximentis, per quam exemptos sibi subiecit. ergo absque licentia Papæ non poterit Prælatus Religionis subiicere exemptos Religiosus, vt ab Episcopis absoluantur. At Episcopus nequit absolutionis, aut dispensationis beneficio vti, nisi in subditos. ergo, &c. Ita tenent expresse Ioannes Andreas regula, *Scienti*, in quæstione quam ibi de hoc mouet, *n.7. vers. soluit pro hac parte, de regulis iuris in 6.* & *ibi* Francus *n. 4.* Antonius *c.significasti, n.12.de foro competenti*, & *ibi* Abbas *n.1.*

### DVBITATIO I.

**II.** *An Religiosus exemptus possit se ipsum subijcere Episcopo pro absolutione, vel dispensatione?*

Dico primò, primatum Religiosum exemptum, manifestum est non posse absque licentia Superiorum se Episcopo subiicere, vt ab illo absoluatur, vel cum eo dispenset in casibus, in quibus Episcopus hæc potest cum suis subditis. Quia hoc exemptionis beneficium non est personale, sed totius Religionis. non ergo priuati Religiosi consensus sufficit ad cedendum illi. Ita bene Tabiena. *verb. Exemptus q.6.n.7.* quem sequitur Sanchez *lib.4.oper.mor.c.39.n.29.*

**III.** *Dubitatio resoluitur.*

Dico secundò, Religiosi exempti ex Superiorum licentia in casibus in quibus ipsi Prælati exempti valent dispensare, aut ab eis absoluere, possunt subiici non solo Episcopo, sed etiam cuicunque capaci potestatis absoluendi & dispensandi. Quia tunc iste cui subiicitur Religiosus exemptus, de licentia sui Superioris tanquam delegatus à Superiore, & eius vices gerens absoluit, & dispensat, & sic nulla est opus concessione exemptionis. Ita tanquam notum affirmat Molina *lib.4.de iust.disp.61.num.3.* Sanchez *lib. 4. oper. moral.cap.39.num.28.*

Dico tertiò, probabiliter Religiosus exemptus ex sui Superioris licentia potest subiici Episcopo, & cedere priuilegio exemptionis, vt ab eo absoluatur, & cum eo dispenser in casibus in quibus potest ipse Prælatus. Ita Syl. *verb. Absolutio 5.n.2.* dicens de æquitate hanc opinionem esse veriorem, & renendam, etiamsi attento iuris rigore contraria sit verior, quem sequitur Suarez *tom.4. in 3. part. disp. 30. sect.2.n.3.* aitque ita praxi receptum esse, Rodriquez *tom.1. in summ. c.131. num.2.* Sanchez *loc.cit.n.32.* Quoniam per Epiikeiam non est censendum voluntatem summi Pontificis, & Religionis esse vt Episcopus in eo euentu non absoluat, & dispenser, & cogatur Religiusus vagari, & accedere ad Sedem Apostolicam gratia absolutionis impetrandæ.

## Dvbitatio II. & III.

IV. *An Prælatus Regularis possit se ipsum subÿcere Episcopo, vt ab illo absoluatur, &c. &, An Episcopus possit sibi eligere pro Confessario, Sacerdotem non approbatum?*

Dico quartò, Prælatus Religionum exemptarum, si Indiget Episcopi absolutione, aut dispeusatione, poterit semetipsum illius iurisdictioni subiicere, sicut potest suos subditos. Quia potest vti licentiis, quas subditis concedere potest, vt bene docet D. Anton. *p.2. tit.11. c.2. §.9. vers. Item non potest,* quem sequitur Suarez *tom.5. in 3. p. disp.41 sect.2.n.12.* Sanchez *lib.4. oper. mor. cap.39. num.37.*

Imò *cap. finale, de pœnit. & remiss.* concedit Prælatis exemptis etiam minoribus, vt etiam præter licentiam sui Superioris prouidum, & discretum sibi possint eligere Confessorem, cidémque committere, vt eos absoluat, & cum illis dispenset in his omnibus, in quibus ipsi cum suis subditis possunt: videatur Sanchez *lib.8. de matr. disp.3. & lib.4. oper. mor. c.37.n.42.*

Obseruandum tamen quòd Episcopi vigore priuilegij, de quo *in cap. fin. de pœnit. & rem.* non possunt sibi eligere in Confessarium Sacerdotem sibi non subditum, qui à proprio Ordinario non fuerit approbatus ad audiendas confessiones. Ita ex quadam responsione sacræ Congregationis Cardinalium habetur, & refert Suarez *tom.4. in 3. p. disp.28. sect.6.n.7.* Bonacina *tract. de Sacramentis tomo 1. disp.5. q.7. punct.4. §. Primum, n.16.* Ratio huius esse poterit, quia cligendo sibi Episcopus aliquem Sacerdotem in Confessarium, qui aliàs non est approbatus, approbat Sacerdotem ad audiendas confessiones; sed approbatio est actus iurisdictionis. Actus autem iurisdictionis exercetur à Superioro in subditum. ergo, &c. Sed hæc ratio, quæ est Patris Suarea loco nuperrimè adducto, *n.9. vers. Tertiò possumus,* non videtur probare intentum: nam Religiosi exempti non sunt subditi Episcopi, seu Ordinarij loci, & tamen approbatione illius audiunt confessiones subditorum sæcularium in illa Diœcesi, in qua sunt approbati. ergo actus approbationis alicuius Sacerdotis in Confessarium non debet necessariò exerceri à Superiore in subditum.

## Dvbitatio IV.

V. *Quidnam requiratur vt Episcopus possit absoluere, vel dispensare cum Religioso exempto?*

Dico quintò, vt possit Prælatus seipsum, aut Religiosum sibi subditum subiicere Episcopo, vt ipsum absoluat, sufficit quòd sit in Diœcesi Episcopi absoluentis per modum transitus; quoad dispensationem requiritur, quòd in Diœcesi Episcopi dispensantis commoretur, aut habeat animum in ea commorandi maiori anni parte: ita obseruat Sanchea *lib.4. oper. mor. c.39.n.39.* videatur idem *lib.2. oper. mor. cap.11.n.9. lib.3. de matr. disp.23.n.13.*

Dico sextò, si facultas absoluendi, aut dispensandi, quæ non est in immediato Religionis Prælato, esset in Prouinciali, aut alio Superiore Religionis, tunc Episcopus non posset absoluere Regularem exemptum, aut cum eo dispensare de consensu Superioris immediati, nisi accederet consensus illius Prouincialis, aut Superioris, sed remittendus esset Religiosus ad illum, vt per se ipsum absolueret, aut alteri vices suas committat; quia cùm in hoc casu pateat remedium intra Religionem, non censetur Religio velle consentire, vt extra illam remedium quæratur. Ita bene Molina *tom.4. de inst. disp.61.n.3.*

Dico septimò, in aliquo verò casu necessitatis sufficit consensus præsumptus illius mediati Superioris, vt possit immediatus illum Religiosum subiicere Episcopo, vt si Prælatus mediatus sit impeditus, quia est excommunicatus, denunciatus, aut obiit, aut longè abesset, nec esset alius vices eius gerens; quia per Epiikeiam in tali casu Religio videtur consentire: vt bene aduertit D. Anton. *3. part. tit. 24. cap. vltim. §. 1. vers. & nota quòd propter,* Syl. *verb. Apostata, quest. 8. num. 11. ad finem,* quos sequitur Sanchez *lib. 4. cit. num.35. & 38.*

VI. *Soluitur ratio partis negatiuæ.*

Nec obstat ratio in principio adducta contra tertium dictum, & sequentia, cùm enim exemptio sit inducta in fauorem, & pietatem Religiosorum, ne passim ab Ordinariis perturbentur obtenta Superioris, seu Religionis licentia, vt exempti subiiciant se Episcopis, tacita præsumitur Pontificis voluntas, vt exemptio in fauorem etiam ipsius eximentis non sit impedimento, vt Religiosi obtenta licentia suorum Superiorum se subiiciant Episcopis, &c. Videatur Sanchez *loc. cit. lib.4. oper. mor. n.40.*

---

## Articvlvs XXVIII.

### An absoluere possint Episcopi ab omnibus casibus occultis illis concessis virtute Concilij Tridentini *sess. 24. de Reform. cap. 6.* quos post Tridentini publicationem sibi Pontifex reseruat?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua suadetur.*
2. *Veritas demonstratur, & explicatur, quidnam requiratur ad derogationem Concilij generalis per reseruationem subsequentem.*
3. *Rationi partis negatiuæ respondetur.*

I. *Pars negatiua suadetur.*

QVia Concilium de præterito loquitur de casibus reseruatis, non tamen de casibus reseruandis. Tum, quia per reseruationem subsequutam derogatur Concilio. Ita Lælius Zechius *de casibus reseruatis, casu 10. num.1.*

II. *Veritas*

II. *Veritas demonstratur, & explicatur*

DVBITATIO VNIC.

*Quidnam requiratur ad derogationem Concilij generalis per reseruationem subsequentem?*

Dico tamen, non censetur derogatum decretis Concilij generalis Tridentini, vel alterius Concilij generalis per subsequentem Pontificiam reseruationem, nisi expressa mentio fiat, his verbis, Non obstāte aliqua lege, aut constitutione in Concilio generali edita, vt colligitur ex *cap. ex parte, & c. vltimo, de Capellis Monachorum*, & tenent Nauar. *summa c.* 27. *n.* 165. Viualdus *Candelabro* 3. *part. c.* 12. *num.* 14. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 30. *sect.* 2. *num.* 14. Sanchez *lib.* 3 *de matrim. disp.* 26. *num.* 7.

Ratio est, quia cùm decreta Concilij generalis matura deliberatione sancita sint, videntur continere vim clausulæ derogatoriæ ad alia decreta posteriora, nisi de illis specificam faciant mentionem; immò si Concilium generale sit modernum, quale est Tridentinum, oportet etiam illius mentionem facere, nec sufficiet generalis derogatio decretorum cuiusque Concilij, vt docet Henriquez *lib.* 7. *de Indulgentijs, c.* 26. *n.* 16. Viualdus, & Sanchez *locis citatis*. ergo Episcopi virtute Concilij Tridentini poterunt dispensare, & absoluere ab omnibus casibus occultis, etiamsi per subsequutam Pontificiam reseruationem reseruentur, nisi adsit clausula specifica derogans, &c.

III. *Rationi partis negatiuæ respondetur.*

Nec officit ratio in contrarium, quia ratio legis eadem est in casibus reseruatis, vel quocunque tempore reseruandis, quoniam reseruati dicuntur non respectu temporis, quo editum est Concilium, sed respectu temporis quo danda est absolutio. Ad secundum fundamentum patet ex dictis quid dicendum: videatur Suarez *loc. cit num.* 13.

II. *Pars affirmatiua probabilior, & explicatur*

DVBITATIO VNIC.

*Quidnam requiratur ad reuocationem priuilegij per modum contractus concessi?*

Pars verò affirmatiua est satis probabilis, quòd scilicet Confessarius virtute Bullæ Cruciatæ possit absoluere à casibus ibi concessis Anno Iubilei, quia non sufficit reuocatio generalis ad censendum reuocatum priuilegium per modum contractus concessum, sed opus est expressa mentione saltem generali cuiusuis indulti concessi per modum contractus, vt tenet Azebedo *lib.* 1. *Recopil. tit.* 3. *lib.* 14. *n.* 42. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 33. *n.* 8. Sed in Bulla suspensionis Anni Iubilei, Pontifices mentionem non faciunt facultatum per modum contractus concessarum. ergo facultas ibi concessa non suspenditur. Quia Bulla Cruciatæ est per modum contractus, quoniam eleemosyna contributa conceditur: ergo Confessarius poterit virtute illius absoluere ab omnibus casibus ibi concessis, etiam Anno Iubilei. Tum, quia non præsumitur reuocandi voluntas, quando ea tertij ius aufertur, vt latè probat Bolognetus *consil.* 2. *n.* 37. & ita hanc opinionem tuentur Henriquez *lib.* 7. *de Indulgentijs, c.* 21. *n.* 3. Manuel *in expositione Bullæ Cruciatæ*, §. 12. *n.* 13. Sanchez *loc. cit. n.* 10.

III. *Soluitur ratio partis negatiuæ.*

Nec officit ratio in contrarium, nam, vt diximus, in Bulla suspensionis Anni Iubilei Pontifices nullam mentionem faciunt facultatum per modum contractus concessatum, vt videri poterit: tum quia Pontifex cùm concedat Cruciatam octauo quoque anno, vt singulis illius spatij annis publicetur, noritque quodam ex illis anno incidere Iubileum plenissimum, censendum est mentem eius non fuisse suspendere Bullam, quippè aliàs frustranea esset concessio saltem pro illo anno: saluo semper meliori iudicio.

## ARTICVLVS XXIX.

### An Confessarius possit absoluere virtute Bullæ Cruciatæ à casibus ibi concessis Anno Iubilei?

SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua suadetur.*
2. *Pars affirmatiua probabilior, & explicatur, quidnam requiratur ad reuocationem priuilegij per modum contractus concessi.*
3. *Soluitur ratio partis negatiuæ.*

I. *Pars negatiua suadetur.*

NAm in Bulla suspensionis Anni Iubilei, suspenduntur omnes facultates personis singularibus concessæ, etiam ad instantiam Regum quomodocunque concessæ, & ex quibuscunque causis, & ita Bullam Cruciatæ suspendi, tenet Nauarr. *in Leuitico, notabili* 33. *num.* 3. *vers. Personis*. Quamuis ipsemet *notabili* 28. *n.* 20. fateatur non suspendi per Extrauagantem Sixti IV. in qua is Iubileus olim concedebatur, & ratio discriminis est, quòd ea Extrauagans soli communitati facultates concessas suspendat; cùm tamen Bullæ Cruciatæ singularibus personis concedatur. At Gregorius XIII. Clemens VIII. & Vrbanus VIII. qui proximos tres Iubileos concesserunt, suspenderunt quoque facultates personis singularibus concessas.

## ARTICVLVS XXX.

### An absolui possit à censura interdicti virtute Iubilei, vel Bullæ Cruciatæ, aliquis ex populo nominatim, & per cedulas declarato interdicto, si in Iubilei, vel Cruciatæ concessione prohibeatur, ne absoluantur nominatim interdicti, vel nominatim denunciati tales?

SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua suadetur.*
2. *Veritas demonstratur.*
3. *An quando in Iubileo, vel Bulla sit exemptio ne absoluantur excommunicati, vel interdicti ab homine, illi qui sunt generaliter excommunicati, possint absolui, præsertim si excommunicetur, vel interdicatur populus.*
4. *An interdicto populo, vel Clero, intelligantur interdicti singuli de populo, vel Clero.*
5. *Ratio in principio soluitur.*

I. *Pars negatiua suadetur.*

NAm facultas absoluendi à casibus reseruatis, & à censuris latis ab homine, cùm sit odiosa, &

damnum inferat Ordinariis reseruantibus sibi casus excommunicantibus, vel interdicentibus, in eorum fauorem videtur restringenda, per notata *cap. olim, de verborum significatione*, ergo populo declarato interdicto virtute Iubilei, vel Bullæ Cruciatæ, non poterit aliquis ex illo absolui, cùm hoc fieret in damnum Ordinarij.

II. *Veritas demonstratur.*

Dico primò, excommunicatus specialiter ab homine, etiam denunciatus, & percussor notorius Clerici, similiter specialiter interdicti ab homine, etiam denunciati post iustam satisfactionem possunt absolui quoad forum conscientiæ, si per Iubileum, & Bullam Cruciatæ datur potestas generalis indefinita absoluendi excommunicatos, & interdictos, &c. Quia potestas indefinita generalis concessa absque vlla exceptione æquipollet vniuersali, iuxta glossam solemnem *cap. vt circa, de electione 6.* Ita bene Nauarrus *tom. 2. consil. lib. 5. de sententia excommunic. consil. 47. num. 2.*

DVBITATIO I.

III. *An quando in Iubileo, vel Bulla sit exemptio ne absoluantur excommunicati, vel interdicti ab homine, illi qui sunt generaliter excommunicati, possint absolui, præsertim si excommunicetur, vel interdicatur populus?*

Dico secundò, si in Iubileo, siue in cōcessione Bullæ Cruciatæ fieret exceptio ne excommunicati, vel interdicti ab homine absoluantur: generaliter tamen excommunicati, vel interdicti ab homine, & nondum denunciati possent adhuc absolui virtute Iubilei, & Bullæ Cruciatæ. Quia excommunicatus, vel interdictus generaliter ab homine, & nondum denunciatus perinde potest absolui, ac excommunicatus à iure. Ita bene Nauarrus *loc. cit. num. 1. & in summa cap. 27. num. 44.*

Dico tertiò, interdicto populo, ac etiam denunciato, non ideo singuli censentur nominati interdicti, vel nominatim denunciati, poterunt ideo absolui aliqui ex populo nominatim, & per cedulones declarato interdicto, quamuis in Iubilei, vel Bullæ Cruciatæ concessione prohibeatur, ne absoluantur nominatim interdicti, vel nominatim denunciati tales. Probatur, quia sicuti interdicto Capitulo alicuius Cathedralis, ac etiam denunciato, non ideo singuli Canonici cēsentur nominatim interdicti, nec declarati, & denunciati, vt bene docet Nauarr. *tom. 2. consil. lib. 5. de pœnit. & remiss. consil. 23. num. 5.* Quia aliud est Capitulum, & aliud singuli de Capitulo. ergo similiter interdicto nominatim populo, & declarato per cedulones interdicto, non ideo singuli de populo sunt nominatim interdicti & declarati tales. ergo virtute Iubilei, vel Bullæ Cruciatæ quoad forum conscientiæ poterunt absolui singuli de populo nominatim interdicto, etsi in Iubileo, vel Bulla Cruciatæ fiat exceptio, quòd non absoluantur nominatim, & declarati interdicti: quia singuli de populo nominatim interdicto, & denunciato, non censentur nominatim interdicti, vel nominatim denunciati: quia aliud est populus, & aliud singuli de populo; sicuti aliud est Capitulum, & aliud singuli de Capitulo. Videatur Nauarrus *loco cit. in consilijs*, præcipuè *num. 6.*

DVBITATIO II.

IV. *An interdicto populo, vel Clero intelligantur interdicti singuli de populo, vel Clero?*

Dico quartò, consequenter interdicto populo, vel Clero nominatim, censentur interdicti singuli de populo, vel singuli de Clero, si Clerus nodatur interdicto, ex *cap. si sententia, de sent. excomm. in 6.* & sic non possent singuli de populo interdicto, vel singuli de Clero interdicto audire diuina, nec Ecclesiastica recipere Sacramenta, ex *eodem cap. si sententia, citato.* tamen possent singuli de populo nominatim interdicto, & singuli nominatim de Clero interdicto sepeliri in Sacro, dummodo locus interdictus non sit. Ita habet glossa *in Clement. eos qui, de sepult. verbo, nominatim.* Nauarr. *consil. 23. cit. num. 5.* Quia nemo tenetur euitare interdictos, nisi fuerint denunciati, per *Extrauagantem ad euitanda scandala*, Martini V. Cùm ergo singuli de populo nominatim, & denunciato interdicto, licèt sint singuli interdicti, non tamen sint nominatim, & denunciati interdicti, vt docet Nauarr. *consil. 23. num. 6.* poterunt in Sacro singuli sepeliri, dummodo locus interdictus non sit.

V. *Ratio in principio soluitur.*

Nec obstat ratio in contrarium à principio adducta, quia absolutio concessa virtute Iubilei, vel Bullæ Cruciatæ, non prodest pro foro exteriori, sed tantùm pro foro conscientiæ, & ita non infert damnum Ordinariis excommunicantibus, vel interdicentibus, quoniam illi non obstante absolutione possunt procedere contra interdictum, vel excommunicatum in foro exteriori, eodem modo, ac possent si ille in interiori non esset absolutus, videatur pro hac solutione Sanchez *lib. 6. oper. moral. cap. 17. num 43.* Saluo semper meliori, &c.

## ARTICVLVS XXXI.

## An Confessarius absoluere possit pœnitentem tacentem aliquod peccatum mortale, quod euidenter scit commisisse?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua suadetur.*
2. *Veritas demonstratur.*
3. *An Confessarius debeat absoluere, quando vidit pœnitentem peccantem, & ei euidens est mentiri contra integritatem confessionis.*
4. *Soluitur ratio in contrarium.*

I. *Pars affirmatiua suadetur.*

Quia iudici in foro exteriori fas est agere in iudicio contra id quod ipse priuatim extra iudicium certò nouit, quoniam commune bonum priuato præferri debet, vt docet *D. Th. 2. 2. q. 67. art. 2. & q. 64. art. 6. ad 3.* Caiet. *2. 2. q. 67. art. 2.* Syl. *verb Iudex 2. q. 5.* quos sequitur Azor. *1. part. lib. 2. c. 17. dub. 8.* ergo multo magis iudex fori interni, qui est Confessor, poterit pœnitentem absoluere.

II. *Veritas demonstratur.*

Dico primò, regulariter loquendo standum est confessioni, & dicto pœnitentis, vnde quantumcunque

que Confessor sciat peccatum pœnitentis ex aliorum relatione, tenetur in hoc iudicio magis credere pœnitenti neganti in confessione tale peccatum commisisse; quia probabiliter existimare potest pœnitentem esse alteri confessum illud peccatum, & credere tunc negare illud, quia non tenetur iterum illud confiteri: tum, quia iuxta communem regulam & doctrinam D.Thom. *quodl. 1. art. 12.* in foro externo iudiciali creditur homini contra se, sed non pro se: in foro autem pœnitentiæ creditur homini contra se, & pro se tum, quia in omni iudicio debet iudex iudicare secundùm allegata & probata, & non iuxta priuatam scientiam; sed allegatio, & probatio in foro pœnitentiæ consistit in dicto pœnitentis, ergo, &c.

### DVBITATIO VNIC.

III. *An Confessarius debeat absoluere, quando vidit pœnitentem peccantem, & ei euidens est mentiri contra integritatem confessionis?*

Dico secundò, si Confessor suis oculis vidit peccatum, & omnino sit ei euidens pœnitentem mentiri contra integritatem confessionis, non tenetur ita stare dictis pœnitentis, vt non possit vti scientia sua ad conuincendum & redarguendum ipsum pœnitentem, & tunc non debet illum absoluere. Quia quando Confessor euidenter videt pœnitentem indispositum, non debet illum absoluere, quidquid ille dicat. ergo similiter non debet illi beneficium absolutionis impendere, si videat illum euidenter non integrè confiteri, cùm integritas confessionis sit de iure diuino, & dimidiate culpabiliter, & per se confessionem sit maxima indispositio in sacramento Pœnitentiæ. Ita bene Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 32. sect. 2. num. 9.* Reginaldus *in compendiaria pœn. q. 14. p. 1. fol. 37.* Saluo, &c.

IV. *Soluitur ratio in contrarium.*

Nec officit ratio in contrarium, quia commune bonum priuato præferri debet. ergo ne populus in offensionem incurrat, iudici in foro externo iudiciali licebit secundùm veriorem sententiam contra id quod ipse priuatim extra iudicium certò nouit agere, & sic Titium condemnare criminis in iudicio conuictum. Cæterùm forum secretum pœnitentiæ ad bonum ipsius rei est ordinatum, & sic non tenetur Confessor stare dictis pœnitentis, cùm nouerit euidenter scientia sua priuata confessionem non esse integram, & sic denegare poterit, & debet beneficium absolutionis, cùm nullus ex hoc in offensionem incurrat, & sit potius in bonum ipsius pœnitentis, quàm in damnum. Saluo semper meliori, &c.

## ARTICVLVS XXXII.

An Confessarius absoluere possit pœnitentem, qui per ignorantiam est in statu de se malo, vt si inter virum & vxorem intercessisset impedimentum irritans matrimonium, quod ipsi inuincibiliter ignorant, & ideo bona fide debitum perunt & reddunt, an possit istos absoluere, vel debeat illos admonere?

### SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas demonstratur, & explicatur, an debeat fieri correctio, vel dari consilium, quando proficere non speratur.*
3. *An Confessarius interrogatus debeat veritatem aperire, licèt credat quod profutura non sit; & an Prædicator debeat publicè veritatem docere, quando in hoc præuidet scandalum alicuius priuati.*
4. *Soluitur ratio à principio.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

Videtur quòd Confessor possit hos pœnitentes absoluere, nec teneatur de nullitate matrimonij illos admonere. Probatur, quia nulli laqueum debemus inijcere. *c. de viduis el 2. 27. q. 1.* Sed non absoluere & admonere in hoc euentu pœnitentes, nihil aliud est quàm laqueum & offendiculum opponere: nam constituti in bono statu, & bona fide, Confessoris monitione in malo & periculoso versabuntur. Quia deinceps vxor, v.g. impedimenti facta conscia admonitione Confessoris tenetur potius mortem subire, quàm reddere debitum, & certè vir non credet impedimentum subesse, vel non poterit ipsa detegere ne famæ detrimentum patiatur, & inde rixæ, & scandala orientur: ergo ne laqueum, & offendiculum opponat Confessarius, poterit illos absoluere, nec tenetur illos admonere: sed relinquere illos in sua bona fide.

II. *Veritas demonstratur, & explicatur*

### DVBITATIO I.

*An debeat fieri correctio, vel dari consilium, quando proficere non speratur?*

Dico primò, si Confessor probabiliter credat suam admonitionem profuturam sine vllo scandalo, vel graui incommodo debet admonere pœnitentem, vt relinquat statum, qui materialiter est status peccati, quamuis excusetur per ignorantiam inuincibilem. Quia Confessor ratione officij subit vicem Pastoris, & Doctoris. ergo tenetur, si commodè potest, sine vllo scandalo, vel graui incommodo illuminare & admonere pœnitentem. Ita bene Sotus *in 4. dist. 18. q. 2. art. 4. circa finem*, quem sequuntur Suarez *tom. 4. in 3. part. disp. 32. sect. 4. num. 3.* Sanchez *lib. 3. de matr. disp. 38. num. 5.*

Dico secundò, quando Confessor non sperat fructum, vel quia probabiliter, & prudenter timet pœnitentem non effecturum, vel certè non posse sine graui scandalo & incommodo id efficere, de quo admonendos est, potest, & debet tacere, ac pœnitentem in sua bona fide relinquere, illum absoluendo: si aliàs integrè est confessus, quamuis materialiter sit in statu peccati: quia tunc pœnitens est bene dispositus, & per ignorantiam inuincibilem excusatur. ergo ex vi officij Confessoris absolui potest absque præuia admonitione de suo statu malo materiali: quia in eo casu esset admonitio contra charitatem; quoniam posset offerre magnum incommodum proximo sine vllo fructu: videatur *cap. si quis autem, de pœnit. dist. 7. & cap. quia circa, de consanguinit. & affinit.* Ita tenent Lopez *1. part. instruct. cap. 27. §. ad prudentiam quoque*, Sotus, *in 4. loco nuper allegato*, quos sequuntur Sanchez *num. 6. loc. adducto*, & alij DD.

Secunda hæc assertio habet verum, quamuis peccatum illud per ignorantiam inuincibilem excusatum, esset in detrimentum proximi, vt si quis exerceat vsuras laborans ignorantia inuincibili, & videat Confes-

sariua

sarius se monendo nihil profuturum, tenetur tacere. Quia nulli laqueum debemus iniicere, *cap. de viduis el 2. 27. quæst.* 1. sed admonere in hoc euentu nihil aliud quàm laqueum, & offendiculum opponere. Nam constitutus in bono statu & bona fide, Confessoris monitione in malo & periculoso versabitur. Ita Cano *relectione de pœnitentia, part. 5. §. Atque hic ego.* Henriquez *lib.6.de pœnitentia,c.27.n.4.* Sanchez nouissimè adductus *num.*10.

Dico tertiò, quamuis ignorantia pœnitentis inuincibilis quidem sit circa ius diuinum, & naturale, si probabiliter credat Confessarius consilium non profuturum, non tenetur admonere, quia nulla lex obligat ad actus inutiles, & ociosos. Ita censent Cano *relect.de pœnitentia,p.5.§. Atque hic.* Lopez & Sotus *loc. cit.* & Sanchez *num.* 9 *loc.adducto.*

Dico quartò, si ex ignorantia inuincibili pœnitentis timeatur malum boni communis, quamuis fructus in eo minimè speretur, tunc tenetur Confessarius eum admonere; quia bonum commune semper præferendum est bono priuato. Vt si esset Parochus, qui inuincibiliter habet errorem in fide, aut moribus, tunc tenetur Confessarius illum admonere; quidquid inde sequatur ne errore illo noceat bono communi ouium sibi commissarum. Sic Adrianus *quodl.* 5. *art.2. littera I,* Sanchez *loco citato num.* 15.

## Dubitatio II. & III.

III. *An Confessarius interrogatus, debeat veritatem aperire, licèt credat, quòd profutura non sit? &, An Prædicator debeat publicè veritatem dicere, quando in hoc præuidet scandalum alicuius priuati?*

Dico quintò, si pœnitens dubius de suo statu malo materialiter interrogaret Confessorem, vel virum doctum de illo suo statu, tunc tenetur veritatem aperire, quamuis profutura non sit, quia iam conscientia pœnitentis læsa est illo dubio, & taciturnitatem Confessoris, vel viri docti prudenter posset pœnitens in suum fauorem interpretari: sic Sotus, Lopez, Sanchez *num.*14 *loc.cit.* Manuel 1. *part summa cap.*62 *num.*13. Medina *lib.*1. *summa cap.*3. *regula* 2. *in fine.*

Dico sextò, Doctor publicus, siue concionatur tenetur publicè veritatem docere, licèt fructus alicuius priuati non speretur, sed scandalum, quia doctrina illa ad bonum publicum ordinatur; quare propter priuatum malum non est intermittenda: quòd si timeretur pusillorum in tota Repub. scandalum, in aliud tempus ea doctrina differenda esset. Ita bene obseruat Sotus *in 4.dist.* 18. *quæst.*2.*art.*4. *ad secundum.*

IV. *Soluitur ratio à principio.*

Nec officit ratio adducta à principio, quia probat secundum dictum nostrum: quia quando ignorantia est inuincibilis iuris humani diuini, & naturalis, aut facti absque boni communis præiudicio, non tenetur Confessarius admonere pœnitentem, quando nulla inde speratur vtilitas: vnde in sua bona fide est relinquendus, & licitè absolui potest, nec admonendus, ne constitutus in bono statu & bona fide Confessoris monitione in malo, & periculoso versetur. Salua semper meliori iudicio.

## Articulus XXXIII.

### An sit absoluendus coniux occultæ nullitatis matrimonij conscius, quia, v.g. priorem virum superstitem esse, vel præsentem esse sibi affinem, qui ad euitanda scandala, quæ ex separatione sequerentur, in eo matrimonio vult perseuerare, reddendo debitum alteri petenti inscio de nullitate?

*Summarium.*

1. *Pars affirmatiua suadetur.*
2. *Veritas aperitur, & explicatur, an conscius nullitatis matrimonij teneatur reddere debitum si excommunicetur, vel vitæ periculum subeat? & an iste esset verè excommunicatus, & an teneatur cohabitare cum alio.*
3. *Soluuntur argumenta, & explicatur, an præceptum Ecclesiæ possit facere licitum id quod est illicitum, præsertim ad vitandum maius malum.*

I. *Pars affirmatiua suadetur.*

Qvia licèt re vera matrimonium non sit ex parte vnius, ex parte tamen alterius matrimonium est, & copula est licita, excusante illum ignorantia inuincibili, & ius petendi habet. ergo alter conscius de nullitate matrimonij, non petens, sed reddens debitum, non peccabit, quia non consentit in opus peccati, sed in opus iustitiæ, ad quod tenetur. ergo si vult perseuerare in tali matrimonio, non petendo, sed solùm reddendo debitum, non potest ei denegari absolutio, maximè si compelleretur ab Ecclesia per excommunicationem ad cohabitandum cum suo viro, & mortem ex separatione sibi imminentem timeret. Hanc sententiam tenuit Magister *in 4. dist.* 38. *in fine,* & quidam alius Theologus tempore Soti, quam ipse tacito nomine refert *in 4. dist.* 28. *quæst.* 1. *art.*2. *ad tertium.*

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

## Dubitatio I. II. & III.

*An conscius nullitatis matrimonij teneatur reddere debitum si excommunicetur, vel vitæ periculum subeat? &, An iste esset verè excommunicatus? &, An teneatur cohabitare cum alio?*

Dico primò, coniux nullitatis matrimonij conscius ob impedimentum dirimens, siue diuino, siue humano iure in nullo euentu potest reddere debitum coniugi ignoranti, licèt excommunicetur ab Ecclesia, vitæque periculum subeat: & consequenter tanquam indispositus non est absoluendus si in eo matrimonio vult perseuerare reddendo tantùm debitum, licèt non petat.

Probatur, quia inde sequeretur fornicationem aliquando esse licitam, vt præcipiente Superiore, vel ad euitandum vitæ, vel famæ periculum, quod sanè dicere est erroneum. Sequela probatur, quia fornicatio est accessus ad non suam: sed coniux impedimenti dirimentis conscius certò scit non esse suam ad quam accedit. ergo certò scit se fornicari: si ergo licet accedere

accedere reddendo debitum, licebit etiam eo in casu fornicari; sed nemo est absoluendus qui vult perseuerare in eo statu, in quo certò scit se fornicari. ergo non potest absolui coniux certus de nullitate matrimonij, qui in eo vult perseuerare reddendo debitum, licèt non petat, etiamsi per excommunicationem ab Ecclesia compellatur, &c. Et ita hanc sententiam tenet D. Thom. *in 4. dist. 27. q. 1. art. 2. quæst. 4. in fine.* Sotus *in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. vers. Quo ergo.* Syl. *verb. matrim. 1. q. 15.* Armil. *verb. Debitum, in fine.* hos sequitur Sanchez *lib. 2. de matr. disp 39. n. 5.*

Dico secundò, is coniux impedimenti dirimentis conscius si ab Ecclesia excommunicetur, quia debitum negat, non est verè excommunicatus coram Deo: quia excommunicatio minimè incurritur nisi ob inobedientiam lethalem, quæ prorsus abest in hoc casu: tum, quia Ecclesiæ falsa præsumptione innitenti obedire non tenetur. Ita bene glossa *in cap. litteras, de restitut. spol. verb. Tolerare.* Victoria *summa de matrim. num. 264.*

Dico tertiò, tenebitur tamen is coniux de nullitate matrimonij conscius cessante incontinentiæ periculo cohabitare cum alio, non ratione præcepti, sed ratione scandali, si tale sequeretur non cohabitando, nec esset copia fugiendi in locum vbi cessaret, sic Petrus de Ledesma *de matr. quæst. 45. art. 4. dub. 2. ad tertium.*

III. *Soluuntur argumenta, & explicatur*

DVBITATIO IV.

*An præceptum Ecclesiæ possit facere licitum id quod est illicitum, præsertim ad vitandum maius malum?*

Ad argumentum primæ sententiæ respondetur negando antecedens, ex parte enim neutrius est verum matrimonium, nec habet coniux ignarus impedimenti verum ius petendi debitum, & ita si alter conscius de nullitate matrimonij consentiat, reddendo admittit id, quod à parte rei est peccatum, quamuis alter ratione ignorantiæ excusetur. Sanchez *loc. cit. num. 12.*

Sed vrget hoc argumentum, quia stat vt præceptum faciat licitum id quod ante præceptum illicitum erat, vt subditis non licet adire bellum de cuius iustitia dubitant ante Superioris præceptum, quo tamen imposito, licet, vt docet Palud. *in 4. dist. 36. q. 9. art. 3. in initio, num. 16.* ergo licèt coniux de nullitate matrimonij ante præceptum Ecclesiæ non possit accedere ad non suam reddendo debitum; licebit illi stante præcepto Ecclesiæ præcipientis sibi reddere debitum.

Respondetur quòd in his, quæ intrinsecè mala sunt, quale est accedere ad non suam, Ecclesiæ præceptum nihil potest facere licitum, quod antea illicitum erat, & ideo *cap. Inquisitioni, de sententia excomm.* definitur coniugem certum de impedimento dirimente non posse reddere debitum Ecclesia cogente, neque præceptum illud, de quo in argumento, facit licitum, quod antea ex se illicitum erat; sed præceptum Superioris in eo casu facit quiescere conscientiam subditi, qui præsumere debet meliùs Superiorem excussisse iustitiam belli: videatur Sanchez *lib. 2. de matr. disp. 41. n. 45. vers. Sed falluntur.*

Sed adhuc instes, ex duobus malis minus est eligendum, *cap. duo mala, dist. 13.* Sed minus malum est reddere debitum stante mandato Ecclesiæ, quàm id denegare, hoc enim est crimen inobedientiæ, illud autem est crimen fornicationis, quod est minus; ergo stante mandato Ecclesiæ poterit coniux conscius de nullitate matrimonij reddere debitum, quia minus peccatum in tali euentu desineret esse peccatum.

Respondetur quòd *cap. duo mala*, intelligi debet de malis pœnæ, vel si intelligitur de malis culpæ, non debet intelligi de his, quæ intrinsecè mala sunt, sed de his quæ mala sunt, quia prohibita, sic enim licitum est ad vitandam mortem, festum, aut ieiunium frangere; Ecclesia enim non tanto rigore obligat. Videatur Conradus *tom. 1. casuum, q. 1.* Sanchez *lib. 1. de matr. disp. 39. n. 12. vers. Ad quartum.*

Negamus etiam quòd minus peccatum ad euitandum maius desinat esse peccatum. Quia licèt hoc verum sit de peccatis, quæ talia sunt, quia prohibita: at de peccatis, quæ suapte natura talia & intrinsecè mala, vt est fornicatio, hoc dici nequit, vt bene obseruat Sanchez *n. 5. loc. cit. vers. Tertiò.*

Sed dices, quòd licèt fornicationem admittere sit intrinsecè malum, non tamen est id permittere, quod licitum est ad vitanda maiora mala, quo ratione meretrices permittuntur; ergo quamuis non liceat coniugi conscio de nullitate matrimonij petere debitum, quod est facere, licebit tamen permittere vt vir vtatur suo corpore, reddendo ei debitum ad maiora damna vitanda, puta mortem, vel infamiam.

Respondetur quòd permittere in alio malum, quando vitare non possumus, non est facere malum, sed licitum est ad vitandum maius malum: in se ipso autem permittere esset verè facere, & fornicari, quod nullo pacto est licitum. Ita bene aduertit Sotus in simili casu *lib. 6. de Iustitia quæst. 1. art. 5.* Sanchez *lib. 1. de matr. cit. disp 39. n. 12.*

---

ARTICVLVS XXXIV.

An sit absoluendus coniux qui bona fide iniens matrimonium, postea incipit de eius valore dubitare, si stante tali ambiguitate à petitione, & redditione debiti cessare non vult?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua suadetur.*
2. *Veritas demonstratur, & explicatur, An ante adhibitam diligentiam possit licitè reddere, & non petere, & post diligentiam petere, & reddere, si vnus, vel ambo coniuges dubitent de matrimony contracti validitate.*
3. *Soluitur ratio à principio, & explicatur, An liceret agere contra conscientiam dubiam.*

I. *Pars negatiua suadetur.*

QVòd non possit is nec reddere, nec petere, & consequenter quòd isti neganda sit absolutio si non vult cessare à petitione, & redditione debiti, probatur; quia agere contra conscientiam dubiam est illicitum; ergo dubitans de nullitate matrimonij petendo, & reddendo debitum, agit contra conscientiam dubiam; ergo illicitè operatur; ergo non est absoluendus, &c. Tum, quia exponit se manifesto fornicationis periculo, cùm fornicatio sit, si non sit sua vxor, ergo, &c. Huius sententiæ videtur esse Scotus *in 4. dist. 30. q. 1. §. Sed de facto*, & eam tenet Petrus de Soto *lectione 2. de matrimonio, paulo post principium.*

II. *Veritas*

II. *Veritas demonstratur, & explicatur*

DVBITATIO I.

*An ante adhibitam diligentiam possit licitè reddere, & non petere, & post diligentiam petere, & reddere, si vnus, vel ambo coniuges dubitent de validitate matrimonij contracti?*

Dico primò, dubitans de matrimonij valore bona fide contracti ante adhibitam diligentiam ad assequendam veritatem tenetur reddere, non tamen potest petere. Probatur primò ex *cap. inquisitioni, de sentent. excommun.* vbi expressè hoc diffinitur. Et prior pars probatur ratione, quia cùm alter bona fide possideat ius petendi, non debet iure suo spoliari, dum non constat matrimonium fuisse nullum. ergo licitè dubitans poterit reddere: ergo si reddat, non est neganda ei absolutio, dummodo non petat.

Posterior verò pars probatur: quia ante adhibitam diligentiam ad assequendam veritatem ex petitione debiti dubitandi de valore matrimonij imminet fornicationis periculum, si non sit verus coniux, ex non petitione autem nullum, cùm liberum sit petere. ergo tenetur eligere, non petere; ergo si vult petere, non est absoluendus cùm immineat periculum fornicationis. Hanc sententiam tenet Tabiena *matrimonium 4. q. 12. num. 13.* Bannes *2.2.q.62.art.6.dub.5.conclus.4.* quos sequitur Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 41. n. 40.*

Dico secundò, coniux dubitans de matrimonij valore bona fide contracti post adhibitam sufficientem diligentiam ad assequendam veritatem, licèt veritas non innotescat, potest etiam licitè petere. Probatur, quia præmissa sufficienti diligentia coniux dubitans habet inuincibilem ignorantiam de nullitate matrimonij; ergo petendo excusatur à culpa. Antecedens probatur, quia inuincibilis ignorantia est, quæ sufficienti diligentia vinci non potest, licèt veritas non innotescat. Hanc sententiam sustinet Sotus *in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. vers. Imò verò.* Lopez *cap. 1 instruct. c. 297. vers. Sed si inquirat.* Bannes *loc. cit.* quos sequitur Sanchez *loc. immediatè adducto.*

Dico tertiò, quando vterque coniux mala fide contraxit matrimonium, dubitans de eiusdem nullitate, certissimum est neutrum posse petere, nec licitè reddere. Quia neutri suffragatur possessio mala fide incepta. Tum, quia sine iure vero, vel præsumpto, non est possessio, sed iniusta detentio; possessio enim est rei cum bona fide detentio. ergo cùm mala fide contrahentes dubitantes de nullitate matrimonij non sint in possessione, sed in iniusta detentione, non sunt absoluendi, si nolint desistere à petitione & redditione. Sic Angles Floribus *1. part. de matrimon. q. 11. de imped. ordinis, art. 3. dub. 4.* Quamuis Bartholomæus à Ledesma *de matrim. dub. 20. concl. 1.* asserat neutrum posse petere, teneri autem reddere; sed probabiliùs Angles.

Dico quartò, quando alter solus coniux dubia fide contraxit, alter verò bona fide coniux, qui tali dubio & mala fide contraxit, nullo pacto petere potest, tenetur tamen reddere alteri bona fide possidenti: quia cùm alter bona fide possideat, non debet iure suo spoliari, dum non constat matrimonium fuisse nullum. Videatur *cap. dominus, de secundis nuptijs;* sic tenent Syl. *matrimonium 4. q. 9. dicto 3.* Armilla *eod. verbo num. 45.* Salon. *2. 2. q. 61 tract. de dom. q. 5. art. 6. ratione vltima, final. conclus.* hos sequitur Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 42. n. 2.*

Dico quintò, coniuges qui mala fide contraxerunt dubitantes de nullitate matrimonij, si postea subest rationabilis causa ad persuadendum matrimonium valere arbitrio viri prudentia: existente opinione probabili valoris matrimonij, potest vterque petere, & reddere, quamuis contrahendo lethaliter peccauerint. Quia in moralibus tutò possumus sententiam probabilem amplecti. Ita bene obseruat Enriquez *lib. 11. de matrim. cap. 11 num. 5. in fine.* Sanchez *disp. 41. cit. num. 9.*

III. *Soluitur ratio à principio, & explicatur*

DVBITATIO II.

*An liceat agere contra conscientiam dubiam?*

Ad rationem positam à principio, quatenus militat contra secundam & tertiam, respondetur distinguendo, antecedens agere contra conscientiam dubiam speculatiuè tantùm, & non practicè; nego antecedens esse illicitum: vel, quod idem est, agere contra conscientiam dubiam in actu signato, non autem in actu exercito, nego antecedens esse illicitum: agere verò contra conscientiam dubiam practicè, & in actu exercito, esse illicitum. Concedo antecedens, quia sic dubitans se exponit periculo peccandi. Dubitans igitur post contractum matrimonium de eiusdem nullitate speculatiuè, & in actu signato, non autem practicè, & in actu exercito, potest licitè reddere debitum ratione possessionis bona fide inceptæ, quæ est sufficiens ratio deponendi dubium speculatiuum; quia non reddit dubitando, sed credendo esse suam: vnde non peccat, nec se exponit periculo fornicationis cùm practicè non dubitet.

Et per hæc patet ad secundum fundamentum. Poterit igitur bona fide contrahens, si postea incipit dubitare de nullitate matrimonij, licitè reddere debitum, vt diximus *dicto 1.* & post adhibitam sufficientem diligentiam ad assequendam veritatem, licitè etiam petere, vt patet ex secundo dicto. Saluo semper meliori iudicio. Videatur pro hac solutione omnino Nauarr. *summ. cap. 22. num. 55.* Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 41. num. 53.*

ARTICVLVS XXXV.

An Episcopi absoluere possint virtute facultatis sibi concessæ in decreto Concilij Tridentini *sess. 24. cap. 6. de reform.* à casibus in Bulla Cœnæ Romano Pontifici reseruatis?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur, & explicatur.*
2. *Pars negatiua explicatur, præcipuè, an Episcopi possint absoluere ab hæresi occulta.*
3. *Resoluitur dubitatio.*

I. *Pars affirmatiua probatur, & explicatur.*

PRior sententia sustinet, eam facultatem Concilij Tridentini non esse reuocatam, & ita posse hodie Episcopos absoluere ab hæresi occulta, ac cæteris casibus Bullæ Cœnæ, & hoc idem similiter posse Prælatos regulares, etiam Conuentuales Religionum exemptarum, cùm Pius V. f. r. in quodam Motu proprio, cuius verba refert Rodriquez *tom. 1. qq regul. q. 61. art. 9.* concesserit illis quidquid Episcopis conceditur in prædicto Trident. decreto. Probatur hæc sententia, quia lex posterior generaliter, & indistinctè loquens,

loquens, limitanda est per specialem antiquiorem, si expressis verbis illi non contradicat. *l. sed & posteriores ff. de legibus*, ibi, *posteriores leges ad priores pertinent, nisi contrariæ sint*, & docet Nauarr. *summ. c. 27. num. 260.* Sed clausula Bullæ Cœnæ, quæ est lex posterior reseruans eorum casuum absolutionem, reuocánsque facultates absoluendi priùs concessas, potest intelligi per aliquam limitationem, intelligendo scilicet reuocari facultates, quæ concedunt absolutionem eorum casuum quando publici sunt; ergo virtute facultatis concessæ Episcopis in decreto Concilij Tridentini, poterunt hi absoluere à casibus Bullæ Cœnæ, dummodo sint occulti: & similiter Prælati Religionum exemptarum vi Motus proprij Pij V. Quia lex posterior generaliter & indistinctè loquens limitari potest per specialem antiquiorem, si expressis verbis illi non contradicat, quamuis in lege noua sit clausula, *non obstante lege contraria*, &c. Et ita hanc sententiam tenent Nauarr. *summ. c. 27. n. 260. fine, & lib. 5. consil. tit. de priuilegijs, tom. 2. consil. 11. q. 1. n. 1.* Bannes 2. 2. *q. 11. art. 4. dub. 2. post secundam conclusionem, arg. 3. vers. & si quis obijciat*, Viualdus *Candelabro sacram. part. 1. tract. de absolutione, num. 13.* & multi alij videndi apud Sanchez *lib. 2. c. 11. n. 27.* Quam sententiam fatetur esse probabilem Suarez *tom. 5. in 3. p. disp. 21. sect. 3. n. 5.*

II. *Pars negatiua explicatur, præcipuè,*

DVBITATIO VNIC.

*An Episcopi possint absoluere ab hæresi occulta?*

Posterior verò sententia sustinet facultatem concessam Episcopis in eo Tridentini decreto, & in Motu Pij V. Prælatis Religionum exemptarum esse reuocatam per Bullam Cœnæ, quo ad absolutionem ab hæresi, & cæteris casibus Bullæ Cœnæ, & ideo ab illis quantumuis occultis non posse Episcopos, & Prælatos Religionum exemptarum absoluere. Ducitur hæc sententia: quia hanc esse Pontificum mentem declararunt Congregatio Cardinaliũ, Consistorium sanctæ Inquisitionis generalis, & hæc est praxis Romanæ Curiæ: hanc sententiam sustinet Penna eruditissimus & laudatissimus Auditor Rotæ *in directorio Inquisitor. 3. part. q. 92. comment. 141. vers. penult.* dicens in supremo generalis Inquisitionis prætorio Romano sæpe pronunciatum esse, non posse iam Episcopos ab hæresi occulta absoluere, siue quia Pius V. & Gregorius XIII. id declararunt, quod refert etiam Nauarr. *summ. c. 17. num. 275. vers. 15.* & Azor. *tom. 1. lib. 8. Instit. moral. cap. 19. q. 3.* ait se audiuisse à Religioso docto, & fide digno, sic declarasse Clementem VIII. Idem refert Suarez *tom. 5. cit. n. 5.* Et quamuis hi Doctores non expresse loquantur de casibus aliis Bullæ Cœnæ, sed de sola hæresi: at in omnibus casibus militat eadem ratio, quia clausula Bullæ Cœnæ reuocans facultates à Concilio generali concessas, loquitur de omnibus Cœnæ casibus.

Respondent authores prioris sententiæ authenticè non constare de ea Pontificum declaratione, & cùm res grauissima sit, id scilicet Tridentini decretum reuocate, & tam diu scientibus Pontificibus nouas Bullas Cœnæ edentibus controuersa, id profectò amplius, vel in eadem Bulla Cœnæ nouè edita, vel in aliquo Motu proprio authenticè declarassent. Remanet igitur facultas absoluendi Episcopis concessa à Concilio Tridentino & Prælatis Religionum exemptarum in Motu proprio Pij V. ab omnibus casibus occultis, etiam in Bulla Cœnæ reseruatis, cùm non constet authenticè de ea Pontificum declaratione, & de reuocatione facultatum Episcopis, & Prælatis Religionum exemptarum in fauorem suorum subditorum concessarum: sic Enriquez *lib. 6. de pœnit. c. 14. n. 7.* referens multos de hac re consultos.

III. *Resoluitur dubitatio.*

At tenenda mihi videtur posterior sententia, quam Doctores citati à Pontificibus declaratam testantur, & supremæ Inquisitionis Tribunal amplecti iubet, & talis est praxis sacræ Pœnitentiariæ. Nec obstat ratio adducta pro priori sententia: quia licèt fortasse sola verba Bullæ prout ponderata sunt, non sufficerent ad censendum facultatem concessam Episcopis in Concilio Tridentino *sess. 24. c. 6. de reformat.* esse reuocatam; tamen quia sæpe, vt testantur Doctores non pœnitendi, in supremo Inquisitionis Prætorio scilicet, & Romanæ generalis Inquisitionis pronunciatum est nec posse, nec debere Episcopos virtute Concilij absoluere occultos hæreticos in foro conscientiæ, omnino censendum est talem facultatem esse reuocatam, cùm talis sit stylus sacræ Pœnitentiariæ, qui tanquam lex est obseruandus. Saluo semper meliori iudicio.

---

## ARTICVLVS XXXVI.

## An Confessarij delegati absoluere possint subditos Diœcesis, in qua sunt expositi extra illam Diœcesim?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua suadetur.*
2. *Pars affirmatiua verior.*
3. *Soluitur ratio partis negatiuæ.*

I. *Pars negatiua suadetur.*

QVia in Clementina *dudum, de sepult.* vbi sermo est de Religiosis, qui absoluendi facultatem habent delegatam; dicitur posse audire confessiones intra Diœceses Episcoporum, in quibus sunt præsentati; ergo Confessores delegati extra Diœcesim, in qua non sunt præsentati, non poterunt excipere confessiones subditorum Diœcesis, in qua sunt expositi, & ita hanc sententiam sustinent Nauarr. *sum c. 27. n. 165.* Angelus *Confessio 3. n. 16.*

II. *Pars affirmatiua verior.*

Dico primò, non solùm Confessores ordinarij, vt sunt Episcopi & Parochi, sed etiam delegati, possunt audire confessiones subditorum Diœcesis in qua sunt expositi extra illam Diœcesim: & sic Parochus Bonuniensis, v. g. si inuenerit subditos suæ Parochiæ in alieno Episcopatu, potest eos audire, & absoluere; quia durante subiectione sunt subditi illius Parochi. Ita bene Sotus *in 4. dist. 18. q. 4. art. 3. vers. Aliud verò.*

Dico secundò, similiter Religiosus approbatus Florentiæ, residens nunc Romæ poterit excipere confessiones Florentinorũ: quia respectu illorum est approbatus ab Ordinario eorumdem, quamuis Romæ non esset approbatus, quia iurisdictio voluntaria extra territorium exerceri potest, cùm nulla irrogetur iniuria alieni territorij iudicibus, cùm absque strepitu & figura iudicij exerceatur. Ita bene Syl. *Confessor. 2. quæst. 3.* Victoria *summa de confessione, num. 151.* quos sequitur Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 34. num. 2.* Tum, quia in administratione sacramenti Pœnitentiæ attendenda est iurisdictio super personam magis

quàm circa locum ipsum, vt aduertit Suarez *tom. 4. in 3. part. disp. 30. sect. 2. n. 3.*

### III. *Soluitur ratio partis negatiua.*

Nec obstant verba adducta ex Clementina *dudum*, contra primum dictum; quia sensus illorum verborum est vt non possint Religiosi audire confessiones illorum, qui non sunt illius Diœcesis, in qua sunt præsentati, ne putarent se vbi semel sunt expositi, esse totius orbis Confessores, nec fuit mens Pontificis locum restringere, sed personas, id est, subditos illius Diœcesis. Vel dicimus secundò, Religiosos non ex virtute Clementinæ *dudum*, facultatem restringentis, sed ex Episcoporum delegatione posse etiam extra Diœcesim confessiones audire, vt bene annotant D. Anton. 3. *part. tit. 17. c. 10. in fine*, & Syl. *verb. Confessor. 2. q. 3.* Saluo semper meliori iudicio.

## ARTICVLVS XXXVII.

## An absolutus in sacramentali confessione de aliquo peccato dubitans, an sit mortale, si postea doctior factus, aut aliis consultis nouit id peccatum esse mortale, teneatur illud iterum confiteri?

### SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas demonstratur.*
3. *Dubitatio resoluitur.*
4. *Soluitur ratio in contrarium.*

### I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm qui scit se peccatum lethale admisisse, nec speciei meminit, tenetur in genere fateri se mortalis culpæ reum, cum obligatione quòd si postea recordetur speciei, teneatur eam iterum confiteri; ergo si fassus est quis sub dubio aliquod peccatum, postea certior factus aliis consultis, quòd sit mortale, tenebitur iterum illud fateri, vt certò peccatum mortale.

### II. *Veritas demonstratur.*

Dico primò, quando constat de facto vt de peccato admisso, dubitat tamen quis, an id fuerit mortale, tenetur illud fateri, dum id dubium ex iusta causa non deponitur. Quia in dubiis vbi possessio non fauet dubitanti, est necessariò pars tutior amplectenda. Ita bene D Thom. *in 4. dist. 21. q. 2. art. 3. ad tertium*, Syl. *verbo Confessio 3. q. 5. n. 3.* Caiet. *in summa, verbo Confessio cap. 1. in 4. conditionem, ad finem*, quos sequitur Sanchez *lib. 1. oper. mor. c. 10. n. 66.*

Dico secundò, quando quis est dubius de facto, & de iure, vt si quis dubitet, an alicui peccato mortali consenserit, vt desiderio, aut delectationi morosæ mortalibus, tenetur confiteri vt peccatum dubium; quia eadem prorsus est ratio, ac quando est dubium, an certum factum sit mortale, sic Tabiena *verbo Confessio 2. q. 11. n. 12.* quem sequitur Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 22. sect. 9. n. 12.*

Dico tertiò, in vtroque dubio sunt peccata confitenda vt dubia; quia confiteri dubium vt certum, est mentiri. ergo, &c.

Sæpe tamen pœnitens hæc tanquam certa confitens excusatur à peccato, eo quòd bona fide, & quadam simplicitate id facit, existimans consultius esse se grauare, quàm exonerare: quod specialiter aduertunt Victoria *summ n. 130.* Rodriquez *in summ. p. 1. c. 51. n. 5.* Nauarr. *summ. c. 21. n. 37.*

Dico quartò, si quis dubitet, an desiderio fœminæ consenserit, tenetur explicare suum, ac illius statum: nam hæ circumstantiæ similiter eidem dubio de peccato mortali subiiciuntur, ac proinde his tacitis non plenè explicaretur peccatum dubium, sic bene obseruat Maior *in 4. dist. 17. q. 3. ad quartum.*

Dico quintò, qui confessus est, quòd sit furatus, vel aliud peccatum mortale, sub dubio, si postea certus fit de consensu in furtum, vel in aliud peccatum mortale sub dubio confessum, tenetur illud iterum confiteri; quia id peccatum nondum plenè in confessione fuerat expressum. Ita Sanchez *lib. 1. oper. mor. c. 10. n. 69.*

### III. *Dubitatio resoluitur.*

Dico sextò, directè respondens quæsito quando quis integrè fassus est peccatum, quod fecit, dubitabat tamen, an esset lethale, licèt etiam Confessor simili dubio teneretur, non est iterum confessio illius peccati repetenda, si postea alteruter doctior factus nouit id peccatum esse mortale, quia ad valorem confessionis non est necessarium, vt pœnitens, aut Confessor sciat determinatè peccatum detectum esse mortale. Ita bene Cordub. *summa q. 9.*

### IV. *Soluitur ratio in contrarium.*

Et per hæc patet ad rationem adductam à principio. Respondetur enim negando consequentiam, quia in casu huius sexti dicti nulla noua circumstantia explicanda occurrit. Cæterùm quando quis non recordatur speciei peccati mortalis; quia id peccatum nondum plenè fuerat in confessione expressum, tenetur postea si meminit speciei, illud iterum confiteri. Vnde non est eadem ratio. Saluo semper meliori iudicio.

## ARTICVLVS XXXVIII.

## An absolui possit in sacramentali confessione, qui est certus de debito contracto, siue ex delicto, siue aliunde id contraxerit, dubius tamen an soluerit, si nolit integrè soluere?

### SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua suadetur.*
2. *Pars negatiua verior.*
3. *Soluitur ratio partis affirmatiua.*

### I. *Pars affirmatiua suadetur.*

QVia in dubio in materia iustitiæ melior est conditio possidentis; ergo dubitans an soluerit cùm sit in possessione dominij suarum pecuniarum & bonorum, non tenetur restituere. ergo poterit licitè & validè absolui, &c.

### II. *Pars negatiua verior.*

Pars verò negatiua est vera, & tenenda, quia regula illa *de regul. iur. in 6.* non dicit, Melior est in dubio conditio possidentis: sed sic ait, *In pari causa iustitia melior est conditio possidentis*; quando scilicet in reliquis est par vtriusque causa; ergo cùm debitum sit certum, & solutio sit dubia, hæc inæqualitas alterius possessioni prævalet, & sic tenebitur ad restitutionem.

Tum,

Tum, quia hoc est generale in aliis præceptis, certus enim de precepto, dubius tamē, an illi satisfecerit, tenetur ad id implendum: tum, quia dubitans an aliquam horam canonicam sibi præceptam omiserit, tenetur illam supplere, & recitare, vt bene docet Ledesma 2. p. 4. q. 16. art. 6. in secundam part. dub. 3. Nauarr. c. si quis autem, n. 76. de pœnit. dist. 7. verf. 17. quos sequitur Sanchez lib. 1. oper. mor. cap. 10. n. 12. Tum, quia certus de voto, dubius autem, an illud adimpleuerit, tenetur illud adimplere: sic Rebellus de Iust. part. 2. lib. 1. q. 3. sect. 2. n. 13. Sanchez lib. 1. cit. n. 36. ad finem.

III. *Soluitur ratio partis affirmatiuæ.*

Nec officit ratio in contrarium, non enim est par iustitiæ causa, cùm debitum sit certum, & solutio dubia, & cùm solutio debiti sit quid facti, non præsumitur, sed ei, qui est obligatus, incumbit illam probare; quare dum eam non probarit, stat præsumptio, & possessio pro obligatione certa; atque ita dubius, an soluerit, & certus de debito, tenetur ad soluendum.

## ARTICVLVS XXXIX.

### An absolui sacramentaliter possint Religiosi exempti, obtenta priùs licentia suorum Prælatorum, à Confessariis alterius Ordinis ab Ordinatio loci non approbatis?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua suadetur.*
2. *Veritas aperitur, & explicatur, quenam iurisdictio requiratur ad audiendas confessiones Regularium.*
3. *Dubitatio resoluitur.*
4. *An Priores Ordinis Prædicatorum possint concedere suis subditis vt confiteantur Confessariis alterius Ordinis.*
5. *An Prælati maiores in Religionibus possint hanc, vel aliam facultatem restringere minoribus.*
6. *Soluitur ratio in contrarium a principio.*

I. *Pars negatiua suadetur.*

Videtur quòd non, nam in Conc. Trid. sess. 23. c. 15. de reformat. dicitur nullum etiam Regularē posse confessiones etiam Sacerdotum audire, nisi aut parochiale beneficium habuerit, aut ab Episcopis per examen, aut aliàs idoneus iudicetur. ergo, &c.

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

DVBITATIO I.

*Quenam iurisdictio requiratur ad audiendas confessiones Regularium?*

Dico primò, nullus Sacerdos neque sæcularis, neque regularis, potest audire confessiones fratrum, nisi à Prælatis ipsorum Religiosorum habeat iurisdictionem: sicuti nemo potest audire confessiones fidelium alicuius Episcopatus, nisi ab Episcopo, aut à Romano Pontifice iurisdictionem actualem habeat super ipsos fideles. Ita Nauarr. summ. c. 4. n. 1.

Dico secundò, consequenter ad audiendas confessiones Religiosorum solùm sufficit approbatio suorum Prælatorum cum iurisdictionis concessione. Nam Concilium Tridentinum solùm loquitur de Confessoribus secularium, qui eorum confessiones excipere nequeunt, nisi ab Episcopis approbationem obtinuerint. Ita Rodriquez tom. 1. qq. reg. q. 62. art. 4.

III. *Dubitatio resoluitur.*

Dico tertiò, Superiores Religionum exemptarum possunt facultatem concedere suis subditis confitendi aliis Confessariis intra, aut extra Religionem, quam profitentur ratione itineris, aut alia de causa: sic Rodriquez loc. cit. Sanchez lib. 4. oper. moral. cap. 39. num. 28.

Dico quartò, concessa licentia à Prælatis religionum exemptarum subditis itinerantibus, aut alia de causa ad eligendum extra Ordinem Confessorem, possunt tales subditi eligere Confessorem tantùm Religiosorum, & non secularium, id est, non ab Ordinario loci, sed à suis Prælatis approbatum. Quia Religiosi non astringuntur confiteri approbatis Sacerdotibus ab Episcopis. Videatur Rodriquez loc. nuper allegato, art. 5.

DVBITATIO II.

IV. *An Priores Ordinis Prædicatorum possint concedere suis subditis, vt confiteantur Confessario alterius Ordinis?*

Dico quintò, speciatim Priores locales Ordinis Prædicatorum possunt concedere sibi subditis licentiam confitendi Sacerdoti Confessario alterius Ordinis, & licèt in constit. eiusdē Ordinis Præd. dist. 1. c. 14. habeatur quòd solus Generalis Ordinis hoc potest concedere, hoc verum est, secluso priuilegio: at ex priuilegio possunt etiam Superiores locales: ita Ioannes de la Crux lib. 1. c. 6. dub. 11. in fine primæ conclusionis. Priuilegium autem videri poterit apud Rodriquez tom. 1. qq. reg. q. 62. art. 4.

DVBITATIO III.

V. *An Prælati maiores Regularium possint hanc, vel aliam facultatem restringere minoribus?*

Dico sextò, hanc tamen facultatem & alias concessas Superioribus localibus, possunt maiores Prælati in Religionibus Mendicantium, existente rationabili causa restringere & coarctare, quia licèt vtriusque data sit potestas iure diuino, vel à summo Pontifice, concessa tamen est Ordine hierarchico, vt minores pendeant à maioribus. Ita bene Rodriquez tom. 1. qq. reg. quæst. 17. art. 7.

Dico septimò, quòd licèt ante Concilium Tridentinum Sacerdotes seculares poterant eligere Confessorem quemlibet simplicem Sacerdotem, vt adnorauit Rodriquez tom. 1. qq. regul. quæst. 62. art. 4. Ioannes de la Crux lib. 1. priuileg. cap. 6. dub. 11. conclus. 1. Contad. tom. 1. responsf. quæst. 17. in Add. Beia 1. part. casuum, casu 27. Quod attinet. Tamen ante Concilium Sacerdotes Regulares minimè poterant eligere Sacerdotem Religiosum simplicem, sed tantùm à suis Prælatis approbatum: vt bene obseruat Rodriquez loco immediatè citato. Religiosi igitur itinerantes non potetunt confiteri aliis Religiosis sui Ordinis, vel alterius regulæ, nisi à suis Prælatis licentiam habuerint ad audiendas confessiones Religiosorum; & hæc consuetudo semper in Religionibus bene ordinatis viguit: vt bene asserit Rodriquez nuper allegatus.

VI. *Soluitur ratio in contrarium à principio.*

Ad rationem in principio adductam quatenus militat contra quartum dictum, iam patet quid dicendum,

dum ex eadem conclusione, negamus enim Religiosos exemptarum Religionum astringi confiteri approbatis ab Episcopis, sufficit enim quod fiut Confessarij Religiosorum, non autem requiritur quòd sint etiam sæcularium approbati, scilicet à Prælatis Religionum, nec requiritur, vt ab Ordinario loci sint approbati. Videatur Rodriquez *loc. cit. art. 5.*

## ARTICVLVS XL.

**An absoluere possit secundus Sacerdos habens tantùm iurisdictionem communem à casibus reseruatis habentibus censuram annexam, illa ablata per Superiorem: vel, quod idem est, An ablata censura à casibus reseruatis tollatur omnino reseruatio?**

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua suadetur.*
2. *Pars affirmatiua verior, & tenenda.*
3. *An Religiosi in visitationibus absoluti ab excommunicationibus, vel irregularitatibus possint postea absolui à quolibet Confessario à peccatis, propter quæ illa incurrerunt.*
4. *Soluitur ratio partis negatiuæ.*

I. *Pars negatiua suadetur.*

Videtur quòd non, nam culpa in casibus reseruatis videtur esse reseruata in se, & immediatè propter suam grauitatem, & enormitatem: ergo ablata censura, adhuc remanet reseruatio in culpa, cùm ista ablata remaneat in culpa grauitas, & enormitas. ergo simplex Sacerdos habens iurisdictionem communem non poterit absoluere.

II. *Pars affirmatiua verior, & tenenda.*

Pars verò affirmatiua est probabilior, & in praxi tenenda: quia ablata censura statim manet peccatum non reseruatum, vt apertè docet Syl. *verb. Confessio* 1. *q. 4. n. 7.* Caietanus *summa verb. Casus*, dum ait censuram esse quasi adæquatam rationem reseruationis, ideóque illa ablata omnino tolli reseruationem: hos sequitur Nauarr. *in summa cap. 26. n. 12. ad finem.* Suarez *in 3. part. tom. 4. disp. 29. sect. 2. n. 7.*

Confirmatur, quia concessa iurisdictione ad absoluendum à censura, potest quis absoluere à culpa ex vi iurisdictionis, quam antea habebat; ergo signum est solam censuram fuisse reseruatam in se, alioquin hac concessa non statim sequeretur esse concessam aliam, cùm quoad hoc non sint connexæ. Quia potest aliquis absoluere à censura, & non à culpa, vt iudex Ecclesiasticus, vel qui tantùm habet iurisdictionem fori contentiosi. Videatur Duraudus *in 4. dist. 17. q. 15. n. 13.*

## DVBITATIO VNIC.

III. *An Religiosi in visitationibus absoluti ab excommunicationibus, vel irregularitatibus possint postea absolui à quolibet Confessore à peccatis propter quæ illa incurrerunt?*

Dico vlteriùs consequenter, & est valde notandum, quòd Religiosi, qui in visitationibus, & Capitulis à suis Prælatis ab irregularitatibus, & censuris generaliter absoluuntur, esto tunc illorum nõ meminerint, sublata censentur. Nec tenentur aliam dispensationem super irregularitatibus quærere, nec aliam absolutionem à censuris, sed satisfaciunt, confitendo simpliciter peccata, ob quæ illas incurrerunt. Quæ tamen peccata cum ablatis irregularitatibus, & censuris non remaneant reseruata, poterunt ab eis a quocunque alio Confessore absolui: ita bene Syl. & Nauarr. *locis nuper adduct.*

IV. *Soluitur ratio partis negatiuæ.*

Ad rationem in contrarium patet ex dictis, dicimus enim censuram in casibus reseruatis proximè, & immediate reseruari, quæ reseruatio solùm mediate, & quasi per accidens redundat in culpam, & sic ablata censura statim manet peccatum non reseruatum, à quo pœnitens poterit absolui à quocunque alio Confessario habente iurisdictionem communem. Saluo semper, &c.

## ARTICVLVS XLI.

**An absolui possit à Confessario habente iurisdictionem communem dominus temporalis, qui impediuit litteras Apostolicas, vel mandatum de manutenendo alicuius Diœcesani, tanquam non incurrerit excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini *sub num. 16.* contra impedientes iurisdictionem Ecclesiasticam, si litteræ Apostolicæ, seu mandatum Diœcesani sit manifestè subreptitium, & ipse dominus temporalis aliàs non habuerit alios casus reseruatos?**

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua suadetur.*
2. *Pars negatiua verior.*
3. *An quis teneatur exequi præceptum summi Pontificis, quando ex hoc putat, aliquod malum euenturum.*
4. *Respondetur rationi partis negatiuæ.*

I. *Pars affirmatiua suadetur.*

Pars affirmatiua quòd inciderit in excommunicationem Bullæ Cœnæ, & quòd non possit absolui nisi à Romano Pontifice, suadetur, quia Bulla Cœnæ Domini *sub n. 14. & 16.* expressè hoc prohibet, impediri scilicet non posse iurisdictionem Ecclesiasticam. Addens etiam sub prætextu violentiæ: ergo quocunque prætextu quis impedierit iurisdictionem Ecclesiasticam, incurrit excommunicationem Bullæ, & non potest absolui nisi à Rom. Pontifice.

II. *Pars negatiuà verior.*

Pars verò negatiuà, quòd non incidant talem excommunicationem non exequentes, seu impedientes mandatum de manutenendo alicuius Diœcesani, seu litteras Apostolicas, quando manifestè, & clarè appatet eas esse subreptitias, & interim Diœcesano, vel Papæ notificantes, & palàm facientes falsitatem. Probatur, quia placet Papæ vt sua mandata non exequamur quando iusta causa adest supplicandi ab eis. *cap. si quando, de rescriptis*: ergo impedientes litteras Apostolicas, vel cuiuscunque Diœcesani mandatum, si clarè apparet illud esse falsum, nec

peccant

peccant, nec incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini *sub n.14. & 16.* ergo poteruot absolui à Confessario habente tantùm iurisdictionem communem, si aliàs non habent alios casus reseruatos: videatur Baones 2.2.*q.*78.*art.*4.*dub.penultimo*, loquens de Bulla Pontificia circa census edita, Bonacina *tom.* 2. *disp.*1.*q.*1.*punct.*4.*n.*41.*fol.* 18.

## Dvbitatio Vnic.

III. *An peccet quis exequendo praeceptum summi Pontificis, quando ex hoc putat aliquod malum euenturum?*

Dicitur quòd sic, quia Innocentius ab omnibus communiter receptus *cap. inquisitioni, in fine, de sentent. excomm.* fatetur apertè quòd is, cui præcipitur aliquid à Papa, ex quo scit sequutura mala, peccat id exequendo. ergo similiter impedientes mandatum Papæ, vel alicuius alterius personæ Ecclesiasticæ, quando apparet esse subreptitiè impetratum contra se, vel contra tertium, non incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini *sub num.* 14. & 16. Quia excommunicatio maior generaliter lata à iure, vel ab homine non incurritur sine peccato mortifero, vt habetur *cap. nemo, & cap. nullus* 11.*q.*3. & docet Nauarr. *tom.*2.*consil.lib.*5.*de sentent.excomm. consil.*36.*n.*1. Antecedens est certissimum, & illud docet Decius *in d. c. si quando, de rescriptis n.*31. Nauarr. *tom.*1. *consil.lib.*1.*de rescriptis consil.*10.*n.*2. Ioannes de la Crux *lib.*2. *de natura priuileg.c.*1.*dub.*3.*vers. An verò.*

IV. *Respondetur rationi partis negatiuæ.*

Nec obstant verba Bullæ in contrarium adducta: quia intelliguntur si Auditores Regij, vel domini temporales sub ficto, vel palliato prætextu fingant inesse falsitatem, vel violentiam in litteris Apostolicis, vel in mandatis Prælatorum Ecclesiasticorum: si autem subsit iusta, & rationabilis causa, ob quam Bullas detineant, vel mandata non exequantur, interim notificando subreptionem, vel falsitatem Superioribus Ecclesiasticis nec peccant, nec incidunt in excommunicationem, vt bene aduertit Viualdus *in explanatione Bullæ Cœnæ Domini, sub n.*14.*n.*109.

---

## Articvlvs XLII.

### An Confessarius Italus linguæ pœnitentis ignarus absoluere possit, si ex omnibus peccatis, quæ pœnitens Gallus est confessus, vnum, aut alterum dumtaxat audiuit, currente præcepto communionis in die Paschatis, si non adsit alius in illo oppido, qui omnia illius peccata intelligere possit?

*Svmmarivm.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *An in bello, vel peste, vbi multi simul moriuntur, possint absolui pœnitentes, explicato tantùm vno, aut altero peccato.*
3. *An Confessarij possint absoluere mutos, vel surdos dum non bene percipiunt circunstantias peccatorum.*
4. *Resoluitur dubitatio.*
5. *An quis teneatur confiteri per scriptum, vel per interpretem, & an sit de essentia confessionis secretò crimina audire.*
6. *Respondetur rationi partis affirmatiuæ.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

Quòd talis pœnitens in tali casu possit absolui, probatur, quia per ipsum pœnitentem non stat, quin confessio sit integra, cùm non ex verecundia, seu hypocrisi ob aliquem finem malum, neque ex proposito eam diuidat: sed id accidat per accidens inculpabiliter, & materialiter ex parte Confessoris non intelligentis linguam, neque est alius in illo oppido qui totam huius pœnitentis confessionem audire possit: ergo currente præcepto in die Paschatis ob suam non culpam, non videtur priuandus pœnitens absolutione & communione.

## Dvbitatio I.

II. *An in bello, vel peste, vbi multi simul moriuntur, possint absolui pœnitentes, explicato tantùm vno, aut altero peccato?*

Dico primò in bello, naufragio, ac peste, vbi multi insimul moriuntur, quando pœnitentis totam confessionem Confessor audire non potest, satis est quòd audiat vnum aut mortale, aut veniale alicuius, vt possit eum absoluere, cùm non sit illi tempus audiendi integras singulorum confessiones, quia instam ob causam potest quandoque confessio non esse integra; sed in casu nostro adest rationabilis causa. ergo, &c. Ita bene Ludouicus Beia *part.*3. *casuum, casu* 6. *fol.* 196. *mihi.*

## Dvbitatio II.

III. *An Confessores possint absoluere mutos, vel surdos, dum non benè percipiunt circunstantias illorum peccatorum?*

Dico secundò, muti, & etiam surdi qui in confessione nequeunt se satis explicare, qui per nutus & signa soliti sunt confiteri eo modo, quo possunt, quamuis Confessores non omnia eorum peccata, & circunstantias necessariò explicandas percipiant: possunt nihilominus à Confessariis absolui, quia satis est apud Deum si faciat pœnitens quod in se est reuelando peccata nutibus, vel signis, licèt aliqua intelligantur à Confessore, & alia non. ita bene Lopez 1.*part. instruct. c.*27.*vers. Porrò ab hoc loco.*

IV. *Dubitatio resoluitur.*

Dico tertiò, Gallus, qui non potest omnia & singula sua peccata Confessori Italo non callenti Gallicam linguam confiteri, si facilis est accessus ad alium Confessorem linguam Gallicam intelligentem, nisi sit in articulo mortis constitutus, non est audiendus, nec absoluendus, sed remittendus ad Confessorem eum plenè intelligentem, etiamsi currat præceptum sacræ Communionis tempore Paschatis. Quia sacramentalis confessio est legitima coram Sacerdote peccatorum declaratio: hæc autem esse non potest sine relatione confitentis, & perceptione Confessoris, arg *cap. omnis vtriusque, de pœnit. & remiss.* ibi, *omnia peccata sua.*

Tum, quia quando adest iusta causa, potest iudicio Sacerdotis in aliud tempus perceptio sacræ Eucharistiæ absque peccato differri, arg. *c. omnis vtriusque sexus, de pœnitent. & remiss.* §. *nisi fortè de propry Sacerdotis,* &c. Sic Medina *in sua instruct. fol.* 279. *pag.* 2. *mihi.*

Dico quartò, si Æthiops Christi fidelis confiteretur vnum, vel duo peccata, à quibus intelligitur, alia vult & conatur confiteri, sed ob linguæ imperitiam non potest audiri à Confessore, nec speratur futura commoditas habendi alium Confessarium, qui meliùs intelligat; hic potest licitè absolui: quia in hoc casu adest impossibilitas simpliciter, nec est accessus facilis ad alium Confessorem callentem linguam Æthiopicam, & hæc non integritas confessionis est omnino per accidens, & inculpabilis. Ita Lopez *loc. cit.* quem sequitur Reginaldus *in compendiaria praxi 1. part. q. 23.* Nauarr. *tom. 2. cons. lib. 5. de pœnit. & remiss. cons. 13.*

## Dubitatio II. & III.

V. *An quis teneatur confiteri per scriptum, vel per interpretem? &, An sit de essentia confessionis secretò crimina audire?*

Dico quintò, nemo tenetur, aut per scriptum, aut per interpretem confiteri, quia hæc confessio ex suo genere non est secreta: quod enim scripsisti, licèt manuteneas, potest alter subripere, vel tu ex incuria perdere, & multo minus est secretum, quod coram interprete profertur. Ita Sotus *in 4. d. 18. q. 2. art. 6. vers. hos autem.* Palud. *in 4. dist. 17. q. 2.*

Dico sextò, licèt non sit de essentia confessionis, quòd fiat secretò, vt Concilium Tridentinum *sess. 14. c. 5.* disertè declarauit: & ideo licèt fiat publicè, sit licita, tamen non est necessaria; quia Christus cuius iugum suaue est, & onus leue, noluit vt peccata nostra periculo infamiæ nostræ exponeremus: Sotus *loc. cit.* quem sequitur Nauarr. *summ. c. 1. n. 5.* Quamuis Nugno *tom. 2. in 3 partem q. 9. art. 3. diffic. 1. concl. 2 fol. 331. col. 2.* sustineat quòd in articulo mortis teneatur homo confiteri per interpretem, si non potest alia via; tenetur enim, inquit, homo pati illud periculum ad euitandum damnationis æternæ periculum; sed melius cum Soto *loc. cit.* cùm contritio tunc sufficiat.

VI. *Respondetur rationi partis affirmatiuæ.*

Ad rationem à principio adductam, quatenus directè militat contra tertium dictum; respondetur quòd si nulla speratur futura commoditas habendi alium Confessorem, qui omnia intelligat, si pœnitens, de quo quæstio proponitur, det signa, tum doloris de offensa Dei à se commissa, tum propositi emendationis vitæ, licèt intelligi nequeat quoad omnia peccata, si vnum, aut alterum confitetur, quod Confessarius intelligit, est absoluendus; quia in hoc casu adest impossibilitas simpliciter: si autem facilis est accessus ad alium Confessorem plenè linguam pœnitentis intelligentem; tunc pœnitens non est absoluendus, sed remittendus ad illum, cùm sacra Communio tempore Paschatis absque peccato differri possit arbitrio Confessarij, vt diximus arg. *cap. omnis vtriusque, de pœnit. & remiss. §. nisi fortè,* &c. Videatur Lopez, Beia, Reginald. *loc. cit.* Saluo, &c.

---

## Articvlvs XLIII.

An absolui debeat in sacramentali confessione adolescens si nolit relinquere beneficium, quod simoniacè, cura & studio parentum accepit? Et quid si non recitet horas Canonicas si parentum authoritate cogitur acceptare beneficium, cùm tamen ipse non habeat animum Ecclesiasticos characteres suscipiendi? Et quid de eo, qui beneficium tenue recepit, si pensum Officij non soluit?

### *Svmmarivm.*

1. *Proponuntur rationes dubitandi pro qualibet parte tituli.*
2. *Resoluitur dubitatio, quoad primam partem, & insuper explicatur, An teneatur ne dum resignare beneficium, sed etiam restituere fructus malè perceptos.*
3. *Resoluitur dubitatio quoad secundum quæsitum in alia parte ipsius tituli.*
4. *Tertio quæsito tituli satisfit.*
5. *Soluuntur rationes dubitandi.*

I. *Proponuntur rationes dubitandi pro qualibet parte tituli.*

Videtur enim quòd possit absolui, nisi relinquat beneficium, quia esset valde durum, & penè contra ius naturæ, vt cui culpam simoniæ non commisit, peccato simoniæ puniatur in resignando, quod acceperat, præsertim quando ipse collator immunis est ab omni simoniæ labe; ergo erit absoluendus, si non relinquat beneficium. Secundus etiam non est incapax absolutionis, quia acceptatio illa, & retentio beneficij est omnino coacta per metum reuerentialem coniunctum cum importunitate parentum, qui in adolescentibus æquiparatur metui iusto, & graui: hic autem metus sicut excusat à voto solemni explicitè, vel implicitè facto, ita etiam ab obligatione precum Canonicarum. Tertius etiam videtur absoluendus, quia hic beneficiarius non obligatur ad preces horarias ratione Ordinis, vt supponitur, sed tantùm ratione mercedis, quam accipit, sed non videtur rationabile vt is, qui solùm septem, vel octo aureos accipit pro mercede, ad tantundem obligetur, ad quantum qui centum; ergo si noluerit totum pensum Officij persoluere, non erit absolutio ei deneganda.

II. *Resoluitur dubitatio, quoad primam partem, & insuper explicatur*

## Dvbitatio Vnic.

*An teneatur ne dum resignare beneficium, sed etiam restituere fructus malè perceptos?*

Dico primò, adolescens qui cura & studio parentum beneficium Ecclesiasticum simoniacè accepit, quamuis hoc ignorantia inculpata ignorauerit, postea certior factus de collatione beneficij simoniace facta, si illud recuset relinquere, non debet absolui, similiter si non habet firmissimum propositum fructus malè perceptos restituendi, cùm primùm commodè poterit. Probatur, quia etsi simonia per tertium commissa in collatione & prouisione beneficiorum Ecclesiasticorum non noceat parti ignoranti, quoad peccatum & excommunicationem, quia peccatum alienum non nocet alteri: at illam sciens, statim ac commodè potest, debet renunciare ius, si quod ex illa quæsiuit, & similiter fructus malè perceptos, in pœnam illorum, qui simoniacè promouere voluerunt: vt patet ex *cap. nobis fuit, & cap. sicut tuis,* iuxta glossam, *de simonia;* & docent Nauarr. *tom. 2. consil. lib. 5. de simonia, consil. 45. n. 1.* Lessius *lib 2. de iustitia, c. 35. dub. 25 n. 142.* atque ita non erit absoluendus talis adolescens, nisi, &c.

Dico

Dico secundò, si talis adolescens magna parentum authoritate cogatur ad retentionem beneficij simoniacè collati per metum reuerentialem coniunctum cum minis & importunitate eorumdem parentum, durante tali metu iusto, & graui, excusatur à peccato mortali si non relinquat beneficium, & potest absolui dummodo firmissimum habeat propositum resignandi illud cùm primùm commodè poterit, ac fructus malè perceptos restituendi; quia in his quæ non sunt intrinsecè mala, qualis censetur iniusta retentio beneficij simoniacè collati durante metu iusto, & graui, excusatur quis à peccato mortali, &c. Ita bene aduertit Reginaldus *in compendiaria praxi p. 2. q. 19.*

## III. *Resoluitur dubitatio quoad secundum quæsitum in alia parte ipsius tituli.*

Dico tertiò, respondens secundo quæsito, adolescẽs, qui simili authoritate parentum coactus est beneficiũ accipere, non simoniacè quidẽ, sed tamen nullo modo habendo animum status Ecclesiastici, nihilominus si tanquam beneficiarius intendit percipere commodum fructuum, tenetur recitare horas Canonicas, & si nolit eas persoluere, non est absoluendus. Probatur, quia tunc censetur satis consentire in acceptationem & retentionem beneficij, & oneris annexi, &c. sic Less. *lib. 2. de Iust. c. 34. dub. 31. n. 174.*

Dico quartò, talis adolescens, qui per metum grauem & iniustum cogitur acceptare beneficium, si nolit quicquam ex fructibus, non videtur teneri ad horas Canonicas. Quia non est æquitati consentaneum, vt ille cogatur ad preces illas, qui non cupit frui stipendio. Debet tamen iste habere animum resignandi quamprimum commodè poterit, & restituendi fructus perceptos, non tamen amplius, quàm ad ipsum peruenit.

Dico quintò, si pater nomine filij percipit fructus, vt fieri solet, non videtur hic filius magis obligandus ad restitutionem, quàm cæteri hæredes, quos pater suis bonis aluit, sed primò tenetur pater, & eo mortuo, hæredes pro rata. Quia pater est causa iniustitiæ, & iniuriæ, quæ fit Ecclesiæ, & benefactoribus, & non filius, nec emolumentum fructuum perceptorum censetur magis ad filium peruenisse, quàm ad alios. Videatur Less. *loc. nuper adducto.*

## IV. *Tertio quæsito tituli satisfit.*

Dico sextò, probabile est, quòd beneficiatus, qui adeò tenue, & exiguum beneficium recepit, vt non habeat supra octo aureos, quòd non teneatur singulis diebus recitare totum diuinum Officium, imò si beneficium non suppeditet, bonam partem tenuis sustentationis, v.g. 15. vel 16. aureos, non tenetur ad quotidianum pensum precum Canonicarum, sed aliquoties tenetur per annum, v.g. festis, & Dominicis diebus, prout ratio dictauerit; quia non par est vt fructus aliquos percipiat, & nunquam Officium recitet, neque etiam vt ob tam exiguos fructus obligetur quotidie. Tum, quia qui nihil accipit de fructibus beneficij, neque per se, neque per alium, & per ipsum non stat, quin recipiat, ad nihil tenetur; ergo similiter qui recipit parum, non tenebitur ad totum. Ita Sotus *lib. 10. de Iust. q. 5. art 3.* Arag. *2. 2. q. 83. art. 12.* & fatetur Nauarr. *cap. 7. de contrit. n. 17.* multos viros pios, & doctos ita sentire. Less. *lib. 2. de Iustitia c. 34. dub. 31. n. 169.* Quamuis ipse Nauarr. & alij multi teneant quodlibet beneficium paruum & tenue esse cum onere, & lege preces horarias persoluendi: quod est etiam probabile, quia qui beneficium habet, quamuis tenue, & exiguum, gaudet cæteris beneficiariorum priuilegiis, & in iure habetur verè, & propriè beneficiarius; ergo non est cur ab eorum oneribus liber, & immunis censeatur. Ita Azor. *1. part. lib. 10. cap. 3. dub. 3.* licèt idem Azor. *1. part. lib. 2. cap. 16. dub. 6.* existimet primam Soti sententiam esse probabilem, inquit enim, quòd si quispiam opinionem Soti sequeretur, non condemnarem.

## V. *Soluuntur rationes dubitandi.*

Ad primam rationem, quæ aduersatur primo dicto, respondetur non esse durum, neque contra ius naturæ, quòd ignorans collationem beneficij esse simoniacam, postea de ea certior factus teneatur resignare beneficium, cùm id fiat in pœnam eorum, qui simoniacè beneficiatum promouere voluerunt, & hoc præcipiant sacri Canones, vt patet ex *cap. nobis fuit, & c. sicut tuis litteris, de simonia*, vnde tanquam inobediens, & iniustus non esset absoluendus retinens beneficium sibi simoniacè collatum, si post scientiam simoniacæ collationis nollet illud derelinquere.

Ad secundum fundamentum quatenus militare videtur contra secundum & tertium dictum, respondetur quòd durante metu iusto, & graui, licèt adolescens ille excusetur à peccato mort. si non relinquat beneficium, & potest absolui si non recitet quotidianum pensum precum Canonicarum: dummodo nolit quidquam ex fructibus beneficij percipere, & habeat firmissimum animum resignandi beneficium, quàm commodè poterit, & restituendi fructus, quos ipse percepit: secus autem si intendit percipere prouentus beneficij, quia tunc, vt diximus *dicto 3.* satis consentire videtur in acceptationem & retentionem beneficij & oneris annexi, persoluendi scilicet quotidianum pensum precum Canonicarum.

Ad tertium patet quid dicendum, ex *dicto 6.* vnum tamen aduerto quòd sententia Soti est satis mihi probabilis, dummodo non laxiùs interpretetur de quolibet beneficio, quod ad vitam Clerici sustentandam non sufficit, vnde bene Sotus expressit beneficium cuius fructus sunt octo, aut decem aurei, non obligare ad integrum Officium diuinum: quòd si à principio beneficium vberes fructus ferebat, etiam si progressu temporis tenues reddat, obligationem affert persoluendi totum Officium diuinum: nam sicut vxor quæ cùm ducta est inops, & tenuis, non erat postea ad egestatem, & inopiam redacta, à viro suo alimenta ipso iure accipit, & habet: ita beneficium pingue à principio obligationem inducit persoluendi quotidianum pensum precum Canonicarum, quamuis progressu temporis paruum & exiguum fiat. Ita bene gloss. *in c. Clericus victum, verbo vigiliis, dist. 91.* Saluo semper meliori iudicio, &c.

# ARTICVLVS XLIV.

## An Inquisitores absoluere possint hæreticum occultum in solo foro conscientiæ?

### SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua suadetur.*
2. *Pars negatiua verior, & tenenda.*
3. *An sit valida absolutio præstita hæretico occulto, sictè conuerso saltim in foro externo.*
4. *An hæreticus ad pœnitentiam veniens, si coram Inquisitore confiteatur plures errores, vno, vel altero relicto, maneat absolutus ab omnibus.*
5. *Ad rationem à principio respondetur.*

I. *Pars affirmatiua suadetur.*

Ex constitutione Clementis VII. incipiente, *Cum sicut*, *vers. verbis etiam*, quam refert Penna *in directorio Inquisitorum, in fine*, vbi hæc facultas videtur concedi Inquisitoribus, & eorum Commissariis, præcedente tamen hæresis abiuratione, id est, vt hæreticus promittat fore vt imposterum ab huiusmodi hæresi abstineat: quæ constitutio expresse in foro conscientiæ videtur loqui: atque ita eam constitutionem intelligit Toletus *lib. 4. summæ c. 4. n. 5.* Enriquez *lib. 6. de pænit. cap. 7. num. 3. fine.*

II. *Pars negatiua verior, & tenenda.*

Dico primò, probabilius mihi videtur Inquisitores non habere facultatem absoluendi hæreticum occultum in solo conscientiæ foro; quia cùm Inquisitores sint iudices in solo foro externo constituti, vt bene docet Eymericus *in directorio Inquisitorum 3. part. num. 59.* non videntur habere hanc facultatem pro conscientiæ foro. Eymericum sequitur Sanchez *lib. 2. oper. moral. cap. 1 x. num. 3.*

DVBITATIO I.

III. *An sit valida absolutio præstita hæretico occulto fictè conuerso saltim in foro externo?*

Dico secundò ad vberiorem doctrinam absolutio hæretici fictè pœnitentis etiam per Inquisitores concessa est irrita, itaut etiam licèt ille postea resipiscat interiùs, peccatum hæresis priùs commissum eadem censura, & eadem reseruatione ligatum manebit, ac erat ante illam absolutionem. Quia valor absolutionis ex absoluentis intentione dependet, & absoluens cognita fictione eam non concederet, ergo absolutio ex defectu intentionis erit irrita: quamuis Emanuel Sà *verb. Hæresis num. 2.* asserat absolutionem valere.

Dico tertiò, hæreticus fictè conuersus, etsi in foro conscientiæ non remaneat absolutus, in foro tamen externo habetur pro absoluto, atque adeò si postea resipiscit instar hæretici occulti, poterit absolui ab eo, qui aliàs habet facultatem absoluendi ab hæresi occulta, & in hoc sensu est vera sententia Emanuelis Sà, valere scilicet absolutionem datam hæretico fictè conuerso in foro externo.

DVBITATIO II.

IV. *An hæreticus ad pœnitentiam veniens si confiteatur coram Inquisitore plures errores, vno, vel altero relicto, maneat absolutus ab omnibus?*

Dico quartò, hæreticus verè ad fidem rediens, si fassus est in foro externo aliquas hæreses coram Inquisitore, si mala fide, & industria alias tacuit, manet post absolutionem liber ab excommunicatione hæresum expressarum: remanebit tamen ratione aliarum excommunicatus, ac proinde peccatum hæresum tacitarum manet reseruatum, vtpote censura pristina affectum. Quia quoties quis excommunicatus est ob plures causas, & vna sola explicatur, non valet absolutio, nisi quoad solam causam expressam, vt habetur *in c. cum pro causa, de sent. excomm.* & docet Sayr *lib. 2. de censf. c. 21. n. 23. & 24.* ergo.

Dico quintò, si bona fide alias hæreses tacuit, illarum nempe immemor, tunc manet absolutus omnino à censura, & tunc peccatum hæresis bona fide oblitum non manet ampliùs reseruatum, sed potest quicunque Confessarius ab illo absoluere; quia absolutus à casibus reseruatis ab habente legitimam absoluendi ab omnibus potestatem, si aliquos bona fide, illorum immemor, tacuerit, manet omnino liber ab oblitorum reseruatione, & potest ab illis à quocunque Confessario absolui, vt bene docet Syl. *verb. Confessio 1. quæst. 4.* Sayr *lib. 10. de cens. c. 20. num. 35.* hos sequitur Sanchez *lib. 2. in Decalog. c. 12. num. 9.* ergo similiter, &c.

V. *Ad rationem à principio respondetur.*

Ad rationem à principio adductam, quæ militat contra primum dictum, respondetur non apparere aliquam Pontificiam constitutionem manifestè Inquisitoribus concedentem, posse illos absoluere hæreticos occultos in solo conscientiæ foro; quippe prædictam constitutionem Clementis VII. ait laudatissimus Penna *3. part. Directorij, comment. 12. additione ad num. 61.* intelligi de absolutione in foro externo, facta scilicet confessione coram Notario, & sequuta reconciliatione: sic enim absoluuntur hæretici occulti ab Inquisitoribus; fateor tamen sententiam oppositam esse etiam satis probabilem propter grauitatem DD. illam sustinentium, & præter adductos illam tenent Bannes *2. 2. q. 11. art. 4. dub. 2. post tertium argumentum contra secundam conclus. vers. Præterea aduertendum.* Gutierrez *quæst. canon. lib. 1. cap. 13. num. 7.* & alij multi.

ARTICVLVS XLV.

An absolui possit hæreticus occultus virtute Bullæ Cruciatæ concedentis casus Cœnæ, & similiter virtute Iubilei eosdem casus concedentis?

SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua suadetur.*
2. *Pars negatiua tenenda.*
3. *An receptores, vel fautores quorumcunque hæreticorum possint absolui virtute Iubilei, vel Bullæ.*
4. *An sub concessione generali casuum Pontifici reseruatorum comprehendantur casus in Bulla Cœnæ contenti.*
5. *Fundamento partis affirmatiuæ satisfit.*

I. *Pars affirmatiua suadetur.*

QVia priuilegium sine restrictione, aut limitatione concessum à nobis limitandum non est: ergo si priuilegium Bullæ Cruciatæ, seu Iubileus concedit, quòd possit virtute illius pœnitens absolui à casibus in Bulla Cœnæ reseruatis, non est à nobis cum restrictione casus hæresis accipiendum: & ita hanc sententiam affirmatiuam sustinet Corduba *summa quæst. 8. fine.*

II. *Pars negatiua tenenda.*

Dico primò, non potest hæreticus occultus extra articulum mortis virtute Bullæ Cruciatæ, vel Iubilei concedentis casus Cœnæ, non facta expressa mentione hæresis, absolui, quamuis hæresis sit occulta. Probatur, quia concessio generalis absoluendi ab excommunicatione, & casibus Cœnæ non comprehendit eam, cuius absolutionem verisimili coniectura delegans non commisisset, *cap. in generali, de reg. iuris in 6.* At hæresis absolutio, quamuis occulta, adeò reseruata est,

est, vt verisimiliter eam Pontifex non commisisset. ergo, &c. Sic Gutierez *quæst. Canon. lib. 1. cap. 13 num. 26.* Azor. *tom. 1. lib. 8. instruct mor. cap. 10. q. 12.* quos sequitur Sanchez *lib. 2. oper. mor. cap. 12. num. 10.*

### DVBITATIO I.

III. *An receptores, vel fautores quorumcunque hæreticorum possint absolui virtute Iubilei, vel Bullæ?*

Dico secundò, receptores tamen, fautores, defensores hæreticorum, legentes, tenentes, imprimentes, eorum libros, hi omnes si re vera hæretici non sunt, & tenentes libros, eos tradant Inquisitoribus, possunt absolui semel in vita, & semel in mortis articulo à Confessore virtute Bullæ Cruciatæ sic concedentis casus Cœnæ, & similiter virtute Iubilei eos casus concedentis. Probatur, quia hi casus non afficiuntur ea tam speciali reseruatione, ac hæresis, vt speciali mentione indigeant: ita docet Enriquez *lib. 6. de pœnit. cap. 16. num. 2. in commento littera I.* Sot. *in 4 dist. 22. q. 2. art. 3. post quintam conclusionem in primo casu Cœnæ, ad finem.* licèt Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 8. cap. 19. quæs. 2.* contrarium teneat.

IV. *An sub concessione generali casuum Pontifici reseruatorum comprehenduntur casus in Bulla Cœnæ contenti?*

Dico tertiò, sub concessione generali casuum Pontifici reseruatorum non comprehenditur casus hæresis, nec alij Bullæ Cœnæ; quia cùm in ea specialissimè reseruentur, speciali expressione indigent. Ita Suarez *tom. 5. de cens. in 3. part disp. 21. sect. 3. n. 3.*

V. *Fundamento partis affirmatiuæ satisfit.*

Ad fundamentum partis affirmatiuæ respondetur quòd casus hæresis est strictissimæ reseruationis, & si de ea expressa mentio in concessione generali non habetur, verisimiliter absolutionem ab illa Pontifex non concedit. Imò de hoc est motus proprius Gregorij XIII. quem ad verbum affert Manuel Rodriquez *addit. ad Bullam §. 9. n. 66.* Saluo, &c.

---

## ARTICVLVS XLVI.

## An sit absoluendus in sacramentali confessione, qui alium impediuit à consequutione beneficij, si non recompensauit, nec velit recompensare damnum illatum impedito?

### SVMMARIVM.

1. *Proponitur ratio dubitandi.*
2. *Dubitatio resoluitur, explicando, An teneatur ad restitutionem beneficij impediens alium vi, dolo, aut fraude adhibita collatori, vel roganti pro beneficio.*
3. *An impediens solis precibus apud Collatorem ne beneficium digniori præbeatur, teneatur ad restitutionem.*
4. *Ad rationem à principio respondetur.*

I. *Proponitur ratio dubitandi.*

Videtur enim absoluendus, & ad nullam recompensationem teneri: quia vt quis teneatur restituere, debet priùs eiicere possessorem à re, quam possidebat, sed qui impediuit aliquem à consecutione beneficij, non eiecit illum à beneficio, cùm nondum esset beneficium ipsi collatum: nec litteræ signatæ ad ius perfectum obtinendum in beneficio. ergo non tenetur ad recompensationem, nec ad restitutionem, cùm non eiecerit impeditum à possessione, & dominio beneficij. ergo est absoluendus si aliàs non est indispositus ad absolutionem sacramentalem recipiendam, & ita hanc sententiam tenuit Adrianus *in 4. de restitut. q. de collat. benef.* & Girald. Odon. quem refert Salon. *2. 2. q. 61. art. 2. contr. 15. in principio.*

II. *Dubitatio resoluitur, & explicatur*

### DVBITATIO I.

*An teneatur ad restitutionem beneficij impediens alium vi, dolo, aut fraude, adhibita Collatori, vel roganti pro beneficio?*

Dico primò, qui vi, aut fraude impedit aliquem à consequendo beneficio, quo erat dignus, vt si illum vi detineat, vel minetur ei ne sollicitet, vel litteras intercipiat, vel fraude auertat à beneficio prosequendo: vel similiter minetur collatori, ne conferat tali, aut persuadendo ipsum esse indignum, ignarum, &c. idque falsò, tenetur ad restitutionem, quanti iudicio prudentia viri ea spes ipsi valebat. Probatur, quia etsi talis non habeat ius in beneficio ante collationem, neque ante litteras signatas habeat ius ad beneficium quod prosequitur, habet tamen ius ad illud prosequendum, rogando, sollicitando, &c. ergo vi, dolo, & fraude impediens aliquem à consecutione beneficij, tenetur ad aliquam compensationem iudicio prudentis; non tamen ad æquale, quia nondum fuerat adeptus beneficium, & poterat multipliciter impediri: violauit enim sic impediens iustitiam commutatiuam; vis enim, dolus, & fraus sunt medium contra iustitiam commutatiuam, vt bene docet Bann. *2. 2. q. 62. art. 2. dub. 2. concl. 1.* Et ita hanc sententiam docent D. Thom. *2. 2. q. 62. art. 2. ad quartam.* Bann. *loc. cit.* Nauarr. *summ. 17. num. 73. vers Dixi etiam.* hos sequitur Less. *lib. 2. de Iust. c. 12. dist. 18. n. 123.* Sanchez *lib. 2. oper. mor. cap. 22 num. 21.*

Dico secundò, Titius Neapoli scribit Romam ad Caium Clericum, significans vacare beneficium in mense Pontificis, vt illud sibi impetret: si Sempronius suppressit litteras, vel serò eas reddidit Caio, & illum præueniens apud summ. Pont. obtinuit beneficium, tenetur Sempronius ad restitutionem quanti spes Caij obtinendi beneficium iudicio prudentis æstimabitur; quia ex suppressione litterarum, & omissione tempestiuè illas tradendi, directè sequitur, quòd non possit Caius prosequi illud beneficium, & consequenter amissio illius, quod iniustè irrogatur contra Caium: tenebitur ergo Sempronius Caio, non quanti valet beneficium, sed quanti spes obtinendi æstimabitur.

Dico tertiò, si Sempronius litteras tempestiuè tradidit, sed illas antè artificio quodam apertas legit, & sibi beneficium impetrauit, probabilius est non teneri ad restitutionem. Idem dicendum si inuentas in cubiculo Caij Sempronius illas legit, & ex tali notitia sibi beneficium comparauit. Probatur, quia etsi commissa sit iniuria aduersùs Caium in apertione, & lectione litterarum, non tamen in comparando beneficium, cùm Caius non haberet maius ius ad comparandum sibi beneficium, quàm alter, & cuiuis esset ius solicitandi beneficij impetrationem. Tum, quia, etsi notitia beneficij per iniqua media sit parta, tamen postquam iam habetur, est illius, qui illam possidet, &

potest

potest ea vti in suum commodum non minus, quàm si iusto modo acquisita esset: tum quia damnum illud non sequitur ex apertione, aut sectione litterarum, nisi remotè, & per accidens, quatenus inde sequitur notitia beneficij, non enim Cajus caret beneficio, quia Semptonius eum impedinit per iniuriam, sed quia sibi diligenter, & sollicitè conferri curauit. Videatur Less. *loc.cit. num.* 132.

### Dubitatio II.

III. *An impediens solis precibus apud collatorem ne beneficium digniori præbeatur, teneatur ad restitutionem?*

Dico quartò, satis est probabile, quòd impediens solis precibus, & suasionibus apud collatorem, ne beneficium conferatur digniori, non teneatur ad aliquam compensationem ipsi impedito faciendam; quia beneficia non conferuntur, nec distribuuntur tanquam debita personis, sed tanquam debita seruitio Ecclesiarum, ita vt malè conferens, & impediens digniorem, non faciat commodum, aut damnum principaliter digniori, sed ipsi Ecclesiæ. Ita bene Sotus *lib. 4. de Iust. quæst. 6. art. 3. ad finem.* Beia *in lib. casuum fol.* 158 *mihi.*

Tum, quia licèt iustitia distributiua illud, aut illud beneficium aliquibus dare obliget, tamen nemini ius perfectum quod appellant in re, quo suum fiat concedit, nec imperfectum, quod appellant ad rem, quo debitum illi sit, & possit illud iure petere, quamuis sit dignior, nec vnquam talis vsus in Ecclesia Christiana fuit, etsi multoties diuisor non dando digniori peccet, & similiter solis precibus, & suasionibus impediens digniorem à consecutione beneficij. Ita Nauarr. *summ. c. 17. num.* 73. Less. *lib. 2. de Iust cap.* 12. *dub.* 18. *num.* 128.

Quamuis Caiet. 2. 2. *q. 62. art.* 2. Bannes *q. 62. art. 2. cit. dub.* 11. *concl.* 7. contrariam opinionem sustineant, & satis rationabiliter, quia impediens digniorem, facit contra iustitiam commutatiuam, quia tenetur vnusquisque non impedire ius alienum, sed dignior habet ius in oppositione, & concursu ad beneficium respectu distributoris, qui tenetur digniori conferre; ergo solis precibus impediens digniorem, tenetur ad aliquam compensationem, quia omnis læsio contra iustitiam commutatiuam, & omnia damna per restitutionem reparari debent.

Sed sustinendo primam opinionem, ad hoc respondetur quòd dignior non habet ius in beneficio, nec ad beneficium, nisi in libera voluntate collatoris: si ergo relinquamus collatorem in sua libertate, nec aliquid facimus, quod illi libertati repugnet, non censemus iustitiam distributiuam violare; cùm ergo preces, suasiones, munera, blanditiæ, non repugnent libertati, non enim collator inuoluntariè censetur facere, quod ita inductus facit: consequenter etiam nec digniori iniuriam facimus contra iustitiam commutatiuam, qua tenemur ius alienum non impedire: cùm nullum ius habeat dignior ante collationem in beneficio, vel ad beneficium, per quod acquirat sibi aliquam actionem, vel officium iudicij ad iure petendum beneficium: sed totum ius positum sit in voluntate collatoris, quæ suasionibus, & precibus non læditur. Videantur Sotus, Nauarr. Less. *loc. citatis.*

IV. *Ad rationem à principio respondetur.*

Ad rationem à principio adductam, vt aduersatur primo nostro dicto, respondetur quòd licèt dignus non habeat ius in beneficio, neque ad beneficium ante collationem, habet tamen ius ad illud prosequendum, rogando, sollicitando vt sibi conferatur. Vnde si quis eum impediat a consequendo beneficio vi, dolo, & fraude, cùm hæc sint media contra iustitiam commutatiuam, qua tenemur ius alienum non impedire: tenetur sic impediens ad aliquam compensationem iudicio prudentis; quia omnis læsio, vt diximus, contra iustitiam commutatiuam, & omnia damna per restitutionem, & recompensationem reparari debent, vt bene docet Bann. 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *dub.* 12. *concl.* 7. Saluo semper, &c.

Non erit igitur absoluendus, qui vi, dolo, & fraude alterum à consecutione beneficij impediuit si aliquam compensationem impedito, iudicio prudentis facere noluerit: quia etsi illum non eiecerit à possessione beneficij, nondum illi collati, impediuit tamen illum à iure, quod habebat ad illud prosequendum, rogando, & sollicitans, vt illud sibi conferretur, &c.

## DISQVISITIO IV.

## *De Acceptione personarum.*

### Articvlvs Vnic.

### An acceptio personarum sit peccatum, & quale peccatum, & in quorum bonorum distributione locum habeat?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Declaratur, quid sit acceptio personarum.*
3. *Dubitatio resoluitur quoad primam quæsiti partem.*
4. *Dubitatio resoluitur quoad secundam partem quæsiti.*
5. *An quando elector est vnicus, committat peccatum acceptionis personarum eligendo dignum relicto digniori.*
6. *Ad rationem à principio respondetur.*
7. *An in bonis merè liberis distribuendis possit esse peccatum acceptionis personarum.*

I. *Pars negatiua probatur.*

Videtvr enim quòd acceptio personarum non sit peccatum. nam apud Deum nulla potest esse iniquitas, vel peccatum; sed Deus videtur personam accipere, quia interdum duorum hominum vnius conditionis, vnum assumit per gratiam, & alterum relinquit in peccato, secundùm illud Matth. 24. *erunt duo in lecto vno, vnus assumetur, & alius relinquetur.* ergo acceptio personarum non est peccatum.

### Dvbitatio I.

II. *Quid sit acceptio personarum?*

Dico primò, acceptio personarum est iniustitia, qua in distributione præmiorum, vel bonorum communium, quæ pro meritis debentur, vnus alteri præfertur propter indebitam causam, vt qui beneficium conferendum ob doctrinam, confert ob affinitatem, hæc definitio apertè colligitur ex D. Aug. *lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum, c. 7. tom. 7.* & ex D. Thom. 2. 2. *q. 63. art.* 1.

III. *Dubitatio resoluitur quoad primam quæsiti partem.*

Dico secundò, acceptio personarum est peccatum mortale ex suo genere. Probatur, quia directè, & ex diametro repugnat iustitiæ distributiuæ; sed omnis iustitia, quæ ita virtuti iustitiæ aduersatur, est peccatum mortale ex suo genere, vt ostenditur communiter à Theologis 2.2.q.59.art.4. ergo, &c. Quòd autem directè repugnet iustitiæ distributiuæ, probatur; quia iustitia distributiua, quoda, solaque merita respicit; acceptio verò personarum personas ipsas, vel alias qualitates, quæ in ordine ad bonum distribuendum non habent rationem meriti. Ita Bann. 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 1. *conclus.* 2.

IV. *Dubitatio resoluitur quoad secundam partem quæsiti.*

Dico tertiò, vbicunque est aliqua distributio rerum aliquo modo debitarum inter plures, ibi suo modo locum habet acceptio personarum. Vnde iudex si aliquid respiciat præter causarum merita, committit hoc vitium acceptionis personarum, ius enim suo modo est quoddam bonum commune distribuendum partibus. Item in collatione beneficiorum, & electione, & præsentatione ad illa, reperitur peccatum acceptionis personarum si non dignioribus conferantur. Item in electione officialium communitatis debet seruari iustitia distributiua, vt melioribus, qui proponuntur, detur suffragium, quando electio fit per plura suffragia, & eligendus est pars Reipub. Quia sicut ciues tenentur seruare erga suam Rempubl. iustitiam legalem, curando bonum illius; ita Respubl. erga suos ciues tenetur seruare iustitiam distributiuam, conferendo bona communia ipsius pro meritis. Ita bene Salon. 2.2.q.63.art.2.controuersia 9.concl.2.

DVBITATIO II.

V. *An quando elector est vnicus, committat peccatum acceptionis personarum eligendo dignum, relicto digniori?*

Dico quartò, quando elector est vnicus, siue supremus Princeps, siue quiuis alius committit peccatum acceptionis personarum si eligat dignum relicto digniori, si electio est facienda ex partibus, & ciuibus eiusdem Reipubl. si verò fieri possit electio ex alienis, & extraneis, licebit eligere dignum relicto digniori.

Prima pars probatur, quia Respub. transtulit in illum electorem dominium, & ius eligendi, com hac implicita, & virtuali conditione, vt illa bona eo ipso, quo distribuenda sunt in partes, & ciues Reipubl. distribuantur vt bona communia conferenda ciuibus, quæ distribuenda sunt iuxta leges iustitiæ distributiuæ, id est, pro meritis.

Secunda verò pars probatur, quia forma iustitiæ distributiuæ est tantùm seruanda, quando dispensatur aliquod bonum commune quod ciuibus & partibus Reipubl. debetur, sed in electione, quæ potest fieri ex alienis, & extraneis, hæc officia non sunt bona communia debita ciuibus. ergo, &c. Ita bene Caiet. *summa verb. Electio.*

VI. *Ad rationem à principio respondetur.*

Ad rationem positam à principio, quæ militat contra secundum dictum, respondetur cum D. Thom. *ad Rom.* 2. *lect.* 2. quòd in Deo non potest esse acceptio personarum: quia Deus, nunquam operatur, nisi ex rationabili causa, ac subinde in nulla operatione, siue distribuat gratuita, siue donet debita, siue naturalia, siue supernaturalia, non accipit personam; quia acceptio personarum distributionem bonorum importat propter indebitam causam. Videatur alia solutio apud eundem D. Thom. 2.2.q.63.art.1. *ad* 3. videatur etiam Bann. 2.2.*cit.art.*1.*dub.*2.

DVBITATIO III.

VII. *An in bonis merè liberis distribuendis possit esse peccatum acceptionis personarum?*

Obserua hîc vnum, quòd licèt in bonis merè liberis non contingat acceptio personarum, Prælatus tamen si bona libera, quæ *gratiæ* dicuntur, concedat solùm auxiliatiis sibi; qui verò illum elegerunt, exceptis omnibus aliis, committit peccatum acceptionis personarum, quia ista bona gratiæ, scilicet quæ conceduntur à Prælatis, sunt quodammodo communitatis; eo enim ipso quòd Prælatus instituitur, communitas habet ius, vt illi dentur aliquando ista bona, quæ *gratiæ* dicuntur, vt licentia, dispensatio, &c. Tum, quia subditi habent ius, ne excipiantur à communibus fauoribus. Videatur Magister Bann. 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 1. *in commentario vers. ex quo sequitur, quod in bonis*, &c.

# DISQVISITIO V.

## *De Accusatione.*

### ARTICVLVS I.

### An quis accusare aliquando teneatur ex præcepto, & sub peccato mortali?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, & explicatur, Quid sit accusatio.*
3. *An quando crimen est contra bonum commune, teneatur quis sub peccato mortali accusare reum.*
4. *An quando crimen est contra personam priuatam, teneamur accusare reum.*
5. *An quis teneatur accusare crimen occultum quod probare non potest.*
6. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

I. *Pars negatiua probatur.*



Via accusatio non potest fieri sine proprio damno, & detrimento, accusando enim quis incurrit magna pericula: si enim non probat, subire debet pœnam talionis, aut aliam pœnam grauem, & vtplurimum incurrit odium, & inimicitias multorum: at nemo tenetur aliquod officium præstare cum suo magno damno, & detrimento; ergo, &c. Et ita hanc sententiam sustinet Angelus *in verbo Accusatio*, §. *secundo.*

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

DVBITATIO I.

*Quid sit accusatio?*

Dico primò, accusatio est delatio rei de crimine in libello ad vindictam propter bonum commune, cum

cum inscriptione accusantis, qua accusator se obligat ad pœnam talionis. Ita Syl. *verb. Accusatio.* Ex consuetudine verò hæc solemnitas in foro sæculari non est necessaria, sufficit enim accusatio verbalis per Notarium in scriptis redacta, neque est in vsu quòd accusator se obliget ad pœnam talionis, quia id maximè retraheret homines ab accusando, quamuis si deprehensus fuerit accusator per calumniam accusasse, grauiter posset puniri, vt docet Couarr. *lib. 2. variar. cap. 9. n. 1.* Sayr. *lib. 12. c. 15. clau. n. 3.*

## Dvbitatio II.

### III. *An quando crimen est contra bonum commune, sub peccato mortali teneatur quis accusare reum?*

Dico secundò, quando crimen est contra bonum commune in fieri, & in procinctu vt fiat: vt si sit crimen hæresis, quæ immediatè nocet fidei, & Religioni, compilatio ærarij publici, proditio ciuitatis, & patriæ, rebellio, coniuratio in Principem, falsificatio monetarum, &c. illúdque sufficienti testimonio quis probare possit, tenetur quilibet sub peccato mortali illud per accusationem iudici deferre: quia iure naturæ vnicuique incumbit cura boni communis, sed aliquando accidit, vt non possint commodè vitari talia delicta, nisi deferantur ad potestatem publicam. ergo, &c. Ita bene D. Thom. 2. 2. *quæst. 68. art. 1.* & *ibi* Caiet. Sotus *lib. 5. de Iustitia, q. 5. art. 1.* Syl. Tabiena, Armilla *verb. Accusatio.*

Dico tertiò, si delicta sunt iam facta, nec actu iam manent, nullus accusare, nec denunciare tenetur, quamuis fuerint contra bonum commune. v.g. Cognouisti aliquem, qui fuit falsificator monetarum, aut parauit insidias Principi, vel in hæresim prolapsum, tamen illum scis omnino pœnituisse, & ab errore discessisse, non teneris denuntiare, nec accusare. Ita rectè annotauit Sayr. *lib. 15. Clauis cap. 14. n. 7.* Toletus *lib. 5. cap. 57. num. 3.*

Quamuis licitè possemus reum accusare etiamsi veram sui peccati pœnitentiam egerit: si crimen sit publicum, & scandalum notorium non sit totaliter sublatum; quia per pœnitentiam satisfit Deo, sed per punitionem in iudicio impositam satisfit Reip. vt cæteri timeant, & metu pœnæ à peccatis deterreantur, & consequenter omnes in pace, & quiete viuant: sic bene, imò communiter receptum *in cap. de his, de accusat.* & Gloss. *ibidem.* Non tamen sub præcepto tenemur reum post veram pœnitentiam accusare si sit plenè emendatus, & nullum imposterum ob crimen illius incommodum Reipub. timeatur. Ratio huius est, quia nemo particularis sub præcepto tenetur ad omnem promotionem boni publici, licèt teneatur quilibet ad defensionem boni publici: vt optimè obseruauit Bannes 2. 2. *quæst. 68. art. 1. dub. 2. conclus. 3.* Videatur etiam Caiet. 2. 2. *quæst. 33. art. 17.* Azor. *p. 3. instit. moral. lib. 13. cap. 19. dub. 3.*

Obserua tamen quòd si aliquis optimæ famæ committat delictum quod per duos, vel tres testes probari possit, si secretò monitus fuisset emendatus, & correctus, tunc nec teneremur, nec licitè possemus talem accusare apud iudicem, vt cæteri timeant, & metu pœnæ deterreantur: quia in isto casu maius damnum inferretur Reipubl. ex tali accusatione, quàm sequeretur emolumenti ex publica punitione talis delicti; quia plures potiùs scandalizarentur, & occasionem sumerent similia delicta committendi ex reuelatione talis delicti, quàm retraherentur à peccando per talem publicam punitionem. ergo in hoc casu nec tenemur, nec licitè possumus talem delinquentem, qui aliàs fuit maioris probitatis notæ, accusare etiam propter bonum commune, cùm plus damni inferatur Reipubl. & bono communi ex tali publica punitione, quàm sequatur emolumenti, cùm potius occasio aliis præberetur delinquendi, & similia committendi, quàm quòd retraherentur à peccando. Ita bene Salon. 2. 2. *q. 68. art. 1. controuersia 2. conclus. 3. vers. Tertiò iuxta oppositam sententiam.*

## Dvbitatio III.

### IV. *An quando crimen est contra personam priuatam, teneamur accusare reum?*

Dico quartò, quando crimen est contra tertiam aliquam personam priuatam, & in fieri, & in procinctu vt fiat, si testes habeas, quibus probare possis, teneris accusare, si alio modo impediri non potest malum proximo intentatum; quia tenetur vnusquisque quantum potest via licita proximum ab omni damno, & iniuria illæsum tueri, iuxta ea quæ docet D. Thom. 2. 2. *quæst. 33. art. 7.* Sot. *lib. 5. de Iustitia, quæst. 5. art. 1.* ante solutionem argumentorum. Salon. 2. 2. *q. 68. controuersia 1. conclus. 1.*

Dico quintò, si crimen non sit in alicuius tertij damnum, & præiudicium, licèt in damnum ipsius operantis, etiamsi non sit iam inchoatum, sed sit in procinctu vt inchoetur, & fiat, ad nihil tenetur illud sciens, nisi ad correptionem fraternam. Probatur ex illo Domini Matthæi 18. *Si peccauerit in te*, id est, te sciente, *frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum*, &c. Ita Sayr. *lib. 15. clauis Regiæ, c. 14. n. 9.*

## Dvbitatio IV.

### V. *An quis teneatur accusare crimen occultum quod probare non potest?*

Dico sextò, nemo tenetur accusare, nec denuntiare denunciatione iuridica crimen occultum quod probare non potest, etiamsi vergerat in damnum publicum, aut tertiæ personæ imminens in futurum; quod enim scimus, & probare nequimus, non videmur scire ad effectum accusandi reum machinantem tale crimen, & denunciandi illum apud iudicem. Videatur Nauarr. *cap inter verba 11 q. 3. conclus. 6. coroll. 66. n. 786.* & *in summ. c. 18. n. 61. vers. 34.* & *c. 25. n. 46. vers. 2.* Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 13. n. 1.* Tum, quia accusatio, & denunciatio iuridica fit ad vindictam & punitionem, & non ad emendationem: quod autem probari non potest iuridicè, puniri non potest. Videatur Sayr. *loc. cit. num. 35.*

Obligamur tamen, vt obseruat Nauarr. *num. 786.* omni modo possibili ad impediendum tale damnum machinatum contra bonum commune, aut tertiæ personæ imminens in futurum, si probari non potest, dicendo iudici extraiudicialiter, & ei qui prodesse, & non obesse potest, siue monendo eum, cui damnum præparatur, vt curam sui gerat, & custodiat se quantum potest, non tamen detegendo personam. Sayr. *eod. loc. & num. 35.*

### VI. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

Ad rationem à principio positam respondetur, quòd nemo tenetur accusare, denuntiare, aut testari, etiamsi iuramento sibi præstito cogatur ad testificandum, si sibi suisque notabile damnum timeat, dummodo iuratus se dicturum veritatem, mente restringat

se

se dicturum veritatem, quatenus iure tenetur:& cùm nemo teneatur iure hæc officia præstare, si damnum notabile sibi suísque immineat, inde non est periurus. Ita Nauarr. *cap. 25. summa n. 50.* Less. *lib. 2. de Iust. cap. 30. dub. 6. num. 50.*

Inde obseruat Bann. 2. 2. *quæst. 68. art. 2. dub. 2. ad 3. argum.* quòd homo debet esse certus moraliter, quòd poterit probare testibus crimen quod accusat, vt obligetur ad illud sub præcepto accusandum: quòd si dubitatet testes non esse testificaturos, non tenetur sub præcepto ad accusandum, ne se exponat magno alicui periculo.

Addit tamen Nauarr. quòd ob bonum commune seruandum tenemur accusare, denuntiare, & testari, etiamsi damnum notabile nobis nostrísque immineat, si alia via impediri non potest damnum imminens communitati, cùm bonum commune præferri debeat priuato. Vide Sayr. *n. 10. loc. cit.*

---

## ARTICVLVS II.

## An secreta monitio debeat præcedere denuntiationem & accusationem iudicialem, sicut debet præcedere denuntiationem Euangelicam?

### SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Explicatur, quid sit denuntiatio Euangelica, quidve iudicialis.*
3. *An monitio debeat præcedere denuntiationem Euangelicam.*
4. *Dubitatio resoluitur de delicto, cuius manifestatio non est contra bonum commune.*
5. *An accusans iuridicè ante secretam monitionem peccet contra charitatem, & iustitiam, & teneatur ad restitutionem damni.*
6. *Dubitatio resoluitur de delicto, cuius manifestatio est necessaria pro bono communi.*
7. *An teneamur ad præceptum correptionis fraternæ ante denuntiationem iudicialem, quando delictum est publicum cum scandalo.*
8. *An licita sit accusatio ante correptionem, quando tantùm intenditur recuperatio famæ, vel rei.*
9. *An liceat accusare, quando reus offert offenso plenam satisfactionem.*
10. *Ad rationem a principio respondetur.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

QVia Christus Dominus *Matth.* 18. simpliciter & in vniuersum præcipit in omni delicto fratrem priùs fraternè corripi, quàm ad Superiorem deferatur, nec distinguit inter accusationem, vel denuntiationem Euangelicam, aut iudicialem. ergo, &c. ita Durandus *in 4. dist. 19. q. 4. ad 1.* Syl. *verb. Accusatio, n. 3.*

### DVBITATIO I.

II. *Quid sit denuntiatio Euangelica, quidve iudicialis.*

Dico primò, denuntiationem Euangelicam iudicialem, & accusationem sic posse definiri: Euangelica denuntiatio est delatio criminis ad Prælatum vt patrem, gratia emendandi fratrem: iuridica est delatio criminis ad iudicem gratia punitionis delicti sine obligatione libelli accusatorij, aut probandi delictũ. Accusatio verò est delatio criminis ad iudicem gratia punitionis delicti cum obligatione libelli accusatorij, & probandi delictũ. hæ definitiones colliguntur ex D. Th. 2. 2. *q. 68. art. 2. ad 3.* & ex corpore articuli.

### DVBITATIO II.

III. *An monitio debeat præcedere denuntiationem Euangelicam?*

Dico secundò, denuntiationem Euangelicam, absolutè loquendo, præcedere debet monitio secreta: quia cùm fiat in bonum peccantis, seruandum est simul bonum conscientiæ, & bonum famæ, quantum fieri potest. Ita docet D. Th. 2. 2. *q. 33. art. 7.* & interpretes eius loci, quos sequitur Sayr. *lib. 12. Clauis, c. 10. num. 6.* Tum quia denuntiatio Euangelica tendit in emendam fratris; ergo si frater emendetur per correctionem secretam, non est vlteriùs progrediendum per denunciationem Euangelicam, ambæ enim tendunt in eundem finem, nempe emendam fratris.

### DVBITATIO III.

IV. *De delicto, cuius manifestatio non est contra bonum commune.*

Dico tertiò, quando delictum est occultum in ore duorum, vel trium, vel saltem paucorum, nec eius punitio & manifestatio est necessaria bono communi, nec priuato bono alicuius innocentis, certúmque sit fratrem illum secreta monitione emendandum, simúlque prouisum est bono communi, & bono priuato innocentis, nec vllum est periculum in mora, corripiendus est prius, quàm accusandus, seu iuridicè denuntiandus. Probatur, quia lege charitatis, & iustitiæ tenemur bono publico & priuato innocentis prospicere quantum fieri potest, sine detrimento famæ, & iactura fratris: vt Princeps in defendenda sua ciuitate tenetur, quantum fieri potest, non euertere hortos, & villas suorum ciuium, &c. sed in hoc casu correctione fraterna prospicitur sufficienter bono cõmuni & priuato innocentis, vt supponimus: ergo non est accusandus, nec iuridicè denuntiãdus, quin priùs corripiatur. Ita docet D. Thom. 2. 2. *q. 33. art. 7.* Bannes 2. 2. *q. 68. art. 1. dub. 1. concl. 1* Salon. *ibid. controuersia 2. conclus. 2.*

### DVBITATIO IV.

V. *An accusans iuridicè ante secretam monitionem peccet contra charitatem & iustitiam, & teneatur ad restitutionem damni?*

Dico quartò, in casu præcedentis dicti tertij accusans & denuntians iuridicè ante secretã monitionem, non dũ peccaret contra charitatem, quia noceret fratri, sine necessitate, sed etiã contra iustitiã, quia ille adhuc habet ius ad suũ honorem, & famã, cùm sit res secreta, nec exigatur propter aliquod bonum manifestatio & infamia delicti ipsius: ex quo sequitur sic accusantem, & denuntiantem iuridicè teneri ad restituendum omnia damna ex tali accusatione sequuta, cùm contra iustitiam accusauerit, & damna illa iniustè intulerit. Ita bene obseruauit Salon. *loc. cit. vers. Denique.* Bannes *loco immediatè cit. concl. 2. fine.* Lopez 1. *part. instruct. cap. 160. vers. secundò post hoc.*

### DVBITATIO V.

VI. *De delicto cuius manifestatio est necessaria pro bono communi.*

Dico quintò, quando crimen est contra bonum commune, à quo qui in illud incidit sciens, & prudẽs, difficillimè solet recedere, & reuocari, vt est crimen hæresis contra bonum commune Religionis,

sed ad ius diuinum, cuius applicatio, & cognitio per se iocumbit Theologo, à quo id petendum est. Iuristæ enim, & Canonistæ solùm considerant ista in ordine ad causas forenses, non io ordine ad forum animæ, ideo nos qui agimus Theologos, explicamus quando exigatur, quando oon: ita bene Salon. 2.2.q.68.art.1. controu.2 ad 3.argumentum.

## ARTICVLVS III.

## An accusationem & denuntiationem iudicialem debeat admonitio priuata præcedere, quando Prælati, vel Episcopi in suis edictis iubent blasphemos, v.g. vel eos, qui tale crimen commiserint, denunriari?

### SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur quanam sint delicta notoria, quave occulta.*
3. *Quotuplex sit notorium, & an omne publicum sit notorium.*
4. *Quidnam sit crimen occultum.*
5. *Dubitatio resoluitur, quoad crimina occulta.*
6. *An non valens probare delictum, teneatur reuelare iuridicè si id illi sub pœna excommunicationis præcipiatur.*
7. *An Episcopi possint præcipere sub pœna excommunicationis vt denuntientur blasphemi, vel alij delinquentes, absque præuia correctione fraterna.*
8. *An quis teneatur accusare delinquentem, vel seipsum, quando non laborat aliqua criminis infamia.*
9. *An quis teneatur reuelare reum, si timet sibi, vel fuit aliquod damnum temporale, vel spirituale.*
10. *An teneamur obedire edicto Episcopi sub pœna excommunicationis mandantis reuelare crimen, quando est contra nos ipsos, vel quando probabiliter creditur ea correctione reum emendandum.*
11. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

### I. *Pars negatiua probatur.*

QVia accusatio & denunciatio iodicialis, non Euangelica, priustam admonitiooem non postulat, cùm non ad emendationem eius, qui deliquerit, refertur, sed in buoum publicum ad crimina, & facinora pœnis debitis punienda. ergo, &c. Et ita hanc sententiam tenet Azor. *lib.9. instit. mor.part.1.cap.18. dub.* 8.

### DVBITATIO I.

### II. *Quanam sint delicta notoria, quave occulta?*

Dico primò, quòd delicta aliqua sunt publica, & notoria, alia verò occulta. Delictum publicum, seu notorium est duplex, famosum & manifestum: famosum est quod omnibus, vel pluribus alicuius communitatis patet, & publica fama diuulgauit. Manifestum est duplex, aliud simpliciter, & aliud secundùm quid. Siopliciter illud est, quod multis populis, in quibus peccator existit, innotuit; manifestum secundùm quid est quod plures in aliqua vicinia, Collegio, vel monasterio norunt. Dicitur secundùm quid manifestum, quia qood in tali vicinia, Collegio, vel monasterio est manifestum ratione totius populi, quodammodo dici potest occultum, & hoc manifestum in vicinia, Collegio, vel monasterio dicitur simpliciter notorium. Vide Suarez *tom.5. disp.10. sect.3.* Bonac. *tom.2. tract. de cens. disp.1. c.6. puncto 1 fol.94.* Salon. *2.2.q.68 art.1 controuers.4.*

### DVBITATIO II.

### III. *Quotuplex sit notorium, & an omne publicum sit notorium?*

Dico secundò, notorium triplex dicitur, notoriom iuris, aliud facti, aliud secundùm ioris præsumptionem. Notorium iuris illud est, quod io iudicio scitur, aut per sententiam iudicis, aut per coofessionem rei in iudicio, aut per claram testium probationem in iudicio: notorium facti illud est, quod à pluribus scitur, decem saltem personis, vt si Petrus occidit virum coram decem hominibus: notorium ex præsumptione iuris, est illud quod per se non est euidens, sed dicitur tale propter vehementes coniecturas, & signa ipsum significantia, vt si Clericus cum muliere suspecta sub eodem tecto cohabitaret, quam omnes ferè dicunt esse suam concubinam, talis concubinatus diceretur notorius præsumptione iuris. ita bene explicat Rodriq. *tom.1.qq.reg.q.6.art.4.*

Hic tamen obserua cum eodem, quòd licèt omne crimen notorium his tribus viis sit publicum (quæ enim sciuntur in iudicio per confessionem rei coram iudice, & notario, similiter quæ sciuntur in processu iuridico per testes sufficientes probata, publica dicuntur: quia processus iuridicus, est actus publicus:) non tamen omne publicum est notorium, potest enim crimen esse publicum à maleuolis publicatum sine aliqua facti certitudine, aut euidentia, non tamen crimen esset tunc in se notorium.

### DVBITATIO III.

### IV. *Quidnam sit crimen occultum?*

Dico tertiò, crimen occultum dicitor illud, quod non est aliquo ex his modis in secundo dicto explicatis, notum, quamuis sciatur à duobus, tribus, aut quatuor, aut etiam pluribus, & per eos probari possit, siue tantùm sciator ab vno, & probari non possit. Ita Nsuarr. *summ.c.17.num.250.in fine.* Sanchez *lib.1. oper. mor.c.11.n.19.* Suarez *tom.4.in 3.part.disp.30.sect.2.n.1.* Valent. *2.2. quæst.10. de correctione frat. disp.3. punct.5. versu 4.certum est.* Quamuis Angles de Floribus *1 part. de Confess.q.4.art.5.difficult.6.* citatos à Sanchez *loc. immediate cit.* asserat delictum occultum dici quando ita occultum est, vt in iudicium deferri nequeat, eo quòd probari non possit. Sed communior, & probabilior est prima opinio, vnde Sanchez *lib.8.de matr.disp.34.n.55.* clausula illa in litteris sacræ Pœnitentiariæ solita appooi, *dummodo crimen sit occultum, vel impedimentum sit occultum*; intelligitur, inquit, de crimine, seu impedimento occulto, vt distiognitur contra publicum. Quare licèt ab aliquibus sciatur, ac proinde probari possit, diceretur nihilominus occultum.

### V. *Dubitatio resoluitur quoad crimina occulta.*

Quando peccatom est occultum, aut peccator se correxit, aut sola priuata correctione probabiliter creditur seipsum emendaturum, tunc non est parendum edictis Superiorum ante fraternam correctionem, etiamsi sub pœna excommunicationis præciperent, vt fieret denunciatio non præmissa correctione fraterna; quia ex Christi mandato accusationem, & denunciationem iudicialem debet præcedere fraterna correctio, quòd præcepto inferioris tolli non debet. Ita apertè colligitur ex S.Thom.2.2.*quæst.33.art.7.ine. & ad 5.* quem sequitur Sayr.*lib.1 de cens.c.9.n.34.*

Dico quintò, crimina occulta ſi vergant in damnum publicum, aut tertiæ perſonæ imminens in futurum, præmiſſa correctione fraterna, ſi per eam creditur emendanda, aliàs omiſſa etiam monitione priuata poſſunt, & debent indici manifeſtari, & multo magis ſi extet edictum Superioris præcipientis ſub pœna excommunicationis huiuſmodi delicta denuntiari, ſi aliàs probari poſſunt; quia nemo tenetur accuſare, vel iuridicè denuntiare, quod probare non poteſt. Probatur, quia maior eſt habenda ratio boni communis, & innocentum, quibus malefactores damnum inferre moliuntur, quàm famæ horum, qui à malo perpetrando deſiſtere nolunt. Videatur Sayr. *lib.* 12. *Clauis, cap.* 14. *num.* 32.

## Dvbitatio IV.

VI. *An non valens probare delictum, teneatur reuelare iuridicè, ſi id illi ſub pœna excommunicationis præcipiatur?*

Dico ſextò, ſi quis peccatum reuelandum nullo modo probare poteſt, non tenetur reuelare iuridicè, etiamſi ſub pœna excommunicationis præcipiatur ei; quia quod ſcimus, & probare nequimus, non videmur ſcire ad effectum illud accuſandi, & denuntiatione iuridica illud denunciandi, quia accuſatio & denuntiatio iuridica fit ad punitionem, & non ad emendationem; delictum verò quod probari non poteſt, nequit publicè puniri: ita bene Nauarr. *ſumm. c.* 18. *num.* 61. *verſ.* 34. *c.* 25. *n.* 46. *verſ.* 2. Sayr. *lib.* 2. *de cenſ. cap.* 9. *num.* 14. Sanch. *lib.* 3. *de matr. diſp.* 13. *n.* 1.

Dico ſeptimò, ſi Prælatus in viſitatione præciperet ſub pœna excommunicationis, vt ei reueletur delictum aliquod, ſi ſit occultum, & probari non poſſit, ſi priuata noſtra monitione fraterna non emendetur, tenetur ſubditus reuelare illud extraiudicialiter Prælato tanquam Patri, ſi probabiliter ſciat, quòd Prælatus poſſet prodeſſe, & non obeſſe, ſalutem animæ delinquentis quærens. Quia hoc expoſcit ordo charitatis, quòd ſi frater noſtra priuata monitione non reſipiſcit, manifeſtetur delictum ipſius Prælato tanquam Patri, ſi prodeſſe ſaluti delinquentis probabiliter ſciamus, ſecus aliàs ſi non prodeſſe, & ſalutem animæ delinquentis non quæreret: nam denuntiatio Euangelica facta Prælato tanquam Patri, reſpicit pro fine particulare bonum fratris procurandum illi à Prælato ex paterna charitate. Ita bene Armil. *verb. Accuſatio, n.* 29. quem ſequitur Nauarr. *ſumm. c.* 17. *n.* 134. & idem *cap. inter verba* 11. *quæſt.* 3. *concl.* 6. *corollario* 66. *num.* 782. & Toletus *ſumm. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 3. Sayr. *loc. nuper allegato, num.* 36. Azor. *part.* 3. *oper. mor. lib.* 13. *c.* 28. *dub.* 2. *verſu ſi quæras*, &c.

## Dvbitatio V.

VII. *An Epiſcopi poßint præcipere ſub pœna excommunicationis vt denuntientur blaſphemi, vel alij delinquentes, abſque præuia correctione fraterna?*

Dico octauò, Epiſcopi de rigore iuris poſſunt mandare ſub pœna excommunicationis ſuis ſubditis, condendo edicta generalia, vt blaſphemantes, v.g. denuntientur; non tamen poſſunt mandare, vt id fiat omiſſa correctione fraterna, nec vt ſtatim antequam illa congruo tempore, modo, & ordine fieri poſſit, huiuſmodi blaſphemiæ ſibi ſtatim denuntientur; ita colligit ex D. Thom. 2. 2. *q.* 33. *art.* 7. *ad* 5. Nauarr. *tom.* 1. *conſil. lib.* 1. *de offic. iud. conſil.* 10. *num.* 5. Sanchez *lib.* 2. *oper. mor. cap.* 32. *ad finem*. Ratio eſt, quia præcepta Superiorum non debent tollere legem naturalem & diuinam, quam tenemur ſeruare cum fratribus delinquentibus, aliter continerent errorem intolerabilem, nec obligarent.

Dico nonò conſequenter, ſi Prælatus, vel Epiſcopus excommunicationem promulgauerit contra eos, qui non manifeſtauerint reum, qui tale furtum fecit, ſciẽs manifeſtare non debet, quoadusque eum iuxta ordinem correctionis Euangelicæ moneat, & inducere debet vt mandato Epiſcopi, vel Prælati ſatisfaciat, & ſi fur ſatisfecerit, eum manifeſtare non debet, nec etiam ſi non ſatisfaceret, ſi illud probare non poteſt. Nam quando præcipitur, vt qui talem rem ſcit, eam per accuſationem, vel denunciationem iuridicam manifeſtet, intelligitur de eo quod ſcit & probare poteſt. Hæc benè, & formaliter Nauarr. *ſumm. c.* 17. *n.* 134.

Pro maiori intelligentia huius nonæ aſſertionis obſerua, quòd iudex Eccleſiaſticus, ſiue ſecularis quando crimen eſt notorium & publicum, puta furtum, author verò ignoratur, licitè poteſt generali inquiſitione etiam præcipiendo ſubditis ſub pœna excommunicationis, inquirere quis fecerit, vt docet Syl. *verb. Correctio*, §. 8. Leſſ. *lib.* 2. *de iuſt. c.* 29. *dub.* 14. *n.* 114. Azor. 3. *p. lib.* 13. *c.* 16. *diffic.* 1. *verſ. Sed in eaexiſtunt*. Quia ſic ſatisfacit ſuo muneri, quod eſt inquirere & tollere delinquentes: tum, quia populus grauiter offenderetur videns iudicem non inquirere authorem aperti criminis, putaretque eum maleficio fauere: tum, quia nemo poteſt conqueri ſibi factam iniuriam per hanc generalem inquiſitionem.

Hæc autem inquiſitio generalis prodeſt ſolùm vt ſi fortè ſit infamia, vel indicia ſufficientia contra aliquem quæ iudicem latebant, pateant, & nota fiant ipſi iudici, procedat poſtea ad ſpecialem inquiſitionem. Azor. 3. *part. inſtit. mor. lib.* 13. *cit. c.* 16. *diffic.* 2.

## Dvbitatio VI.

VIII. *An quis teneatur accuſare delinquentem, vel ſeipſum, quando non laborat aliqua criminis infamia?*

Non tamen reus tenetur ſeipſum prodere, neque ſubditus teneretur delinquentem manifeſtare, ſi nulla reus furti commiſſi laboraret infamia, etiamſi ſubditus vnà cum alio, vel duobus aliis ſciret; quia duo, tres, vel quatuor teſtes non faciunt publicam famam contra reum, ſed pro inquiſitione ad hoc vt reus detegatur, neceſſe eſt publica fama præcedat contra ipſum. ergo, &c. Ita multi DD. quos refert Salon. 2. 2. *q.* 69. *art.* 2. *controu.* 7. *f.* 516. *col.* 1. *mihi, verſ. ſecunda opinio*. Leſſ. *loc. cit num.* 118. Azor. *loco nuper allegato, diffic.* 4. *verſ. Sed hæc reſponſio*. Sayr. *lib.* 12. *c.* 14. *n.* 28. *Clauis*.

Quòd ſi crimen furti iterum eſſet perpetrandum, & continuandum; quia impenderet damnum tertij: tunc reus eſſet denuntiandus, etiamſi nulla laboraret infamia: Leſſ. *loc. cit. n.* 119. Item ſi frequentarentur furta, homicidia, vel latrocinia, quia apertè hæc ſunt in damnum commune. quicunque ergo nouit, tenetur tunc denuntiare reos commiſſorum criminum, etiamſi nulla laborarent infamia. Quia bonum commune & damnum imminens in futurum præponderat famæ reorum: vide Salon. 2. 2. *quæſt.* 69. *art.* 2. *controu.* 7. *fol.* 516. *col.* 2. *verſ.* 4. *quando frequentantur*.

Aliorum verò opinio eſt, & ſatis probabilis, quòd quando iudex inquiſitione generali inquirit de crimine publico, quis fecerit illud, præcipiendo ſubditis, vt reuelent, obligari ſubditum ad detegendum reum,

ſiue

ſiue ipſe ſubditus ſolus nouerit, ſiue vnà cum alio, vel aliis nouerit: quoniam iudex licitè inquirit, & licitè præcipit ſuis ſubditis, vt reuelent, & ſubditus in caſu prædicto poſſet accuſare reum, vel ſaltem crimen eius denunciare; ergo cùm iuridice à iudice interrogatur, vel ab illo præcipitur reuelari, quis crimen commiſerit, tenetur ſubditus reum detegere, quando crimen eſt publicum, etiamſi reus nulla laboret infamia; & ſibi imputet reus, ſiquidem delictum notorium perpetrauit, vno eum vidente, aut duobus, vel tribus. Azor. *part. 3. inſtit. mor. lib. 13. cap. 16. difficult. 4. verſ. Sed certè probabile, &c.*

## Dvbitatio VII.

IX. *An quis teneatur reuelare reum, ſi timet ſibi, vel ſuis aliquod damnum temporale, vel ſpirituale?*

Dico decimò, ſi admonitus delinquens ſatisfacere nollet, puta ſi eſſet fur qui bona aliena ſubripuiſſet, ſi admonitor probare poteſt, accuſare & denuntiare iuridicè debet, ſi iudex, vel Prælatus præciperet in particulari, vel in communi delictum manifeſtari, & aliàs excommunicationem incurreret, ſi iudex ſub pœna excommunicationis præciperet tale delictum denuntiari: quia præceptum Superioris obligat in licitis. Nauarr. *loc. nuper adducto.*

Dico vndecimò, ſi quis ſua denunciatione, aut teſtificatione timet euenturum ſibi, ſuiſque aliquod magnum damnum ſpirituale, aut temporale in ſua perſona, & ſuorum in honore, aut pecuniariis bonis, non tenetur reuelare; quia nemo tenetur ſuo malo, ſuorúmque, bonum proximi temporale procurare. Ita Reginaldus *in compendiaria praxi part. 3. q. 18.* Imò vocatus, & iuratus non tenetur denuntiare, nec teſtari, dummodo iuratus dicturum ſe veritatem mente reſtringat, quatenus iure teneor; iure autem non tenetur denuntiare, nec teſtari, ſi ſibi, ſuiſque timet ex denuntiatione, vel teſtificatione aliquod notabile damnum: quod ſi quis abſque huiuſmodi reſtrictione iurauerit, tenetur reuelare omnia, quæ abſque peccato reuelare poteſt, vt iuramento ſatisfaciat: vide Nauarr. *cap. 25. ſumm. n. 50.* Leſſ. *lib. 2. de Iuſt. cap. 30. dub. 6. num. 51.*

## Dvbitatio VIII.

X. *An teneamur obedire edicto Epiſcopi, ſub pœna excommunicationis mandantis, reuelare crimen, quando eſt contra nos ipſos? vel quando probabiliter credimus ex correctione reum emendandum?*

Dico duodecimò, in delictis, quæ ſunt in propria cauſa in proprium damnum, non tenetur quis per edictum Superioris præcipientis ſub pœna excommunicationis, accuſare & denuntiare reum. Quia licèt præceptum Superioris obliget in licitis, & hæc accuſatio ſit licita, poſſum tamē, éſtque conſilium Euangelicum, condonare proprias iniurias, & præſumi debet Prælatum in ſuis edictis liberum ſemper relinquere ſubditum ad ſequēda conſilia Euangelica: ita bene obſeruauit Salon. 2. 2. *quæſt. 68. art. 1. controu. 2. regula vltima, f. 494. col. 1. mihi.* Sayr. *lib. 12. Clauis, c. 14. n. 14.*

Dico decimotertiò, delicta notoria, & publica, etiā ſtante edicto Superioris, quo præcipitur talia denuntiari, vel accuſari, ſi probabiliter & certò ſciremus, quòd ipſe publicè delinquens ex correctione ſecreta publicè pœnitentiam ageret vitam in melius mutans, ſuo bono exemplo, publicum ſcandalum tollens: in caſu iſto non liceret accuſare, aut iuridicè denuntiare ſine Euangelica monitione præmiſſa: quia tunc publicum ſcandalum datum publica pœnitentia compenſatur, ſine eo quòd manus ad arma accuſationis, & denuntiationis iuridicæ extendamus: ita bene aſſerit Magiſter Bannes 2. 2. *q. 33. art. 7. dub. 6. verſ. Denique, &c.* Rodriquez *tom. 2. qq. reg. quæſt. 6. art. 4.* adducens Cordubam *in addit. ad Sotum de tegen. ſect. q. 4. art. 5.*

XI. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur.*

Nec contra hoc, & alia dicta obſtat ratio in principio adducta: fatemur quidem, vt diximus *dubio præcedenti, in fine*, accuſationem in foro externo non requirere Euangelicam monitionem, & iuſta in foro exteriori cenſetur accuſatio, modò habeat illa, quæ requirit ius humanum, non enim ſpectat ad iudicem inquirere, an accuſator præſtiterit, quæ exigit forum interius animæ: quod ſi non præſtitit, iudicabunt illud iudices, nempe Deus & Confeſſarius, & ab eis reiicietur tanquam iniuſta & iniqua accuſatio, quam non præceſſit Euangelica monitio, ſi hac præmiſſa probabiliter ſciremus, quòd peccator etiam publicè delinquens reſipiſceret, & ſuo bono exemplo vitam in melius mutans ſcandalum publicum tolleret. Videatur Salon. 2. 2. *quæſt. 68. art. 1. controuerſia ſecunda, ſolutione ad quartum argumentum.*

---

## Articvlvs IV.

### An quando excommunicatio latæ ſententiæ fertur contra detinentes talia bona aliena, vel tales ſcripturas, & contra omnes qui ſciunt habentes talia bona, & tales ſcripturas, ſi eos non accuſent, & denuntient, ſi intra tempus in edicto præfixum detinentes non reſtituant, & ſcientes ſi non denuntient, & accuſent, incurrant excommunicationem?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *An qui ſurripuerunt bona aliena, incidant in excommunicationem, contra illos latam, ſi tempore quo fertur excommunicatio, illa bona non habeant, vel abſque detrimento non poſſint reſtituere; & an ſcientes incurrant excommunicationē niſi reuelent.*
3. *An detinens aliena pro debita ſolutione, incidat in excommunicationem ſi non reſtituat, & eandem incidat ſciens, ſi non reuelet.*
4. *An in excommunicatione contra non reuelantes, comprehendantur filij, vel coniuges.*
5. *Dubitatio examinatur circa ſcripturas, an ſcilicet quis teneatur exhibere illas, dum ſunt in ſui detrimentū, quando id præcipitur ſub pœna excommunicationis.*
6. *An quis teneatur producere ſcripturas pertinentes ad propriū ius, ſi ſit coactus ſub pœna excōmunicationis.*
7. *An edictum Epiſcopi ſub pœna excommunicationis, obliget ne dum ſubditos præſentes, ſed etiam futuros.*
8. *Quid dicendum in caſu dubitationis, quando crimina ſciuntur ſub ſecreto naturali, vel confeſſionis.*
9. *An edictum reuelationis cogat reuelare, quod probari non poteſt.*

10. *An iudex Eccleſiaſticus poſſit ſub pœna excommunicationis præcipere ad habendam perfectam probationem criminis vt reueletur quicquid ſcitur in generali.*

11. *An retinens ſcripturas actoris, in cauſa, in qua habet ius, teneatur illas prodere.*

12. *Explicatur, quid ſint inſtrumenta, & ſcriptura publica.*

13. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur, an liceat retinere alienum in propriam compenſationem.*

I. *Pars negatiua probatur.*

Videtur quòd nec detinentes, nec ſcientes, ſi non accuſent & denuntient, incurrant talem excommunicationem. Nam aliquando retinetur alienum acceptum ob debitam ſolutionem eius, quod certò detinenti debetur, & ego id ſcio, vel quia ille id mihi dixit, vel alia certa via, tunc neque detinens eſt excommunicatus per illud edictum, ſi non reſtituar, neque ego non illum reuelando: & ſi litteræ continentes excommunicationem expreſsè præcipiant, vt res reſtituantur, ac reuelentur, etiamſi retineantur acceptæ in compenſationem debitorum, vel ſciant ita retineri acceptas, vt docet Tabiena *verb. Inquiſitio, quæſt.* 7. Angelus *in ſumma verb. furtum n.* 41. Nauarr. *cap. inter verba* 11. *quæſt.* 3. *corollario* 66. *n.* 792. ergo, &c.

## Dubitatio I.

II. *An qui ſurripuerunt bona aliena, incidant in excommunicationem, contra illos latam, ſi tempore quo fertur excommunicatio, illa bona non habeant, vel abſque detrimento non poſſint reſtituere? & an ſcienter incurrant excommunicationem, niſi reuelent?*

Dico primò, quando excommunicatio fertur in eos, qui aliena ſurripuerunt, niſi reſtituant, ſi tempore, quo excommunicatio lata eſt, non habent vnde ſoluant, excommunicationem non incurrunt; quia in re in qua homo obedire non poteſt, non peccat, nemo enim ad impoſſibile obligatur; ergo tunc non incurrit excommunicationem, quæ tantùm ſuppoſita contumacia habet effectum. Ita bene Sotus *in* 4. *d.* 22. *q.* 1. *art.* 2. *verſ.* 2. *ſi feratur*, Lopez 1. *part. inſtruct. c.* 162. *f.* 372. *col.* 2. *fine, mihi*. Sayr. *lib.* 1. *de cenſ. c.* 9. *n.* 11.

Dico ſecundò, debent tamen hi cùm primùm poſſunt, ſoluere, aliàs ligantur; quia excommunicatio latæ ſententiæ ſemper durat: & ſi non poſſunt totum, partem debiti ſoluere tenentur, aliàs incidunt in excommunicationem, ſi modò iudex qui mandatum dedit, in officio duret, & debitor dum pecuniam habet, maneat ſub eius iuriſdictione, aliàs mandatum expirauit, ceſſante hominis iuriſdictione in iſtum; quia vt ſententia excommunicationis valeat, requiritur omnino vt extrema habilia ſint, nimirum, vt iudex eam ferre poſſit, tempore quo eam fert, & tempore, quo conditio aduenit, ſi ſub conditione lata ſit: & vt is in quem fertur eo tempore, quo ſcilicet adimpletur conditio, excommunicari ab eodem poſſit, vt bene adnotauit Sayr *lib.* 1. *de cenſ. c.* 8. *n.* 13.

Qui verò tempore, quo excommunicatio lata eſt, erat ſoluendo, & non ſoluit, eſt excommunicatus, & per ſuperuenientem impotentiam ab excommunicatione incurſa non liberatur, vt bene Sotus *vbi ſuprà*. Sayr. *lib.* 1. *de cenſ. cap.* 18. *num.* 40. Quòd ſi tempore aſſignato eſt potens ad ſoluendum, ſoluere tamen non poteſt ſine graui detrimento bonorum ſuperioris Ordinis, vt famæ, aut vitæ, elapſo tempore ſtatuto, non incurrit excommunicationem ſi non ſoluat, extante tali impedimento: tenebitur poſtea ceſſante tali impedimento, quia ſuperioris Ordinis legibus adſtringeretur ad differendum, &c. vt optimè obſeruauit Caiet. 1. 2. *q.* 62. *art.* 8. *verſ. dicendum eſt*.

Dico tertiò conſequenter, ſi Titius furatus eſt, vel damnum intulit proximo, & Caius id certò nouit, ſi Titius ſit tam pauper, & è contra damnificatus tam locuples, quòd boni viri iudicio non teneatur pro tunc ad eius reſtitutionem, etiamſi publicentur litteræ generales excommunicationis contra eos, qui furati ſunt, vt reſtituant, & contra eos, qui ſciunt vt id manifeſtent; nec qui furatus eſt non reſtituendo ob impotentiam, vel aliam cauſam iuſtam, nec qui conſcius eſt furti & impotentiæ alterius in non reſtituendo, non accuſando, vel denuntiando excommunicationem incurrunt: ita annotauit Nauarr. *in cap. inter verba*, 11. *q.* 3. *concl.* 6. *coroll.* 66. *n.* 796. Secus autem ſi potens eſſet ad reſtituendum, & alter id ſciat, aut de potentia, vel impotentia eius in reſtituendo dubitaret: Sayr. *lib.* 12. *c.* 14. *in Claui Regia, n.* 32.

## Dubitatio II.

III. *An detinens aliena pro debita ſolutione, incidat in excommunicationem, niſi reſtituat, & an eam incidat ſciens ſi non reueles?*

Dico quartò, qui retinet alienum acceptum ob debitam ſolutionem eius quod ſibi certò debetur, egóque id ſciam, nec ille per litteras præcipientes ſub pœna excommunicationis, excommunicatus erit illud non reſtituendo, nec ego illum non reuelando; quia licitum eſt homini accipere alienum in compenſationem eius, quod ſibi iuſtè debetur, cùm aliter per iuſtitiam illud recuperare nequeat, vel ſine magno labore, periculo, & damno honoris, amicitiæ, vel aliorum bonorum; tum, quia excommunicatio ferri non poteſt, niſi ob peccatum mortale, ſed in caſu poſito non peccat mortaliter accipiendo, quod ſibi debitum eſt, ſi illud alio modo commodè recuperare non poteſt. Tum, quia præceptum Superioris procedit ex præſumptione alicuius iniuſtitiæ, ſed in iſto caſu non ſubeſt aliqua iniuſtitia; ergo ſubditus non reuelans non incurrit excommunicationem, &c. Ita bene Leſſ. *lib.* 2. *de Iuſt. cap.* 30. *dub.* 6. *num.* 50. & Sayr. *loc. nuper adducto*, *num.* 30.

## Dubitatio III.

IV. *An in excommunicatione contra non reuelantes, comprehendantur filij, vel coniuges?*

Dico quintò, ſi pater, vel maritus obtineat à Superiore edictum quo ſub pœna excommunicationis præcipiatur, vt qui furta commiſerint, teneantur illa manifeſtare, non comprehenduntur filij & vxores, niſi in edicto habeatur expreſsè, vt teneantur omnes reuelare, quantumuis coniuncti. Quia non eſt credendum voluiſſe patrem, aut virum, aut Superiorem eos tam grauiter, & acriter propter huiuſmodi furta excommunicationis cenſura ferire, quamuis in dubio ſecurius, & ſalubrius erit abſolutionem petere. Sotus *lib.* 5. *de Iuſt. q.* 3. *art.* 1. Lopez *part.* 2. *inſtruct. cap.* 23. *fine, &* 1. *part. c.* 162. *verſ. Adhuc & inquirere pergimus*, hos ſequitur Sayr. *lib.* 9. *Clauis, c.* 16. *n.* 19.

## Dvbitatio IV.

V. *An quis teneatur exhibere scripturas, dum sunt in sui detrimentum, quando id præcipitur, sub pœna excommunicationis?*

Dico sextò, quando sub censura præcipitur, vt quicunque habuerit has, vel illas scripturas, quæ quoquo pacto ad aliorum ius attinent, tunc proferendæ omnino sunt, nec sufficit, vt qui habet se excuset, dicendo, quòd inde vexationem timet, nisi forsan omni dubio procul manifestissimum sit taliter illas ad meum ius conducere, vt nullatenus ad alterius ius confirmandum attineant: ita Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 2. vers. Tertiò potest contingere, post quartam conclusionem.*

Dico septimò, Monitoria Superiorum præcipientium sub pœna excommunicationis ad aliquid edendum, puta instrumenta, scripturas, vel libros rationum edendos, non comprehendunt, nisi eos qui iniustè detinent huiusmodi, & scientes quòd illa, vel illæ iniustè detinentur: nemo igitur tenetur virtute Monitorij ad manifestandum illa, quæ iustè detinet, vel probabiliter credit esse sua, & iustè tenere. Neque tenetur quis accusare, & propalare eos, qui scit, vel credit probabiliter iustè detinere; quia Monitorium datur contra solos iniquè, & iniustè detinentes, & contra scientes, qui sunt qui iniquè, & iniustè detinent. Ita bene Nauarr. *tom. 2. consil. lib. 5. de sententia excommunicationis, consil. 35. n. 6. & consil. 34. num. 4. eod. lib. 5. tit. eodem.*

Dico octauò probabilius, quàm Sotus citatus *in 6. dicto*, scripturas & instrumenta communia, quæ tam pertinent ad ius rei, quàm ad ius actoris, non videtur reus obligatus ad prodendum si faciant pro iure alterius, & contra ius proprium rei. Itaque si ex illis scripturis communibus, quas apud me retineo, ius alterius confirmari possit, & ius meum prodendo illas aliqua ratione infirmaretur, aut aliunde damnum sustinerem, eas reuelare non teneor, nec reuelando censuram incurro, quod docet Sayr. *lib. 1. de cens. cap. 9. n. 36. ad finem.* quia non tenemur suffragari parti aduersæ in damnum proprium. Nauarr. *tom. 2. consil. 35. num. 3.* Tum, quia cùm sint vtrique communia, & in bonis vtriusque numerentur, & reus sit in possessione, si cætera sint paria, melior est conditio possidentis: neque sciens tunc tenetur reuelare detinentem; quia tunc verè non occultantur scripturæ, quæ sunt alterius propriæ; quia etiam sunt propriæ detinentis, & detinens est possessor earum. Ita meliùs contra Sotum tenet Sayr. *lib. 11. Clauis, cap. 10. num. 32.*

## Dvbitatio V.

VI. *An quis teneatur producere scripturas pertinentes ad proprium ius, si sit coactus, sub pœna excommunicationis?*

Dico nonò, scripturas, & instrumenta propria alicuius, illa scilicet, quæ solùm pertinent ad ius illius, detinens, non tenetur prodere, quamuis faciant pro iure alterius, quia nemo tenetur iuuare aduersarium contra se: neque sciens ea reuelare tenetur, quia detinens non iniquè tunc retinet: tum, quia excommunicationes, quæ feruntur, intelligendæ semper sunt ferri contra eos, qui retinent scripturas alienas pertinentes ad iura, & bona alterius. Videatur idem Sayr. *loc. nuper allegato.*

## Dvbitatio VI.

VII. *An edictum Episcopi sub pœna excommunicationis, obliget ne dum subditos præsentes, sed etiam futuros?*

Dico decimò, si Episcopus generali edicto excommunicet omnes scientes talem scripturam, si non manifestauerint, & post hanc sententiam promulgatam aliquis ratione domicilij habitando intra Diœcesim fiat eius subditus, si sciat detinentem, & non manifestat, excommunicationem non incurret; quia sententia generalis lata ab homine eos solùm ligat, qui tempore sententiæ sub iudicis eam proferentis iurisdictione continentur, eique tunc subditi sunt, non autem eos, qui futuri erunt subditi: vt optimè docet Syl. *excomm. 2. n. 20.* quem sequitur Sayr. *lib. 1. de cens. cap. 7. num. 22.*

## Dvbitatio VII.

VIII. *Quid dicendum in casu dubitationis quando crimina sciuntur sub secreto naturali, vel confessionis?*

Dico vndecimò, Aduocati, Procuratores, Consultores, Consiliarij, Medici, Chirurgi, qui secretò crimina commissa nouerunt ratione consultationis, vt eis remedium adhiberent, non obligantur ad denunciandum huiusmodi secreta crimina, etiamsi sub pœna excommunicationis præciperetur illis reuelare talia crimina, etiamsi huiusmodi resciant auctorem delicti graui laborare infamia, neque deesse probationem, & testes contra illum, nisi alia via, quàm via consultationis, & ad captandum consilium pro salute animæ, vel corporis, aut pro defensa rerum, vel honoris secretum concreditum nouerint: vt bene obseruauit Lopez 1. *part. instruct. cap. 160. vers. septimò si per modum.* Quia quandocunque sibi occurrunt duo præcepta, seruari debet id quod est maius, & cessat quod minus est; sed maius vinculum iuris naturalis est seruare secretum, quàm parere iudici interroganti, seu præcipienti: ergo, &c. Ita Nauarr. *tom. 2. consil. lib. 5. de pœnit. & remiss. consil. 16. num. 1.*

Dico duodecimò, quando crimen adhuc pendet in futurum, & directè tendit contra bonum commune, vel contra vitam alicuius innocentis, quale est crimen hæresis, læsæ maiestatis, proditio patriæ, crimen malefactoris, machinantis mortem contra innocentem, etsi non percipiatur reuelari, si nostra priuata monitione impediri nequit, quamuis sit sub secreto nobis commissum, etiamsi iuramentum, vel promissio præcesserit seruandi illud, tunc tenemur iudici denunciare; quia promissio, & iuramentum, & secretum contra bonos mores non est obligatorium. Azor. *part. 3. lib. 13. cap. 31. dub. 4.* Lopez nuper allegatus.

Dico decimotertiò, secretum tamen quod per confessionem sacramentalem nouimus, in nullo mundi casu detegere possumus, nisi qui confessus fuerit ad hoc dederit facultatem. Nauarr. *summ. cap. 8. num. 1.* Oportet tamen, quòd pœnitens verè confiteatur peccata sua, non enim sufficit dicere, Hoc tibi dico in confessionem, etiamsi genibus flexis, & signo crucis fronte signata id fiat absque proposito confitendi peccata, & absolutionem accipiendi; quia talis detectio non est sacramentalis. Ita bene aduertit Nauar. *summ. c. 18. n. 55.* Azor. *p. 3. lib. 13. cap. 31. dub. 15.*

## Dvbitatio VIII.

IX. *An edictum reuelationis cogat reuelare, quod probari non potest?*

Dico decimo quartò, quando præcipitur vt reuelemus quod scimus, vt denunciatores; non possumus, nec debemus reuelare, nisi quod possumus probare. Sayr. *lib.* 11. *Clauis, c.* 14. *n.* 32. Nauarr. *summ. c.* 18. *num.* 6. *vers.* 34. Si tamen nobis præcipiatur vt reuelemus tanquam testes, tenemur deponere vt tales, quod scimus, etiamsi id probare nequeamus, dummodo nobis constet delictum apud iudicem esse semiplenè probatum: secus aliàs. ita colligitur ex S. Thom. 2. 2. *q.* 70. *art.* 1. Nauarr. *cap. inter verba* 11. *q.* 3. *conclus.* 6. *coroll.* 64. *n.* 709. *&* 710. Salon. 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 2. *controu.* 7. §. *obseruandum est hic.*

## Dvbitatio IX.

X. *An iudex Ecclesiasticus possit sub pœna excommunicationis præcipere in generali, vt reueletur quicquid scitur, ad habendam perfectam probationem criminis?*

Dico decimoquintò, iudex Ecclesiasticus potest iubere generaliter sub pœna excommunicationis, vt qui aliquid sciuerit de his, quæ attinent ad terminandam litem, quæ ante ipsum pendent, accedat ad testimonium de eo ferendum; etiam quando lis pendet apud iudices seculares, non tantùm in casibus ciuilibus, sed etiam in criminalibus. Ita Panormit. *cap. ad nostram, de iureiuran. num.* 3. Nauar. *c. inter verba*, nuper adduct. *n.* 779. Poterit igitur iudex post semiprobationem coram ipso factam ad plenam probationem conficiendam præcipere sub censura, vt qui illud scit ad testificandum veniat: & tunc tenetur sciens sub pœna incurrendi censuram, ad deponendum quod scit, licèt admonitio Euangelica non præcesserit, neque probare possit, si sine suo notabili detrimento id possit efficere, iuxta *cap. fin. de iureiuran. & cap. ad nostram, eodem tit.* quia tunc illi non præcipitur, vt denunciet, sed vt testificetur. Ita bene Lopez 1. *part. instruct. cap.* 160. *vers. non possunt.* Angel. *verb. denunciatio, n.* 3.

## Dvbitatio X.

XI. *An retinens scripturas actoris, in causa, in qua habet ius, teneatur illas prodere?*

Dico decimosextò, qui retinet scripturas actoris, & in causa, & lite habet certò & euidenter iustitiam, tunc non videtur obligatus ad prodendum illas, si prodendo illas iustitiam in causa, & lite perdere timeat; quia nemo ad restitutionem cum tanto suo damno, & incommodo obligatur: similiter sciens in tali casu reuelare non tenetur, & sic non prodendo, aut non reuelando in hoc euentu excommunicationem non incurrunt. Ita bene Lopez 1. *part. instruct. cap.* 169. *vers. secundum assertum fit*; quem sequitur Sayr. *lib.* 12. *Clauis, c.* 20. *n.* 32.

## Dvbitatio XI.

XII. *Quid sint instrumenta, & scripturæ publicæ?*

Dico decimoseptimò, scripturas & instrumenta publica reus prodere tenetur, & similiter testis ea reuelare: publica verò instrumenta & scripturæ dicuntur illæ, quæ continent acta causæ in iudicium, scilicet confessiones, interrogationes, responsiones, attestationes, & cæteras obligationes, & acta facta in iudicio: ita explicat *gloss. in cap. G. perpetuus vicarius, de fide instr. verb. Communium.* Ratio est, quia cùm sint publica, ad publicum iudicium pertinentia, consequenter ad iustitiam publicam administrandam, exhibenda, & reuelanda sunt: vt ex c. cit. *G. perpetuus vicarius*, apertè constat. Neque hoc dictum aduersatur asserto 8. in hoc dubio: ibi enim loquimur de scripturis communibus, quæ tamen non sunt publicæ, nec continent acta causæ in iudicio, vt bene obseruauit Sayr. *loc. nuper allegato, num.* 30.

XIII. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

## Dvbitatio XII.

*An liceat retinere alienum in propriam compensationem.*

Nec obstat ratio à principio adducta; probat enim nostrum quartum dictum: licitum est enim homini accipere alienum in compensationem, quæ certò sit iusta de eo, quod sibi debetur, cùm aliter per iustitiam illud recuperare nequeat, vel non sine magno labore, periculo, & damno facultatum, honoris, amicitiæ, vel aliorum bonorum, vt notat gloss. *in cap. ius gentium, dist.* 1. Dummodo capiatur sine scandalo, damno, vel periculo alterius, secundùm Innoc. *c. olim, de restit. spol.* & dummodo prouideatur, vt debitor desinat credere se teneri restituere, si credebat; vt rectè annotauit Caiet. 2. 2. *q.* 66. *art.* 5. *in fin. comment.* Et quamuis fortè peccasset in capiendo sua authoritate, cùm facile posset suum debitum per iustitiam recuperare, non tamen peccaret, illud non restituendo, postquam coram Deo nihil debet, nec incurreret excommunicationem non restituendo, nec non reuelans, sciens illud retineri in compensationem certi debiti; videatur Nauarr. *cap. inter verba* 11. *quæst.* 3. *conclus.* 6. *coroll.* 68. *num.* 793. Sayr. *lib.* 11. *Clauis, cap.* 14. *num.* 30. Less. *lib.* 2. *de Iust. c.* 30. *dub.* 6. *num.* 50.

---

## Articvlvs V.

### An filij teneantur accusare parentes vi litterarum & mandatorum generalium, in quibus sacræ fidei censores sub pœna excommunicationis nobis præcipiunt accusare, & reuelare hæreses, quas nouimus?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *An superstitiosi, sortilegi, strigæ, & hæretici sint denunciandi absque monitione.*
3. *An hæretici teneantur prodere seipsos, vel socios, si sint consortes criminis.*
4. *An teneatur fur occultus seipsum prodere, Prælato præcipiente reuelationem furti notorij.*
5. *Dubitationi respondetur, & insuper explicatur, An filius teneatur prodere patrem, ne dum in crimine hæresis, sed etiam in alijs criminibus.*
6. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

QVia nemo tenetur accusare, & testificari, cùm ex eo sequitur sibi magnũ damnum spirituale, aut tempo

temporale, aut maximum inde scandalum exoritur, sed ex tali accusatione, & testificatione filius magnum detrimentum pateretur, fit enim infamis si pater condemnaretur. Item ob hæresim patris confiscantur bona filij. Item talis accusatio esset causa magnæ discordiæ inter parentes: ergo non tenetur, &c. Neque non accusando non incurrerent excommunicationem; quia litteræ, & mandata generalia præcipientia aliquid sub pœna excommunicationis secundùm ius sunt intelligenda, non enim comprehendunt illos, qui iustam causam habent non accusandi, & denunciandi, vt bene notat Nauarr. *cap. inter verba 11. quæst. 3. conclusione 6. corollario 66. num. 827. ad finem.* Et ita hanc sententiam sustinent Abulensis *in cap. 13. Deuteronom. quæst. 3.* Simancas *de instit. Cathol. tit. 29. num. 35.*

## DVBITATIO I.

### II. *An superstitiosi, sortilegi, strigæ & hæretici sint denunciandi absque monitione?*

Dico primò, superstitiosi, & sortilegi, quorum superstitiones manifestam non continent hæresim, nec aliquem cultum exhibent Dæmoni, sed causa, verbi gratia, inescandi mulierem in sui amorem, falsa ducti æstimatione, vtuntur herbis quibusdam, verbis philacteriis priùs sunt admonendi, quòd si non se correxerint, sunt denonciandi. Quia probabilis est spes, quòd à suo errore nostra priuata monitione resipiscant: at strigæ, quia solitæ sunt esse in perniciem aliorum, & grassari in pueros, Dæmonique consueuerunt cultum exhibere: sicut & superstitiosi exercentes superstitiones manifestam continentes hæresim, quales sunt diuinationes futurorum casuum contingentium ex voluntate humana dependentium, aut cogitationes cordium certò per sortilegia velle prænoscere, stantibus edictis generalibus statim sunt denuntiandi; quia hi perniciosissimi sunt in Republ. neque aliter præsumitor eorum emendatio. Ita bene Lopez *1. part. instruct. c. 166. vers. At superstitiosi, aut sortilegi.*

Limitatur tamen hoc dictum, quoties quis non certò nouit, sed tantummodo suspicatur aliquam esse strigam, vel hæreticum, aut hoc audiuit à persona non fide digna, vel si audiuit à persona fide digna non ampliùs recordatur, à quo audiuit, vel si is à quo audiuit, nihil certi sciat.

Vltramontanus Catholicus si sit conuersatus cum hæreticis vltra montes in Germania, vel in Flandria, non tenetur denuntiare illos: si autem est conuersatus cum hæreticis in Italia, vel in Hispania, tenetur illos denuntiare, nec debet absolui nisi denuntiet, vel saltem omnino proponat denuntiare. Quia non videtur aliàs contritus, & hoc obseruat sacra Pœnitentiaria. Ita bene Nauar *tom. 2. consil. lib. 5. de hæreticis, consil. 3.* cuius initium *Dubito*, quem adducit & sequitur Sanctarel. *tract. de hæres. cap. 9. n. 16. vers. Quartò non tenetur*, Bonacina *tom. 3. disputatione 6 puncto 2. num. 9. fol. 160. col. 2.*

## DVBITATIO II.

### III. *An hæretici teneantur prodere seipsos, vel socios, si sint consortes criminis?*

Dico secundò, hæreticus non tenetur in foro externo seipsum prodere: nam id naturæ valde repugnat. Videatur D. Thom. 2. 2. *q. 69. art. 1. ad primum.* neque tenetur quis denuntiare hæreticos si isti essent socij & consortes criminis, quia non potest manifestare socios, quin etiam se ipsum manifestet, & nemo tenetur prodere seipsum, iuxta illud *cap. 87. quis aliquando, dist. 1. de pœnitentia.* Ibi, *non dico tibi vt te publicè accuses*, & docet etiam Nauarr. *tom. 2. consil. lib. 5. de hæreticis, consil. 5. num. 3.* Quando verò iuridicè quis interrogatur vt reus, tenetur se & socios manifestare, quia hic non se prodit, cùm de crimine hæresis sit iam accusatus, vel denunciatus, sed ab alio proditur, vt optimè D. Thom. *2. 2. q. citata ad primum argumentum.* Sanctarell. primo dicto allatus, *n. 28.*

## DVBITATIO III.

### IV. *An teneatur fur occultus se ipsum prodere, si Prælatus præcipiat reuelationem furti notorij?*

Dico tertiò, etiamsi factum sit notorium, v.g. furtum esse factum, nescitur tamen eius auctor, Prælato præcipienti sub pœna excommunicationis, vt si quis scit furem reuelet, non tenetur ille, qui furatus est, seipsum reuelare; quia occultus author non tenetur se prodere: tum, quia naturalis ratio dictat quòd occulta scientiæ publicæ non subsint iudicio publico. Ita bene Caiet. *2. 2. q. 69. art. 1. vers. Ad hoc dicitur quòd*, &c.

Sed, &c. Nam D. Gregorius, & habetur *5. quæst. 1. cap. quidam*, excommunicauit occultum auctorem libelli famosi, nisi se reuelauerit. Respondetur quòd excommunicatio lata à D. Gregorio non fuit super debito reuelandi auctorem criminis occultum, sed super commisso crimine, & de gratia speciali apposita est à D. Gregorio illa conditio, qua poterat reus auctor libelli famosi, si vellet, euadere excommunicationem, non enim præcepit absolutè quòd se reuelet, sed si vult euadere excommunicationem. cùm enim Pontifex illum auctorem libelli famosi absolutè posset excommunicare, multo magis sub conditione, quæ pendet ex voluntate rei, scilicet si non se reuelauerit: videatur Caiet. *loco nuper adducto, vers. ad secundam dicitur.*

Sed contra hanc solutionem est argumentum. nam excommunicatio non fertur nisi in rebellem, & inobedientem. Inobedientia autem non respicit præterita, quæ iam non sunt in facultate hominis, quia sint facta, sed solùm futura, & sic quando communiter excommunicantur latrones non restituentes aliena, ab Episcopis non excommunicantur pro peccato præterito furti, quo illa rapuerunt, sed pro peccato, in quo perseuerant nolentes ea restituere, cùm ad id iure naturæ simpliciter, & citra omnem censuram teneantur: ergo auctor libelli famosi non potuit pro commisso crimine excommunicari.

Respondetur cum Magistro Soto *de tegen. secret. memb. 2. q. 6. ad 2. & lib. 5. de iust. q. 6. art. 2.* quòd excommunicatio illa non ferebatur propter debitum, quod habebat auctor libelli famosi, seipsum reuelandi, neque præcisè propter crimen iam commissum, sed propter debitum restituendi famam, quam abstulerat proximo in edito libello famoso: potest enim quis obligari ad se prodendum quando id est necessarium ad falsæ infamiæ iniquè irrogatæ abstersionem, etiam cum periculo propriæ famæ; non tamen si adesset periculum vitæ: potuit igitur excommunicari auctor libelli famosi non præcisè propter peccatũ commissum, neque pręcisè propter debitum seipsum prodendi, sed pro peccato & inobedientia in qua perseuerabat, nolens restituere famam, cùm ad id teneretur iure naturæ, & diuino: videatur Soto *loc. cit.* quẽ sequitur Salon. *2. 2. q. 69. art. 2. controu. 7. vers. vnde respondent. fol. 319. col. 1. mihi.* Less. *lib. 2. de iust. c. 29. dub. 14. n. 118.*

*Dubita*

V. *Dubitationi respondetur, & insuper explicatur*

## DVBITATIO IV.

*An filius teneatur prodere patrem ne dum in crimine hæresis sed etiam in alys criminibus?*

Dico quartò, filius tenetur accusare patrem in crimine hæresis, quando pater esset seminator hæresis, & alios inficeret, & in crimine læsæ maiestatis humanæ ante factum, non tamen post factum. Ita Decius *in cap. 1. de offic. delegat.* Lopez 1. *part. instruct. c. 54. vers. Item si fily.* Syl. *verb. Testis, q. 1. vers.* 8. Sayr. *lib. 7. Clauis, cap. 5. n. 3. & lib. 12. c. 19. n. 25.* Quia bonum commune præferendum est bono priuato: tum, quia in his duobus casibus filius accusando patrem potest liberare totam communitatem à tanto, & communi malo spirituali, & temporali: ergo tenetur accusare. Limitat tamen Nauarr. hoc dictum *in cap. inter verba, 11. quæst. 3. corollario 66. num. 827.* Azor *part. 2. inst. mor. lib. 2. c. 2. dub. 13. vers. In hac controuersia,* &c. dummodo non adsint alij testes, qui sufficiant, & dummodo pater non verè emenderur, si ipsum suus filios, vel aliud admonuerit, nec tantum malum possit aliter impediri. eandem limitationem adhibet Sayr. *lib. 12. Clauis, c. 19. n. 26. vers. Intelligenda verò sunt hæc.*

Dico quintò, si pater esset hæreticus occultus, & sibi soli, non aliis noceret, & filius verisimiliter hoc crederet, tunc non ita certum est, inquit Dec. *cap. 1. cit. de offic. delegat.* & Sayr. etiam *lib. 7. Clauis, cap. 5. n. 5.* an tunc teneatur. Idem videtur tenere Azor. *part. 2. lib. 2. cap. 2. dub. 13. vers. Quid verò si pater*; quia tunc crimen illius non vergeret in damnum publicum: Sà *verb. Hæresis, num.* 8.

Item, etiamsi pater esset hæreticus occultus, non teneretur illum filius denuntiare ob metum cadentem in constantem virum, vt si timeat propter hanc causam interimi, aut malè tractari: vide Sãctarel. *tract. de hæresi, c. 9. n. 16. vers. Tertiò non tenetur*; quo loco loquitur generaliter de filiis, & de aliis extraneis, quòd non teneantur ob metum cadentem, &c. Bonac. *tom. 3. disp. 6. punct. 2. n. 6 fol. 160. mihi.*

Item non tenetur quis denuntiare statim eum, qui facit actum, vel dicit aliquid contra fidem, tamen probabile est quòd metu aliquo, vel aliqua vehementi passione motus fecerit, mentem tamen retinuit sanã: talis enim non est denuntiandus statim absque admonitione, in qua ipsius mens constet. Ita Tolet. *sum. lib. 4. c. 5 n. 1.* Similiter quando firmiter credit aliquis sua admonitione corrigendum, S. Thom. *2. 2. quæst. 33. art. 7. Corp.* quem sequitur Nauarr. *summ. c. 18. num. 59.* Simanchas *de Catholic. institut. tit. 19. n. 11.* Quando, inquit, est magna spes, quòd hæreticus resipiscat, & nulli obsit, tunc putant quidam correptionem fraternam fieri debere, Rojas *singul. 3. num. 32.* Non tenetur, inquit, quis denuntiare hæreticum, quando certissimum est hæreticum esse omnino emendatum, quod antè docuit Sotus *lib. 5. de Inst. quæst. 5. art. 1. vers. Nisi forte:* vbi hæc verba formaliter habet, in Inquisitionibus generalibus quando edicto præcipitur, vt quisque denuntiet latentia crimina: si omnino, inquit, sint emendata, cuiuscunque sint generis, nemo tenetur illa vel denuntiare, vel accusare, sed tantùm testis esse, si eius testimonium in particulari legitimè postuletur: licèt alij contrarium.

Dico sextò, filius nunquam bona fide putare debet patrem hæreticum sibi soli nociturum; quia hæresis serpit vt cancer, & tanquam pestiferum venenum: quòd si dubitat filius, num pater sit alios suæ hæresis labe infecturus, tunc à filio est prodendus; quia in dubio potius est habenda ratio boni communis, quàm proprij: similiter si pater hæreticus occultus filium suum ad hæresim pertrahere conatur; quia tunc regulariter credendum est & filium, & alios suo hæresis veneno velle patrem iniquum inficere. Ita bene Sayr. *lib. 2. Clauis, cap. 19. n. 25.* Azor. *part. 2. lib. 2. cap. 2. dub. 13. fine.*

VI. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

Nec officit ratio in contrarium à principio adducta. Dicimus enim filios deferendo crimen hæresis patris ad iudices sacræ Inquisitionis, non esse aliqua pœna puniendos, sed potiùs tanquam bonos ciues, & Catholicos præmiandos. Ita Sayr. *loco nuper allegato, num. 26.*

Respondetur secundò, quòd cùm bonum commune ordine charitatis præferri debeat vitæ corporali propriæ, & bono priuato, & sic pro patria, pro Rege, pro populo, peste, vel morbo laborante, vel bello presso, & multo magis ne morbo spirituali hæresis inficiatur, tenemur periculum vitæ subire, vt bene Syl. *verb. Bellum 2. q. 2.* Maior *in 4. dist. 5. q. 22.* sic & filius quamuis magnum aliquod damnum pateretur deferendo hæresim patris ad iudicem, tenetur illud deferre ne populus veneno exitialissimo spirituali inficiatur. Videatur Azor. *part. 3. instit. mor. lib. 2. cap. 3. dub. 4.* Quamuis laudatissimus Penna *in secundam partem Directory scholio 59. vers. At non videtur*, &c. censeat quòd si sola vxor sciat maritum aliqua hæreticalia committere, eúmque cognoscat terribilem, qui facile eã aut interimeret, aut malè ab illo tractaretur si ab ea denuntiaretur. Ego, ait Penna, ratione metus cadentis in virum constantem excusarem illam, & multo magis in opinione grauissimi huius Doctoris esset excusandus filius si probabiliter periculum mortis timeret, denuntiando patrem apud iudicem, quod quidem satis probabile mihi videtur si sibi soli pater hæreticus occultus noceret, & alios suæ hæresis labe non inficeret, & hoc verisimiliter teneret filius, &c.

## ARTICVLVS VI.

### An subditi scientes auctorem occultum criminis publici, teneantur accusare, vel denuntiare, si iudex sub iuramento, vel sub pœna excommunicationis latæ sententiæ inquirat à subditis quis fecerit illud?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *An Superioribus Ecclesiasticis liceat interrogare de criminibus occultis, & subditi auctores occultos teneantur manifestare.*
3. *An propter edicta spectantia ad fidem, sint manifestandi auctores criminum, quorum nulla præcessit infamia: & idem inquiritur de criminibus quæ sunt in damnum commune, vel alicuius priuata persona.*
4. *Dubitationi respondetur.*
5. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur magis, quo modo liceat inquirere Inquisitoribus fidei.*

1. *Pars*

I. *Pars negatiua probatur.*

QVia sacri canones vetant ne procedatur per inquisitionem nisi de auctore sit fama, vel certè indicia, *c. cùm oporteat, c. inquisitionis, c. qualiter & quando, tit. de accusationibus.* ergo iniustè iudex inquirit si auctor criminis sit occultus, & illicitè subditi inquisiti illum patefacerent.

## DVBITATIO I.

II. *An Superioribus Ecclesiasticis liceat interrogare de criminibus occultis? & subditi auctores occultos manifestare teneantur?*

Dico primò, in sacris canonibus præcipitur Superioribus, & iudicibus Ecclesiasticis, vt statutis temporibus faciant visitationes, & inquisitiones generales, vt prospiciant moribus subditorum, & purgetur Respublica, & tunc iudex iuridicè interrogat, etiamsi nulla de criminosis præcesserit infamia, vel clamorosa insinuatio, nullus accusator, aut denuntiator. Ita *in c. 1. de officio ordinary, cap. cùm olim, de accusat. cap. Romana, de censib. 6.*

Dico secundò, subditi quando indicitur huiusmodi inquisitio generalis, etiam si in ea imponantur censuræ, nec tenentur, nec debent manifestare, aut interrogati explicare, nisi ea tantùm delicta, quorum auctores laborant infamia. Ita Magister Soto *de tegendo secreto memb. 2. q. 6. post 2. conclus.* Et ratio est, quia id de quo nulla adhuc est fama, censetur occultum dum via inquisitionis proceditur, Sotum sequitur communis sententia DD.

## DVBITATIO II.

III. *An propter edicta spectantia ad fidem, sint manifestandi auctores criminum, quorum nulla præcessit infamia? Et idem inquiritur de criminibus quæ sunt in damnum commune, vel alicuius priuatæ personæ?*

Dico tertiò, censoribus tamen sacræ fidei propositis edictis in suis visitationibus manifestanda sunt delicta, etiamsi nulla delinquens laboret infamia vt ipsi prospiciant, & bono communi Religionis Christianæ, & bono priuato illius delinquentis. Ita Salon. 2. 2. *q. 69. art. 2. controu. 5. concl. 2.*

Dico quartò, similiter crimina, quæ sunt in damnum aliquod temporale commune, vel particulare, nec frater est omnino emendatus, & adhuc essent perpetranda, vel continuanda, & damnum adhuc immineret, in Inquisitione generali sunt manifestanda, etiam si nulla existat infamia, quando alia via non potest illis occurri. Quia in huiusmodi criminibus tenetur vnusquisque aut damnum illud impedire, aut deferre ad Superiorem, qui illud impediat, etiam si nulla fiat Inquisitio. Salon. *eod. loco.*

IV. *Dubitationi respondetur.*

Dico quintò, directè respondens quæsito, quando crimen est publicum, sed auctor ignoratur, ius est iudici quærere in genere, quis fecerit, non tamen in particulari, an Petrus fecerit. Probatur ex communi praxi omnium iudicum, tam Ecclesiasticorum, quàm secularium, quam durum est condemnare. Syl. *verb. Correct. num. 6.*

Dico sextò, quamuis iudex possit inquirere, & interrogare quando crimen est publicum, non tamen inde sequitur, reum, si fortè interrogetur, teneri se ipsum patefacere, nisi contra ipsum præcessit infamia, vel aliqua expressa signa apparuerint, vel præcessit probatio semiplena. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst. 69. art. 2. in Corpore.* Azor. *part. 3, lib. 13. cap. 16. vers. secunda difficultas.*

Dico septimò, subditi similiter in isto casu quando auctor criminis ignoratur, etiamsi Superior sub pœna excommunicationis præceperit, non tenentur illum patefacere si nulla laboret infamia, & nihil mali imposterum timeatur, nec crimen adhuc esset perpetrandum, vel continuandum in damnum commune, vel alicuius innocentis. Caiet. 2. 2. *q. 69. art. 1.* Less. 2. *de Iust. c. 19. dub. 14. n. 118. part. 3. lib. 13. c. 16. difficult. 4. §. Sed hac responsio, vers. Quare alys.*

V. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur magis*

## DVBITATIO III.

*Quo modo liceat inquirere Inquisitoribus fidei?*

Ad illud quod obiicitur à principio, quatenus militat contra primam & quintam assertionem, respondetur, quòd in illis canonibus agitur de inquisitione speciali, qua inquiritur de Petro, & Paulo, non autem de ea, qua in genere quæritur, quis fecerit: ita bene annotauit Less. *lib. 2. de Iust. c. 29. dub. 14. n. 115.*

Respondetur secundò, quòd vt non fiat inquisitio sine infamia auctoris præuia, non est iuris diuini, aut naturalis, sed est iuris positiui humani, vt bene ait Sotus *de secreto membr. 2. q. 6. dub. 2.* Sed ius humanum potest contraria consuetudine legitimè præscripta aboleri. hoc ius igitur meritò potest abolitum videri, præcipuè in sæcularibus tribunalibus. Lessius *loc. cit. dub. 15. num. 132.*

Imò communis praxis modò obtinuit, quòd ad querelam partis, & ex denuntiatione iuridica alicuius priuati, iudices sæculares ad inquisitionem specialem procedant, etiamsi nulla præcesserit infamia, maximè quando talis inquisitio putatur necessaria ad bonum Reipubl. & mali compressionem. Nam denuntiator iuridicè denuntians habet vicem accusatoris: & viam iudici ad inquisitionem aperit. Less. *loco citato num. 141.*

## ARTICVLVS VII.

### An aliquis absens ignorans edictum Superioris præcipientis sub pœna excommunicationis reuelari tale delictum intra octo dies, post elapsum tempus certior factus de edicto, incurrat excommunicationem si sciat delictum, & probare possit si non accusat, & denuntiat delinquentem?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Declaratur, an obligatio præceptorum, vel edictorum sub pœna excommunicationis, habeant terminum præfixum.*
3. *Rationi in contrarium respondetur, explicando, An debitor incurrat excommunicationem latam per sententiam à iudice, si pars illi condonet, vel prorogat tempus restitutionis.*

I. *Pars*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

QVòd incidat in excommunicationem, &c. probatur, quia si creditor proroget terminum excommunicationis debitori, quando iudex præcipit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ vt soluat intra certum terminum, transactis diebus prorogationis, debitor incidit in excommunicationem, si sit potens, & non soluit, vt fatetur Decius, quem refert Sayr. *lib. 5. Clauis, cap. 1. n. 11. fine*, & videtur docere Tabiena *excomm.* 2. §. 14. ergo in casu nostro si post terminum signatum in edicto à Prælato propter ignorantiam quis non reuelat delictum, (quæ ignorantia est quasi quædam prorogatio termini censuræ) habita postea notitia excommunicationis, si non accuset & denuntiet delinquentem, cuius delictum nouit, & probare potest, incurret excommunicationem. Ita satis probabiliter Lopez 1. *part. instruct.* c. 162. *vers. Praeterea Germana*, &c. *fol.* 363. *col.* 1. *mihi.*

## Dvbitatio I.

II. *An obligatio praeceptorum, vel edictorum sub pœna excommunicationis, habeant terminum praefixum?*

Dico primò, obligatio præceptorum quando præfigunt tempus, durat iuxta illud tempus: vnde si habeant excommunicationem, vel aliam censuram annexam, incurrunt illam, qui intra præfixum tempus non denuntiant: quòd si præceptum, vel edictum in meam notitiam non venit præfixo elapso tempore, non teneor iam ad reuelandum, quod præcipitur reuelari, ratione illius edicti (quamuis teneri possim ex iustitia legali, vel charitate.) Probatur, quia sententia vltra terminum statuentis nullum habet vigorem, vt optimè docet Armilla *verb. excom. n.* 34. decidens hunc casum: tum quia sumus in materia odiosa, quæ vltra terminos extendi non debet: Armillam sequitur Ludouic. Beia 1. *p. casuum, casu* 47. *vers. Tandem confirmatur.*

Dico secundò, edicta quæ non præfigunt tempus, & innouantur singulis annis, vt edicta Inquisitorum, habent vim, & durat eorum obligatio toto anno, & vi illorum tenemur reuelare, quod præcipitur, quamprimum commodè possumus: probatur ex *cap. cùm dilecti, de dolo, & contum.*

Dico tertiò, præcepta, quæ proponuntur in particularibus visitationibus, vel Episcoporum in suis oppidis, vel Prælatorum in suis Religionibus (quæ visitationes certo tempore solent finiri,) non obligant illos, quibus non innotuerunt, nisi expleto tempore visitationis. Probatur, quia pro illo tantùm tempore feruntur nisi aliud Prælatus explicauerit. Vndè existimo Religiosum qui intra tempus visitationis non obediuit edicto, & præcepto sui Prælati, licèt peccauerit, post transactum tamen illud tempus, non teneri iam ad denuntiandum, nisi aliàs teneretur simpliciter, & citra vllum edictum ex iustitia, vel charitate: quia præcepta spirant cum visitatione, quod confirmat communis consensus & vsus: ita benè annotauit Salon. 2. 2. q. 68. *art.* 1. *controu.* 2. *concl.* 4. *f.* 495. *col.* 1. *mihi.*

III. *Rationi in contrarium respondetur, & explicatur*

## Dvbitatio II.

*An debitor incurrat excommunicationem latam per sententiam à iudice, si pars illi condonet, vel proroget tempus restitutionis?*

Nec officit ratio in principio adducta: Respondetur enim negando antecedens; quia creditor effectum excommunicationis differre non potest, cùm iurisdictionem non habeat ad tollendam sententiam à iudice latam, cùm id iurisdictionis sit actus. Transactis igitur diebus monitionis à iudice signatis, & statutis, incurritur excommunicatio. Quòd si iudex prorogationem à creditore factam nouerit, aut tacuerit, & eidem aliquo modo consenserit, nullo modo tunc excommunicationem debitor die constituto in edicto non soluens incurret, eo quòd de consensu iudicis, qui excommunicationem tulit, prorogatio facta censetur, sed incurret excommunicationem transactis diebus prorogationis à creditore datis cum consensu saltim tacito iudicis; quia iudex videtur fulminasse excommunicationem in fauorem partis, & sic dato partis consensu, & scientia iudicis excluditur contumacia, & non incurritur excommunicatio die statuto in præcepto, sed transactis diebus prorogationis. Ita bene Tabiena *excom.* 2. §. 14. *n.* 13. quem sequitur Sayr. *lib.* 1. *de cens. cap.* 11. *num* 20. Beia *loco nuper allegato, dicto* 1. Syl. *verb. excomm.* 2. *notabili* 1. *casu* 13. Nauar. *sum. cap.* 27. *num.* 15.

Quamuis Panormitanus, & alij citati à Sayro *loco adducto* aliter sentiant, adducentes simile de iuramento parti præstito, quod principaliter dirigitur in Deum, ita quòd Deus recipit principaliter obligationem, vt *cap. debitores, de iureiurand.* & tamen pars potest illud remittere, vel obligationem differre, vt est textus *in cap. primo, de iureiur.* Et est ratio, quia cùm Deus recipiat obligationem in fauorem partis, remittente parte remittit & Deus. ergo similiter debitor non incurret excommunicationem tempore præfixo à iudice, sed transactis diebus prorogationis à parte concessis. Respondetur ex Tabiena & Nauarr. *locis citatis*, hoc verum esse quando prorogatus fuit terminus solutionis consensu iudicis, alias secus, cùm talis prorogatio stante præcepto iudicis, sit actus iurisdictionis, & pars sine consensu iudicis hanc non habet facultatem. Saluo semper meliori iudicio.

---

## Articvlvs VIII.

An custodes syluarum, montium, fluminum, lacuum, pascuorum & locorum ad Principem pertinentium, teneantur accusare delinquentes, nimirum ligna prohibita scindentes, piscantes, venantes, merces prohibitas transferentes; & teneantur in conscientia soluere damnum, ad quod soluendum delinquentes condemnandi forent si accusarentur?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas dilucidatur.*
3. *An venatores, & piscatores peccent venando, vel piscando, quando non tenentur restituere, & similiter custodes illos non accusando, praesertim si sint iurati.*
4. *An similiter custodes confinium regnorum peccent non accusando transgressores, & ad restitutionem teneantur.*
5. *Rationi à principio respondetur, & magis explicantur superius dicta.*

1. *Pars*

I. *Pars negatiua probatur.*

Quia quando principalis causa non obligatur ad restituendum, accessoria causa non est obligata, accessorium enim per regulam iuris sequitur principale, sed delinquentes minimè obligantur ad soluendam pœnam in conscientia ante condemnationem iudicis: ergo nec custodes obligantur, cùm sint causa damni minus principalis, & ita hanc sententiam sustinet Less. *lib. 2. de Iust. c. 13. dub. 10. n. 72.*

II. *Veritas dilucidatur.*

Dico primò, si venatio, piscatio, aut cæsio lignorum sit iniustè, & tyrannicè prohibita, aut vectigalia iniustè instituta, & postulata, custodes non prohibentes, aut non accusantes nec peccant, nec ad aliquam tenentur restitutionem, etiamsi mercede, stipēdio, & iuramento se ad hoc obstrinxerint. Probatur, quia merces, stipendium & iuramentum non debet esse vinculum iniquitatis. Ita Salon. 2. 2. *quæst. 62. art. 7. controu. 4. conclus. 1.*

Dico secundò, quamuis prohibitio esset iusta, & licita, si tamen cædentes ligna, piscantes, aut venantes id faciant ex graui necessitate, vt suæ inopiæ succurrant, custodes in tali casu non accusantes nec peccant, nec ad restitutionem tenentur: quia charitas id exigit, cui nulla promissio, aut iuramentum debet aduersari. Ita Azor. *part. 3. instit. mor. lib. 5. cap. 17. dub. 1.* Sayr. *lib. 11. Clauis, c. 11. n. 6.*

Dico tertiò, quando cæsor lignorum, aut venator tenentur accepta restituere, tunc scilicet, quando notabile detrimentum in syluis communitatis fecerint, syluam deuastando & demoliendo, & in syluis priuatæ personæ, quas constat esse consitas à particulari persona in proprio fundo, magnam, & integram arborem obtruncauerint; tunc custos tenetur hos accusare, quod si non fecerit, delinquentibus damna non resarcientibus, teneatur ipse ad restitutionem; quia cùm accipiat mercedem, & stipendium vt custodiat ea quæ ipsi committuntur, agit contra iustitiam commutatiuam non custodiendo, & non accusando delinquentes, & tenetur restituere damnum, si delinquens principalis non restituerit: videatur hoc dicto Magister Bannes 2. 2. *q. 62. art. 3. dub. 4. concl. 1. 2. 3.* Salon. *loco cit. conclus. 4.* Sayr. *lib. 11. c. 11. n. 7. in Claui.*

DVBITATIO I.

III. *An venatores, & piscatores peccent venando, vel piscando, quando non tenentur restituere? & similiter custodes illos non accusando, præsertim si sint iurati.*

Dico quartò, quando venator, piscator, & cæsor lignorum non tenentur restituere, nec peccant mortaliter, quia venantur, piscantur, & cædunt ligna in locis communibus, nec demoliuntur syluam, & montem; nec magnam stragem ferarum, & piscium faciunt, sed cum moderamine ad suam vtilitatem scindunt ligna, venantur, & piscantur, vt docet Salon. 2. 2. *q. 62. art. 3. controu. 2. concl. 1.* licèt ad solutionem pœnæ, quando capti condemnabuntur, ad illam teneantur; custodes tunc non accusantes hos, in conscientia ante condemnationem iudicis non tenentur soluere pœnam ad quam condemnandi forent ij, qui delinquunt, si ab eis accusarentur. Probatur, quia principale agens, nempe is, qui delinquit, non tenetur in conscientia pœnam soluere ante condemnationem iudicis; ergo nō tenetur minus principale agens, qualis est custos, quo ante condemnationem iudicis fiscus, vel alius non habet ius in pœna ad rem, vel in re; ergo custos non denūtians nullum ius fisco, vel alteri aufert; ergo ad nullam ante iudicis sententiam restitutionem tenetur. Et ita hanc sententiam tenent Syl. *restitutio 3. q. 5. vers. 7.* Corduba *sum. q. 66.* Sayr. *lib. 11. cit. cap. 11. n. 8.*

Dico quintò, custodes syluarum, montium, fluminum, pascuorum, & locorum ad communitatem pertinentium, extra illos duos casus in primo & secundo dicto adductos, non accusantes delinquentes, nimirum ligna prohibita scindentes, piscantes, venantes, &c. peccant mortaliter si sint custodes iurati, vel sola fide adstricti; quia violant iuramentum præstitum, ad quod tenentur in licitis, & honestis; tum, quia habent se infideliter in re graui, quam tenentur seruare. Ita Lopez *1. part. instruct. c. 148. vers. 2. Quod custodes,* Salon. *2. 2. q. 62. art. 7. controu. 4. conclus. 3.*

DVBITATIO II.

IV. *An similiter custodes confinium regnorum peccent, non accusando transgressores, & ad restitutionem teneantur?*

Dico sextò, custodes confinium regnorum deputati ad custodiendum ne quis aliqua exportet è Regnis, Prouinciis, vel ciuitatibus, vel importet in illis, si non accusant transgressores, peccant mortaliter, & sunt periuri si accusare iurauerunt, sed non tenentur ad restituendum pœnas, quas soluissent transgressores, si denuntiati fuissent: quamuis tenerentur ad restituenda vectigalia si essent iusta, quæ importantes, vel exportantes deberent; quia hoc non est pœna, sed interesse. Ita bene Syl. *Restitutio 3. q. 5. vers. 7.* quem sequitur Nauar. *sum. cap. 25. num. 34. & tom. 2. consil. lib. 5. de iniur. & damn. consil. 4. num. 4.*

V. *Rationi à principio respondetur, & magis explicantur superiùs dicta.*

Nec officit contra ea, quæ diximus, ratio à principio proposita, illa enim probat nostram quartam assertionem: sed contrà est argumentum, quia custodes non accusantes transgressores legum pœnalium delinquunt contra iustitiam commutatiuam, tenentur enim ex officio tales delinquentes denuntiare, quia mercede & stipendio sunt conducti vt denuntient: ergo, &c. Respondetur quòd quando transgressores legum pœnalium non peccant lethaliter, nec tenentur ad restitutionem, vt sunt venatores, piscatores, scindentes ligna in locis communibus vbi est prohibitio cum moderamine ad suam vtilitatem. Et ratio huius est, quia communitas, & Respubl. non intendit id prohibere tanquam rem merè alienam, sed contenta est vt qui sic accipiunt, exponant se periculo soluendæ pœnæ, vt docet Salon. 2. 2. *q. 62. art. 7. controuers. 4. conclus. 5. fine.* In isto casu custodes syluarum, mōtium, fluminum non tenentur accusare delinquentes ex iustitia, vt communitas, & Respubl. ditetur, & locupletetur mulctis, sed vt damna grauia impediantur, & leges iustitiæ legalis seruentur, per quam tenentur ciues, & subditi seruare statuta Reipubl. vnde neque custos non accusans, neque Procurator fiscalis, neque iudex non condemnans delinquentes, tenentur ad pœnæ illius compensationem: vt bene docet Less. *lib. 2. de Iust. cap. 13. dub. 10. num. 73. & eod. lib. cap. 31. dub. 8. n. 51.* Secus autem, si in syluis, montibus; & fluminibus magnam facerent delinquentes stragem, & deuastationem, tunc enim sicut principales tenentur ad restitutionem damni: ita ipsis non restituentibus tenentur in solidum id facere custodes si per negligentiam sui officij sunt in causa

talis detestationis: videatur Sayr. *In Claui Regia, lib. 11. cap. 11. num. 7.* Saluo, &c.

## ARTICVLVS IX.

### An sit licitum, inimicum veraciter veniam petentem, apud iudicem accusare, vt luat pœnam corporalem per legem impositam, puta abscissionem manus, aut capitis?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas dilucidatur, explicando, quanam ex offensa proueniant, & quæ possint contra offensorem retineri, vel quæ debeant relaxari.*
3. *Dubitatio resoluitur, & explicatur, an offensus teneatur dare offenso pacem in scriptis.*
4. *Rationi à principio respondetur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

EX *cap. si quis contristatus, dist. 90.* vbi hæc formaliter habentur. *Si quis contristatus noluerit reconciliari fratri suo, satisfaciente eo, qui contristauit, acerrimis maceretur inedijs, vsque dum gratanti animo satisfactionem recipiat;* ergo si inimicus veraciter veniam petit, & verè paratus est in omnibus, & per omnia offensu satisfacere, tenetur si petierit etiam pacem in scriptis dare, & alia signa particularia charitatis eidem ostendere; ergo illicitum erit apud iudicem illum accusare, vt soluat pœnam à lege taxatam, puta abscissionem manus, aut capitis.

II. *Veritas dilucidatur, & explicatur*

## DVBITATIO I.

*Quanam ex offensa proueniant, & quæ possint contra offensorem retineri, vel quæ debeant relaxari?*

Dico primò, tria sunt, quæ ex offensa & inimicitia nascuntur, regulariter odium, ira, rancor in corde, siue in affectu: subtractio eorum, quæ re ipsa amoris significationem habent in opere, seu in effectu: tertium est in iure, siue in foro externo, actio scilicet contra offendentem & iniuriantem coram iudice; odium, ira, rancor, & vindictæ cupiditas statim è corde sunt deponenda: significationes amoris communes sunt exhibendæ: non autem speciales, per se loquendo. Tertiū autem, dimittere scilicet pœnam lege taxatam, ad id præcepto non obligamur: quia licèt quilibet teneatur dimittere rancorem, & remittere odium inordinatum, & exhibere inimico significationes amoris communes, nemo tamen tenetur remittere iniuriam sine debita, & idonea satisfactione à lege taxata. Ita bene Syl. *verb. Charitas, q. 6 n. 4* quem sequitur Azor, *p. 2. institut. mor lib. 12. c. 3. dub. 7 fine.*

III. *Dubitatio resoluitur, & explicatur*

## DVBITATIO II.

*An offensus teneatur dare offenso pacem in scriptis?*

Dico secundò, consequenter offensus potest tuta conscientia instare apud iudicem, vt delinquens pœna mortis merita à lege taxata ob qualitatem delicti commissi mulctetur, modò cesset rancor, & odium, & adsit iustus finis à quo ad id moueatur; vnde si offensor expostulet pacem in scriptis ab offenso, ad id præcepto offensus non obligatur. Probatur, quia cùm lex sit iusta, non est malum velle seruari iustitiam petendo pœnam à lege taxatam, dummodo absit rancor, & adsit bonus finis. Ita bene Magister Bannes 2. 2. *quæst. 25. art. 9. dub. 5.* Tum quia, vt asserit D. Thom. 2. 2. *quæst. 108. art. 1. in corpore*, si intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod peruenitur per pœnam peccantis, vel saltem ad cohibitionem eius, & quietem aliorum, & ad iustitiæ conseruationem, & Dei honorem, potest etiam esse vindicatio hæc licita; formaliter hæc D. Thom. ergo poterit tuta conscientia offensus instare apud iudicem, vt delinquens mulctetur pœna meritа a lege taxata, dummodo absit rancor, & adsit bonus finis: & ita hanc sententiam tenet expresse Bann. *loc. cit.* Nauarr. *tom. 2. consil. lib. 5. de accusat. consil. 1. n. 1.*

Vbi refertur quendam Ordinarium à sacra Congregatione Cardinalium reprehensum, eo quòd cuidam mulieri recusanti dare pacem in scriptis his, qui eius occiderant filium, asserenti se odio prædictos homines non prosequi, mandauerat denegari sacramentum Confessionis & communionis. Idem tenet Nauarr. *tom. 2. consil. lib. 5. de pœnit. & remiss. consil. 3. & in summ. c. 14. num. 25.* & colligitur ex Caiet. 2. 2. *quæst. 25. art. 9.* Quamuis Beia 1. *part. casuum, casu* 10. contrarium sentiat, Conrad. 1. *part. respons. q.* 197.

Fateor tamen difficile esse valde, & rarò, moraliter loquendo, vsu venire, quòd quis nolit condonare offensori pœnam corporalem abscissionis manus, aut capitis à lege taxatam, & quòd careat odio, & appetitu vindictæ, quod prudenter annotauit Magister Bannes *loco adducto.*

IV. *Rationi à principio respondetur.*

Nec obstat contra ea, quæ diximus, text. *cap. si quis contristatus*, offensor enim debet exhibere offenso idoneam & debitam satisfactionem: idonea, debita, & iusta satisfactio est pœna à lege taxata, iuxta criminis commissi qualitatem: si ergo offensus pœnam & satisfactionem exigit sine odio & rancore, & aliquo bonu fine ductus, quæ in iudicio peti potest, iustum, licitum & honestum quærit, iuxta glossam *in dicto c. si quis contristatus, verb. satisfactione*, quod docent Syl. Bannes, Nauarr. *locis in dubio citatis.* Saluo semper meliori iudicio.

# DISQVISITIO VI.

## *De Adiuratione.*

## ARTICVLVS VNIC.

### An liceat hominem, Dæmonem, vel creaturam irrationalem adiurare?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua suadetur quoad omnes tituli partes.*
2. *Veritas ostenditur, explicando quid, & quotuplex sit adiuratio, & in quo differat à iuramento & oratione.*
3. *Dubitatio resoluitur quoad adiurationem deprecatiuam erga Deum, Sanctos & homines.*
4. *An possint adiurari adiuratione imperatoria, vel deprecatiua Dæmones & res inanimatæ.*
5. *Ad rationem à principio respondetur.*

I. *Pars*

I. *Pars negatiua suadetur, quoad omnes tituli partes.*



VINCITVR quòd non: non hominem, quia quicunque homo adiurat alium, quodammodo ipsum compellit, sed nō licet alium inuitum cogere; ergo, &c. non Dæmonem, quia quicunque adiurat aliquem, ex hoc ipso aliquam societatem cum ipso facit, sed non licet cum Dæmonibus, &c. non creaturam irrationalem Probatur, quia adiuratio fit per locutionem, sed creatura irrationalis non percipit locutionem. ergo, &c.

II. *Veritas ostenditur, & explicatur*

## DVBITATIO I.

*Quid & quotuplex sit adiuratio, & in quo differat à iuramento & oratione?*

Dico primò. adiuratio est aliquam personam imperando, aut obsecrando inducere ad aliquid faciendū, vel omittendum inuocatione alicuius rei sacræ: ita ex D.Th. 2. 2. *q.* 90 *art* 1. Quare duplex est adiuratio, quædam deprecatiua, quæ fit imperando, vel quædam est per modum deprecationis, altera per modum compulsionis. Ita D.Thom. *loc. cit. art.* 3.

Dico secundò, adiuratio differt à iuramento, quia in iuramēto adducitur Deus, vt testis veritatis, aut quasi fideiussor promissionis: in adiuratione autem vt obiectum amoris, vel timoris eius, quem adiuramus, vt inde eius timore, vel amore ducatur ad rem petitam concedendam. Item differt adiuratio ab oratione, quia per orationem aliquid à Deo petitur, at per adiurationem vt sic non petitur aliquid à Deo, sed propter Deum. Est autem adiuratio actus religionis, quando fit per Deum, siue expressè, siue tacitè; quia in hoc adiurans tribuit Deo honorem, quòd eius authoritatem tanquam plurimum apud omnes valentem interponat ad aliquid obtinendum. Ita Sotus *lib.* 8. *de iust. q.* 3. *art.* 1.

III. *Dubitatio resoluitur, quoad adiurationem deprecatiuam erga Deum, Sanctos, & homines.*

Dico tertiò, licita est cuiuis adiuratio deprecatiua erga Deum, Sanctos, & quemlibet hominē. Probatur ex Ecclesiæ vsu Deum deprecantis in omnibus orationibus per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM. Tum, quia Deum continuò adiuramus obsecrando per bonitatem miserationes ipsius per Christi passionem, & merita B.V. & Sanctorum omnium. Quòd autem Sanctos, & quemlibet hominem adiurare liceat, probatur, quia honestum est ad quoscunque Sanctos & homines inducendos ad aliquod bonum vti reuerentia diuini nominis, vel alicuius rei sacræ in qua diuinum nomen relucet: videatur D.Th. 2. 2. *citata q.* 90. *art.* 1. quem sequuntur Sanchez *lib.* 2. *oper. mor.* 42 *n.* 12. Less. *lib.* 2 *de iust.* 41. *dub.* 13. *n.* 69.

## DVBITATIO II.

IV. *An possint adiurari adiuratione imperatoria, vel deprecatoria Dæmones & res inanimatæ?*

Dico quartò, adiuratio imperatoria, seu coactiua dæmonum, seu per modum compulsionis licita est, arcendo illos tanquam hostes, ne hominibus spiritualiter, aut corporaliter noceant: quia Ecclesia habet specialem potestatem à Christo datam in Dæmones ad imperandum illis, eósque coërcendos, seu expellendos iuxta illud Marci vltimo, *in nomine meo Dæmonia eycient* D.Th. 2. 2 *cit. art.* 1.

Dico quintò, nulla ratione est licitum Dæmones adiurare adiuratione deprecatoria, ipsos scilicet Dæmones precando, quia iste modus adiurandi ad quandam beneuolentiam, & amicitiam pertinere videtur, qua non licet ad Dæmones vti. Nec etiam imperatoriè, aut deprecatoriè licet adiurare Dæmones, vt nobis aliquod obsequium qualiscunque generis sit illud, aut qualecunque beneficium præstent; quia hoc pertinet ad aliquam societatem cum ipsis habendam, quam habere non licet. Ita optimè D.Thom. *art.* 2. *adducto.*

Dico sextò, res inanimatæ per se & directè adiurari non possunt; quia non intelligunt. Potest tamen fieri adiuratio creaturarum irrationalium, quasi indirectè referendo illam ad ipsum Deum, qui ea mouet humiliter obsecrando eum vt dignetur ea compescere aliquo modo suæ diuinæ Maiestati grato: vel referendo ad Diabolum per modum cōpulsionis, præcipiendo ei potestate à Deo tradita Ecclesiæ, vt cesset à mouendo, ducendo, vel dirigendo illas contra nos, D.Thom. *art.* 3. *q. adducta* Nauarr. citans D.Th. *tom.* 1. *consil. lib.* 5. *de sentent. ex. omm consil.* 52. *num.* 11. Syl. *verb. Adiuratio, fine.*

V. *Ad rationem à principio respondetur.*

Negando maiorem, adiurare enim non est inuitum cogere, sed inducere alium ad aliquod agendum, propter nomen diuinum, quod est licitum. Negamus etiam quòd quando adiuramus Dæmones adiuratione imperatiua per modum compulsionis fit, hoc habere cum Dæmonibus societatem, sed potius cùm potestatiuè, & adiuratione imperatiua Dæmones adiuramus, ab eorum societate recedimus, vt optimè ait D. Th. 2. 2. *quæst.* 90 *art.* 2. *ad tertium.* Ad tertium fundamentum patet ex sexta nostra assertione quid dicendum. Saluo semper, &c.

# DISQVISITIO VII.

## *De Adoratione.*

---

## ARTICVLVS VNIC.

## An adoratio sit actus Religionis.

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua suadetur.*
2. *Veritas aperitur, & explicatur, quid sint adoratio, & Religio, & quotuplex sit adoratio*
3. *Quânam adoratione debeat adorari sanctissima Trinitas, & Christus.*
4. *Quânam adoratione debeant adorari, quæ Christum contigerunt.*
5. *Quânam adoratione adoranda sit B.V. Maria.*
6. *An iumentum, quo Christus sedit, si esset viuum, esset adorandum.*
7. *Dubitatio resoluitur quoad Deum.*
8. *Quânam adoratione adorentur Sancti, Reliquiæ, imagines, & Angeli?*
9. *An adoratio qua colimus Sanctos in cælo, sit eiusdem rationis cum illa, qua colimus viros iustos in terra.*
10. *An adoratio Sanctorum sit actus Religionis, & quare dicatur cultus Religiosus.*
11. *Ad rationem in contrarium à principio respondetur.*

I. *Pars negatiua suadetur.*

IDETVR quòd non: nam cultus Religionis soli Deo debetur, sed adoratio non debetur soli Deo. Legitur enim 3. *Regū* 1. quòd Nathan Propheta ingressus ad Regem Dauid adorauit eum pronus in terram. ergo adoratio non est actus Religionis.

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

DVBITATIO I.

*Quid sint adoratio, & Religio, & quotuplex sit adoratio?*

Dico primò, adoratio est reuerentiæ alicui rei propter eius excellentiam exhibitio. D.Th. 2.2. *quæst.* 84. *art.* 1. Armilla *verb. Adoratio, n.* 1. Religio verò est virtus moralis impellens hominem ad honorandum, colendúmque Deum tanquam primum principium nostrum à quo sumus, & in quo viuimus: ita ex D.Th. 2.2. q. 81. art. 1. colligit Nauarr. *summ. c.* 14. *n.* 1.

Dico secūdò, adoratio alia est latriæ, alia duliæ, alia hyperduliæ. Adoratio latriæ est summa veneratio, seu reuerentia quæ soli Deo debetur propter dominium quod super omnem creaturam exercet, & ob eius ineffabilem excellentiam, quæ à nemine descendit, & ab eo cuncta deriuantur, vt habetur ex D.Thom. 2.2. q. 103. art. 3. Adoratio verò duliæ est veneratio, seu reuerentia qua veneramur personas dignitate præcellentes, & sic Sancti, eorum imagines, Reliquiæ & spiritus Angelici debent adorari: Beatissima verò V.M. adoratur adoratione hyperduliæ, quæ media est inter adorationem latriæ, & duliæ, propter specialem affinitatem, quam habet ad Deum, vt optime docet D.Th, 3. *part. quæst.* 25. *art.* 5.

DVBITATIO II.

III. *Quânam adoratione debeat adorari sanctissima Trinitas, & Christus?*

Dico tertiò, toti Trinitati, & cuilibet diuinæ personæ debetur per se cultus, & honor latriæ. Item Christo Domino, quoniam etsi homo sit, est etiam Deus. Item latriæ cultus humanæ Christi naturæ tribuitur; quia non humanitas per se colitur, sed persona diuina in humanitate subsistens, vel humana natura, vt est Verbi diuini humanitas. D.Th 3 *part. q.* 25 *art.* 1. & 2.

Dico quartò, humana Christi natura re ipsa, vel cogitatione seiuncta à Verbo, & per se considerata non est veneratione latriæ colenda, sed duliæ, quia vt sic etiam consideratur vt omni munere gratiarum perfecta. D.Thom. 3 *part. q.* 25 *art.* 2. *in corpore.* Si dicatur, nam D. Thom. *art.* 4. *eiusdem q.* docet ea quæ Christum Dominum tetigerunt, latria coli debere: ergo multo magis natura humana Christi, cùm semel fuerit Verbo diuino coniuncta, digna quoque est honore latriæ, etiam à Verbo dimissa.

Respondetur, S. Thomam non illam ea ratione considerasse, sed solam naturam humanam per se ab hypostasi diuina seiunctam, vt gratia & sanctitate plenissimam, sic enim accepta & omni alia ratione seclusa, digna est cultu duliæ, vel hyperduliæ, non autem latriæ. D.Thom. sequitur Azor. 1. *part. institut. moralium, lib.* 9. *cap.* 5. *dub.* 7. *ad finem.*

Dico quintò, sanguis Christi in triduo mortis separatus à corpore cultum latriæ meretur: tum, quia tetigerat corpus Christi quod fuerat Verbo diuino coniunctum, tum quia sanguis decoctus, & perfectus, qui est pars corporis humani, non fuit etiam in triduo mortis à Verbo diuino separatus, & diuisus, S.Thom. 3. *part. quæst.* 25. *art.* 4. *ad secundum.*

DVBITATIO III.

IV. *Quânam ratione debeant adorari quæ Christum contigerunt?*

Dico sextò, ea quæ Christum Dominum re ipsa tetigerunt, latriæ cultu coli debent, claui, inquam, lancea, præsepe, spongia, flagella, corona spinea, & alia huiusmodi. D.Th. 3. *p. q.* 25 *art.* 4. *ad* 3. Sed arguitur contra hoc, id quod non potest esse subiectum alicuius virtutis, & sanctitatis, non potest esse terminus alicuius adorationis; sed claui, lancea, &c. non possunt esse subiectum virtutis, aut sanctitatis, natura enim intellectualis, sola est subiectū virtutis & sāctitatis, ergo, &c.

Respondetur quòd adoratio est duplex, absoluta, & respectiua. Adoratione absoluta adoratur res propter se, seu propter intrinsecam excellentiam quam habet: adoratione verò respectiua adoratur res propter excellentiam, quæ est in aliqua persona, ad quam talis res aliquam habitudinem habet, vel coniunctionem. Priori modo tantùm est adorabilis res intellectualis, quæ est subiectum virtutis, & sanctitatis: sola honorabilis, seu adorabilis propter se; posteriori verò modo adorabiles sunt res inferioris ordinis, & honor, & adoratio illis exhibita, est respectiua, non in illis sistens, sed in ipsas personas propter quas adorantur, redundans, & hoc secundo modo adoramus clauos, lanceam, præsepe, crucem Christi, &c.

Dico septimò, ea quæ tetigerunt Christum Dominum ignominiosè, nefariè & impiè, nullū cultum merentur, qualis impia, & sacrilega illa manus eius fuit, qui Christum Dominum alapa percussit; quia non est eadem ratio de instrumentis separatis, & de coniunctis. Impia enim manus percutientis Christum alapa, manus etiam crucifigentium, flagellantium, spongiam aceto plenam ori eius porrigentium, contumeliosè, & impiè Christum tractabant; sed non claui, lancea, & corona spinea, cùm ratione, & sensu carerent: vnde hæc sunt veneratione latriæ & adoratione respectiua veneranda: videatur Azor. 1. *part. instit. mor. lib.* 9. *cap.* 5. *& 6.* 9. non tamen impiæ manus percutientium, flagellantium, & malè tractantium Christum Dominum, quia nefariè, impiè, & contumeliosè illum tetigerunt.

Dico octauò, sancta Crux in qua Christus Dominus est crucifixus, duplici titulo est adoranda adoratione latriæ. Vnus est in quantum repræsentat nobis figuram Christi extensi in ea, alio modo ex contactu ad membra Christi, & ex hoc quòd eius sanguine est perfusa; alias verò cruces veneramur tantùm, vt imagines Christi crucifixi. Probatur, illi exhibemus latriæ cultum, in quo ponimus spem salutis, sed in Cruce Christi ponimus spem salutis, cantat enim Ecclesia, *O Crux aue, spes vnica*, &c. ergo, &c. D.Th. 3. *p. q.* 25. *a.* 4.

DVBITATIO IV.

V. *Quânam adoratione adoranda sit B.V. Maria.*

Dico nonò, B. Virgo Maria nequaquam cultu latriæ est adoranda, quamuis coniunctionem maximam habuerit cum Christo, quia cùm secundùm seipsam honorem maximum hyperduliæ mereatur, si cultu latriæ honoraretur, videretur tali cultu latriæ absoluto per se ipsam coli. D.Th. 3. *p. q.* 25 *art.* 5.

Dico decimò, honorificentior, & illustrior cultus absolutè impenditur B V. cùm adoratur hyperdulia, propter excellentissimas eius virtutes, quàm si adoraretur latriæ cultu ex coniunctione ad Christum;

stum; quia adorari ratione coniunctionis, est adorari diminutè, propter illud additum ratione coniunctionis: at Beatissimam V. coli cultu hyperduliæ, est venerari cultu absoluto secundùm se ipsam, propter excellentissimas eius virtutes, quod est honorificentius, & illustrius: videatur Medina 3. *part. q.* 25. *art.* 5. *vers. Pro huius explicatione.*

## DVBITATIO V.

VI. *An iumentum, qua Christus sedit, si esset viua, esset adoranda?*

Dico vndecimò, asina tamen cui Christus insidens Hierusalem die Palmarum venit, si ea viueret, non esset adoranda adoratione respectiua latriæ: quamuis Christum Dominum suo corpore tetigerit; quia etsi contactus Christi per se quidem sufficiens sit ratio respectiuæ adorationis latriæ, sæpe tamen non expedit vti hac adoratione, vel quia non decet, vel quia res adoranda valde est inerta: videatur Suarez *in* 3. *part. tom.* 1. *disp.* 56. *sect.* 1. *col.* 2. *vers. ad secundum.*

VII. *Dubitatio resoluitur quoad Deum.*

Dico duodecimò, adoratio, qua Deum colimus, est actus virtutis latriæ, seu Religionis, quæ est virtus moralis, qua Deum adoramus, & colimus propter eius infinitam potentiam & excellentiam increatam, vt docet D. Augustinus *lib.* 10. *de ciuit. Dei, cap* 4. *Syl. verb Latria.*

## DVBITATIO VI.

VIII. *Quinam adoratione adorentur Sancti, Reliquia, imagines, & Angeli?*

Dico decimotertiò, adoratio, qua Sanctos, eorum imagines, Reliquias & Spiritus Angelicos colimus, est actus virtutis duliæ: perfectior & distincta specie ab adoratione, seu honore politico, & ciuili, qui hominibus propter dignitatem, vel potestatem humanam dari solet. Probatur, quia virtutes & earum actus ex obiectis distinguuntur, sed excellentia est quasi formale obiectum adorationis. Sicut ergo excellentia Sanctorum cum Christo regnantium altioris ordinis est, quàm omnis humana dignitas, vel potentia, ita & adoratio, & virtus qua Sanctos colimus, est perfectior, & specie distincta, cùm dici non possit omnino humana, sed quasi diuina per participationem propter excellentiam Sanctorum supernaturalem. Videatur D. Thom. 2. 2. *q.* 103. *art.* 4. vbi multas species duliæ ponit. Suar. *in* 3 *p. tom.* 1. *disp.* 52. *sect.* 3. *in principio.*

## DVBITATIO VII.

IX. *An adoratio, qua colimus Sanctos in cælo, sit eiusdem rationis cum illa, qua colimus viros iustos in terra?*

Dico decimoquartò, adoratio & virtus duliæ, qua Sanctos in cœlo regnantes cum Christo veneramur, & colimus, est eiusdem rationis cum adoratione, & virtute duliæ, qua homines iustos, & sanctos inter nos viuentes veneramur; quia gratia, & sanctitas, quæ potissimum est huius adorationis fundamentum, eiusdem rationis est in vtrisque: ergo & adoratio eiusdem rationis erit.

Virtus tamen hyperduliæ, qua Beatissimam V. adoramus ex affinitate, quam habet ad Deum, est potissima species duliæ: videatur D. Th. 2. 2. *q.* 103. *art.* 4. *ad tertium.*



## DVBITATIO VIII.

X. *An adoratio Sanctorum sit actus Religionis, & quare dicatur cultus religiosus?*

Dico decimoquintò, adoratio qua Sanctos colimus, non est actus elicitus à virtute Religionis, quia virtute Religionis Deū veneramur, adoramus, & colimus, propter eius infinitam potentiam, & excellentiam increatam: vt dixi, ex D. Augustino 12. *assertione.* Dicitur tamen adoratio Sanctorum cultus religiosus, quia hic cultus in religiosis actionibus, & ad pietatem pertinentibus est positus; quapropter Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus Sanctos colimus, vt præclarè dicit S. Damascenus *lib.* 4. *cap.* 16.

XI. *Ad rationem in contrarium à principio respondetur.*

Ad rationem in principio positam patet ex dictis. Dicimus enim quòd adoratio, qua Deum colimus, est alterius rationis, cùm à virtute Religionis proficiscatur, propter eius infinitam potentiam & excellentiam increatā, & similiter aliter adoramus, & colimus Sanctos, eorum Reliquias, & imagines adoratione perfectiori & specie distincta, & quasi diuina per participationē propter eorum excellentiam supernaturalem, ac veneramur Reges temporales, & homines dignitate, ac potestate excellentes cultu quodam ciuili, & politico. Vnde D. Aug. *lib.* 10. *de ciuit. Dei, c.* 1. eleganter dixit, Alia est seruitus, quæ debetur hominibus, secundùm quam præcipit Apost. seruos dominis suis subditos esse, quæ Græcè *Dulia* dicitur; alia verò Latria, quæ dicitur seruitus pertinens ad colendum Deum: & alia, quę debetur Sanctis propter eorum excellentiam supernaturalem, quasi diuinam per participationem: videatur D. Thom. 2. 2. *quæst.* 103. *art.* 3.

# DISQVISITIO VIII.

## *De Adulatione.*

## ARTICVLVS VNIC.

### An adulatio sit peccatum, & quale?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, & explicatur, quid sit adulatio.*
3. *Dubitatio resoluitur.*
4. *An adulans sit simoniacus si adulatione impetrare intendit beneficium.*
5. *Ad rationem in contrarium respondetur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

VIDETVR quòd nullum sit peccatum, nam laudare aliquem non est malum, secundùm illud Prou. vltimo, *surrexerunt filij eius, & beatissimam prædicauerunt; vir eius, & laudauit eam;* sed adulatio consistit in quodam sermone laudis alteri exhibito, &c. ergo, &c.

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

## DVBITATIO I.

*Quid sit adulatio.*

Dico primò, adulatio est excessiua delectandi alios verbis laudis, aut factis: igitur laudare aliquem de eo, quo non est laudandus, puta de malo, vel plusquam

est laudandus, vel vbi & quando, & quomodo, & quo fine non est laudandus, est adulatio, de qua 6. *quæst.* 1. *cap. sunt plurimi, & 11 q. 3. cap. nemo peritorum.* D. Th. 2. 2. *q.* 115. *art.* 1. Syl *verb Adulatio.*

III. *Dubitatio resoluitur.*

Dico secundò, adulatio per se est solum peccatum veniale, quia est tantùm excessus in studio placendi, & delectandi alios in communi conuersatione: potest tamen esse peccatum mortale ratione materiæ, vt si quis laudet alicuius peccatum, præsertim mortiferum, iuxta illud, *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum.* Secundò ratione finis, vt si aduletis, vt ad libidines petrahas. Tertiò ratione affectus, vt cùm per adulationem præbetur occasio alicuius grauis peccati: ita eleganter D. Thom. 2. 2. *cit. art.* 2. D. Anton. *part.* 2. *tit.* 10. *cap.* 2.

DVBITATIO II.

IV. *An adulans sit simoniacus si adulatione impetrare intendat beneficium?*

Dico tertiò, adulans si pacto interueniente, vt aduletur, per adulationem impetrat sibi beneficium, est simoniacus. Probatur, quia obligatio laudandi alterum per excessum, vel commendandi apud Principem, vel apud alterum, est pretio æstimabilis, cùm pro ea pretium accipi possit: ergo quando deducitur in pactum in re spirituali, qualis est beneficium, constituit simoniam. Videatur D. Th. 2. 2. *q.* 100. *art.* 5. Confirmatur. Nam pretium quo solent emi, vel vendi spiritualia, est triplex. Muneris, puta pecunia, vel res pecunia æstimabilis. Secundò pretium linguæ: vt si quis conueniat cum aliquo se daturum beneficium si ipsum laudet corã aliis. Tertiò est pretium obsequij, vt cùm quis inseruit alicui in ministeriis temporalibus pro retributinoe, vt beneficium recipiat. Ita 1. *q.* 3. *c. Saluator*; ergo erit simoniacus ille, qui conuenit cum aliquo accepturum se beneficium si illum laudet per excessum. Syl. *verb. Adulatio, num.* 5. Less. *lib.* 2. *de Iust. cap.* 35. *dub.* 20. *num.* 118.

V. *Ad rationem in contrarium respondetur.*

Laudare aliquem, in quibus est laudandus, seruando debitas circunstantias, bonum est, pertinet enim ad virtutem affabilitatis: quæ etsi principaliter delectare intendat eos, quibus conuiuit, tamen vbi necesse est propter aliquod bonum exequendum, vel malum vitandum, non veretur eosdem contristare. Cæterùm malum est ad adulationem pertineus, velle laudare aliquem, in quibus non est laudandus, vel vbi, quando, & quomodu laudem non meretur. Videatur D. Th. 2. 2. *q.* 115. *art.* 1. & 2. & per hæc ad illud *Prouerb. vlt.* quid dicendum, patet.

# DISQVISITIO IX.

## *De Adulterio.*

---

### ARTICVLVS I.

### An sit adulterium abusus vxoris contra naturam?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, explicando, quid sit adulterium, & quas deformitates in se habeat, & quot modis committatur, & quomodo sit explicandum in confessione.*
3. *Quidnam sit incestus, & an adulterium sit maius peccatum incestu.*
4. *An mulier soluta accedens ad coniugatum committat adulterium.*
5. *An eodem modo committat adulterium accedens naturaliter, & contra naturam ad coniugatam.*
6. *An solutus accedens contra naturam ad coniugatam vltra crimen sodomiticum committat adulterium.*
7. *Titulo dubitationis respondetur.*
8. *Rationi à principio satisfit.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAM adulterium est alieni tori violatio, seu accessus ad alienum torum, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 8. *in corpore*; sed in casu posito nihil fit cum aliena coniuge, neque alienus torus violatur. ergo nulla malitia adulterij reperitur in abusu vxoris contra naturam.

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

DVBITATIO I.

*Quid sit adulterium, & quas deformitates in se habeat, & quot modis committatur, & quomodo sit explicandum in confessione?*

Dico primò, adulterium, quod est alieni tori violatio, vel accessus ad alienum torum, continet duas contra rectam rationem deformitates, vnam luxurię, quia est concubitus viri cum fœmina extra coniugium: alteram iniustitiæ, quia est coitus cum fœmina, quæ est vxor alterius, vel cum viro, qui est maritus alterius, S. Thom. 2. 2. *q.* 154. *art.* 8.

Dico secundò, adulterium committitur tripliciter, primò si coniugatus carnaliter cognoscat solutam. Secundò, si solutus cognoscat coniugatam. Tertiò, si vir coniugatus accedat ad fœminam coniugatam: & hoc appellatur adulterium duplex, illa verò duo priora adulteria simplicia. Syl. *verb. Adulterium, num.* 1.

Dico tertiò, si coniugatus coëat cum coniugata, tenetur explicare in confessione se coisse cum coniugata, & se etiam esse vxoratum virum, quia duplicem iniustitiam committit, tum contra maritum vxoris quam cognoscit, tum contra suam propriam vxorem, cui fidem & iustitiam non seruat. Nauarr. *in summ. c.* 6. *num.* 5. *vers. Quartò infertur.*

DVBITATIO II.

III. *Quidnam sit incestus, & an adulterium sit maius peccatum incestu?*

Dico quartò, adulterium non est grauius peccatum incestu, (qui est consanguineorum, vel affinium abusus. 36. *quæst.* 1. *can. lex illa.*) Quia incestus vltra speciem, & deformitatem luxuriæ, est etiam contra pietatem, & naturalem reuerentiam quam personis coniunctis debemus. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 12. *in corpore*, quod intelligitur de incestu in cognatione carnali contra ius naturæ commisso: vt est incestus cum matre, cum sorore, cum socru, cum nuru, cum nouerca, cum priuigna. Angelus *verb. Luxuria, num.* 3. Azor. 3. *part. inst. moral. lib.* 3. *cap.* 7. *dub.* 6.

DVBI

## DVBITATIO III.

**IV.** *An mulier soluta accedens ad coniugatum committat adulterium?*

Dico quintò, mulier soluta accedens ad virum coniugatum adulterij crimen committit, quia habet accessum ad alienum torum: tum, quia nedum adulterium committitur ex conditione fœminæ coniugatæ, sed etiam ex conditione viri vxorati; ergo mulier soluta accedens ad virum coniugatum committit adulterium. Caiet. 2.2. *quæst.* 154. *art.* 8. *vers. Ad hoc dicitur quòd*, &c.

## DVBITATIO IV.

**V.** *An eodem modo committat adulterium accedens naturaliter, & contra naturam ad coniugatam?*

Dico sextò, adulterium committit, qui abutitur coniugata contra naturam, & qui naturaliter: quia vtrobique fit iniuria matrimonio cùm persona, quæ est alterius, quoad concubitum polluitur: maior tamen iniuria fit matrimonio, quando coniugata naturaliter cognoscitur; quia tunc solùm non polluitur persona vxoris, quæ est mariti, sed etiam proprium vas generationis, quod est etiam mariti. Caiet. 2.2. *q.* 154. *art.* 12. *ad primum dubium.*

Dico septimò, concubitus cum coniugata contra naturam non est propriè adulterium, sicut concubitus contra naturam cum consanguinea non est propriè incestus, sed quasi impropriè est adulterium, & impropriè incestus est talis concubitus contra naturam, quia omnes species luxuriæ naturalis significant deformitatem in concubitu naturali: sicut simiam curuitatem in naso: tum quia ex huiusmodi circumstantiis in crimine contra naturam non contrahitur affinitas, nec incurruntur pœnæ adulterorum, nec incestuosorum, vt bene obseruauit Caiet. *loc. nuper allegato.*

## DVBITATIO V.

**VI.** *An solutus accedens contra naturam ad coniugatam vltra crimen sodomiticum, committat adulterium?*

Dico octauò, vir coniugatus quando patitur contra naturam accessum soluti, vltra crimen sodomiticum committit adulterium impropriè; quia facit iniuriam matrimoniu, nam per matrimonium ita vnus coniux tradit alteri coniugi suum corpus, vt iniuria fiat matrimonio, si tradatur alteri, quàm coniugi, siue tradatur ad copulam consuetam, siue ad copulam insolitam & nefandam: tum, quia fides matrimonij obligat ad abstinendum ab omni actu venereo cum alio. Videatur Sanchez *lib. 9. de matr. disp. 46. n. 19.*

Dico nonò, consequenter si coniugatus coëat sodomiticè, cum masculo adolescente præpostera Venere, abutendo illo, committit duo peccata specie distincta, vnum sodomiæ, alterum adulterij impropriè, contra ius & obligationem matrimonij debitam vxori suæ, quia lege matrimonij obligatur ad abstinendum ab omni actu venereo cum alio, siue sit secundùm naturam, siue contra naturam insolitus & nefandus. Azor. *part. 3. inst. mor. lib. 3. c. 18. dub. 6.*

Dico decimò, adolescens solutus quando patitur contra naturam accessum coniugati, non solùm committit crimen sodomiticum, sed etiam facit iniuriam matrimonio, quia, sicut diximus ex Caiet. 2.2. *q.* 154. *art.* 8. &c. mulier soluta accedens ad virum coniugatum adulterij crimen committit; ergo similiter adolescens, quando patitur contra naturam accessum coniugati, nedum committit crimen sodomiticum, sed etiam peccatum habens malitiam, & iniuriam contra matrimonium.

**VII.** *Titulo dubitationis respondetur.*

Dico vndecimò, abusus vxoris contra naturam habet malitiam adulterij: itaque hoc crimen vltra malitiam contra naturam habet duplici ex parte malitiam adulterij, nimirum ex parte viri, & ex parte vxoris. Probatur, quia neuter coniux seruat alteri suum corpus castè, quod ad bonum fidei matrimonij pertinet, non enim est coniux ad alium actum, sed ad naturalem; ergo talis actus perinde est, ac cum alieno coniuge gestus; ergo habent malitiam, & contra naturam, & adulterij, licèt improprij, nedum ex parte viri, sed etiam ex parte vxoris sic contra naturam, & fidem matrimonij congredientium. Videatur pro hac assertione Caiet. 2.2. *q.* 154 *art.* 1 *in solut. ad quartum, vers. Ad singula autem obiecta.* Sotus *in 4. dist. 31. q. vnica, art. 4. ad finem, vers. Appendix autem.*

**VIII.** *Rationi à principio respondetur.*

Nec officit contra hanc nostram vltimam assertionem ratio à principio adducta: negamus enim ad argumentum minorem, quia fateri debemus accessum ad suam vxorem extra vas legitimum opponi fidei matrimonij, non enim est coniux ad illum peccaminosum, & contra naturam, sed solùm ad naturalem actum, ac perinde talis actus est, ac si cum alieno coniuge gestus, vt nuper diximus ex doctrina Caietani: nec refert consensus vtriusque coniugis ne talis accessus ad suam vxorem extra vas legitimum habeat malitiam adulterij: sicut adultera esset copula coniugati cum soluta de consensu vxoris habita, quia bono fidei, ad quod per matrimonium astringuntur coniuges, cedere nequeunt. Videatur Sanchez *lib. 9. de matr. disp. 18. num. 4. ad finem.*

---

## ARTICVLVS II.

## An coniux adulter habeat ius exigendi debitum à coniuge innocente?

### *SVMMARIVM.*


1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur.*
3. *An adulter possit petere debitum non tanquam de iure debitum, sed tanquam licitum.*
4. *An coniux conscius adulterij sui coniugis possit ab illius habitatione diuertere absque sententia iudicis.*
5. *An adulter recipiat ius exigendi debitum cùm primùm sciuerit alterius coniugis adulterium.*
6. *An vxor adultera de consensu viri amittat ius exigendi debitum, vel si propter illius longam absentiam alteri se coniunxerit.*
7. *Ad argumentum à principio respondetur.*


**I.** *Pars negatiua probatur.*

NAm incestuosus licèt occultus, & ignotus coniugi, non habet ius exigendi debitum. ergo nec adulter: sic Angelus *verb. Adulterium, num. 3. & verb. Debitum, num. 7.*

II. *Veritas aperitur.*

Dico primò, adulter cùm primùm est notus coniugi, eo ipso in conscientia caret iure exigendi debitum, id est, non habet ius exigendi, obligando innocentem coniugem ad reddendum. Probatur, quoniam frangenti fidem matrimonij, non est obligatio seruandi fidem. Ita Sotus *in 4. dist. 36. q. vnica, art. 4. vers. Vtrum verò.*

### Dubitatio I.

III. ***An adulter possit petere debitum, non tanquam de iure debitum, sed tanquam licitum?***

Dico secundò, coniux adulterans, si adulterium sit notum, & coniux innocens sciat, siue nesciat illud, potest petere debitum à coniuge innocente, non tanquam iure debitum, sed tanquam licitum humiliter petendo, quia licèt adulterans notorius perdat ius exigendi, non tamen perdit ius rogandi, vt alter innocens concedat debitum si voluerit, eo quòd vinculum matrimonij durat non obstante adulterio. Caiet. *tom. 1. opusc. tract. 31 opusc. 17. respons. 4.* Nauarr. *summ. cap. 22. num. 23.*

Dico tertiò, adulter occultus quamdiu est ignotus alteri coniugi, habet ius exigendi obligando in conscientia innocentem ad reddendum debitum, & innocens tenetur reddere: quia hæc est veluti pœna iure naturali inducta, vt frangenti fidem fides non seruetur: sed pœna conuentionalis non debetur ante sententiam iudicis, vel saltem antequam pars ipsa petat; ergo, &c. Tabien. *verb. matrim. 4. §. 2.* Sanch. *lib. 10. de matrim. disp. 12. num. 8.*

### Dubitatio II.

IV. ***An coniux conscius adulterij sui coniugis possit ab illius habitatione diuertere absque sententia iudicis?***

Dico quartò, coniux adulterij sui coniugis conscius potest in foro conscientiæ secluso scandalo ab eius habitatione diuertere, quamuis adulterium sit occultum, nec ad id aliqua sententia iudicis desideratur: tum, quia Christus Dominus *Matth. 5. & 19.* absolutè dixit licitam esse dimissionem coniugis propter adulterium, non distinguens inter publicum & occultum: Sotus *in 4. dist. 36. q. vnica, art. 3. ad finem corporis.*

### Dubitatio III.

V. ***An adulter recipiat ius exigendi debitum, cùm primùm sciuerit alterius coniugis adulterium?***

Dico quintò, sicut adulter cùm primùm est notus coniugi innocenti, eo ipso in conscientia caret iure exigendi debitum. *cap. intelleximus, de adulterijs:* ita ipso iure recipit & recuperat illud adulterio suæ consortis, quoniam per compensationem tunc ambo coniuges sunt pares, Nauarr. *lib. 4. consil. de diuort. consil. 1. num. 1.*

Dico sextò, nihil refert an eodem tempore vir & vxor adulterentur, an successiuè priùs vir, & postea vxor, aut contrà priùs vxor, & postea vir, tunc enim vterque amittit ius recedendi à toro, & denegandi alteri debitum. Lopez *2. part. instr. de matr. c. 54. §. penult. notabili 3.* Nauarr. *loco immediatè citato*, hos sequitur Sanchez *lib. 10. de matrim. disp. 6. n. 6.*

Dico septimò, coniux tamen priùs adulterans si fuerit ei condonatum adulterium, si postea alter coniux posteriùs adulterauerit, potest prior coniux facere diuortium. Quia reconciliatio contractum matrimonij ad suum pristinum statum reuocauit, ac si nulla esset, vsque tunc fornicatio admissa, in quo euentu posset vtique prior coniux reconciliatus à coniuge reo post adulterium diuertere. Ita bene Sotus *in 4. dist. 36. quæst. vnica, art. 1. vers. Dubitatio verò.*

Dico octauò, coniux occultè adulter non potest petere diuortium, nec debitum negare ob adulterium alterius coniugis sibi notum, licèt alter suum ignoret, quia lex concedit soli innocenti diuortium, & quòd possit alteri nocenti debitum denegare: conceditur tamen iuxta opinionem probabiliorem, & nos diximus assertione tertia, coniugi occultè adultero, vt non priuet se iure exigendi debitum donec ab innocente coniuge illius adulterij conscio priuetur. D. Thom. *in 4. dist. 35. quæst. vnica, art. 6. ad quintum.* Armill. *verb. Matrimonium, num. 73. casu primo.* hos sequitur Sanchez *lib. 10. de matrim. disp. 6. num. 9.*

### Dubitatio IV.

VI. ***An vxor adultera de consensu viri, amittat ius exigendi debitum, vel si propter illius longam absentiam alteri se coniunxerit?***

Dico nonò, si vxor sit adultera ex consensu viri expresso, vel tacito, non habet vir ius denegandi debitum, & vxor habet ius illud exigendi. nam scienti, & volenti non fit iniuria: *reg. scienti, de regulis iuris in 6.* & habetur *cap. discretionem, de eo qui cognouit consanguineam.*

Item coniux innocens tenetur reddere debitum coniugi adulteræ, quando eius vxor oppressa est ab aliquo, *cap. ita ne 32. quæst. 5.* Item quando vxor ob diuturnam absentiam mariti credens eum mortuum, alteri se coniungit, non perdit ius exigendi debitum, *34. quæst. 1. cap. cum per bellicam.* Item si alter sub specie mariti decepit vxorem, *34. quæst. 11. cap. in lectum.* Item si maritus post adulterium cognouit vxorem, &c. *32. quæst. 1. cap. in multis.* Item si quis degens sub infidelitate, repudiat vxorem suam, deinde conuersus ad fidem non potest coniugi obiicere adulterium. *cap. gaudeamus, de diuortijs.*

VII. ***Ad argumentum à principio respondetur.***

Nec obstat ratio à principio constituta, præcipuè contra nostram tertiam assertionem. negamus enim consequentiam, & ratio disparitatis est, quoniam incestuosus etiam occultus est priuatus debiti petitione per leges Pontificias. Cæterùm adulter priuatur iure exigendi debitum in sui delicti pœnam, quæ pœna conuentionalis non debetur ante sententiam iudicis, vel saltem antequam pars ipsa petat. Quamuis aliorum sententia sit etiam satis probabilis, quòd scilicet coniux adulterans non possit exigere debitum à consorte innocente, tanquam iure debitum, sed potest petere tanquam licitum, siue publicum sit adulterium, siue occultum, siue coniux innocens sciat, siue illud nesciat: vt docet Nauarr. *summ. cap. 22. num. 23.* & multi alij, videndi apud Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 68. num. 3.*

## ARTICVLVS III.

### An adulter ſi partus ſit ſequutus teneatur ad reſtauranda damna, quæ conſequuntur marito, vel hæredibus legitimis ex ſuſtentatione prolis, & hæreditatis partitione?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, explicando, An adulter teneatur credere, filium eſſe adulterij, ſi conceptionis tempore adultera cum marito cohabitabat.*
3. *Dubitatio reſoluitur.*
4. *An tam adulter, quàm adultera teneantur inſolidum damna reficere.*
5. *Quid dicendum ſi adultera exponeret filium adulterinum ad hoſpitale, vel non haberet bona paraphernalia, an ſcilicet teneantur inſolidum illum alere.*
6. *An adultera non valens damnum aliquo modo compenſare marito, teneatur prodere ſuum crimen.*
7. *An filius debeat credere matri dicenti illum ſpurium, & ad quid teneatur filius adulterinus.*
8. *An filius dubitans de dicto matris poſt ſemel aditam hæreditatem, vel poſt completam præſcriptionem bona fide habitam, teneatur dimittere hæreditatem, vel aliquid reſtituere.*
9. *An adulter teneatur reſtituere hæreditatem ademptam filijs legitimis, ſi illam acquiſiuit filius in adulterio genitus.*
10. *An adultera teneatur reuelare ſuum crimen adulterij ſtante periculo vitæ.*
11. *Ad rationem in contrarium à principio reſpondetur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NOn teneri ſcilicet adulterum ex iuſtitia ad aliquam reſtitutionem; quia ipſe non eſt cauſa proxima illorum damnorum, ſed remota ſolùm, cùm non intenderit generare, ſed ſolùm ſuam libidinem explere: ſolùm igitur mulier adultera eſt cauſa proxima, quæ ſponte adulterata eſt, & filium ſupponit marito ſuo adulterinum, &c.

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

### DVBITATIO I.

*An adulter teneatur credere filium eſſe adulterij, ſi conceptionis tempore adultera cum marito cohabitabat?*

Dico primò, adulter non tenetur credere quòd filius ex adulterio natus ſit ſuus, ſi tempore, quo fuit conceptio fœtus, maritus cum vxore adultera habitabat: quia in tali caſu præualet fauor matrimonij. Syl. *verb. Adulterium. q. 5.* Lopez 1. *part. inſt. c. 90.*

III. *Dubitatio reſoluitur.*

Dico ſecundò, quando adulter habet probabilem rationem dubitandi, prolem ſuſceptam non eſſe ſuam, non tenetur ad aliquam damni recompenſationem. Quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis; nemo enim tenetur aliquid ſoluere & re ſua ſe ſpoliare, niſi ei conſtet ſe debere. Ita Tabiena *verb. Adulterium, n. 6. verſ. Sed quid dicendum.*

Dico tertiò, ſi adulter probabiliter credit prolem ſuſceptam ex adulterio eſſe ſuam: quando ſcilicet tempore conceptionis maritus aberat, & adultera, quæ alioqoin erat honeſta & bonæ famæ, etiamſi rem cum illo habuit, ad id tamen vi, aut minis, aut aliis ſuaſionibus adducta fuit, nec vnquam poſtea ſiniſtra aliqua laborauit infamia, ſed timoratæ ſemper conſcientiæ eſt habita, tunc tenetur adulter ad reſtituendum damnum marito, quod patitur ex ſuſtentatione prolis adulterinæ, & filiis adulterinis ex hæreditatis partitione; quia adulter eſt tunc cauſa damni proxima, &c. Caiet. *in ſumm. verb. Adulterium, ad finem.*

### DVBITATIO II.

IV. *An tam adulter, quàm adultera teneantur inſolidum damna reficere?*

Dico quartò, ſi adulter adulteram induxit, aut prouocauit ad adulterium, tenetur inſolidum ad damna reſtituenda cum adultera: vnde ſi iſta partem ſuam debitam reſtituere nolit, aut non poſſit, adulter obligatur in integrum damna reſtituere: quia tunc eſt cauſa principalis; ſi verò adulter non induxit, aut prouocauit, ſed ambo communi conſenſu ad adulterium conuenerunt, tunc adulter non tenetur inſolidum prædicta damna reſtituere, ſed in partem: quia tunc non fuit cauſa totalis damni, ſed cauſa partialis, ſicuti ſi duo fures damnum tertio intuliſſent, neutro alterum incitante: Azor. *part. 3. inſtitut. mor. lib. 5. cap. 6. dub. 7.*

### DVBITATIO III.

V. *Quid dicendum ſi adultera exponeret filium adulterinum ad hoſpitale, vel non haberet bona paraphernalia, an ſcilicet teneantur inſolidum illum alere?*

Dico quintò, ſi adultera mitteret filium adulterinum ad hoſpitale, vt hac ratione adulterium occultaret (id quod abſque peccato licet, hæc enim vna cauſa eſt, cur loca hæc pia instituuntur) tenebitur pater, aut mater prolis inſolidum, vel in partem, iuxta ea quæ diximus aſſertione præcedenti, ſatisfacere hoſpitali, niſi paupertas eos excuſet, quia bona huiuſmodi hoſpitalium ad alendos pauperes, non diuites ſunt inſtituta. Caiet. *in ſumm. verb. Adulterium*, quem ſequitur Toletus *lib. 5 ſummæ, cap. 11.*

Dico ſextò, ſi adultera totum damnum ex ſuis bonis propriis reſtituerit hoſpitali, vel marito, vel aliis filiis legitimis, quibus damnũ eſt illatum, tenebitur adulter eidem adulteræ medietatem recompenſare tanquam particeps & concauſa damni. Quia quando plures idẽ damnum inferunt, vno in integrum reſtituente, tenentur alij ſuas partes illi exhibere. ergo ſimiliter, &c. Sayr. *lib. 8. Clauis, c. 3. dub. 5. n. 21 ad finem.*

Dico ſeptimò, quando adultera non habet aliqua bona propria paraphernalia, id eſt, bona vltra dotem, qualia etiam ſunt legata, & ſucceſſiones hæreditariæ, & alia donata, quæ illi obuenirent vltra contractum matrimonij, ex quibus ſatisfacere poſſit damnis illatis legitimis prolibus, tenetur adulterinum filium inducere ad capeſſendam Religionem hæreditatis incapacem: quia omnibus modis cauere debet damnum legitimis hæredibus. Nauarr. *ſumm. c. 16. n. 45.*

### DVBITATIO IV.

VI. *An adultera non valens damnum aliquo modo compenſare marito, teneatur prodere ſuum crimen?*

Dico octauò, adultera ſi nullo modo poteſt compenſare

pensare damnum, non tenetur prodere suum crimen marito, aut proli, nisi moraliter certa sit damni auertendi: vnde quando prudenter dubitat an proderit reuelatio, non tenetur famam suam crimen occultum pandendo prodigere: quia in dubio melior est conditio possidentis. ergo cùm vxor sit in possessione bonæ famæ apud maritum, & filium adulterinum, non tenetur se infamem reddere, & exosam apud filium spurium, & maritum, si dubitat se nihil profuturam. Ita Less. *lib. 2. de iust. c. 10. dub. 7. n. 50.*

## Dvbitatio V.

VII. *An filius debeat credere matri dicenti illum spurium, & ad quid teneatur filius adulterinus?*

Dico nonò, filius matri dicenti ipsum esse spurium, non tenetur credere: quia alleganti suam turpitudinem, nulla debetur fides, vt in regulis iuris habetur, quod intelligitur cum alterius præiudicio, vt in præsenti casu accidit. Ita docet glossa *in cap. officij 9. de pœnit & remiss.* Sotus *lib. 4. de iust. q. 7. art. 2. ad secundum.*

Dico decimò, si filius omnino conuincatur, at quia mater testibus iuratis probat parentem, seu patrem putatiuum tempore sui conceptus abfuisse, vel quia euidens est ei tempore quo fuit conceptus matrem suam ab illo suo patre putatiuo non fuisse cognitam, &c. tunc sine dubio tenebitur filius in conscientia hæreditatem dimittere, etiamsi in foro exteriori sibi fuerit adiudicata. Quia veritas semper est præferenda præsumptioni, aliàs sciens, & prudens, & mala fide possideret alienum inuito domino: Lopez 1. *part. instruct. consil. cap.* 88.

## Dvbitatio VI.

VIII. *An filius dubitans de dicto matris post semel aditam hæreditatem, vel post completam præscriptionem bona fide habitam, teneatur dimittere hæreditatem, vel aliquid restituere?*

Dico vndecimò, si filius dubitat de dicto matris post aditam hæreditatem, nihil restituere tenetur: quia dubia in meliorem & fauorabilem partem interpretanda sunt, ex Panorm. *in cap. intelleximus, de adulter.* Syl. *verb. Adulter. quæst.* 2. Tabiena *eodem n.* 8. *vers.* 5.

Dico duodecimò, si post completam præscriptionem bona fide factam constaret filio adulterino se non fuisse legitimè natum, non tenetur hæreditatem dimittere, neque ad aliquam restitutionem, quia tunc titulo præscriptionis bona fide factæ legitimè possidere potest: secus autem si ante completam præscriptionem illegitimum se fuisse constet; tunc enim hæreditati renuntiare tenetur: de perceptis autem & bona fide consumptis non tenetur aliquid restituere, ex Syl. *verb. Adulterium, q.* 2. *&* 3. vel nisi quatenus ex eis factus est locupletior, ex Azor. *lib. 3. cap. 6. dub. 5. p. 3. instit. mor.* Impensas similiter factas in sua educatione, si parentes non restituerunt, non tenetur filius spurius restituere, quia impensæ ipsæ sunt consumptæ, & bona fide respectu filij adulterini: ita Gabr. *in 4. dist. 15. quæst. 2.*

Dico decimotertiò, filius adulterinus si matri, dicenti se esse spurium, credit, licèt in conscientia non possit hæreditatem patris putatiui retinere, poterit tamen ex bonis illius capere alimenta necessaria, si aliunde viuere non potest: si autem aliunde viuere potest, tunc non potest, &c. Quia sicuti debitor qui non habet alia bona vnde viuat, nisi ea quæ restitutioni sunt obnoxia, potest aliquam partem ad moderatam sustentationem sibi necessaria retinere, & alia restituere; ita filius spurius, &c. Salon. 2. 2. *q. 62. art. 6. controuers.* 8. Sayr. *lib. 8. Clauis, c. 3. n. 16 ad finem.*

## Dvbitatio VII.

IX. *An adulter teneatur restituere hæreditatem ademptam filijs legitimis, si illam acquisiuit filius, in adulterio genitus?*

Dico decimoquartò, adulter non tenetur restituere hæreditatem ademptam filijs legitimis si eam acquisiuit filius ex adulterio genitus cum periculo suæ propriæ vitæ, adulteræ, vel filij adulterini. Idem dicendum similiter de adultera, quia nulla bona temporalia sunt tantæ æstimationis, quantæ est vita. Caiet. 2. 2 *q. 62. art. 6.*

## Dvbitatio VIII.

X. *An adultera teneatur reuelare suum crimen adulterij stante periculo vitæ?*

Dico decimoquintò, adultera, quæ aliàs est bonæ famæ, & persona illustris & nobilis, non tenetur crimen suum patefacere: si inde periculum famæ sibi impenderet: quia bonum famæ est altioris ordinis, quàm bona fortunæ, & nemo tenetur ad restitutionem bonorum inferioris ordinis, cum iactura bonorum altioris. Caietan. *tom. 1. opusc. tract. 31. respons. 14. dub. 2.* quem sequitur Nauar. *summ. c. 17. n. 89.*

Dico decimosextò, si hæreditas esset diues, & copiosa, & adultera esset infimæ notæ, & non ita bonæ famæ, teneretur in conscientia adultera crimen suum manifestare, vt hæres legitimus talia bona recipiat, dummodo non habeat aliunde, quo restituat, & nullum aliud sequatur incommodum, quàm propria infamia, & ex reuelatione sequeretur in effectu restitutio: quia licèt fama ex genere suo sit quid præstantius bonis fortunæ, tanta tamen potest esse pecunia, seu hæreditas quod secundùm arbitrium boni viri adæquet, vel excedat famam vnius personæ inferioris notæ, & non ita bonæ famæ. Sayr. *lib. 8. Clauis, cap. 3. num. 14.*

Dico decimoseptimò, si hæreditas esset amplissima, v. g. si esset Marchionatus, Ducatus, Regnum, Principatus, Comitatus, & deuolui deberet ad spurium perditis moribus, itaut ex dominatu eius timeretur mala, & perniciosa Reipublicæ & populorum administratio; legitimus autem hæres esset optimæ spei, adulter, & adultera, ne dum cum periculo infamiæ, sed etiam cum periculo vitæ tenerentur impedire spurij successionem. Probatur, quia hoc tunc non proueniret ex obligatione, qua tenerentur impedire damna legitimi hæredis, sed ex obligatione, qua vnusquisque ciuis tenetur malum commune Reipublicæ impedire; éstque hæc obligatio potius ex lege iustitiæ legalis, quàm iustitiæ commutatiuæ. Less. *lib. 2. de Iustitia, cap. 10. dub. 7. num.* 54. ante quem id docuerat doctissimus Magister Sotus *lib. 4. de Iustitia, & iure quæst. 7. art.* 1.

Dico decimooctauò, si maritus sit vir valde bonus & prudens, & filius spurius, ad quem hæreditas, seu primogenitura deuolueretur, esset spiritualis & timens Deum, ipsique rem silentio sint compressuri, neque idcirco mulierem adulteram osuri, aut probris vexaturi, & simul esset certa spes damni auertendi: tunc adultera teneretur crimen suum illis reuelare; quia si hæ circumstantiæ adsunt, nullum esset periculum vitæ, neque famæ, & hæreditas nullo incommodo

modo adulteræ deueniret ad legitimum hæredem. Syl. *verb. Adulterium, q.* 1. Sayr. *lib.* 8. *Clauis, cap.* 3. *n.* 6. Ad idem etiam dicimus teneri in isto casu adulterum concurrentibus talibus circumstantiis.

XI. *Ad rationem in contrarium à principio respondetur.*

Nec officit ratio à principio adducta. negamus enim antecedens; quia adulter non minus est causa proxima damni, quàm adultera, cùm vterque eodem actu, & eodem modo ad damnum concurrat, & vterque dat æquè operam sciens, & prudens actui adulterij, quod ex sua natura ordinatur ad generationem, nec magis intendit mulier generare, quàm adulter, sed solùm explere suam libidinem, sicut adulter. non minus ergo est causa damni, quàm adultera. Ita Syl. *verb. Adulterium, q.* 5. quem sequitur Sayr. *lib.* 8. *Clauis, cap.* 3. *num.* 21. Less. *lib.* 2. *de iustitia, cap.* 10 *dub.* 6. *num.* 45. Azor. *part.* 3. *instit. mor. lib.* 5. *c.* 6. *dub.* 2. &c. Saluo, &c.

# DISQVISITIO X.

## *De Aduocatia.*

## ARTICVLVS I.

## An Aduocatus teneatur citra extremam necessitatem patrocinari pauperibus?

### *SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur quid sit Aduocati officium.*
3. *An lege charitatis teneatur Aduocatus patrocinari pauperibus non habentibus vnde soluant.*
4. *An Aduocatus teneatur ferre patrocinium cum suo graui incommodo.*
5. *Dubitatio resoluitur.*
6. *An Aduocatus peccet mortaliter habens intentionem non patrocinandi pauperibus in necessitatibus communibus.*
7. *Ad rationem à principio respondetur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

Nam diuites non tenentur subuenire pauperibus, & dare illis pecunias vt conducant Aduocatum, nisi existentibus in extrema necessitate; ergo neque ipse Aduocatus tenetur patrocinari pauperibus citra extremam necessitatem. Antecedens fatentur multi DD. videndi apud Bannes 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 6. *dub.* 1 *in principio*, inter quos est Gabr. *in* 4. *dist.* 16. *q.* . *conclus.* 5. consequentia verò videtur euidens, eadem enim est ratio de diuite, & de Aduocato.

### DVBITATIO I.

II. *Quid sit Aduocati officium?*

Dico primò, Aduocatus est causarum patronus, cuius officium non solùm vitæ hominum & Reipub. vtile ac necessarium est, sed etiam nobile, ac principalibus præmiis munerandum, vt ait Anastasius *in l. Laudabile, C. de Aduocatis*, & refert Sayr. *lib.* 12. *Clauis Regiæ, cap.* 21. *n.* 1. vide aliam descriptionem apud Syluestrum *verb. Aduocatus, num.* 1.

### DVBITATIO II.

III. *An lege charitatis teneatur Aduocatus patrocinari pauperibus non habentibus vnde soluant?*

Dico secundò, lege misericordiæ & charitatis tenetur Aduocatus gratis defendere causam pauperis non habentis vnde soluat mercedem, & extremè indigentis patrocinio illius. Probatur, quia hoc est opus misericordiæ, vt docet D. Thom. 2. 2. *q.* 71. *art.* 1. ergo sicuti pauperi alimento corporali extremè indigenti tenemur succurrere, sic etiam Aduocatus tenetur pauperi patrocinari extremè indigenti suo patrocinio. D. Th. 2. 2. *q.* 71. *art.* 1. & communiter omnes DD.

Dico tertiò, extremè indigere Aduocati patrocinio dicitur ille, cui in carcere manenti imputatur crimen, propter quod infallibiliter mors erit infligenda, nec habet vnde sibi subueniat, nisi ex Aduocati patrocinio gratis collato; vel in lite aliqua ciuili extremè indigere patrocinio Aduocati dicitur, qui non habet vnde soluat patrocinium, & si succumbit in lite, tanta fame & inopia opprimetur, vt periclitetur ex defectu necessariorum ad sustentationem grauiter infirmari, & mori. Sayr. *lib.* 12 *Clauis, c.* 23. *num.* 4. Vnde si non est alius in promptu qui subueniat tantæ necessitati, non est maior ratio, cur ego qui Aduocati fungor officio, ad id tenear potius, quàm alius. omnes enim æquè principaliter tenentur insolidum, vt rectè docuit Caiet. 2. 2 *q.* 71. *art.* 1.

### DVBITATIO III.

IV. *An Aduocatus teneatur ferre patrocinium cum suo graui incommodo?*

Dico quartò, in isto casu extremæ necessitatis non tenetur Aduocatus ferre suum patrocinium cum grauissimo suo incommodo, vt si probabiliter ex suo patrocinio timeret mortem, aut omnium bonorum suorum amissionem: quia opera charitatis, & misericordiæ non obligant cum tanto damno, & detrimento. Sayr. *lib.* 12. *citato, num.* 6.

Dico quintò, tenetur tamen Aduocatus in casu grauissimæ & extremæ necessitatis ferre pauperi patrocinium cum graui suo incommodo, puta cum aliquali bonorum suorum iactura. Probatur, quia sicut diues gratis tenetur succurrere pauperi extremè indigenti etiam de necessariis ad suum statum; ita etiam Aduocatus succurrere tenetur in extrema necessitate cum detrimento necessariorum ad suum statum, id est, cum aliquali bonorum suorum iactura. Sotus *lib.* 5. *de Iustitia, quæst.* 8. *art.* 1.

V. *Dubitatio resoluitur.*

Dico sextò, in graui necessitate pauperis, vt si iniustè damnandus putaretur ad triremes, ad publicam flagellationem, ad durum carcerem, vel amissa lite iusta grauem morbum esset contracturus, tenetur Aduocatus sub peccato mortali suum patrocinium exhibere, modò superfluum suo statui habeat, id est, modò præter illam operam quæ illi necessaria est ad statum suum sustentandum, aliquid temporis, vel industriæ ei supersit. Probatur, quia sicuti diues in graui pauperis necessitate tenetur dare eleemosynam de superfluis statui, ita pari ratione tenetur Aduocatus patrocinari causæ pauperis de superfluis statui, id est, detrahendo de tempore, quo vacare solet causis, ex quibus facit lucrum non necessarium statui, & impendendo illud causæ pauperum. Syl. *verb. Aduocatus, q.* 18. Bannes 2. 2. *q.* 71. *art.* 1. *dub.* 1. *conclus.* 2.

DVBI

### Dvbitatio IV.

VI. *An Aduocatus peccet mortaliter habens intentionem non patrocinandi pauperibus, in necessitatibus communibus?*

Dico septimò, in necessitatibus communibus, quibus laborant quicunque pauperes, & plebeij viri pro rebus suis litigantes, licèt vni, vel alteri pauperi Aduocatum non patrocinari, cùm possit, non sit peccatum mortale, sed veniale; animum tamen habere nūquam adiuuandi huiusmodi homines proculdubio peccatum est mortale. Probatur. nam eo ipso, quòd diuites de superfluis quoad personam, & quoad statum nullis pauperibus, siue nunquam dant eleemosynam, præceptū iuris naturalis, & diuini de danda eleemosyna violant; ergo similiter Aduocatus si in communibus necessitatibus nullis pauperibus vult patrocinari, peccabit lethaliter contra ius naturæ, & diuinum, maximè cùm in Aduocatò, quatenus Aduocatus est, tempus, quod sibi superest, & molestia, quæ accipitur in cognitione causæ pauperum, & illius prosecutione rationem superflui habet, vt docet Sotus *lib. 5. de Iust. q. 8 art. 1.* Videatur Bannes 2. 2. *q. 71. art. 1. dub. 1. conclus. 1.* Sayr. *lib. 12. Clauis Regiæ, c. 23. n. 12.*

VII. *Ad rationem à principio respondetur.*

Ad rationem in contrarium à principio adductam negamus antecedens: diuites enim, quia habent bona superuacanea vitæ & statui suo, & suorum, præcepto naturali & diuino coguntur ad dandum, ex eo quòd superest pauperibus extra necessitatem extremam constitutis, vt egregiè D. Th. 2. 2. *q. 66. art. 6.* docet dicēs, Res quas aliqui superabundanter habent, ex naturali iure debentur pauperum sustentationi; & 2. 2. *q. 32. art. 7.* asserit apertè, quòd in duobus casibus est præceptum eleemosynam dandi, videlicet de eo, quod superest alicui, & cùm quis extrema necessitate premitur. In necessitatibus ergo grauibus & communibus tenentur diuites dare eleemosynam de superfluis vitæ, statui suo, & suorum: sic etiam Aduocatus in grauibus pauperum necessitatibus, si habet patrocinium superfluum ad suum statum conseruandum, Bannes 2. 2. *q. 71. art. 2. dub. 1. conclus. 4 fine.* Saluo semper, &c.

---

## Articvlvs II.

## Quis sit prohibitus ab officio Aduocati? & quomodo Aduocatus suum munus exercere teneatur?

### *Svmmarivm.*

1. *Probatur, nullum excludendum ab officio Aduocati.*
2. *Declaratur, an excommunicati, infames, & de grauibus criminibus damnati possint exercere officium Aduocati.*
3. *An Monachi, vel Clerici in Sacris possint esse Aduocati.*
4. *Quid dicendum de beneficiatis in hoc dubio, an possint esse Aduocati, & quid sit negotium Ecclesiasticum.*
5. *An Episcopi, vel Clerici in minoribus possint fungi Aduocati officio.*
6. *An in patrocinando incurratur irregularitas si accusator incurrat pœnam talionis, quæ sit mors.*
7. *An Aduocatus negligens teneatur ad restitutionem.*
8. *Quid dicendum de Aduocatis suscipientibus causas iniustas.*
9. *Ad quid teneantur Aduocati suscipientes in principio causas quas credunt iustas, processu tamen temporis iniustas cognoscunt.*
10. *An possit Aduocatus vtramque tueri partem.*
11. *An liceat Aduocato patrocinari reum cum altera pars est probabilior.*
12. *Ad rationem a principio respondetur.*

I. *Probatur, nullum excludendum ab officio Aduocati.*

Videtur quòd nullus ab officio aduocandi debeat arceri, nam ab operibus misericordiæ nullus debet arceri: sed patrocinium præstare, in causis præcipuè pauperum, pertinet ad opera misericordiæ, vt docet D. Thom. 2. 2. *q. 71 art. 1.* ergo nullus debet ab hoc officio arceri.

### Dvbitatio I.

II. *An excommunicati, infames & de grauibus criminibus damnati, possint exercere officium Aduocati?*

Dico primò, infideles, excommunicati, infames, hæretici, & de grauibus criminibus damnati, Aduocati officium exercere prohibentur, vt constat ex *cap. infames, 3. quæst. 7.* Quia cùm isti nec erga Deum, nec erga seipsos iustitiam exercuerint; ergo multo minus censendi sunt velle illam in aliorum negotijs exercere. Syl. *verb. Aduocatus, n. 2.*

### Dvbitatio II.

III. *An Monachi, vel Clerici in Sacris possint esse Aduocati?*

Dico secundò, Monachus Aduocatus esse non potest: quia cùm sacris mysterijs, & diuinis contemplationibus sit astrictus, indecens omnino est in foro sæculari, & iudicio, ac strepitu forensi causas, & lites tractare, *cap. placuit 2. 16. quæst. 1.* necessitate tamen Monasterij, & Abbatis imperio coram iudice sæculari in causa ciuili potest esse Aduocatus. *cap. ex parte, de postulando.*

Dico tertiò, Clerici in Sacris constituti, vel etiam minoribus, dummodo tamen sint beneficiarij habentes beneficium ad sui sustentationem, Aduocati officium coram iudice sæculari exercere non possunt in negotiis sæcularibus, nisi in causa propria, pro Ecclesia sua, vel pro coniunctis, aut miserabilibus personis. *cap. Clerici, de postulando.* In causa tamen criminali nullo modo possunt. Syl. *verb. Aduocatus, quæst. 2. vers. Tertiò ad finem.* Gloss. *super cap. Clerici, de postulando, verb. stipendijs.*

### Dvbitatio III.

IV. *Quid dicendum de beneficiarijs in hoc dubio, an scilicet possint esse Aduocati, & quid sit negotium Ecclesiasticum?*

Dico quartò, Clericus tamen in Sacris constitutus, nondum tamen Sacerdos, & in minoribus beneficiatus, possunt aduocare coram Iudice sæculari in negotiis Ecclesiasticis solùm, vt habetur *in cap. 1. de postulando.* Dicitur autem negotium Ecclesiasticum, aut ratione personæ, vt quia persona Ecclesiastica sequendo forum rei litigat coram iudice sæculari, aut ratione delicti, vt quia pro sacrilegio Ecclesia voluit

conuenire

conuenire laicum coram iudice sæculari, aut ratione rei, de qua agitur, vt quia res est Ecclesiæ. Syl. *verb. Aduocatus, n.2. verf. Quartò varium.*

Constitutus verò in Sacris non Sacerdos, & existens in minoribus beneficiatus, coram iudice Ecclesiastico Aduocatus esse potest, etiam quoad negotia sæcularia, vt communiter tradunt DD. *cap. 1. de postulando*, & speciatim docet Sayr. *lib. 11. Clauis, c. 15. n. 7.*

## Dubitatio IV.

V. *An Episcopi, vel Clerici in minoribus possint fungi Aduocati officio?*

Dico quintò, Episcopus nullo modo potest patrocinari, nec coram iudice sæculari, nec Ecclesiastico. Tabiena *verb. Aduocatus, n. 3.* Sacerdotes verò in quatuor causis coram iudice Ecclesiastico Aduocati esse possunt pro se, pro Ecclesia sua, pro personis sibi coniunctis, dummodo coniuncti illi non possint habere Aduocatum, aut non ita bonum, vt est Sacerdos. Quartò pro miserabilibus personis, vt sunt viduæ pauperes, & pupilli, id quod colligitur ex *cap. fin. de postulando.*

Dico sextò, Clerici tamen in minoribus constituti, si non sint beneficiati, aduocare possunt coram iudice Ecclesiastico, & sæculari, sicut laici in causa ciuili, non autem criminali. Syl. *verb. Aduocatus, num. 2. verf. Quintò vtrùm.* Quamuis Rodriquez *summ. tom. 1. cap. 1. num. 1.* doceat Clericum non habentem beneficium, nec Ordinem sacrum, non solùm in ciuilibus, sed etiam in criminalibus patrocinari posse; sed verius dicimus cum Syl. non posse, & habetur apertè *in cap. sententiam, ne Clerici, vel Monachi.*

## Dubitatio V.

VI. *An in patrocinando incurratur irregularitas si accusator incurrat pœnam talionis, quæ sit mors?*

Dico septimò, si verò laicus, vel Clericus etiam in Sacris constitutus, vel beneficiarius patrocinetur alicui, cui actio criminalis intentetur, ita defendat illum, vt accusator non possit eum conuincere, & ideo damnetur ad pœnam talionis, v.g. occisionis, vel mutilationis, non efficitur propter hoc irregularis; quia etsi Aduocatus actiuè concurrat ad iudicium, & causam, non tamen ad illam pœnam talionis, sed solùm directè ad defensionem sui clientis. Ita bene Salon. *2.2. q. 71. art. 3. controuersia 1. ad 6. arg.* Sayr. *lib. 6. de cens. cap. 18. num. 11. verf. Quartò Clericus.* Less. *lib. 2. de iust. c. 31. dub. 8. n. 51. ad finem.*

Esset tamen irregularis Clericus Aduocatus rei accusati si peteret puniri accusatorem pœna talionis, secuta morte, vel mutilatione, vt notat Panorm. *in cap. sententiam, num. 15. ne Clerici, vel Monachi*, quod etiam obseruat Sayr. *loco cit.* & vt respondeam tertiæ parti quæsiti,

## Dubitatio VI.

VII. *An Aduocatus negligens teneatur ad restitutionem?*

Dico octauò, Aduocatus qui propter imperitiam perdit causam sui clientis, peccat contra iustitiam, & tenetur restituere totum damnum, quod inde euenit clienti: quia ex officio tenetur esse instructus conuenienti peritia, cùm pro idoneo Aduocato se gerat. Bannes *2.2. q. 71. art. 4. dub. 2. conclus. 1.* Quod intelligitur si clientulus ignorabat eius ignorantiam, secus si



cognoscebat, quia in hoc casu non tenetur nisi de dolo, vel lata culpa. Syl. *verb. Aduocatus, n. 16. q. 14.*

Dico nonò, si Aduocatus sit negligens in procuranda causa, peccat mortaliter, & tenetur restituere damnum, non solùm de lata & ampla culpa, sed etiam de leui: quia talis diligentia vergit in vtilitatem vtriusque partis, Aduocati recipientis stipendium, & clientis accipientis quod suum est: sicut ille, qui conducit domum, tenetur illam custodire, & restituere damna de leui culpa, & non solùm de lata & ampla. Bannes *loco nuper adducto, conclus. 2.* Ex quo infertur quòd sunt in peccato lethali omnes Aduocati, qui parati sunt recipere omnes causas etiam iustas absque termino, quia industria humana finita est, &c.

## Dubitatio VII.

VIII. *Quid dicendum de Aduocatis suscipientibus causas iniustas?*

Dico decimò, Aduocatus scienter suscipiens causam iniustam, si admonuerit clientem de iniustitia causæ, peccat mortaliter, non tamen tenebitur illi quicquam restituere, quia scienti, & volenti nulla fit iniuria: at teneatur restituere parti aduersæ si vincit litem non solùm principalē, sed etiam expensas: nam in isto casu actio Aduocati est iniuriosa parti aduersæ, ergo tenetur ad restitutionem totius; si autem non admonuerit clientem suum de iniustitia causæ, tenebitur illi restituere expensas, quas facit. D.Th. *2.2. q. 71. art. 3.* Bannes *2.2. q. 71. dub. 3.*

## Dubitatio VIII.

IX. *Ad quid teneantur Aduocati suscipientes in principio causas quas credunt iustas, processu tamen temporis, iniustas cognoscunt?*

Dico vndecimò, Aduocatus si in principio causæ credidit illam esse iustam, debet illā deserere, si postea nouit eam esse iniustam, & admonere suum clientulum vt desistat, non tamen debet secreta causæ prodere parti, nisi id foret necessarium ad graue aliquod damnum proximi impediendum: quiuis enim iure charitatis tenetur proximi damna impedire, quando sine suo damno potest, neque tunc potest Aduocatus inducere partem ad compositionem, quia solùm in causa dubia transactio, & compositio locum habet: videatur D.Thom. *2.2. q. 71. art. 3. ad 1.* Salon. *2.2. q. 71. art. 1. controuerf. 2. conclus. 4. verf. Dico in causis*, &c. Bannes *2.2. q. 71. art. 4. dub. 4. concl. 3.*

## Dubitatio IX.

X. *An possit Aduocatus vtramque partem tueri?*

Dico duodecimò, quoties æquè pendet dubitatio in vtramque partem, quia res vel in iure, vel in facto æquè dubia est, & ita æquali probabilitate integrum est Causidico vtramlibet partem tueri: nam tales causæ reputantur ab omnibus propria & iusta materia litis. Ita Bannes *loc. cit. dub. 6. conclus. 1.* & communiter omnes.

## Dubitatio X.

XI. *An liceat Aduocato patrocinari reum dum altera pars est probabilior?*

Dico decimotertiò, licitū est etiam Causidico quando vna pars probabilior est altera, in fauorem rei patrocinari: dūmodo non vtatur fraude aliqua, vel dolo; quia licet vnicuique iure naturæ defendere ius suum,

G quando

quando non constat certò de iure alterius; ergo si licitum est reo se defendere, ita etiam licitum erit Aduocato patrocinari illi, &c. Sotus *lib. 5. de Iust. q. 8. art. 5.* Azor. 1. *p. instit. mor. lib. 2. c. 17. dub. vltimo.*

Dico decimoquartò, in isto casu tenetur Causidicus admonere clientem quòd eius pars non ita sibi probabilis apparet sicut opposita, quia fortè tunc aut alium eliget Aduocatum, aut causam non prosequetur. Bannes *dub. 6. citato, conclus. 3.* Imò tenetur Aduocatus asseuerans causam sui clientis omnino esse iustam, damnum subsequutum restituere, si cliens cognita minori probabilitate causæ non esset litigaturus, vt optimè obseruauit Syl. *verb. Aduocatius, q. 10.*

Dico decimoquintò, quando agitur de causa sanguinis, aut de causa ciuili maximi momenti, vt de bonorum omnium possessione, tunc peccat contra charitatem Aduocatus pro actore minus probabilem causam habente patrocinans. Quia Aduocatus tenetur in tali casu ex charitate patrocinari reo existenti in extrema, vel graui necessitate. ergo multo minus licitum erit adiuuare actorem contra reum. Ita Sotus *lib. 5. de Iust.* nuper alleg. Bannes *dub. 6. conclus. 4.*

Quamuis alij probabiliter asseuerent posse, scilicet in isto casu, Aduocatum actori contra reum patrocinari: quia Aduocatus non condemnat partem contrariam, nec ipsam suo iure spoliat, sed solùm rationes suas iudici proponit, vt si iudicauerit probabilius cõdemnet, & spoliet: vnde ad iudicem spectat ne pro parte minus probabili sententiam ferat: videatur Sayr. *lib. 1. Clauis, c. 12. n. 21.* Sanchez *lib. 1. oper. mor. c. 9. n. 53.*

XII. *Ad rationem à principio respondetur.*

Ad rationem à principio adductam, quatenus militat contra primam, secundam & quintam assertionem, respondetur cum D. Th. 2. 2 *q. 71. art. 2. ad 1. arg.* quòd ab operibus misericordiæ interdum propter indecentiam impediuntur aliqui, & aliqui propter impotentiam: non enim omnia opera misericordiæ omnes decent, sicut stultos non decet consilium dare, neque ignorantes docere. hæc egregiè D. Th. *loc. cit.*

# DISQVISITIO XI.
## *De Amplexibus.*

### ARTICVLVS I.
### An amplexus, tactus, & oscula sint peccata lethalia?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Quid sit, & quotuplex delectatio libidinosa, & an sit peccatum mortale.*
3. *Resoluitur dubitatio.*
4. *An amplexus, & tactus causa ioci sint peccatum mortale.*
5. *An amplexus & tactus inter duas fœminas, vel inter duos viros sint peccatum mortale.*
6. *An amplexus & oscula facta secundùm consuetudinem patriæ sint peccatum mortale.*
7. *Quid dicendum de huiusmodi amplexibus & osculis inter coniuges, vel inter sponsos de futuro.*
8. *An peccent cogitantes cum delectatione amplexus, oscula, &c. coniugum absentium, vel sponsi præmeditantes futura sponsæ oscula, & similia.*
9. *An vidui peccent mortaliter in reminiscentia delectationum venerearum.*
10. *An liceat delectari de actibus venereis sub conditione si matrimonium constaret.*
11. *An liceat tangere manus mulieris.*
12. *An liceat tangere propria verenda.*
13. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, quibus modis possint considerari amplexus & oscula, & quando sint peccata, & qualia, & quomodo debeant confiteri.*

I. *Pars negatiua probatur.*



QVOD neque etiam inter omnino solutos sint peccata lethalia probatur: quia fornicatio ideo est mala, quia aduersatur bonæ prolis educationi, vergit enim in nocumentũ eius, qui per se est nasciturus, vt docet D. Th. 2. 2. *q. 154. art. 2.* & *ibi* Caiet. Sed hoc cùm non reperiatur in amplexibus, osculis, & tactibus, minimè fornicationis malitiam participabunt. huius sententiæ, vt refert Tabiena *verb. Cogitatio*, fuerunt quidam neoterici, dicentes quòd delectatio, quæ sequitur ad amplexus, tactus, oscula, vel aspectum pulchritudinis, siue viri, siue mulieris, non est peccatum, nisi sequatur ad actum coniunctionis viri, vel mulieris, vel ad cogitationem huius actus nefarij. hæc refert Tabiena ex opinione quorumdam modernorum.

### DVBITATIO I.

II. *Quid sit, & quotuplex delectatio libidinosa, & an sit peccatum mortale?*

Dico primò, quòd delectatio venerea, seu libidinosa, quæ consurgit ex amplexibus, tactibus, & osculis, illa dicitur quæ sentitur in carne cum commotione spirituum subseruientium generationi circa partes libidinosas. Ita bene explicat Tabiena *loc. cit. num. 8. medio*: quæ delectatio venerea, seu libidinosa est duplex, vna consurgit ex ipsa copula, altera verò ex ipsis amplexibus, tactibus, & osculis, & non intendendo copulam, nec illius voluptatem. Libidinosè igitur vacat quis actibus, tactibus, osculis, & amplexibus, quando hæc causa delectationis sensibilis, quæ ibi sentitur, exercet, etiamsi nullum opus aliud intendat, & si hoc fiat à non coniugibus mortale est; quia huiusmodi delectatio ad generationem est ordinata. Caiet. *verb. Impudicitia.* Armilla *ibi num. 1. principio.*

III. *Dubitatio resoluitur.*

Dico secundò, amplexus, tactus, & oscula habita inter virum & fœminam omnino solutos lege matrimonij & sponsalium inter se initorum, propter solam delectationem sensibilem in appetitu sensitiuo consurgentem ex ipsis, quamuis nec de fornicatione, nec de illius delectatione cogitetur, esse peccata lethalia, certissimum est: Probatur, quoniam amplexus, tactus, & oscula ob delectationem habita suapte natura, & intrinsecè ordinantur ad copulam tanquam circumstantiæ illius; sed circumstantiæ intrinsecæ actus participant eandem ipsius malitiam. ergo, &c. Ita bene Tabiena *loc. cit. num. 8. ad finem.* Caiet. 2. 2. *q. 154. art. 4. dub. 1.*

### DVBITATIO II.

IV. *An amplexus & tactus causa ioci sint peccatum mortale?*

Dico terriò, amplexus, tactus, & oscula non libidinosa, & venerea ex suo obiecto, quia scilicet non fiunt in his partibus, quas natura instituit ad prolẽ generãdam, etiam si sint tactus mamillarum fœminæ, si habeantur

beantur ioco, causa vanitatis, vel leuitatis, vel alia simili, absque intentione delectationis venereæ, etiamsi inde consurgat, ea repressa, non excedunt culpam venialem, quia censetur paruitas materiæ cùm absit delectatio venerea. sic Caiet. *summ. verb. Impudicitia*, quem sequitur Nauarr. *summ. c. 14. n. 31. vers. 19.*

## DVBITATIO III.

V. *An amplexus & tactus inter duas fœminas, vel inter duos viros, sint peccatum mortale?*

Dico quartò, amplexus, tactus, & oscula inter personas eiusdem sexus, vt inter duos viros, aut duas fœminas, si sint habita cum intentione delectationis libidinosæ, & venereæ, sunt peccata lethalia: quia cum hac nefaria intentione ad longè peiorem concubitum ordinantur: secus autem si fiant ioco, causa vanitatis, vel leuitatis. Graffius 1. *part. decisionum, lib. 2. c. 75. num. 10.* & non habeantur circa partes impudicas à natura ordinatas ad generationem.

## DVBITATIO IV.

VI. *An amplexus & oscula facta secundùm consuetudinem patriæ sint peccatum mortale?*

Dico quintò, amplexus, tactus, & oscula si non sint secundùm se impudica, scilicet si non sint circa partes pudendas, & fiunt secundùm morem, & consuetudinem patriæ, sunt licita. Ita D. Th. 2. 2. *q. 154. a. 4. in corp.* Quòd si habeantur ab aliquo iuuene libidinosè ex mala intentione, tunc si sunt in publico coram aliis, mulier non tenetur resistere, quoniam hoc esset peccatum alterius prodere, & scandalum præbere aliis mali aliquid suspicandi. Armil. *verb. Impud. n. 2.*

## DVBITATIO V.

VII. *Quid dicendum de huiusmodi amplexibus, & osculis inter coniuges, vel inter sponsos de futuro?*

Dico sextò, amplexus, tactus, & oscula inter coniuges absque vllo coitu, & absque vlla cogitatione copulæ, sed solùm simpliciter ob delectationem sensus in amplexibus, osculis, & tactibus absque vllo periculo voluntariæ pollutionis, licita sunt: nam eo ipso quo fiunt inter eos absque vlla mala intentione, fiunt implicitè, vt beneuolentiæ, & amoris coniugalis signa. Azor. *p. 1. instit. mor. lib. 3. c. 15. dub. 2.* Hæc assertio indiget declaratione, amplexus, tactus, & oscula inter coniuges de præsenti si habeantur ob solam delectationem veneream, excusantur quidem à mortali propter constans matrimonium, non tamen à veniali, quia carent debito fine; si verò habeantur vt se præparent coniuges ad copulam, vel ad fouendum amorem, & beneuolentiam coniugalem, excusantur etiam à veniali: quia tunc adest debitus finis.

Dico septimò, amplexus, oscula, aliique tactus non impudici inter sponsos de futuro excusantur à culpa, & sunt omnino licita, si habeantur in signum beneuolentiæ, & ad conciliandũ fouendúmque mutuũ amorem in ordine ad matrimonium contrahendum. Quia sicut matrimonium cohonestat copulam; ita sponsalia quæ quoddam matrimonij initium sunt, cohonestare debent huiusmodi oscula, amplexus, & tactus, quæ inchoatio quædam sunt copulæ, dummodo non adsit periculum copulæ, vel consensus in eam, aut pollutionis, tunc enim huiusmodi oscula, amplexus, & tactus essent peccatum lethale: si verò finis horum osculorũ, &c. inter spõsos de futuro sit delectatio sola sensitiua, erunt culpa venialis: quia vt sic etiam inter cõiugatos sunt similis culpa, quando propter eundẽ finem, scilicet delectationem habentur. Videatur Petrus de Ledesm. *de matr. q. 45. art. 1. dub. vlt. §. Tertio, secundùm Theologos*, Lopez 1. *p. instruct. c. 54. §. peccant parentes*; verius tamen, & probabilius mihi videtur huiusmodi oscula & tactus inter sponsos de futuro, si finis solùm sit delectatio sensualis, non esse licita, sed mortalia: quia huiusmodi oscula, &c habita propter hunc finem sunt eiusdem speciei, & malitiæ mortalis cum ipsa copula, ac copula inter eos est lethalis. ergo: videatur Sotus *in 4. dist. 14. q. 1. art. 2. ad finem.* Palud. *in 4. dist. 31. q. 3. art. 2. num. 17.*

Dico octauò, tactus verò impudici circa verenda nullatenus sũt liciti sponsis de futuro: quia proximiores sunt copulæ, ac proinde illis solis licent, quibus ipsa copula coniugalis est licita. Caiet. *summ. verb. sponsalia* Delectatio similiter appetitus sensitiui ex amplexibus, tactibus, osculis & verbis cogitatis à sponsis de futuro non est mortalis. Quoniam est de obiecto licito, licent enim sponsis de futuro, vt diximus, amplexus, tactus, & oscula non impudica, ergo & cogitatio delectatióque ex illis cogitatis, erit tamen venialis tanquam otiosa, & quæ necessitate caret. Sanchez *lib. 9. de matr. disp. 47. n. 6.* Sed consequenter ad ea, quæ diximus assertione præcedenti, verius, & omnino tenendum mihi videtur, non licere, & esse mortalem huiusmodi delectationem sensualem perceptam ex amplexibus, tactibus, & osculis cogitatis a sponsis de futuro: propter rationem allatam assertione præcedenti.

## DVBITATIO VI.

VIII. *An peccent cogitantes cum delectatione amplexus, oscula, &c. coniugum absentium? vel sponsi præmeditantes futura sponsa oscula, & similia?*

Dico nonò, vir qui absente vxore, & similiter vxor absente marito, quæ delectatur de amplexibus, tactibus, & osculis præteritis, vel futuris, imò de copula cogitata præterita, vel futura non delinquit lethaliter: nam ipsum opus inter coniuges est licitum. ergo & cogitatio de opere cogitato, siquidem talis est delectatio, quale est obiectum, vt docet Aristot. 10. *Eth. cap. 4. & 5.* Armilla *verb. Delectatio, num. 4.* erit tamen talis delectatio culpabilis venialiter: quia in tali delectatione desideratur debitus finis, nempè bonum prolis propter copulam coniugalem intentum.

At multo verius est esse culpam lethalem coniugibus morosè delectari in copula cogitata tanquam præsenti, dum sunt absentes: quia delectatio sensualis est quasi incepta seminis effusio, ad illámque tendit, cùm ipsum comitetur membrorum generationi inseruientium commotio: at hæc est lethalis extra copulam coniugalem; ergo nequit licitè haberi eo tempore, in quo copula exerceri non potest. Lopez 1. *part. instruct. cap. 75. §. Hinc perspicuum*, Nauarr. *summ. cap. 16. num. 10. ad finem.*

Dico decimò, etiam sponsis de futurò licet delectatio captata ex futuræ copulæ coniugalis cogitatione. Caiet. *in opusc. tom. 1. tract. 14. de delectatione morosa, dub. 2.* Dummodo absit periculum pollutionis, vel consensus in copulam præsentem: immo si quis sperat se habiturum puellam in vxorem, & delectatur in cogitatione futuri operis, non peccat lethaliter, Medina 1. 2. *quæst. 74. art. 8. dub. 3.* Nam, ait, idem est iudicium, sicut de opere futuro cum propria vxore: hoc assertum est omnino falsum.

Dico vndecimò, lethale peccatum esse captare delectationem appetitus sensitiui nondum coniugatos ex cogitatione copulæ habendæ tempore coniugij. Probatur, quia sicut externa delectatio venerea, quam cõstans matrimonium minimè honestat, est mortalis, ita interna, & cogitata, cùm sit eiusdẽ rationis, sed externa delectatio venerea non licet, & est peccatum mortale sponsis de futuro. ergo & interna, cogitata de copula coniugali. Ita meliùs Lopez 1. *p. instruct. c. 75. vers. Sed maius dubium.* Nauarr. *summ. c. 16. n. 9. vers. 6.*

## Dvbitatio VII.

### IX. *An vidui peccent mortaliter in reminiscentia delectationum venerearum?*

Dico duodecimò, vidui admittentes delectationem veneream, & sensitiuam ortam ex amplexibus, osculis & tactibus cogitatis, & ex copulæ habitæ tempore matrimonij cogitatione, non peccant mortaliter, si tamẽ absit periculum pollutionis: quia plus est distinctè explicitéque approbare, quàm delectari, sed vidui licitè approbant prædictas delectationes. ergo, &c. peccãt tamen venialiter in huiusmodi memoria, quia caret necessitate, & pietate talis delectatio. Medina 1. 2. *q. 74. cit. art. 8. dub. 2.* Hoc dictum Medinæ est omnino falsum; vnde cum Syl. *verb. Delectatio, q. 3.* distinguendum est, si vidui tantùm sistant in memoria de re præterita cum displicentia præsentis concupiscentiæ, non peccant lethaliter, secùs si insurgat sensualis concupiscẽtiæ motus, & delectetur iam in motu præsenti occasionato ex memoria præteriti: tunc enim lethaliter delinquunt: quia ille actus appetitus sensitiui suaptè natura fertur in copulam præsentẽ, vt præsentem, cum præsenti commotione, ad illámque ordinatur, & est quædã ipsius inchoatio; at copula præsens solis coniugatis licita est. ergo hæc delectatio sensitiua viduis est omnino interdicta. Ita bene Lopez 1. *p. instruct. cap. 75. §. Hinc perspicuum est.* Manuel *summ. 1. p. c. a 11. n. 13.*

## Dvbitatio VIII.

### X. *An liceat delectari de actibus venereis sub conditione, si matrimonium constaret?*

Dico decimotertiò, mortale est delectari in appetitu sensitiuo de amplexibus, tactibus, & osculis cogitatis, & de copula cogitata sub conditione, si adesset matrimonium, de opere cogitato cum muliere, si esset vxor, quia quamuis voluntas conditionalis habendi amplexus, tactus & oscula venerea, & copulam cum illa, vel illa, si, vel quando sua vxor fuerit, sit licita, quia talis voluntas nihil ponit in esse: illa tamen delectatio in appetitu sensitiuo, quę inde nascitur, non est conditionalis, nec futura, sed est præsens & absoluta. Ita bene Medina *loc. cit. dub. 4.* Tum quia omnia replerentur libidinibus & venereis delectationibus. nam & Religiosus posset habere istas delectationes, & in istis delectationibus conditionalibus occupari, quod est absurdum. Lopez 1. *p. instruct. c. 75. §. & primò quæritur.*

## Dvbitatio IX.

### XI. *An liceat tangere manus mulieris?*

Dico decimoquartò, tactus leues, vt manuum fœminæ, pedem, vel brachium premere, vellicare, digitos intorquere, non sunt communiter peccata mortalia, sed venialia, quia communitèr ex leuitate quadam iocóque, & non ex libidine procedunt: sic Caietanus 2. 2. *q. 154. art. 4. vers. In responsione ad secundum*, immediatè ante vltimum dubium.

Dico decimoquintò, si hi tactus leues sint habiti ob captandam delectationẽ illam, quæ ex illis oritur, sunt peccata lethalia, vt diximus *assertione 4.* in hoc dubio esse amplexus, & oscula. Ita Caiet. *loc. cit.* Tabiena *verb. osculum.* Alij verò DD. excusant hos tactus à mortali, propter materiæ paruitatem, etiam si intendatur delectatio ex illis resultans; quia delectatio illa venerea modica materia est ad constituendam culpam mortalem. Ita Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 46. num. 17.*

Sed quod diximus cum Caiet. & Tabien. est omnino tenendum, & oppositum quod docet Sãchez, est omnino falsum: quia non reperitur paruitas materiæ in delectationibus venereis, quæ deliberatè capiuntur ex obiecto graui, etiam secluso periculo pollutionis, & consensus in aliud obiectum graue. Tum, quia complacentia de quocumque obiecto mortali, vt de homicidio, furto, & similibus, quantumuis modica, si sit deliberata, semper est lethalis.

Hæc nostra sententia est conformis motui proprio summorum PP. Clementis VIII. & Pauli V. qui Inquisitoribus fidei denuntiari iusserunt, asserentes nõ committi crimen lethale contra castitatem in tactibus, aspectibus, &c. Huius motus proprij meminit Sanchez *lib. 5. in Decalogum, c. 6. n. 12.* vi cuius seipsum corrigit in his, quæ dixerat *lib. 9. de matrim. disp. 46. n. 9.* Vbi docuit delectationem veneream ratione paruitatis materiæ excusari à mortali: at nunc (sunt ipsius verba formalia) conformius prædicto motui proprio, & veritati indico, non reperiri paruitatem materiæ in delectationibus venereis, quæ deliberatè capiuntur ex obiecto graui, etiam secluso periculo pollutionis, & consensus in aliud obiectum graue. Hæc ille.

## Dvbitatio X.

### XII. *An liceat tangere propria verenda?*

Mortale est propria verenda tangere ob veneream delectationem ex eo tactu ortam, quia talis actus tendit ad mollitiem: secus dicendum est de tactu propriorum verendorum ex curiositate, aut leuitate, aut gratia manus calefaciẽdi absque libidine, & pollutionis periculo: quia deficit animus libidinosus, nec interuenit ea turpitudo, & inhonestas, quæ in tactu alieno: semper tamen est lethale. Quando homo aduertit, & perfectè deliberat delectari in huiusmodi tactibus venereis, vel in se ipso, vel cum alio: quia talis tactus venereus deliberatus ex natura sua ordinatur ad coitum. Vide Armillam *verb. Impudicitia, n. 1. fine.* Sanchez *lib. 9. de matr. disp. 32. n. 14.* videatur etiam Less. *lib. 4. de Iust. cap. 3. dub. 8. n. 60. vers. Ad primam rationem, & n. 62. vers. Aduerte.* Vbi admittit non esse peccatum mortiferum contactum leuem & breuem partium verendarum, & inhonestarum, præsertim si periculum pollutionis absit, & fiat non causa voluptatis carnalis, sed curiositatis, hos sequitur Bonacina *tom. 1. de sacramentis, tract. de matrim quæst. 4. puncto 9. num. 8. fol. 103.* Sed iam dixi quòd delectatio venerea quantumuis modica, si deliberatè capiatur est lethalis: quia est quasi pollutio inchoata. ergo ratione paruitatis materiæ non excusatur à lethali.

### XIII. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

## Dvbitatio XI.

### *Quibus modis possint considerari amplexus & oscula? & quando sint peccata? & qualia? & quomodo debeant confiteri?*

Ad rationem in principio adductam quatenus directè

rectè militat contra quartam assertionem, respondetur ex doctrina Caiet. 2.2.q.154. art. 4. vers. in respons. ad secundum, negando minorem. nam amplexus, tactus,& oscula, quando habeotur propter delectationē veneream, suaptè natura ordinantur ad concubitum. Vnde etsi non directè, reductiuè tamen habita extra matrimonium, sunt contra bonum humanum, & sunt peccata lethalia, & reductiuè spectant ad species luxuriæ: inde si habeantur inter solutos marem & fœminam, erunt fornicationes; si finnt enm coniugata, erunt adulterium, vt bene Caiet. loc. super allegato. Tabiena verb. Osculum, n. vnico.

Pro maiori intelligentia huius solutionis, & eorum quæ dicta sunt in hac difficultate, obseruandum ex D.Th. 2.2.q.154. art. 4. Caiet. ibi, & Tabiena immediatè citato, quòd amplexus, tactus, & oscula possunt tripliciter considerari. Primò secundùm se solum vt abstrahunt à delectatione, & sic non sunt de suo genere peccata, sed possunt fieri virtuosè, puta propter amicitiam & consuetudinem patriæ. Secundo modo possunt considerari quando fiunt propter delectationem sensitiuam veneream ordinatam ad aliquē actum peccati mortalis, puta ad fornicationem, vel adulterium, vel ad sodomiam, & hoc ex intentione ipsius amplexantis, tangentis, & osculātis, & tunc sunt apertè peccata mortalia. Tertio modo possunt considerari quodam medio modo, scilicet secundùm quòd fiunt ex delectatione sensitiua in ea tantùm sistendo, & non ordinando ad alium actum peccati mortalis, & tunc sunt etiam peccata lethalia; quia suaptè natura ordinantur ad concubitum, & reductiuè spectant ad species luxuriæ. Vnde in amplexibus, tactibus, & osculis dicimus fatendas esse circumstantias personarū agentis, & patientis, sicut in copula ipsa, vt si tangens, amplexans, osculans, vel tactum patiens sit matrimonio, vel voto astrictus, si sint consanguinei, quoniam eiusdem sunt malitiæ moralis, quando huiusmodi tactus, amplexus, & oscula habentur propter delectationem veneream & libidinosam, cuius est actus consummatus culpæ, ad quam suapte natura ordinatur, quamuis tangens eam minimè intendat, vt egregiè Caiet. 2.2.q.154. art 4. dub. 1.§. Ad euidentiam horum. Tabiena verb. Osculum, n. vnico. Saluo semper meliori, &c.

## ARTICVLVS II.

## An aspectus pulchræ mulieris, gratia delectationis, quæ in ipso captatur, sit peccatum mortale, & an dicere, vel audire verba turpia, sit culpa lethalis?

### SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur quoad omnes partes tituli.*
2. *Explicatur differentia inter aspectum, & tactum pulchræ mulieris.*
3. *Prima dubitatio tituli resoluitur, & explicatur, an aspiciens verenda peccet mortaliter? & an aspicere copulam brutorum sit malum lethale.*
4. *Veritas demonstratur quoad verba turpia, an scilicet illa dicere, canere, vel audire sit peccatum mortale.*
5. *An proferre, vel audire verba amatoria sit peccatum mortale.*
6. *An audire turpia dicta cum peccato mortali sit malum graue.*
7. *An liceat interesse comœdijs turpibus.*
8. *An liceat canere, vel componere turpia.*
9. *An liceat legere libros inhonestos.*
10. *Argumentis a principio satisfit.*

**I.** *Pars affirmatiua probatur quoad omnes partes tituli.*

Videtur affirmatiuè respondendum. Similis enim censetur ratio de delectatione omnis sensus; sed voluntaria delectatio de muliere tacta est lethale. ergo etiam de visa. Quòd etiam sit lethale dicere, vel audire verba turpia propter delectationem libidinosam, id est, causa delectationis sensibilis, probatur. nā verba turpia dicta, vel audita, ex ratione sua vehementer fouent Venerem, ad eámque excitant, ergo, &c.

**II.** *Differentia inter aspectum & tactum pulchræ mulieris.*

Dico primò, discrimen esse inter aspectum pulchræ mulieris, v. g. & tactum. quòd hic habitus propter delectationem sensibilem quæ ex illo captatur, suaptè natura est venereus, ordinatus ad concubitum, ac proinde consentire in delectationem sensibilē ipsius, est lethale, quia est quasi inchoatio copulæ: ille verò aspectus, scilicet pulchræ mulieris, non ordinatur suaptè natura ad venerea, & ad concubitum, & proinde eius delectatio non est communiter venerea, nec ad concubitum, & solum peccatum veniale, nisi aspiciens ad malum finem ordinet. Ita Caiet. tom. 1. opusc. tract. 14. dub. 3. quem sequuntur Azor. 3. p. instit. mor. lib. 3. cap. 25. dub. 1. Sanchez lib. 9. de matrim disp. 46. num. 51. Medina 1.2. quæst. 74. art. 8. dub. 5. Ego verò censeo esse quidem solùm culpam venialem, si sola vanitas, & leuitas ad aspectum pulchræ mulieris, vel elegantis iuuenis inducant. Cæterùm si adestin tali aspectu delectatio deliberata sensitiua excitans motus carnis, & concupiscentiæ, esse culpam lethalem, licèt, alius actus venereus non intendatur: quia talis delectatio sensitiua excitans motus carnis, & concupiscentiæ, suaptè natura ordinatur ad actum venereum. Armil. verb. Impudicitia, num. 1. ad finem.

**III.** *Prima dubitatio tituli resoluitur, & explicatur*

DVBITATIO I. & II.

*An aspiciens verenda, peccet mortaliter? & An aspicere copulam brutorum sit malum lethale?*

Dico secundò, delectabiliter igitur videre mulierē pulchram, & delectabiliter cogitare de visa muliere pulchra, non est peccatum lethale secundùm se. Caiet. loc. nuper adducto. Addo hoc esse verum, si talis aspectus, & talis cogitatio habeantur ex sola curiositate, aut vanitate: secus si in tali aspectu, aut cogitatione adest delectatio deliberata sensitiua excitans motus carnis, & concupiscentiæ, tunc enim, vt dixi assertione præcedenti, est lethale: at aspicere verenda fœminæ mortale est, quamuis fiat solùm ex curiositate, quia aspectus talis est vrgentissimus luxuriæ stimulus. Nauarr. summ. c. 14. n. 36. vers. 5. Posset hoc temperari, nisi tam breui tempore videret aliquis personam diuersi sexus nudam, vt non detur occasio magnæ commotionis in corpore, vel ratione ætatis puerilis cesset in vidente id periculum. Ita Sanchez loc. adducto, num. 54. At multo verius est huiusmodi aspectum ex sufficienti deliberatione habitum non excusari à peccato graui: quia talis aspectus multum incitat ad libidinem. ergo saltim ratione periculi commotionis sensitiuæ in corpore si deliberatè fiat, erit lethalis.

Dico tertiò, nuda pectora, crura, brachia fœminarũ aſpicere, quamuis adſit aliqualis delectatio ſenſibilis ex eorum aſpectu, non eſt de ſe lethale, quia pectus, brachia, & crura non computantur inter pudenda. Ita Sanchez *lib 9. de matrim. diſp. 46 n. 25*. At verius dicendum eſt eſſe culpam lethalem inſpicere crura, brachia, vel pectora nuda fœminarum, ſi ex ſufficienti deliberatione hoc fiat, & aliqualis delectatio ſenſitiua deliberatè percipiatur: quia non reperitur paruitas materię in delectationibus venereis, quæ deliberatè capiuntur ex obiecto graui: vt optimè Rebellus *de iuſt. part. 2. lib. 3. q. 19. ſect. 3*.

Dico quartò, ſimiliter vacat culpa lethali inter perſonas eiuſdem ſexus ſe nudas videre: quia huiuſmodi aſpectus ſecundùm ſe & regulariter nõ prouocant ad luxuriam. Nauarr. *ſumm. cap. 3. n. 27*. Inſpicere verò viri cum fœmina concubitum eſt mortale, quia magis incitat ad libidinẽ, quàm conſpectus nudæ fœminæ, vel eiuſdem verendorum, quem etiam gratia ſolius curioſitatis eſſe mortalem aſſerit Nauarr. *ſumm. cap. 23. num. 28*. concubitum verò brutorum aſpicere non eſt communiter lethale, ſi ex tali aſpectu deliberatè non ſuboritur delectatio ſenſualis: quòd ſi redundaret aliqualis delectatio ſenſualis, eſſet lethale, quia ea delectatio ſenſualis, & venerea indicaret cogitari tunc ſimilem actionem, vt à propria perſona exercendam.

IV. *Veritas demonſtratur quoad verba turpia, an ſcilicet illa dicere, canere, vel audire ſit peccatum mortale?*

Dico quintò, verba turpia dicere, vel audire in ſolutis non eſt peccatum mortale, quando non admittitur delectatio aliqua ipſius rei turpis cogitatæ, licèt intendatur ſola delectatio ex verbis, & auditione rerum turpium conſurgens. idem dicendum de cantatione ac geſtibus turpibus effectis ob ſolam delectationem ex ipſis reſultantem. Ita Bonacina *tom. 1. tract. de matrim. q. 4, puncto 9. num. 18*. Sed omnino dicendum eſt verba turpia audire, vel dicere in ſolutis ex ſola vanitate, aut leuitate, ſi nihil aliud intendatur, non eſſe lethale, ſed tantùm veniale. Cæterùm illa audire, vel dicere libidinosè, gratia ſcilicet captandæ delectationis ſenſualis, eſt lethale: quia talis locutio, auditus, vel geſtus multum prouocat ad libidinem, excitátque motus carnis, & concupiſcentiæ: videatur D. Anton. *part. 2. tit. 5. c. 1. §. 8*. Armil. *verb. Impudicitia, n. 1*.

Dico ſextò, multo magis ſi captatur, & intenditur delectatio conſurgens ex rebus ipſis turpibus cogitatis, quæ auditione, cantatione, aut geſtibus turpibus fouetur, erit peccatum lethale: quia res illa turpis apprehenſa, & cogitatio ex ea conſurgens, eſt lethalis. hoc dictum eſt commune DD. videatur Armilla *verb. Impudicitia, n. 1*. Nauarr. *ſumm. c. 16. n. 14*.

## Dvbitatio III.

V. *An proferre, vel audire verba amatoria ſit peccatum mortale?*

Dico ſeptimò, loqui ſimiliter verba amatoria, ſecluſo periculo propriæ, vel audientium ruinæ ad ſolam vanitatem, & vanum amorem conciliandum, leuémque delectationem, non excedit culpam venialem: quia nec delectatio, nec amor intentata eam excedunt. Ita ex Nauarro *ſumm. cap. 14. num. 42*. Addo, dummodo abſit ſcandalum, & non intendatur, vel percipiatur ex huiuſmodi verbis delectatio ſenſibilis excitans motum carnis, & concupiſcentiæ.

## Dvbitatio IV.

VI. *An audire turpia dicta cum peccato mortali ſit malum graue?*

Dico octauò, audiens turpia cum peccato mortali dicta ſi rideat, & gaudium præ ſe ſimulatè ferat, carens tamen delectatione venerea, ne inurbanus videatur, non eſt damnandus eadem culpa lethali, quia tunc abeſt delectatio ex parte audientis & finis mortalis, ſolúmque intendit ſe liberare à moleſtia, & conuitiis ne inurbanus habeatur, & ne de hypocriſis vitio notetur, ſecluſo tamen ſcandalo, &c. Videatur Sanchez *lib. 9. de matr. diſp. 46. num. 38*.

## Dvbitatio V.

VII. *An liceat intereſſe comœdijs turpibus?*

Dico nonò, intereſſe comœdiis vbi turpes res repræſentantur, ob ſolam vanam curioſitatem abſque periculo probabili lapſus in aliquod peccatum mortale, non eſt lethale. Imò quando audiuntur huiuſmodi turpia in comœdiis repræſentata ob ſolam delectationem reſultantem ex ſolis verbis turpibus, non eſt mortale, ex Caiet. 2. 2. *quæſt. 148. art. 6. ad finem, & quæſt. 168. art. 3. dub. 1*. Secus ſi admittitur & intenditur delectatio ex rebus ipſis turpibus cogitatis, tunc enim eſt lethale.

Alij verò, quibus ego adhæreo, abſolutè damnãt de mortali delectationem, de turpium loqutione, auditione, cantatione turpium captatam, quamuis nihil aliud intendatur. Ita Nauarr. *ſumm. cap. 16. num. 14. verſ. 13*. Armilla *verb. Impudicitia, num. 1*. Quia delectatio iſta ſenſualis eſt maximè periculoſa excitans motus carnis, & concupiſcentiæ.

## Dvbitatio VI.

VIII. *An liceat canere, vel componere turpia?*

Dico decimò, facientes turpes cantilenas plenas laſciuiis peccant mortaliter, ita D. Anton. *2. p. tit 5. c. 1. §. 8*. Item componentes, aut repræſentantes comœdias, quæ res valde turpes ac ad Venerem excitantes continent, committunt lethale crimen. Syl. *verb. Ludus, q. 3. ad finem*. Quia ſunt multis cauſa ruinæ, licèt componens, vel repræſentans id non intendat. Idem dicendum de pingentibus turpia, vt Venerem, & Adonidem, detectis pudentibus.

## Dvbitatio VII.

IX. *An liceat legere libros inhoneſtos?*

Dico vndecimò, legere libros turpes tractantes de obſcœnis amoribus ob ſolam vanam curioſitatem, eſt ſolùm veniale, ſi abſit periculum, &c. At ſi intendatur delectatio venerea ex ipſis rebus turpibus cogitatis, eſt mortale: quia hæc delectatio eſt libidinoſa cum commotione ſpirituum deſeruientium generationi circa partes pudendas. Tabiena *verbo cogitatio moroſa, num. 8*.

X. *Argumentis à principio ſatisfit.*

Ad primam rationem poſitam à principio reſpondent auctores allegati aſſertione prima, negando maiorem, ſimilem ſcilicet eſſe rationem de delectatione omnis ſenſus: nam viſus pulchræ mulieris ſecundùm ſe ipſum delectabilis, non eſt libidinoſus ordinatus ad concubitum, niſi ex parte videntis ad malum ordinetur: tactus autem per oſcula, & amplexus, vt eſt ſecundùm tactum talem delectabilis, eſt libidinoſus;

hic

ſic & concubitus, niſi coniogij bono honeſtetur: quia oſcula, amplexus, & tactus natura instituit ad coitum, & ideo illicitè habentur propter delectationem, niſi fiant propter concubitum coniugalem. Viſus verò, auditus, & verba non ſunt à natura ordinata ad coitum; & ideò aſpectus, auditos, & colloquia de fœminis ob ſolam delectationem, quæ percipitur audiendo, colloquendo, aſpiciendo, non ſunt peccata lethalia, niſi adſit mala intentio, vel probabile periculum incidendi in aliquam luxuriam: vnde non eſt eadem ratio. Ita ex Caiet. *tom. 1. opuſc. tract. 14. ſuprà cit.* quem ſequitur Azor. *part. 3. inſtit. mor. lib. 3. cap. 5. dub. 1.* Cæterùm hæc reſponſio nulla eſt: nam delectatio venerea, teſte Galeno *lib. 14. de vſu partium, cap. 9. & 10.* fit ex moto ſubſtantiæ ſeminis deſcendentis ad partes obſcœnas ex commotione ſpirituum vitalium generationi deſeruientium, & hæc eſt quaſi quædam pollutio inchoata, & ſi ex deliberatione captetur, eſt lethalis: ſed hæc commotio ſpirituum vitalium generationi deſeruientium ordinatur ad actum, & hæc ſuboriri poteſt nedum ex tactu, ſed etiam ex viſu pulchræ mulieris, ex auditione turpium, ex lectione librorum obſcœnorum. ergo ſimilis eſt ratio de delectatione ſenſitiua omnis ſenſus, cùm hæc delectatio ſenſualis ſuborta ex quocumque ſenſu potens ſit excitare motus carnis, & concupiſcentiæ, qui ſuapte natura ordinentur ad concubitum.

Ad ſecundam rationem poſitam à principio reſponderur, probare id diximus aſſertione quinta verſiculi, *Sed omnino dicendum eſt*; dicere ſcilicet turpia, vel illa audire ob delectationem ſenſitiuam de turpium lectione, vel de turpium auditione, &c. captandam, eſſe culpam lethalem: quia hæc delectatio ſenſualis habita ex auditione, vel locutione turpium ſua natura ordinatur ad rem turpem habendam: excuſantur tamen à graui culpa audientes, dicentes, aut legentes turpia, ſi ob ſolam vanam curioſitatem hoc agant, ſi abeſt delectatio ſenſualis deliberata, aliorum ſcandalum, periculum pollutionis, & conſenſus in rem turpem.

# DISQVISITIO XII.

## *De Apoſtaſia.*

### ARTICVLVS I.

### An Apoſtata ſit idem qui hæreticus, & quæ pœnæ contra Apoſtatas à iure infligantur.

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur, quid ſit apoſtaſia à fide, ab Ordine, & à Religione, & apoſtaſia à fide in quo differat à Paganiſmo, & Iudaiſmo.*
3. *Dubitatio reſoluitur.*
4. *An omnes Apoſtata mentales ſint excommunicati, & poſſit talis apoſtaſia reſeruari à Superiore.*
5. *An qui ſe fingunt Apoſtatas ſint excommunicati.*
6. *An quilibet Confeſſarius poſſit abſoluere Apoſtatas fictos.*
7. *An hæreticus, vel Apoſtata mentalis aliquo ſigno externo ſuam hæreſim praferentes ſint ipſo facto excommunicati, & quid ſi manifeſtaretur per ſignum aliquod externum hæreſis, vel apoſtaſia.*
8. *Argumentis à principio reſpondetur, & explicantur ſpecies infidelitatis.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAM apoſtaſia non importat determinatam ſpeciem infidelitatis: ſed circumſtantiam aggrauantem, vt docet D.Th. 2.2. *quæſt.* 12. *art.* 1. *ad tertium.* At hæreſis eſt determinata ſpecies infidelitatis. ergo, &c. Quòd autem nullæ ſint pœnæ conſtitutæ in iure in Apoſtatas, probatur. nam qui totaliter recedit à fide fit Paganus: ſed Pagani non ſubduntur pœnis Eccleſiaſticis cùm ſint totaliter extra Eccleſiam. ergo, &c.

### DVBITATIO I.

II. *Quid ſit apoſtaſia à fide, ab Ordine, & à Religione: & apoſtaſia à fide in quo differat à Paganiſmo & Iudaiſmo?*

Dico primò, apoſtaſia eſt temerarius receſſus à fide, ab Ordine, vel à Religione. Apoſtaſia à fide, de qua erit ſermo in præſenti difficultate, ſic deſcribi poteſt: eſt error hominis baptizati fidei Catholicæ ex toto contrarius. dicitur error hominis baptizati, ad differentiam infidelitatis, quæ eſt error hominis non baptizati, fidei Catholicæ ſiue ex toto, ſiue ex parte contrarius. Dicitur ex toto contrarius, ad differentiam hæreſis, quæ eſt error pertinax hominis Chriſtiani fidei Catholicæ ex parte contrarius. Videatur D. Th. 2.2. *quæſt.* 10 *art.* 5.

Dico ſecundò, apoſtaſia à fide diſtinguitur à Paganiſmo, & Iudaiſmo: nam apoſtaſia eſt contradictio totalis fidei, quam antea quis receperat in veritate. Paganiſmus eſt contradictio fidei, quam nullo modo antè ſuſceperat. Iudaiſmus eſt contradictio fidei, quam quis ex typis, vmbris, & figuris antè tenuerat. Ita bene Bannes 2.2. *q.* 12. *art.* 1. *dub.* 1.

III. *Dubitatio reſoluitur.*

Dico tertiò, hæreſis & apoſtaſia ſunt eiuſdem ſpeciei, & conſequenter Apoſtata eſt idem qui hæreticus. Probatur ex D.Th. 2.2. *q.* 10. *art.* 5. vbi aſſerit quòd hæreſis in hoc conſiſtit, quòd aliquis contradicat fidei ſuſceptæ iam in manifeſtatione veritatis; ſed Apoſtata contradicit fidei ſuſceptæ in manifeſtatione veritatis. ergo apoſtaſia, & hæreſis non differunt ſpecie; ergo Apoſtata eſt idem qui hæreticus: tum, quia maior, aut minor receſſus à fide, quam quis ſemel eſt profeſſus, ſpeciem non mutat: ſed hæreticus & Apoſtata non differunt, niſi quia hæreticus fidem, quam antea ſuſceperat, negat ex parte, & Apoſtata negat ex toto. ergo, &c. Ita optimè Bannes 2.2. *q.* 12. *art.* 1. *dub.* 1. quem ſequuntur Azor. 1. *part. inſt. mor. lib.* 8. *cap.* 21. *dub.* 3. Sanchez *lib.* 1. *oper. mor. cap.* 7. *num.* 17.

### DVBITATIO II. & III.

IV. *An omnes Apoſtatæ mentales ſint excommunicati? &, An poſſit talis apoſtaſia reſeruari à Superiore?*

Dico quartò, Apoſtata à fide purè mentalis nullam incurrit excommunicationem: nam Pontifex non habet in foro exteriori poteſtatem ſupra actus purè internos. Sotus *in* 4. *diſt.* 22. *q.* 1. *art.* 3. *concluſ.* 5.

Dico quintò, Papa, ſiue inferior alios Prælatos poteſt reſeruare ſibi peccatum apoſtaſiæ à fide purè mentalis. Quoniam reſeruatio non eſt pœna, ſed ne-

gatio,vel ademptio iuriſdictionis: ſed Pontifex, ſeu alius Prælatus poteſt coarctare ſubditorum iuriſdictiooem in foro conſcientiæ, reſeruando ſibi aliqua peccata abſoluenda.ergo,&c. Ita Caier. 2.2. *quæſt.* 11. *art.* 4. *in fine comm.*

## Dvbitatio IV.

### V. *An qui ſe fingunt Apoſtatas ſint excommunicati?*

Dico ſextò,ſi quis ex metu verbo, vel facto ſe fingeret Apoſtatam à fide, non eſt excommunicatus: quia excommunicatio iuris lata eſt in hæreticos; ſed ille homo non eſt verè Apoſtata, & hæreticus: ergo non eſt excommunicatus.Syl. *verb. Apoſtaſia*, *num.* 4. quamuis Caiet. 2.2. *quæſt.* 12. *art.* 2. *fine,& q.* 94. *art.* 1. *ad finem*, affirmat hunc eſſe excommunicatum, & cæteras hæreticorum pœnas incurrere,quamuis metu cadente in virum conſtantem neget oretenus fidem; ſed opinio Syl.verior eſt & communior.

## Dvbitatio V.

### VI *An quilibet Confeſſarius poßit abſoluere Apoſtatas fictos?*

Dico ſeptimò,quilibet Confeſſarius poteſt ab hoc peccato contra confeſſionem fidei abſoluere eum,qui ſolùm exteriùs negat rem fidei, abſque errore tamen aliquo intellectus, quia apoſtaſia ratione ſolius excommunicationis reſeruatur, & apoſtaſia ſola externa abſque errore interno non ſubiacet excommunicationi.ergo,&c. Sanchez *lib.* 2. *oper. mor. cap.* 7. *num.* 8. *ad finem.* Idem dicendum de apoſtaſia merè mentali, ab ea enim poteſt abſoluere quilibet Confeſſarius expoſitus ab Ordinario. Caiet. 2. 2. *q.* 11. *art.* 4. *fine.* Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 5. *verſ. Vtrùm verò.*

## Dvbitatio VI.

### VII. *An hæreticus, vel Apoſtata mentalis aliquo ſigno externo ſuam hæreſim proferentes ſint ipſo facto excommunicati, & quid ſi manifeſtaretur per ſignum aliquod externum hæreſis,vel apoſtaſia?*

Dico octauò,hæreticus mentalis, & ſimiliter Apoſtata mentalis,ſi proferat ſuam hæreſim verbo, ſigno, vel facto,etiam nemine audiente,incurrit excommunicationem, & alias pœnas hæreticorum: quia tunc hæreſis eſt verè externa,ac per ſe,& ſuapte natura poteſt Eccleſiæ conſtare, & ſolùm per accidens occulta eſt: eo quòd nullus illius manifeſtationi adfuerit. Ita Sotus *lib.* 1. *de Iuſtitia, q.* 6. *art.* 6. *concluſ.* 4. Nauarr. *ſumm. cap.* 27. *num.* 56.

Dico nonò,vt verbum,ſcriptum, ſignum, manifeſtent ſufficienter apoſtaſiam mentalem, & internam, requiritur quòd ſi alter adeſſet,poſſet illam percipere, & ſic per actus indifferentes ſoli Apoſtatæ mentaliter apoſtaſiam manifeſtantes, non eſt quis Apoſtata, & hæreticus externus: vt ſi intus conſentiens homo huic errori, filius Dei eſt inæqualis Patri ſecundùm diuinitatem,exteriùs proferat,ita eſt,non erit excommunicatus,niſi fortè ex aliqua circumſtantia illa verba ſint ſufficientia ad explicandum errorem internum: quia ea verba à quocunque audita nullam hæreſim manifeſtant, ſed indifferentia ſunt. Ita bene Bannes 2.2. *quæſt.* 11. *art.* 4. *dub.* 2. *arg.* 3. *contra tertiam concluſionem*, quem ſequitur Sanchez *lib.* 2. *oper. moral. cap.* 8. *num.* 8. Quamuis alij,quos tacito nomine refert Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *inſtit. mor. cap.* 9. *dub. vltimò*, contrarium aſſerant, incurri ſcilicet excommunicationem per quodcunque verbum,ſignum,& ſcriptum. Ex his igitur deducitur quòd Apoſtata exterior & mentalis, qui aliquo ſigno, verbo, & ſcripto ſuam internam apoſtaſiam manifeſtauit, excommunicationem, & cæteras hæreticorum pœnas incurrit; ſi verè tamen, & non fictè, neget fidem: ſecus autem ſi ſolùm metu cadente in virum conſtantem neget oretenus fidem.

### VIII. *Argumentis à principio reſpondetur, & explicantur ſpecies infidelitatis.*

Nec obſtat contra noſtram tertiam aſſertionem primum fundamentum à principio adductum: nam D.Th.dicit apoſtaſiam non eſſe infidelitatis ſpeciem, diſtinctam à reliquis, quia re vera Apoſtata eſt idem, qui hæreticus, quia reſiſtit fidei, quam fuerat antè profeſſus: tres enim ſunt ſpecies infidelitatis, Paganorum, ſiue Gentilium, qui renituntur fidei Chriſtianæ,nondum ſuſceptæ; Iudæorum ſuſceptæ in figuris,typis,& vmbris; & hæreticorum, qui renituntur fidei ſuſceptæ in manifeſtatione veritatis, vel ex toto, vel ex parte:ſi ex parte,dicitur hæreſis; ſi ex toto, dicitur apoſtaſia, & ſic apoſtaſia, & hæreſis non ſunt diſtinctæ ſpecies infidelitatis, cùm maior, vel minor receſſus à fide, quam quis antè profeſſus eſt, non variet ſpeciem. Eſt igitur apoſtaſia ſpecies infidelitatis, non tamen diſtincta ab hæreſi eſſentialiter,ſed ſecundùm quandam circumſtantiam aggrauantem, quia ex toto recedit à fide, quam antea quis eſt profeſſus in manifeſtatione veritatis: videatur D.Thom. 2.2. *quæſt.* 10. *art.* 5.

Ad ſecundum fundamentum reſpondetur quòd Apoſtata qui totaliter recedit à fide, & conuertitur ad Paganiſmum,vel Iudaiſmum, licèt profeſſione fiat Paganus,vel Iudæus: at reuera non deſinit eſſe hæreticus,quia reſiſtit fidei,quam fuerat antè reipſa profeſſus, quod in Pagano, vel Iudæo locum non habet, & ſic Apoſtata ſubiicitur pœnis, quibus ſubiiciuntur hæretici, non tamen Paganus, qui nunquam recepit fidem,neque Iudæus, qui in manifeſtatione veritatis illam non eſt profeſſus: videatur Banes 2.2. *quæſt.* 12. *art.* 1. *dub.* 1. *ad quartum argumentum*,&c.

---

## Articvlvs II.

### An apoſtaſiæ à fide ſit ſecundùm ſe annexa irregularitas,ac proinde quamuis hæreſis & apoſtaſia ſit occulta,incurratur, & poſt peractam pœnitentiam, & receptam abſolutionem ab excommunicatione adhuc qui fuit Apoſtata occultus, maneat irregularis?

*Svmmarivm.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas explicatur,declarando,An Apoſtata manifeſtus ſit irregularis.*
3. *Dubitatio reſoluitur, & explicatur, An Apoſtata à fide poſſit recipere Ordines abſque diſpenſatione.*
4. *An Apoſtata mentalis à fide, vel fictè negans fidem, ſit irregularis.*
5. *Ad quem ſpectet diſpenſatio huius irregularitatis, tam quoad ſuſceptionem Ordinum, quam quoad vſum.*

6. Ad

6. *Ad rationem à principio respondetur, & explicatur per apostasiam a fide incurri specialem irregularitatem.*

I. *Pars negatiua probatur.*

QVòd Apostata occultus post peractam pœnitentiam, & receptam absolutionem ab excommunicatione non remaneat irregularis, probatur, quia ex nullo crimine contrahitur irregularitas, nisi in iure exprimatur. *c. is qui, de sententia excommunicationis in 6.* Sed in iure exprimitur tantùm homicidium voluntarium occultum: ergo citra casum illum in nullo crimine occulto, quantumuis enormi, incurritur irregularitas. ergo Apostata occultus post peractam pœnitentiam, & receptam absolutionem ab excommunicatione non remanet irregularis, & ita hanc sententiam tuetur Sayr. *lib. 7. de cens. c. 12. n. 16.*

II. *Veritas explicatur, & declaratur*

DVBITATIO I.

*An Apostata manifestus sit irregularis?*

Dico primò, Apostata manifestus, siue facti euidentia, siue propria confessione in iudicio, siue sententia iudicis, efficitur irregularis: quoniam apostasia est crimen depositione dignum. ergo quando est notorium, infamiam & irregularitatem inducit: hæc assertio est communis inter DD.

III. *Dubitatio resoluitur, & explicatur*

DVBITATIO II.

*An Apostata à fide possit recipere Ordines absque dispensatione?*

Dico secundò, Apostata à fide cùm re vera sit hæreticus, irregularitatem contrahit ipso iure, etiam si fuerit occultus: quare Apostata etiam per veram mentis pœnitentiam, & abiurationem absolutus à crimine nequit ad Ordines, aut beneficia promoueri, nisi cum ipso dispensetur. Probatur, quia ratione criminis apostasiæ à fide hanc irregularitatem ipso iure incurrit: ergo nihil refert siue publica, siue occulta sit apostasia. Syl *verb. Crimen, quæst. 2. n. 3. & verb. Irregularitas, q. 5. num. 7.* quem sequuntur Azor. *1. part. instit. mor. lib. 8. cap. 21. dub. 8.* Suarez *tom. 5. de censuris in 3. part. disp. 43. sect. 1. n. 4.* Sayr. autem tenet oppositum *lib. 7. de censuris, cap. 12. n. 16. vers. Quartò,* &c. quòd scilicet hæreticus occultus non remanet irregularis post pœnitentiam & absolutionem ab excommunicatione; quia in iure non est expressum: quod est satis probabile.

DVBITATIO III.

IV. *An Apostata mentalis à fide, vel fictè negans fidem, sit irregularis?*

Dico tertiò, apostasia à fide in sola mente retenta minimè inducit irregularitatem: quia tanquam penitus occulta iudicio Ecclesiæ imponentis hoc vinculum subdi nequit. Nauarr. *summ. c. 27. n. 149.*

Dico quartò, fictè negans fidem, fictéque ab ea apostatans, siue sponte, siue timore pœnarum ductus, si crimen sit occultum, neque excommunicationem, neque irregularitatem incurrit: quia hic verè non est hæreticus, nec Apostata à fide. ergo irregularitate, & excommunicatione liberatur. Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 8. cap. 11. dub. vltimo.*

Dico quintò, si verò tale crimen sit notorium, apostatans à fide solo verbo, vel facto, metu pœnarum, vel sponte, licèt non animo & voluntate, absque vllo mentis errore incurrit irregularitatem, quæ contrahitur ob crimen enorme notorium: ita Nauarr. *tom. 2. consil. lib. 5. de hæreticis, consil. 9. n. 3.*

DVBITATIO IV.

V. *Ad quem spectet dispensatio huius irregularitatis tam quoad susceptionem Ordinum, quàm quoad vsum?*

Dico sextò, in irregularitate ob apostasiam à fide incursa, si lapsus in apostasiam à fide sit Clericus, solus Pontifex potest dispensare, quoad promotionem ad superiores Ordines: similiter si lapsus sit laicus quoad promotionem ad omnes Ordines. Syl. *verb. Irregularitas, q. 5. num. 7.* Quare Apostata à fide per veram mentis pœnitentiam, & abiurationem absolutus à crimine nequit ad Ordines, aut beneficia promoueri citra Romani Pontificis dispensationem. Syl. sequitur Azor. *1. p. instit. mor. lib. 8. c. 21. dub. 8.* & communiter DD.

Dico septimò, quoad vsum verò Ordinum iam susceptorum potest Episcopus dispensare cum Apostatis à fide ad fidem redeuntibus: quia *c. saluberrimum, 1. q. 7.* permittit ex dispensatione hos Clericos ad fidem conuersos in susceptis Ordinibus ministrare: at Canon dispensationem permittens eo ipso illam censetur Episcopo concedere, vt docet Syl. *verb. Dispensatio, q. 9. in fine, n. 15.* quem sequitur Sanchez *lib. 8. de matr. disp. 5. n. 1.* Quoad vsum verò Sacerdotis, cùm hoc sit res grauissima, videtur hæc dispensatio Pontifici reseruari: videatur Peña *in Directorio Inquisitorum 3. p. quæst. 126. commento 175.* quem citat Suarez *tom. 5. de cens. in 3. p. disp. 43. sect. 1. num. 6.*

Dico octauò, virtute Concilij Tridentini *sess. 24. c. 6. de reformat.* non possunt Episcopi dispensare in hac irregularitate orta ex delicto apostasiæ à fide, quantumuis crimen sit occultum. Probatur, quia per Bullam Cœnę omnibus interdicitur, etiam Episcopis, potestas absoluendi à censura, & culpa hæresis, & apostasiæ à fide: sed Episcopi non habent facultatem dispensandi in his casibus, in quibus absolutio est illis interdicta: ergo, &c. Tum, quia potestas dispensandi est maior, quàm potestas absoluendi, vt aduertit glossa *in c. cùm illorum, de sentent. excomm.* ergo cùm Episcopis per Bullam Cœnæ sit interdicta absoluendi potestas à crimine etiam occulto hæresis & apostasiæ, erit etiam eisdem denegata facultas dispensandi in irregularitate proueniente ex delicto etiam occulto hæresis, & apostasiæ à fide, vt bene annotauit Suarez *tom. 5. de cens. disp. 43. sect. 1. num 7.* quamuis Sanchez *lib. 2. oper. mor. c. 25. num 18.* probabiliter censeat Episcopum virtute Concilij Tridentini *sess. 24. cit.* posse in apostasiæ occultæ irregularitate dispensare; quia, inquit, valdè diuersa est ratio inter facultatem absoluendi ab hæresi, & apostasia à fide, ob strictissimam absoluendi reseruationem ab hæresi, & ab apostasia à fide: qualis reseruatio strictissima non reperitur circa dispensationem in irregularitate, quæ incurritur ob crimen occultum hæresis, & apostasiæ à fide.

VI. *Ad rationem à principio respondetur, & explicatur per apostasiam à fide incurri specialem irregularitatem.*

Ad rationem à principio adductam, quatenus directè militat contra nostram secundam assertionem, negamus minorem; irregularitas enim, quæ incurritur ob crimen hæresis, & apostasiæ à fide, non est irregularitas generalis orta ratione infamiæ consurgentis

ex

ex delicto enormi notorio notorietate facti, sed est irregularitas, quæ oritur ratione criminis hæresis & apostasiæ à fide, ac proinde nihil refert, siue publica, siue occulta sit apostasia: ita Syl. *verb. crimen, q.2. n.3.* Sotus *in 4. dist. 25. q.1. art.3. vers. Ex his igitur irregularitates*, &c. Nauarr. *summ. c.27. n.205. vers.5.* & colligitur ex *cap. saluberrimum, 1. q.7.* vbi conceditur Clericis ab hæresi redeuntibus posse in Ordine suscepto ministrare, non tamen vlteriùs ascendere: ergo ratione criminis hæresis & apostasiæ incurritur specialis irregularitas.

Tum, quia irregularitas illa generalis orta ratione infamiæ consurgentis ex delicto enormi notorio cessat ablata infamia per publicam vitæ emendam: at hæc irregularitas, quam incurrunt Apostatæ à fide, minimè cessat post publicam Apostatæ emendam: nam Clemens VII. in quadam constitutione quæ incipit, *Cum sicut*, quam refert laudatissimus Peña *in fine Directorij Inquisitorum*, concedit Inquisitoribus facultatem dispensandi in irregularitate contracta ob hæresim occultam: ergo ratione delicti hæresis, & apostasiæ à fide incurritur specialis irregularitas, ac proinde nihil refert siue publica, siue occulta sit apostasia. Saluo, &c.

---

## ARTICVLVS III.

## An Apostata à Religione, habitu tamen Religionis retento, iure communi ratione solius apostasiæ excommunicationem incurrat?

### *SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, explicando in quónam consistat apostasia a Religione.*
3. *An Religiosus excipiens habitum alienæ Religionis sit Apostata.*
4. *An liceat Religioso vexato iniquè à Superiore ad alium maiorem Superiorem currere absque licentia.*
5. *Respondetur titulo dubitationis.*
6. *An Religiosus dimittens habitum suæ Religionis, quia iniquè vexatus, vel ad vagandum, sit excommunicatus.*
7. *Rationi à principio respondetur, & explicatur, An citra ius commune possint Apostatæ esse excommunicari si dimitterent habitum.*

### I. *Pars affirmatiua probatur.*

QVia in *cap. vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi 6.* ideo excommunicatio constituitur in eos, qui suæ Religionis habitum temere dimittunt, vt periculosa Religiosis euagandi occasio subtrahatur. ergo siue habitū indutus, siue eo exutus, si Religiosus à Religione defecerit, vt liberè euagetur, excommunicationem incurrit. Ita Azor. *1. part. instit. moral. lib.12. cap.17. dub.6.*

### II. *Veritas aperitur, & explicatur*

## DVBITATIO I.

### *In quónam consistat apostasia à Religione?*

Dico primò, apostasia à Religione est temerarius recessus à Religione, quam quis vouit solemniter, cū animo nunquam redeundi ad illā: quare si hic animus desit, sed fugiat quia animo aliquandiu extra Religionem vagandi, postcáque ad Religionem redeundi, erit quidem fugitiuus, non autem Apostata Syl. *verb. Apostasia, q.4. num.9.* Caiet. *2.2. q.12. art.1. dub.2. vers. in eodem 1. art.* dixi, *quam quis vouit solemniter*, quoniam si Religio sit in qua emittitur votum simplex tantùm, vt accidit in mulieribus D. Francisci, & D. Dominici, retrocedere ab illa non est apostasia, etiam si nubant, licèt sit peccatum mortale: quia illa Beatarum congregatio non est approbata à Sede Apostolica tanquam Religio, nec per ea vota constituuntur in statu verò religioso. Ita bene Bannes *2.2. q.12. art.1. dub.1. conclus.1.* vbi de apostasia à Religione.

Dico secundò, apostasia est si quis sine licentia sui Prælati recedat à Religione, cum animo nunquam redeundi ad illam, etiam si habitum retineat, & habeat animum nunquam illum dimittendi: quia retrocessio ab essentiali statu Religionis est apostasia, sed iste retrocedit ab essentiali statu Religionis, scilicet ab obedientia, paupertate, & castitate, essentia enim Religionis consistit in his tribus votis essentialibus. ergo nihil refert ad apostasiam, an habitus Religionis dimittatur, nec ne, &c. Tabiena *verb. Apostasia, q.11. n.14.* & *ibi* Armilla *num.11.*

## DVBITATIO II.

### III. *An Religiosus excipiens habitum alienæ Religionis sit Apostata?*

Dico tertiò, Apostata non est, si quis dimittendo habitum suæ Religionis, transeat ad aliam, siue illa Religio sit strictior, siue laxior: quia non simpliciter à religiosæ vitæ instituto, sed à certa Religione recedit. Syl. *verb. Religio 4. q.4.* Peccaret tamen hic lethaliter; & esset excommunicatus per Eatrauagantem Martini V. quæ incipit, *Viam ambitiosè, de Regularibus*, in qua transitus ad aliam Religionem interdicitur Regularibus sub pœna eacommunicationis latæ sententiæ, prætérquam ad Religionem Carthusianorum, &c. Bannes *2.2. q.12. art.1. dub.1. conclus.1.* vbi de apostasia à Religione, quamuis Suarez *tom.5. in 3. part. de cens. disp.31. sect.6 num.4.* affirmet hunc verè esse Apostatam.

## DVBITATIO III.

### IV. *An liceat Religioso vexato iniquè à Superiore ad alium maiorem Superiorem currere absque licentia?*

Dico quartò, Religiosus nec fugitiuus, nec Apostata, dicitur qui iniquè vexatus absque licentia Superioris ad Prælatum superiorem confugit: quià Religioso iniquè grauato licita est ad Superiorem fuga, vt optimè tradit Rodriquez *tom.1. qq. Reg. q.30. art.3.* Sayr. *Clau. Reg. lib.12. cap.17. n.40.* neque contra hoc obstat decretum Concilij Trid. *sess.25. de Regul. cap.4.* vbi interdicitur Religiusis recessus à suis Conuentibus absque Superioris licentia, etiam prætextu Superiores adeundi, quia id decretum intelligendum non est de Religiusis à Superiore iniquè vexatis, qui nullo alio remedio suæ vexationi consulere possunt, quàm fugiendo, sed intelligendum est de Religiosis, qui absque iusta causa huius iniqui grauiminis sic fugiunt. videatur Rodriquez loco nuper allegato, Sanchez *lib.6. oper. mor. cap.8. num.17.*

### V. *Titulo dubitationis respondetur.*

Dico quintò, Apostata qui non habet animum iterum redeundi ad Religionem, si non dimittit habitum suæ Religionis, licèt hic sit verè Apostata,

solo

solo tamen iure communi attento non est excommunicatus: quia *in cap. vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi*, soli professi dimittentes temere habitum suæ Religionis excommunicationi subduntur. ergo Apostata, qui non dimittit habitum suæ Religionis, non erit excommunicatus: nec alibi in iure Canonico reperitur excommunicatio in Apostatas, nisi illa *cap. vt periculosa*. cùm ergo illam non incurrant, quia non dimittunt habitum, non erunt iure communi excommunicari. Bannes 2. 2. *q.* 12. *art.* 1. *dub.* 1. vbi de apostasia à Religione *concl.* 2. *vers. Circa secundam tamen conclusionem*. quem sequitur Sanchez *lib. 6. oper. mor. c.* 8. *n.* 20.

## Dubitatio IV.

VI. *An Religiosus dimittens habitum suæ Religionis, quia iniquè vexatus, vel ad vagandum, sit excommunicatus?*

Dico sextò, Religiosus si calumniosè, ac iniustè apud suum Superiorem fuit accusatus, timeátque iniquè, & crudeliter vexari, & propterea deserit habitum suę Religionis occultè, vel etiam dimittit, non ob hoc incurrit excommunicationem cap. *vt periculosa*; quia tunc non est temeraria habitus dimissio: nam temere dimittere habitum non dicitur, quando adest iusta & rationabilis causa illum dimittendi, sed Religiosus iniquam & crudelem timens vexationē, si non potest aliter illam euitare nisi dimittat, & occultet habitum suæ Religionis, habet iustam & rationabilem causam; ergo si dimittit extante hac iusta causa, non incurret excommunicationem cap. *vt periculosa*. Ita docet glossa *eod. cap. verb. temere*. videatur D. Thom. 2. 2. *q.* 53. *art.* 4. *ad secundum*, & *ibi* Caiet. vbi optimè docent, quid ly *temere* propriè importet.

Dico septimò, Religiosus dimisso proprio habitu si assumat habitum alterius Religionis ad diuagandum, vel perpetrandum aliquod scelus, iniuriam infert illi Religioni, & incurrit excommunicationem capituli *vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi in* 6. Nam in isto capite excommunicatur qui habitum suæ Religionis ad vagandum per vicos, & plateas dimittit, &c. Ita D. Anton. 3. *part. tit.* 24. *cap.* 53. quem sequitur Sanchez *lib. 6 oper. mor. c.* 8. *num* 65.

Dico octauò, Religiosus occultans habitum suæ Religionis, si dolosè & malo animo id faciat ad vagandum & discurrendum, est excommunicatus: nam occultatio habitus in hoc casu est dimissio habitus, formaliter loquendo, etenim formale habitus est quòd sit distinguens Religiosum à sæculari, vel Religiosum vnius Religionis ab alio alterius Ordinis: excommunicatio autem Canonis debet intelligi de dimissione habitus formaliter, non autem materialiter. Ita bene Syl. *verb. Excommunicatio, 9. num.* 53. Quamuis Suarez *tom. 5. in 3. p. disp. 23. sect. 4. n.* 33. oppositum teneat, quia occultatio, inquit, in rigore, & proprietate non est dimissio; sed prima opinio est communior, & verior, vt bene Sanchez *loco nuper allegato, n.* 63. citans multos DD.

VII. *Rationi à principio respondetur, & explicatur*

## Dubitatio V.

*An citra ius commune possint Apostatæ esse excommunicati, si dimitterent habitum?*

Nec officit ratio à principio adducta contra nostram quintam assertionem, quia textus ille *cap. vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi in* 6. non comprehendit quamcumque occasionem vagandi Religiosis, sed occasionem vagandi, ex habitus dimissione consurgentem: soli igitur professi alicuius Religionis approbatæ, vi illius textus dimittentes habitum suæ Religionis excommunicationi subduntur. Vnde Apostatæ si non dimittunt habitum suæ Religionis attento solo iure communi, quia per varia Religionum priuilegia Apostatæ, etiam si non dimittunt habitum, excommunicationem incurrunt. quæ priuilegia pro Societate IESV citat Sanchez *lib. 6. oper. mor. c. 8. n.* 11. Videatur pro hac solutione Bannes 2. 2. *q.* 12. & Sanchez assertione 5. adducti, Suarez *tom. 5. de cens. disp. 23. sect. 4. num.* 34.

---

## Articulus IV.

## An retrocessio à minoribus Ordinibus ad statum sæcularem, maximè bis ducendo vxorem, aut non virginem, sed viduam, aut aliàs corruptam, sit simpliciter apostasia ab Ordine.

### Summarium.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, explicando, quid sit apostasia ab Ordine.*
3. *Dubitatio resoluitur.*
4. *An liceat recipere Ordines minores cum animo non recipiendi alios maiores, vel ingredi Religionem cum animo exeundi.*
5. *An liceat suscipere primam tonsuram cum animo dubio permanendi in statu clericali.*
6. *In quo consistat habitus clericalis? & an illum non ferentes priuentur priuilegys? & an iudices sæculares, sint excommunicati, in illos manus inycientes.*
7. *An liceat Clerico in minoribus, perseueranti in statu clericali dimittere habitum, vel tonsuram si habeat beneficium.*
8. *An habens tacitum regressum ad beneficium teneatur ad habitum & tonsuram, & quid sit regressus ad beneficium.*
9. *An Clericus cui constituta est pensio tanquam Clerico, tenentur sub peccato mortali viuere clericaliter.*
10. *An liceat Clerico in sacris dimittere habitum, dummodo deferat tonsuram.*
11. *An Clericus in minoribus reassumens habitum clericalem dimissum recuperet priuilegia clericalia.*
12. *Rationi à principio satisfit.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

QVia sic retrocedens à minoribus Ordinibus ducendo bis vxorem, aut semel non virginem, sed viduam, aut aliàs corruptam, redditur incapax secundùm iura ad sua munera exercenda, quod videtur esse peccatum lethale. Ergo si retrocedens ab Ordinibus minoribus, peccat mortaliter, ergo est simpliciter Apostata ab Ordine cùm retrocedat à statu in quo fuerat collocatus per susceptionem Ordinis minoris. Antecedens patet: nam talis ducendo bis vxorem, vel viduam, aut aliàs corruptam, esset bigamus, & irregularis, & propter irregularitatem inhabilis ad exequenda Ordinum ministeria; vltima verò consequentia probatur, quia criminosa, & lethalis retrocessio ab Ordine est simpliciter apostasia, vt docet Caiet. 2. 2. *q.* 12. *art.* 1 *dub.* 1. *vers. Ad primum ergo in oppositum.*

II. *Veritas*

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

## DVBITATIO I.

*Quid sit apostasia ab Ordine?*

Dico primò, apostasia ab Ordine est retrocessio à statu Ordinis sacri ad statum sæcularem propria authoritate, vt si Clericus in Sacris constitutus absque dispensatione summi Pontificis ducat vxorem, vel si assumat statum Ordini clericali repugnantem, vt est status militiæ: quia per votum emissum in susceptione Ordinis sacri collocatur homo in aliquo statu perfecto; ergo retrocessio ab hoc statu erit simpliciter apostasia ab Ordine: sicuti retrocedens à Religione, quam quis solemniter est professus, quia per votum solemne emissum in Religione collocatur in statu perfecto Religioso, simpliciter est Apostata à Religione. Bannes 2.2.*q.*12.*art.*1.*fol.*671.*mihi.* vbi de apostasia ab Ordine.

III. *Dubitatio resoluitur.*

Dico secundò, Clerici in minoribus Ordinibus constituti, etiam si absque rationabili causa retrocedant à statu clericali, ducendo viduam, aut bis matrimonium ineundo, non sunt simpliciter Apostatæ ab Ordine, nec delinquunt lethaliter. Probatur, quia Nouitius in Religione, si absque iusta causa recedat ab illa ante solemnem professionem, nec est simpliciter Apostata, nec peccat lethaliter. ergo similiter, &c. Caiet. *verb. Apostasia*, quem sequitur Azor. 1.*part.inst.mor.* *c.*14.*lib.*13.*dub.*14.

Dico tertiò, venialis culpa est sine iusta causa recedere à prima tonsura, vel minoribus Ordinibus, etiam si retrocedens ducat vnam vxorem virginem semel tantùm: quia recessio à statu aliquo perfecto absque rationabili causa ad statum imperfectum, leuis quædam indecentia est: tum, quia Nouitius absque causa retrocedens à Religione obnoxius est culpæ veniali. ergo similiter constitutus in minoribus, &c. Ita bene Caiet. 2.2. *quæst.* 11. *art.*1. vbi de Apostata ab Ordine: quamuis alij talem immunem etiam à culpa veniali esse dixerint.

## DVBITATIO II.

IV. *An liceat recipere Ordines minores cum animo non recipiendi altos maiores, vel ingredi Religionem cum animo exeundi?*

Dico quartò, recipiens primam tonsuram, aut Ordines minores sine animo vlteriùs ascendendi, nullo modo peccat, dummodo habeat in animo inseruiendi Ecclesiæ in Ordinibus susceptis, quia Episcopus dispensare potest cum illegitimo ad Ordines minores, *cap.*1. *de filijs presbyt.in* 6. qui tamen postea ad Ordines sacros ascendere nequit, propter irregularitatem: ergo. sic Nauarr. *summ.c.*25.*n.*108. Rodriquez 2.*part.summæ,c.*17.*n.*2.

Dico quintò, suscipere minores Ordines cum animo retrocedendi ab illis, hac intentione, vt gaudeat quis priuilegiis Clericorum, est peccatum lethale: quoniam Ecclesiastica iura concedunt initiato minoribus Ordinibus vt possit ab illis recedere, non tamen concedunt facultatem vt possit animo retrocedendi suscipere minores Ordines, quin potiùs illud prohibent. Simile est in Nouitio alicuius Religionis, qui infra annum probationis non committit peccatum lethale si retrocedat à Religione, peccat tamen mortaliter si animo retrocedendi à Religione induat habitum. Ita Rodriquez *loco nuper adducto.* Bannes 2.2. *quæst.*11.*art.*1. vbi de apostasia ab Ordine, *conclus.* 2*. &c.* quamuis Sanchez *lib.*7.*de matr.disp.*31.*num.*17. asserat non peccare lethaliter accipientem Ordines minores animo resiliendi ab illis, vel solum intendendo declinare iurisdictionem fori sæcularis: fatetur tamen *num.*50.*eiusdem disputationis*, Nouitium peccare mortaliter, si animo retrocedendi à Religione induat habitum; quia, inquit, Nouitius decipit in re graui Religionem à qua alimenta accipit, &c. Eadem ratione mihi probabilior videtur sententia Magistri Bannes: quoniam ratione primæ tonsuræ, & Ordinum minorum confertur ordinato potestas obtinendi beneficia Ecclesiastica, datur ius & priuilegium fori ne teneator assistere coram iudice sæculari, tribuitur eidem etiam priuilegium canonis, *si quis suadente Diabolo*, 17. *q.*4. Istæ sunt res grauissimæ; ergo decipit Ecclesiam in re graui. ergo eadem ratione, ac Nouitius, qui animo resiliendi à Religione induit habitum, peccabit lethaliter assumens primam tonsuram, vel Ordines minores animo retrocedendi ab illis.

## DVBITATIO III.

V. *An liceat suscipere primam tonsuram cum animo dubio permanendi in statu clericali?*

Dico sextò, suscipiens primam tonsuram, vel Ordines minores, si sit anceps, an in illo statu clericali permanebit, vel resiliet ab illo, nullo modo peccat; quia Religionem animo dubio ingrediens ad experiendum, si sibi placuerit, non delinquit, annus enim nouitiatus iure præscriptus ad id conceditur. Ita similiter temporum interstitia ab Ecclesia assignantur inter minores Ordines & sacros, vt ordinatus prima tonsura, vel minoribus, experiatur statum clericalem, firméque in illo permanendi voluntatem, aut vlteriùs ascendendi, aut resiliat. Ita bene Sanchez *loco cit.num.*16.*fine.*

## DVBITATIO IV. V. & VI.

VI. *In quo consistat habitus clericalis? &, An illum non ferentes priuentur priuilegijs? &, An iudices sæculares sint excommunicati in illos manus inijcientes?*

Dico septimò, habitus clericalis consistit in vestibus & tonsura. Syl. *excomm.*6.*num.*6.*vers.*3.*fine.* Clerici in minoribus constituti, siue coniugati, siue non coniugati, si non deferant habitum, & tonsuram, amittunt omne priuilegium Clericorum. Ita formaliter Bannes 2.2.*quæst.*12.*art.*1. *dubio vltimo.* vbi de pœnis, quas incurrunt Apostatæ ab Ordine: imò tertia conditio additur in Concilio Tridentino *sess.*23.*cap.*6.*de reformat.* vt alicui Ecclesiæ deputati ab Episcopo inseruiant: videatur etiam Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 46. *num.* 1. *ad finem.* Rainerius *in catalogo excomm. cap.* 9. *vers. Nota secundò.*

Hinc deducit Bannes *loco nuper allegato*, post Concilium Tridentinum *sess.*23.*cit.cap.*6.*de reform.* iudices sæculares inijcientes manus in huiusmodi Clericos non deferentes habitum & tonsuram in minoribus constitutos, non esse excommunicatos, etiamsi pro qualitate criminum illos suspendant.

Dico octauò, iure antiquo *cap. contingit el* 5. *de sententia excomm.* non amittebant Clerici priuilegium clericale per habitus dimissionem, donec ter monerentur à suo Ordinario, loquendo de Clericis in minoribus constitutis: secus autem iure nouo, attento

nouo

nouo decreto Concilij Tridentini *sess. 23. c. 6. de reformat.* amittunt enim nunc Clerici in minoribus constituti, si non deferant habitum, & tonsuram, etiam si priùs ter non moneantur, vt bene obseruauit Sanchez *loc. cit. n. 10. fine.* Quod intelligendum est, nisi beneficium Ecclesiasticum habeant huiusmodi Clerici in minoribus constituti, tunc enim sunt ter admonendi, vt amittant priuilegium omne clericale, vt colligitur ex Concilio Trid. *sess. 23. cit.* & bene notauit Suarez *tom. 5. in 3. p. de censur. disp. 22. sect. 1. n. 11.* Item Clerici in Sacris constituti non amittunt priuilegia clericalia, etiamsi habitum deserant, donec ter admoniti per suum Prælatum incorrigibiles sint, iuxta iura *c. contingit el 2. & cap. in præsentia, de sentent. excomm.*

## Dvbitatio VII.

VII. ***An liceat Clerico in minoribus perseueranti in statu clericali, dimittere habitum, vel tonsuram, si habeat beneficium?***

Dico nonò, primatonsura, & minoribus initiati perseuerantes in statu clericali, si non habent aliquod beneficium pingue, qualitercunque se habeant in vestibus, etiam si non deferant tonsuram, non peccant mortaliter, sed tantùm venialiter. Probatur, nam in quolibet præcepto potest dari materia leuis. ergo in hoc præcepto deferendi habitum, & tonsuram, quod extat in multis titulis & iure *de vita & honestate Clericorum*, materia leuis erit quòd in minoribus constituti dimittant habitum; ergo cùm sit præceptum in materia leui, erit veniale, Ita bene Bannes 2. 2. *q. 12. art. f. 676. concl. 1. & 2.* vbi de Apostatis ab Ordine.

Dico decimò, si verò huiusmodi Clerici in minoribus constituti habeant beneficium, aut dignitatem Ecclesiasticam, si dimittunt habitum & tonsuram, lethaliter delinquunt. Probatur ex constitutione Sixti V. cuius initium est, *Cùm sacrosanctam*, in qua præcipitur vt omnes beneficiarij deferant vestem, & habitum Clericorum, id est, vt ibi dicitur, talares vestes: videatur etiam Azor. *p. 2. inst. mor. cap. 14. dub. 3. 4.* idem tenet Filliuc. *tom. 3. tract. 41. de beneficijs Ecclesiast. cap. 6. q. 3. num. 14.* Iura enim id seuerè præcipiunt, & contra inobedientes grauem pœnam imponunt: ad vtrumque enim tenentur, ad habitum, ad vestes, scilicet talares, & ad tonsuram.

## Dvbitatio VIII.

VIII. ***An habens tantùm regressum ad beneficium teneatur ad habitum & tonsuram; & quid sit regressus ad beneficium?***

Dico vndecimò, qui tantùm habet regressum ad beneficium, aut dignitatem, non tenetur sub peccato mortali deferre habitum, & tonsuram, quia in tali casu nec tenetur iste diuinum recitare Officium, nec est actu beneficiarius. Bannes *loc. nuper adducto, concl. 3. vers. est tamen obseruandum.* Nota quòd regressus ad beneficium est libera facultas ei, qui beneficium dimisit apprehendēdi possessionem beneficij dimissi, quando is cui beneficium dimittitur ad tempus constitutum, pensionem non soluerit. videatur Azor. *loc. cit. dub.* 8.

## Dvbitatio IX.

IX. ***An Clericus, cui constituta est pensio tanquam Clerico, teneatur sub peccato mortali viuere clericaliter?***

Dico duodecimò, Clericus, cui constituta est pensio simpliciter tanquam Clerico, tenetur viuere clericaliter, & deferre habitum & tonsuram sub pœna peccati mortalis, si pensio, quam habet, excedat summam sexaginta ducatorum auri de Camera. vide Filliuc. *tom. 3. tract. 42. de pensionibus, cap. 7. dub. 5. num. 5.* Nauarr. *tom. 1. consil. lib. 3. de vita, & honest. Clericorum, consil. 1. num. 1.* & constitutionem Sixti V. 92. cuius initium est, *Cùm sacrosanctam*; excipiuntur tamen ministri summi Pontificis in inferioribus ministeriis actu seruientes, item familiares intimorum familiarium Papæ actu in Palatio Apostolico inseruientium. hi enim quamcunque pensionem habeant ex concessione Sixti V. vti possunt vestibus communibus. Item etiam milites, qui in militari habitu incedere debent, si sint pensionarij, non tenentur ex eadem constitutione deferre habitum clericalem & tonsuram, sed vestibus communibus cum insignibus Crucis, aut numismatis suæ militiæ vti possunt. videatur constitutio, &c.

## Dvbitatio X.

X. ***An liceat Clerico in Sacris, dimittere habitum, dummodo deferat tonsuram?***

Dico decimotertiò, sacris Ordinibus initiati si deferant tonsuram, vel Clericam, quæ est quid essentiale Clericis, si non possent alias vestes clericales citra scandalum, non peccant mortaliter. Ita Caiet. *in summ. verb. Clericus.* At veriùs cum Magistro Bannes dicimus hos delinquere lethaliter si non deferant habitum etiam clericalem: quoniam hi sunt in statu perfecto clericali, & non tantùm inchoatiuè, sicut constituti in minoribus: vnde si aliquo signo externo non possit cognosci eorum status, peccant mortaliter: videatur Bannes *concl. 4. fol. 678. 2. 2. q. 12. art. 1.*

Dico decimoquartò, excusantur tamen à peccato mortali, si hæc dimissio fiat ad breue tempus, vt si fiat ad aliquem ludum exercendum ad agendam aliquam personam: vel si causa paupertatis Clericus in Sacris constitutus vteretur vestibus communibus, etiam diuersi coloris. Syluest. *verb. Apostasia, n. 6.*

## Dvbitatio XI.

XI. ***An Clericus in minoribus reassumens habitum clericalem dimissum, recuperet priuilegia clericalia?***

Dico decimoquintò, Clericus in minoribus constitutus, si animo retrocedendi ab habitu clericali dimittat habitum & tonsuram, si postea reassumat habitum & tonsuram animo permanendi in statu clericali, recuperat priuilegia clericalia. Ita bene Syl. *excommunic. 6. num. 4. vers. Si autem talis*, quia non est absurdum ad id quempiam proprio facto restitui, quod proprio factu amiserat.

Vt tamen gaudeat priuilegio fori, necesse est vt tempore delicti deferat tonsuram & vestes clericales. Azor. *1. p. instit. mor. lib. 13. cap. vltimo, dub. 16.* Immo ad vitandas fraudes desideratur, vt sex mensibus præcedentibus delictum detulerit habitum & tonsuram ex quadam Bulla Pij IV. Quòd si tempore capturæ relictæ fuerint vestes clericales, nihil refert, modò tempore delicti delatæ sint. Farinacius *in practica tit. de Inquisit. q. 8. n. 67.* quem sequitur Sanchez *lib. 7. de matr. disp. 46. num. 10.*

XII. ***Rationi à principio satisfit.***

Ad rationem à principio adductam, quatenus directè militat contra nostram secundam assertionem, respondetur negando antecedens, non enim retroce-

dens ab aliquo munere,& officio, ad quod non tenetur ex aliquo præcepto,vel ex voto,committit peccatum mortale ; constitutus in minoribus neque ex præcepto, neque ex voto tenetur ad statum clericalem, quia initiatiuè, & non perfectè est in illo stato collocatus. Retrocessio igitur ab Ordinibus minoribus ducendo bis vxorem,vel viduam, non est recessio lethaliter criminoſa, neque propriè apoſtaſia ab Ordine,cùm hæc ſit retrocessio criminoſa lethalis à statu perfecto Ordinis ſacri ad statum ſæcularem propria auctoritate,vt diximus *aſſertione prima*. Videatur Magister Bannes 2.2.*quæſt.*12.*art.*1.*fol.*674.*mihi*. vbi de apoſtaſia ab Ordine ad tertium argumentum. Saluo ſemper meliori iudicio.

# DISQVISITIO XIII.

## *De Arrha, & retroceſſione à contractibus.*

### ARTICVLVS I.

### An recipiens arrham traditam in ſecuritatem emptionis, & venditionis, ſi reſiliat à contractu, teneatur illam danti in duplum reſtituere?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas dilucidatur explicando,quotuplex ſit arrha, & illius naturam.*
3. *An quando quis abſque culpa à ſponſalibus reſilit,amittat arrham, & ſi culpa alterius non dantis arrham reſcindatur contractus, iſte teneatur in duplum reſtituere.*
4. *An pœnæ conuentionales debeantur ad ſolam petitionem creditoris.*
5. *Argumenta in contrarium ſoluuntur.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm in *Inſt. de empt. & vend. §. in his*, habetur quòd is per quem ſtat ne contractus perficiatur,ſi dedit arrham, perdit eam; qui verò eam recepit, ſi per ipſum ſtat, reſtituet duplicatum. ergo, &c. Tum, quia nihil eſt tam naturale, ac pacta ſeruari. *l.* 1. *ff. de pactis.* Sed dans arrham in emptione & venditione contracta virtualiter paciſcitur,vt recipiens ſi reſilit à contractu,reſtituat eam in duplum.ergo,&c.

II. *Veritas dilucidatur,& explicatur*

### DVBITATIO I.

*Quotuplex ſit arrha, & illius natura?*

Dico primò,arrha eſt duplex,vna quæ eſt vadimonium emptionis & venditionis contractæ, quæ adueniente ſolutione ceſſat eſſe arrha, & tranſit in pretium: alia eſt,quæ datur ſponſæ in ſecuritatem matrimonij contrahendi,& dicitur arrha ſponſalitia,quę adueniente matrimonio tranſit in donum, vel dotem. Syl.*verb Arrha.*

Dico ſecundò,arrhæ natura hæc eſt,vt eam amittat tradens ſi culpa ſua contractus, vel matrimonium non ſequatur ; eodem tamen ſequuto redeunt ad tradentem, quia eſt velut pignus in venditionis contractu traditum:hanc autem amittit iniuſtè reſiliens,& venditione celebrata recuperat. Lopez 1.*part. inſtr. de matr.cap.*36.*ad finem.*

### DVBITATIO II.

III. *An quando quis abſque culpa à ſponſalibus reſilit, amittat arrham; & ſi culpa alterius non dantis arrham reſcindatur contractus,iſte teneatur in duplum reſtituere?*

Dico tertiò,qui citra culpam à contractu,ſeu ſponſalibus reſilit,non amittit arrham,quam tradidit, ſed ipſi reſtituenda eſt, vt ſi alteruter Religionem ingrederetur, &c. quia vbi culpa abeſt, debet abeſſe pœna. *l.ſancimus,C.de pœn* & docet Syl.*verb. Arrha,n.*3.*q.*4.

Dico quartò,quando alter contrahens ſolus tradidit arrham,& culpa non tradentis contractus minimè ſequitur,tenetur recipiens cuius culpa contractus non ſequitur, reſtituere duplum,id eſt, ipſam arrham, & tantùmdem de ſuo patrimonio, & ſi conuentum ſit vt reſtituat triplum,tenetur ad hoc, *l.fin. C.de ſponſal.* Et ratio eſt,quia ſi ſolum quod accepit teneatur reddere, nullam pateretur pœnam. Armil.*n.*4.

Dico quintò,pœna legalis impoſita *l.fin. C. de ſponſal.* vt recipiens arrham ſi iniuſtè reſiliat, teneatur & ipſam arrham,& duplum reſtituere, & ſimiliter pœna conuentionalis quando inter contrahentes conuentum eſt,vt reſiliens teneatur triplum,vel quadruplum arrharum ſoluere, non debentur in foro conſcientiæ ante iudicis ſententiam : quia ſunt pœnæ ad quarum executionem requiritur aliqua actio, ſed hæ pœnæ non debentur in foro conſcientiæ ante iudicis ſententiam, quia alias pars ipſa contra ſe foret harum pœnarum executrix ; quod videtur inhumanum, & non attemperatum fragilitati humanæ. Ita optimè Caiet. 2.2. *quæſt.*62. *art.*3. *verſ. Ad hoc dicitur*. Syl.*verb. pœna,q.*25.

### DVBITATIO III.

IV. *An pœnæ conuentionales debeantur ad ſolam petitionem creditoris?*

Dico ſextò, conſequenter pœnæ conuentionales non debentur ad ſolam petitionem creditoris : quia eius petitio non obtinet vices ſententiæ iudicis. Imò ſtylus ferè vbique receptus docet huiuſmodi pœnas conuentionales in foro conſcientiæ ſolui non debere, etiam poſt iudicis ſententiam,niſi ob damnum, quod altera pars patitur. Ita bene Lopez *lib.*1. *de contract.c.*1. *fol.*102. *& lib.*2.*c.*34 *fol.*463. Nauarr. *in ſumm.c* 23. *n.*68. *ad finem.* Gutierrus *de iuram.*1.*p.c.*36.*n.*10. hos ſequitur Sanchez *lib.*1 *de matr.diſp.*37.*n.*4.

V. *Argumenta in contrarium ſoluuntur.*

Et per hæc patet ad primum fundamentum adductum ex Inſtit. Concedimus enim, quòd pœna legalis poſt ſententiam iudicis, debetur, illa ſcilicet, ad cuius executionem requiritur aliqua actio, qualis eſt ſolutio arrharum in duplum ex parte recipientis arrham, ſi culpa ipſius contractus minime ſequitur.

Ad ſecundum fundamentum ex *l.* 1. *ff. de pact.* reſpondetur quòd pacta debent quidem ſeruari ſecundùm intentionem partium conſtituentium pœnas in contractibus: intentio tamen conſtituentium pœnas in contractibus, non eſt vt qui eas incurrerit, ſolutionem earum vltrò offerat, ſed vt per eas ad obſeruationem contractus partes cogantur; ſicut per pœnas ſubditi ad obſeruationem legum coguntur: ergo ſicut pœnæ legum quæ requirunt in executione aliquam

aliquam actionem, non tenemur subire ante sententiam iudicis; sic & pœnas conuentionales non tenemur soluere ante iudicis sententiam, &, vt stylus ferè vbique receptus docet, nonnisi ob damnum quod altera pars patitur: videantur DD. assertione 6. citati, & præcipuè Nauarr. *summ. c. 23. n. 68.* Saluo semper meliori iudicio.

## DISQVISITIO XIV.

## *De Arte componendi & vendendi ea, quibus bene & malè vti possumus.*

### ARTICVLVS VNIC.

### An sit licita ars componendi & vendendi chartas lusorias, taxillos, fucos, venena, arma, gladios, quibus bene, & malè vti possunt homines, maximè si artifices, & vendentes huiusmodi suspicentur ementes malè eis esse vsuros?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur explicando, An liceat componere, & vendere rem ex se tendentem in malum.*
3. *Dubitatio resoluitur.*
4. *An liceat conficere res indifferentes, quarum abusus etiamsi toleretur à Republica, potest cedere in damnum commune, vel particulare.*
5. *An liceat obsequia indifferentia præstare.*
6. *An liceat tempore ieiunij vendere vetitos cibos, necnon etiam vinum in magna quantitate ei, qui solet ebrietatem pati.*
7. *An liceat Christianis captiuis in triremibus Turcarum remigare dum pugnatur contra Christianos.*
8. *An liceat commodare nummos, aut cubiculum ad fornicandum.*
9. *Ratio à principio soluitur, & explicantur casus, in quibus non licet vendere res indifferentes.*

I. *Pars negatiua probatur.*



Vod non sit licita probatur: quia cooperari peccato alterius est malũ, immo qui cooperatur peccato alterius, committit simile peccatum cum illo. *cap. notum 2. q. 1.* Sed componere & vendere res indifferentes, quibus homines possunt benè, vel malè vti his, quos suspicamur illis abusuros, est saltem indirectè cooperari peccato illorum. ergo, &c. Maior est clara, probatur minor ad voluntatem & consensum indirectum, sufficit vt possit quis malum prohibere, & teneatur, sed venditores isti possunt prohibere illa peccata, non vendentes tales res, & tenentur illa prohibere saltim ea charitate. ergo, &c. & ita hanc sententiam tenet Medina *q. 30. de restitut.* in 1. & 2. modo quo redditur illicita negotiatio.

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

### DVBITATIO I.

*An liceat componere, & vendere rem ex se tendentem in malum?*

Dico primò, componere, & vendere rem ex se ten-



dentem in malum, siue natura sua tendat in illud, siue ex suo modo & forma, vel circumstantia illud habeat, vt tendat in malum: vt si quis fabricaret idola, vel aliqua ad cultum idololatriæ pertinentia, & huiusmodi, venderet, vel ædificaret domum, quæ non possit deseruire nisi in Synagogam, est illicitum. Probatur, quia artes quarum operibus homines non possunt vti absque peccato, artifices earum illa faciendo, aut vendendo peccant, quoniam componens, & vendens talem rem cùm emptor, & vtens illa re non possit ea vti bene, consentit in peccatum illius. Ita bene S. Th. 2. 2. *q. 169. art. 2. ad 4.* quem sequitur Azor. *1. part. instit. mor. lib. 8. c. 22. dub. 6.* Salon. 2. 2. *q. 77. art. 4. controu. 3.*

III. *Dubitatio resoluitur.*

Dico secundò, artificem conficere, & vendere res indifferentes eo animo, vt emptor illis abutatur, est omnino illicitum: vt si quis venderet Iudæis Agnum, ramusculos arborum, flores, fructus, & vestes artificiales conficeret, vt habeant Iudæi hæc opportuna ad cultum suum; quia hoc esset cooperari peccato alterius instrumenta præbendo ad peccandum. Ita optimè Caiet. 2. 2. *q. 10. art. 4. vers. Ad hoc dicitur,* & communiter omnes DD.

### DVBITATIO II.

IV. *An liceat conficere res indifferentes, quarum abusus etiamsi toleretur à Repub. potest cedere in damnum commune, vel particulare?*

Dico tertiò, conficere, & vendere res indifferentes, quarum abusus non toleratur à Republica, & cedit, vel probabiliter timetur cedere in damnum tertij siue particulare, siue publicum Reipublicæ, est omnino illicitum: vt sunt ea, quibus vtuntur homines ad homicidia, vel maleficia, vt componere venena, quæ non ponuntur in medicamentis, nec cedunt nisi in interitum alicuius, vel maleficium, aut aborsum. Arma similiter vendere tempore belli iniusti: vt si Princeps aliquis bellum gereret vt deleret Clericos, & redditus ab Ecclesia, tunc artifices vendentes arma peccarent mortaliter, & essent sacrilegi. Item artifices peccant mortaliter si tempore pacis vendant tormenta illa manualia paruula, quæ non deseruiunt, nisi homicidiis per insidias. Probatur modò hæc assertio, quia in rebus indifferentibus, quarum abusus est in damnum tertij, vel in damnum publicum Reipub. non licet vti peccato proximi in proprium commodum: tum, quia ex præcepto charitatis tenetur ille, qui prudenter suspicatur Ioannem nociturum Petro, vel admonere Petrum vt sibi caueat, vel denuntiare, aut accusare Ioannem, quando sola admonitione non occurritur sufficienter illi periculo; ergo multo magis tenebitur non vendere illi arma, quibus potest fratri nocere. Videatur Caiet. 2. 2 *q. 169. art. 2. in responsione ad 4. vers. Ad 2. dicitur.* Salon. 2. 2. *q. 77. art. 4. controuers. 5. conclus. 3.*

Dico quartò, res indifferentes, quarum abusus toleratur à Republ. nec sunt in damnum tertij, vt sunt taxilli, chartæ lusoriæ, fuci, & similia, licitè possunt artifices conficere, & vendere, quamuis sciant emptores illis abusuros, si adest iusta causa vendendi illas, puta si artifices iacturam paterentur, si res suas indifferentes, quas venales habent, minimè venderent; quoniam tunc artifices vtuntur iure suo vendendo eas, & emptor sibi imputet si emit eas ad malum finem. Tum, quia nemo tenetur amittere suum commodum temporale quando proximus peccat ex sua malitia; ergo tunc artifices non tenentur amittere suum lucrum vt impediant

proximum ab executione peccati: ita bene Bannes 2.2.*quæst.*77.*art.*4.*dub.*1. *verſ. Sed probatur* 2. *pars* Caiet.2.2.*q.*10.*art.*4.*verſ.Ad hoc dicitur quid vendere*,&c.

### DVBITATIO III.

V. *An liceat obſequia indifferentia præſtare?*

Dico quintò,quamuis liceat indifferentia vendere, quorum abuſus toleratur à Republ.& ſimiliter obſequia indifferentia miniſtrare,licèt conſtet alterum his abuſurum, dummodo deſit intentio cooperandi ad malum alterius, & adſit iuſta cauſa vitandi proprium & graue ſuum detrimentum, vt quando adeſt notabile detrimentum omiſſionis vendendi res ſuas; quia nemo tenetur cum graui ſuo detrimento occaſionem acceptam ab alio peccandi vitare: at iuſta cauſa non excuſante, non licet huiuſmodi indifferentia vendere, aut præbere alteri proximam peccandi materiam ex ſe indifferentem, quando de alterius praua abutendi voluntate conſtat; quia ex charitate vnuſquiſque tenetur, quando abſque graui detrimento poteſt occaſionem acceptam ab alio peccandi vitare: ita bene Azor.*p.*2.*lib.*12.*inſt. mor.c.*18.*dub.*10.

### DVBITATIO IV.

VI. *An liceat tempore ieiunij vendere vetitos cibos; necnon etiam vinum in magna quantitate ei,qui ſolet ebrietatem pati?*

Dico ſextò, artifices condientes cibaria, vt tabernarij, & caupones, vendentes, & miniſtrantes cibos in die ieiunij ad refectionem, qua illud ſoluitur, non peccant quando probabiliter credunt alterum excuſari à ieiunio. Imò quando dubitant, excuſantur à culpa, quia ſuum non eſt diſcutere, &c. Imò quando credunt alterum à ieiunio non excuſari, quia peccato alterius vtuntur,vt res ſuas vendant,deſeruiúntque comeſtioni quatenus eſt actus naturæ, & non quatenus ieiunium ſoluit ſi notabile detrimentum omiſſionis vendendi res paterentur: ita bene Caiet. 2.2 *quæſt.*147.*art.*4.*fine.*

Dico ſeptimò,peccant tamen lethaliter tabernarij, & caupones vendentes vinum bibere volenti in ea quantitate, vt probabiliter credant, vel experti ſint fore,vt hic inebrietur; quia miniſtrans vinum ſolito inebriari,manifeſtè miniſtrat vitio:ſecus autem miniſtrans cœnam, nam hic miniſtrat homini, non vitio: tum,quia vacans cœnæ,vacat actui humano,& deformitas vitij ſolummodo ſe tenet ex parte circumſtantiæ cœnantis, puta quia quando non debet, cœnat; vacans autem ebrietati, vacat actui per ſe deformi; ebrietas enim præſupponitur per ſe praua. Ita præclarè Caiet.*tom.*1.*opuſc.tract.*3.1 *reſponſ.*13. *dub.*4. Tum quia lucrum ex hoc ceſſans tabernario non eſt tanti momenti; ebrietas verò maximum eſt damnum corporis,& animæ,& ſcandaloſum,ac ſæpe nocendi iniuſtè aliis occaſionem præbet: videatur Manuel Rodriquez *p.*2.*ſumma c.*76.*num.*15.

### DVBITATIO V.

VII. *An liceat Chriſtianis captiuis in triremibus Turcarum remigare dum pugnatur contra Chriſtianos?*

Dico octauò, qui coacti remigant in triremibus Turcarum Chriſtianos inuadentium, excuſantur à culpa; quia remigare non eſt in ſe malum,ſed indifferens,& licèt à captiuis Chriſtianis accommodatè fiat ad finem infidelium,non tamen fit ab eis propter eum finem,ſed ad proprium notabile vitæ damnum vitandum,qui bonus finis eſt.Ita Lopez 1.*part inſtruct.c* 60. *fine.* Fateor tamen quòd ſi talis remigatio in aliquo caſu eſſet grauiter nociura Reipublicæ Chriſtianæ, etiam cum diſcrimine vitæ tenerentur Chriſti fideles in triremibus Turcarum,& infidelium non remigare; quia commune bonum Reipublicæ anteponendum eſt bono vitæ particularium. Ita bene obſeruauit Suarez *tom.*5.*de cenſuris in* 3.*p.diſp.*21.*ſect.*2.*n.*62.

### DVBITATIO VI.

VIII. *An liceat commodare nummos, aut cubiculum ad fornicandum?*

Dico nonò, conſequenter ad ea quæ dicta ſunt licebit alicui mutuo dare nummos alteri, aut cubiculum accommodare petenti ad fornicandum, quando abſque graui detrimento proprio, puta vitæ, famæ, amiſſionis bonorum,denegare nequit;quia vtrumque eſt de ſe indifferens,& ex ſola praua abutentis intentione ad malum tendit: tum, quia nemo cauſa moralis directa cenſetur eius, quod nec præcipit, nec conſulit,nec intendit, nec re ipſa efficit: neque cauſa indirecta dici poteſt, quia quoties iuſta cauſa detrimenti proprij vitandi ſubeſt, licebit eam occaſionem ruinæ permittere miniſtrando res indifferentes: videatur Sanchez *lib.*1.*oper.mor.c.*7 *n.*11.12.& 31.

IX. *Ratio à principio ſoluitur, & explicantur caſus in quibus non licet vendere res indifferentes.*

Et per hæc patet ad argumentum in contrarium à principio adductum: dicimus enim venditorem tunc cooperari peccato emptoris,quando miniſtrat & vendit illi vel res ex ſe tendentes in malum, vel indifferentes, quibus emptor abutitur in damnum tertij, eſtque prohibitum à Republica: vt ſi venderetur venenum, quod non ponitur in medicamentis, nec edit niſi in interitum alicuius,vel quando venditor, & miniſtrans habet eandem prauam intentionem,quam habet emptor;extra hos caſus venditor rerum indifferentium non eſt dicendus cooperari malo emptoris illarum rerum ſi adeſt iuſta cauſa detrimenti proprij vitandi, cùm neque directè cooperetur ad malum alterius,vt patet, quia neque præcipit, neque conſulit malum,nec intendit,nec re ipſa efficit: neque indirectè,quia non tenetur cum graui ſuo detrimento omiſſionis vendendi res ſuas indifferentes prohibere prauam voluntatem emptoris abutentis illis in malum vſum, vt in noſtris huius dubij aſſertionibus ſæpe diximus:videatur pro hac ſolutione Caiet. 2.2. *quæſt.*10. *art.*4.*fine.*Bannes 2.2.*q.*77.*art.*4.*dub.*1. Salon. 2.2.*q.*77. *art.*4. *controuerſia* 5. *ſolut. ad* 1.& 3. *arg.* Saluo ſemper meliori iudicio.

## DISQVISITIO XV.

## *De Aſtrologia.*

### ARTICVLVS I.

### An liceat per Aſtrologiam prædicere,& præcognoſcere futura?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas declaratur, explicando, quotuplex ſit Aſtrologia.*

3. *An*

3. *An Astrologia naturalis sit licita, & an effectus contemplati per illam sint certi.*
4. *An sit contra Bullam Sixti V. per Astrologiam prædicere temperamentum, vel inclinationem hominum tenui quadam coniectura.*
5. *An Astrologia iudiciaria sit falsa, & illius vsus peccatum mortale, & an liceat vti illa per modum cuiusdam tenuis coniectura.*
6. *Ratio à principio soluitur, & explicatur, an absque Dæmonis arte possint nosci futura contingentia libera: & quid possint astra in liberum arbitrium.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

Videtur quòd sit omnino licitum. nam licitè possumus ex consideratione causarum prænuntiare effectus, sicuti Medici ex dispositione ægritudinis prænuntiant mortem infirmi; sed corpora cœlestia sunt causa eorum, quæ fiunt in hoc mundo, vt D. Dionys. *cap. 4. de diu. nom.* ergo diuinatio futurorum, quæ fit per astra, & per Astrologiam, non est illicita.

II. *Veritas declaratur, & explicatur*

## DVBITATIO I.

*Quotuplex sit Astrologia?*

Dico primò, Astrologia est duplex, quædam dicitur naturalis, quæ ex situ, cursu, motúque astrorum ea, quæ naturaliter contingunt, coniectat, vt Eclipsim, pluuias, grandines, ventos: quædam est iudiciaria, quæ ex astris futuros casus fortuitos & actiones futuras ex libero arbitrio pendentes coniectat; prætereà etiam & præsentia prorsus occulta. Ita ex D. Thom. 2.2. *quæst. 95. art. 5.*

## DVBITATIO II.

III. *An Astrologia naturalis sit licita, & an effectus contemplati per illam sint certi?*

Dico secundò, Astrologia naturalis coniectans, quæ naturaliter contingunt, est licita, & similiter non est illicita quatenus coniectat ex astrorum aspectu, considerando hominis natiuitatis punctum, temperamenta, & propensiones eiusdem, & quòd quandoque ad vitia, quandoque ad virtutes ex constellationibus cœlestibus inclinatur; quia Astrologia, quæ est vna de septem artibus liberalibus, est verè scientia, & ad id se extendere potest: videatur D. Th. 1 *part. q. 115. art. 4. per totum*, & præcipuè *ad tertium argumentum.* Armilla *verb. Astrologia, num. 2. & 3.*

Dico tertiò, hi effectus quos contemplantur Astrologi ex astrorum aspectibus demptis necessariis, vt Eclipsi, sunt valde incerti: quia à multis causis pendēt, possúntque multipliciter impediri, pendent enim ne dum à causis cœlestibus, sed etiam ab inferioribus, nec solùm ab efficientibus, sed etiam à materialibus: hinc ipsa experientia constat, quàm sint incerti ex diariis, cùm persæpe contrarij inter se sint: tum, quia conditiones rei generandæ magis pendent ex dispositionibus materiæ, & efficacia agentis proximi, quàm ex influentiis cœlorum: tum, quia ex aliis causis, vt à ventis, vaporibus, æstu, frigore, aëre, potest esse variè affectus, vnde facile actionem syderum variabit, varia enim affectio medij mutat actiones causarum: tum, quia gemini simul editi sæpe diuersissimas habent propensiones, & temperamenta, mores, euentus, vt patuit in Esau & Iacob. Armilla *verb. Astrologia, n. 3.* quem sequitur Less. *lib. 2. de Iust. c. 43. dub. 6. n. 32.*



## DVBITATIO III.

IV. *An sit contra Bullam Sixti V. per Astrologiam prædicere temperamentum, vel inclinationem hominum tenui quadam coniectura?*

Dico quartò, Astrologi coniectantes tenui quadam coniectura temperamentum & inclinationem hominum ad iram, vel consuetudinem ad hæc studia, vel illa, & similia, non peccant, cùm hoc nuo sit per se malum, neque vllo iure prohibitum: quia cœlum & influentiæ magnam vim habent in corpora.

Neque hi agunt contra Bullam Sixti V. 21. cuius initium est; *Cæli & Terra.* quoniam Bulla tantùm interdicit prædictionem de futuris contingentibus liberis, & effectibus casualibus. ergo, &c. peccarent tamen Astrologi, si promitterent certitudinem, vel si ferrent iudicium absolutum; quia multo magis confert ad temperamentum prolis conceptio, quàm natiuitas. nā in conceptione formatur corpus, & consequenter eius temperamentum: in natiuitate autem est idem quod erat in vtero; sed Astrologi tantùm obseruant punctum natiuitatis, non conceptionis; erit ergo valde incerta talis cognitio; ergo non poterunt ferre iudicium certum, &c. Ita bene adnotauit Hilltuc. *tr. 24. de vitijs oppositis Religioni, c. 4. q. 2. n. 82.*

## DVBITATIO IV.

V. *An Astrologia iudiciaria sit falsa, & illius vsus peccatum mortale? & An liceat vti illâ per modum cuiusdam tenuis coniecturæ?*

Dico quintò, Astrologia iudiciaria prædicens futura pendentia ex libero arbitrio, aut casus fortuitos, vt certò euentura, est vana, falsa & superstitiosa, ac proinde vsus illius est mortalis, vt cùm certò prædicit conditionem vitæ hominis, matrimonium, aut aliū statum, liberos, inimicitias, mortem, &c. Quia futura contingentia non de necessitate causantur à cœlo. ergo per astra certò euentura cognosci, & prædici non possunt; ergo hæc præcognitio falsa, vana, & superstitiosa est dicenda, quia tunc cognitio futurorum occultorum dicitur vana, falsa, & superstitiosa, quando per ea media, vel causas vult quis illa præcognoscere, per quæ præcognosci non possunt. cùm ergo futura contingentia de necessitate non causentur à cœlo, vanum erit, falsum, & superstitiosum velle illa certò præcognoscere ex aspectu, & influxu cœlorum: imò letbale est hæc certò prædicere, quia omni iure prohibitum, vt *cap. igitur 26. quæst. 3. cap. non licet 26. quæst. 5. cap. illud, & cap. sed & illud 26. quæst. 2.* & nuper in motu proprio Sixti V. contra Astrologos, ac nouissimè in constitutione Vrbani Octaui 113. cuius initium est, *Inscrutabilis*, & ita censent D. Thom. 2. 2. *quæst. 95. art. 5.* Caietanus *ibi*, quos sequitur Tolet. *summ. lib. 4. cap. 15. num. 2.*

Dico sextò, effectus futuros pendentes ex libero arbitrio prædici ab Astrologis Astrologia iudiciaria tenuissima quadam coniectura, non est illicitum, neque iure antiquo prohibitum: quia coniecturalis, & tenuis quædam cognitio pendentium ex libero arbitrio, ex astris haberi potest. Ita videtur sentire D. Th. 2. 2. *quæst. 95. art. 5. in fine.* Tum, quia plures hominum sequuntur passiones, quæ sunt motus sensitiui appetitus, ad quas cooperari possunt corpora cœlestia, ideo Astrologi aliqua futura tenui quadam coniectura prædicere possunt: non autem certò, quia per liberum arbitrium possunt homines passionibus resistere, eo quòd sapiens homo dominatur astris,

in quantum ſcilicet dominatut ſuls paſſionihns: ita eleganter D,Th. 1. *part. q. 115. art. 4. ad* 3. Manuel Rodriqnez *ſumm. 1 p. c. 7. n. 1.*

Dico ſeptimò, iure nouo per conſtitutionem Sixti V. 21. cuius initium eſt, *Cœli & terra*, effectus fortuitos & caſuales, & futura contingentia libera prædici ab Aſtrologis etiam tenuiſſima quadam certitudine interdicitur. Probatut ex verbis conſtitutionis: *Statuimus*, inqnit Pontifex, *contra facientes iudicia, & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus fortuitiſque caſibus, aut actionibus ex humanæ voluntate pendentibus aliquid affirmare audent, etiamſi id non certò affirmare aſſerant, aut proteſtentur*, &c. *inquirant, & procedant, & in eos ſeuerius canonicis pœnis, & alijs eorum arbitrio animaduertant*, &c. Tum, quia etiam hic modus pronuntiandi futura dependentia ex libero arbitrio, & eaſns fortuitos, eſt valde Reipublicæ pernicioſus, & expoſitus multis ſuperſtitionum periculis: videatur Sanchez *lib. 2 oper. mor. cap. 28 num.* 34. Et ita bene Salas 1. 2. *quæſt. 9. art. 5. tract. 5. diſp. 2. ſect. 8. num.* 80. dicit eſſe probabile, eſſe hoc eulpam lethalem ob grauem prohibitionem in motu proprio Sixti V. Toletus autem *lib. 4 ſummæ cap.* 15. *num.* 2. ait quòd ſi quis ſemel, vel iterum aſtra aſpiceret in ſuis actionibos iudicando rem eſſe incertam, & valde dubiam, eſſet tune culpa tantùm venialis.

VI. *Ratio à principio ſoluitur, & explicatur*

### Dvbitatio V.

*An abſque Dæmonis arte poſſint noſci futura contingentia libera: & quid poſſint aſtra in liberum arbitrium?*

Nec officit ratio contra has noſtras aſſertiones à principio adducta, concedimus quidem corpora cœleſtia eſſe cauſas effectuum naturalium, qui fiunt in hoc mundo, & ſic prędictio ex aſtris non eſt per ſe mala, neque prohibita, præcipuè ſi non vt certò futuri prædicantur, vt diximus *aſſertione tertia*. Non tamen aſtra ſunt cauſæ effectuum fortuitorum, quia iſti vt tales non habent per ſe cauſam, vt teſtatur Ariſtoteles *6. Met. tit.* 4. 5. & 6. Virtus autem corporum cœleſtium eſt cauſa naturalis, & per ſe licèt multipliciter impedibilis: vnde ex contemplatione aſtrorum, & corporum cœleſtium non puſſunt huiuſmodi effectus fortuiti & caſuales cognoſci: neque per Aſtrologiam ſciri poſſunt res occultæ, ſiue prætetitæ, ſiue præſentes, vt futtum occultum, theſaurus in viſceribus terræ, imò hoc eſt ſuperſtitioſum, & omni iure prohibitum; quare mortale eſt inquirere occulta furta, aliaque delicta occulta per quamuis diuinationem, hæc enim abſque Dæmonis auxilio ſciri nequeunt: vt bene Sotus *lib. 8. de Iuſtitia, quæſt. 3. art. 2. circa ſolutionem ad tertium, verſ. In hic autem.* Sanchez *lib. 2. oper. mor. cap. 38. num.* 36. Neque aſtra directè imprimunt in intellectum, & voluntatem, nullum enim corpus poteſt imprimere in rem incorpoream, & ſic per contemplationem aſtrorum, & corporum cœleſtium cognoſci minimè poſſunt futura libera pendentia ex libero arbitrio. Poſſunt tamen diſpoſitiuè liberum hominis arbitrium inclinare, in quantum in vires hominis ſenſitiuas imprimunt, quarum ſæpiùs inclinationem ſequitur homo; ideo Aſtrologi ex conſideratione aſtrorum aliquando vera prænunciant de futuris liberis contingentibus, præcipuè in communibus euentibus: non tamen certè hæc ſcire poſſunt; quia homo potens eſt auxilio Dei fretus ſuis inclinationibus, & paſſionibus dominari. Saluo ſemper, &c.

## DISQVISITIO XVI.

## *De Baptiſmo.*

### Articvlvs I.

### De inſtitutione, diffinitione & neceſſitate Baptiſmi, & quotuplex ſit Baptiſmus?

*SVMMARIVM.*

1. *Proponuntur rationes dubitandi.*
2. *Veritas aperitur, declarando, quando fuit inſtitutus Baptiſmus, quoad vim regeneratiuam, & quando fuit indicta neceſſitas vtendi illo.*
3. *Quid ſit Baptiſmus, & an ſit neceſſarius ad ſalutem.*
4. *An paruuli occiſi pro Chriſto ante vſum rationis ſint Martyres.*
5. *Quid ſit Baptiſmus fluminis, flaminis, & ſanguinis, & quæ diuiſio iſta.*
6. *Quænam ſit differentia inter Baptiſmum fluminis, flaminis, & ſanguinis.*
7. *An Baptiſmus ſit cauſa inſtrumentalis moralis, vel phyſica gratiæ.*
8. *An dormiens ſi occidatur pro Chriſto ſit Martyr, & quomodo martyrium cauſet gratiam, & an cum illo ſemper requiratur charitas.*
9. *An baptizatus non reminiſcens contritionis in martyrio ſit Martyr, ſi recipiat martyrium in peccato mortali.*
10. *Argumentis à principio reſpondetur.*
11. *Explicatur quomodo accedente verbo ad elementum non ſit ſacramentum in ipſo elemento, ſed in homine, & diffinitur phyſicè, & metaphyſicè ipſe Baptiſmus.*

I. *Proponuntur rationes dubitandi.*

Videtvr quòd fuerit inſtitutus poſt Chriſti Domini Reſurrectionem. nam poſt Paſſionem & Reſurrectionē Chriſti dictum eſt Apoſtolis Matth. vltim. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti*, &c. Quòd non ſit ablutio, probatur, quia D. Aug. *tract* 80. *in Ioan.* ait, *accedit verbum ad elementum & fit ſacramentum*; ſed elementum eſt ipſa aqua in Sacramento Baptiſmi. ergo Baptiſmus eſt ipſa aqua, non autem ablutio, quòd non ſit neceſſarius, neque in re, neque in voto neceſſitate medij, probatur, nam paruulus occiſus in ventre matris in contemptum fidei, eſt Martyr, & conſequitur vitam æternam. Quòd non ſit multiplex, probatur. nam Baptiſmus eſt quoddam Sacramentum, ſed ſolus Baptiſmus aquæ eſt Sacramentum; ergo non debent poni alia duo Baptiſmata flaminis, & ſanguinis.

II. *Veritas aperitur, & declaratur*

### Dvbitatio I.

*Quando fuit inſtitutus Baptiſmus quoad vim regeneratiuam, & quando fuit indicta neceſſitas vtendi illo?*

Dico primò, Baptiſmus fuit inſtitutus *Matthei* 3. quando Chriſtus in Iordane fuit baptizatus à Ioanne, quantum ad vim regeneratiuam: nam, dicit

D. Aug.

D. Augustinus *serm.* 1. *Dominicæ infra Octauam Epiph.* ex quo Christus in aqua mergitur, ex eo omnium peccata abluit aqua; sed hoc fuit ante Christi Passionem & Resurrectionem. ergo, &c. necessitas tamen vtendi hoc Sacramento indicta fuit hominibus post Passionem, & Resurrectionem, quia per Baptismum configuratur homo Passioni, & Resurrectioni Christi in quantum moritur peccato, & incipit nouam Iustitiæ vitam. Ita D. Thom. 3 *part. quæst.* 66. *art.* 2.

## Dvbitatio II.

III. *Quid sit Baptismus, & an sit necessarius ad salutem?*

Dico secundò, Baptismus est ablutio corporis exterior sub forma præscripta verborum, & hæc est Sacramentum tantùm. Res autem & Sacramentum est character baptismalis, qui est res significata per exteriorem ablutionem, & est signum sacramentale interioris iustificationis, quæ est res tantùm huius Sacramenti. Ita D. Thom. 3. *p. q.* 66. *art.* 1.

Dico tertiò, Baptismus fluminis communi lege est necessarius ad salutem necessitate medij in re, vel saltem in voto, & desiderio, quando non est facultas illum suscipiendi in re. Probatur, quia illud est necessarium necessitate medij, sine quo salus non potest obtineri, sed sine Baptismo in re, vel in voto communi lege non potest salus obtineri, vt patet ex illis verbis Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei.* ergo, &c. ita D. Th. 3. *part. quæst.* 68. *art.* 2.

## Dvbitatio III.

IV. *An paruuli occisi pro Christo ante vsum rationis sint Martyres?*

Dico quartò, paruuli tamen si ante vsum rationis in contemptum fidei occiduntur, fiunt Martyres, & per martyrium iustificantur: & remittitur eis peccatum originale, non quidem ex opere operato, sed ex priuilegio in opere operato ad præsentiam martyrij Deus causat gratiam, sicut causabat in infantibus suscipientibus circumcisionem. Probatur ista exceptio, & priuilegium ex communi consensu totius Ecclesiæ, celebrat enim vniuersaliter Ecclesia festum Innocentium propter martyrium, quia scilicet pro Christo mortui sunt: tum, quia exceptio ista à lege communi Baptismi vel in re, vel in voto facta est à Christo legislatore Matth. 10. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Innocentes autem infantes Christum si non loquendo, certè moriendo confessi sunt. Per martyrium igitur Innocentes obtinuerunt remissionem culpæ originalis, & primam gratiam. Videatur D. Thom. 3. *p. q.* 87. *art.* 1. *ad primum.*

Sed argues, martyrium est actus fortitudinis, atque adeò elicitus ab ipso qui patitur, sed in infantibus ante vsum rationis non potest esse actus fortitudinis, siquidem tunc nullus est actus liber. ergo neque martyrium; ergo, &c.

Respondent quidam apud D. Thom. 2. 2. *quæst.* 114. *art.* 1. *ad primum*, quòd Innocentibus acceleratus est miraculosè liberi arbitrij vsus, ita quòd etiam voluntariè, & per actum fortitudinis martyrium passi sunt: sed quia hoc per authoritatem Scripturæ non comprobatur, ideo, inquit D. Thom. meliùs dicendum est quòd martyrij gloriam, quam in aliis propria voluntas meretur, illi paruuli per Dei gratiam sunt assequuti: nam effusio sanguinis propter Christum vicem gerit Baptismatis: non igitur proprio actu meritorio paruuli occisi propter Christum merentur præmium vitæ æternæ, sed merito Iesu Christi eis communicato per Baptismum sanguinis.

Respondetur igitur aliter ad argumentum, quòd licèt in paruulis occisis propter Christum non sit martyrium, prout actus fortitudinis, est tamen in illis martyrium, prout est realis imitatio passionis Christi, & hoc modo habet martyrium in paruulis iustificare, & causare primam gratiam. Ita bene Nugno *in* 3. *part. quæst.* 66. *art.* 12. *conclus.* 1. *vers. Ad primum respondetur.*

## Dvbitatio IV.

V. *Quid sit Baptismus fluminis, flaminis & sanguinis, & quæ diuisio ista?*

Dico quintò, Baptismus est triplex, fluminis, id est, aquæ, qui antonomasticè intelligitur prolato nomine Baptismi, de quo *ad Ephes.* 4. dicitur, *vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma*; secundus est flaminis, id est, pœnitentiæ & contritionis, quæ quoniam fit impulsu Spiritus sancti, qui dicitur flamen, ipsa quoque dicta est flamen: est autem hic in solis adultis habentibus vsum rationis, nec dum baptizatis; tunc enim eiusmodi contritio, quæ includit Baptismum in voto, delet omnem culpam, & pœnam etiam omnem, si sit validè feruens, quamuis comminuet partem tantùm eius deleat. Tertius est sanguinis, id est, martyrium, quo proprij sanguinis effusione quis baptizatur, de quo Marci 10. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, & Baptismo quo ego baptizor baptizari.* Hæc diuisio Baptismatis fluminis, flaminis, & sanguinis est analogi in sua analogata analogia attributionis; quia Baptismus fluminis denominatur propriè talis à propria forma, alia verò dicuntur talia ex ordine ad istum, quia scilicet gerunt vicem illius; videatur D. Th. 3. *p. q.* 66. *art.* 11. & Nugno *ibid.*

## Dvbitatio V.

VI. *Quænam sit differentia inter Baptismum fluminis, flaminis, & sanguinis?*

Dico sextò, Baptismus antonomasticè talis, fluminis scilicet, differt à reliquis flaminis, & sanguinis Baptismatibus; primò, quia Baptismus fluminis est Sacramentum, non autem illa: secundò, quia confert gratiam ex opere operato actiuè: contritio ex opere operantis, martyrium ex priuilegio tantùm, non actiuè sicut Sacramenta nouæ legis, sed in opere operato, quia Deus ad præsentiam illius causat gratiam, sicut causabat gratiam in infantibus suscipientibus circumcisionem, vt bene dicit Nugno *in* 3. *part. quæst.* 66. *art.* 12. *ante primam conclusionem, vers. Pro cuius maiori explicatione & solutione, ad quintum, & ad sextum.* Tertiò differt, quia Baptismus iterari non potest, potest tamen contritio & martyrium, vt si Martyr rediret in vitam.

Dico septimò, distinguitur Baptismus fluminis à Baptismo flaminis; quia Baptismus flaminis, seu contritio non remittit totam pœnam, sed prout est magis perfecta: at Baptismus fluminis totam pœnam remittit, quod idem facit martyrium, vt docet D. Thom. 3 *part. quæst.* 68. *art.* 2. *ad secundum.* Secundò differt, quia contritio est tantùm pro adultis: at Baptismus fluminis est etiam pro paruulis editis, tamen ex vtero matris: at martyrium valet etiam pro paruulis inclusis in vtero matris. Syl. *Baptismus* 1. *num.* 2.

## DVBITATIO VI.

**VII.** *An Baptiſmus ſit cauſa inſtrumentalis moralis,vel phyſica gratiæ?*

Dico octauò, conſequenter Baptiſmus fluminis eſt cauſa moralis inſtrumentalis gratiæ.Probatur,illa eſt cauſa moralis inſtrumentalis,cuius intuitu cauſa phyſica,quæ verè & efficienter influit in effectum,operatur,& producit illum,ſed Deus intuitu Sacramentorum repræſentantium merita Chriſti, producit gratiam; ergo Sacramenta, & ſpecialiter Baptiſmus fluminis,eſt cauſa moralis inſtrumentalis gratiæ:non ſolùm eſt cauſa moralis inſtrumentalis gratiæ Baptiſmus fluminis,ſed etiam eſt cauſa inſtrumentalis phyſica. Probatur,quia non ſolùm eſt ſignum repræſentatiuum , & rememoratiuum , ſed etiam verè & efficienter inſtrumentaliter effectiuum ipſius gratiæ:vnde *ad Titum* 3.dicitur, *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* quæ verba veram ac phyſicam efficientiam indicant,& veram gratiæ productionem ſignificant:vt bene adnotauit Suarez *tom.3.in 3.part.diſp.9.ſect.2.verſ. dicendum eſt enim*; & ita hanc ſententiam docet D.Th. *3.part.quæſt.62.art.1. in corpore*, Nugno *ibi difficultate 7. verſ. Quinta ſententia.* Martyrium verò non confert gratiam,per ipſum inſtrumentaliter phyſicè , ſed tantùm moraliter; quia martyrium non eſt Sacramentum,neque verè cauſat efficienter gratiam,ſed potiùs in illo à Deo cauſatur gratia. Ita bene Nugno *in 3.p. quæſt.66. art. 12. ad 6. arg.* quem ſequitur Bonacina *tom.1. tract.1. de Sacramentis, diſp.2. puncto 2. propoſ. 2. num. 5.*

## DVBITATIO VII.

**VIII.** *An dormiens ſi occidatur pro Chriſto ſit Martyr , & quo modo martyrium cauſet gratiam , & an cum illo ſemper requiratur charitas ?*

Dico nonò,Baptiſmus ſanguinis,ſeu martyrium,licèt non cauſet gratiam inſtrumentaliter phyſicè , neque ex opere operato actiuè, cùm non ſit Sacramentum,tamen ex priuilegio ſuſceptus ab adultis facit illos ex attritis contritos,vt ſi quis iuit dormitum cum voluntate ſuſcipiendi martyrium , & antea habuerat attritionem ſuorum peccatorum , interim dormiens occideretur pro Chriſto,iſte iuſtificaretur,& ſaluaretur,& fieret ex attrito contritus. Probatur ex D.Th. *3.part. quæſt.66. art. 12.* vbi docet martyrium habere excellentiorem effectum , quàm habet Baptiſmus aquæ;ſed Baptiſmus aquæ ſuſceptus ab adulto attrito facit illum contritum , & confert illi primam gratiam,vt fatentur omnes.ergo,&c.Tum,quia ex eodem D.Thom. *3.part.quæſt.87. art.1.ad ſecundum*, Baptiſmus ſanguinis in quantum eſt realis imitatio paſſionis Chriſti,poteſt remittere peccatum veniale, & mortale,niſi inueniat voluntatem actu inhærentem peccato. ergo ſic recipiens martyrium pro Chriſto iuſtificatur, & fit ex attrito contritus: & ita hanc ſententiam tenet Caiet. *3.part quæſt.87. art.1. in ſolutione ad 2.* Nugno *3.part.q.66. art.12. concluſ.4.* hos ſequuntur Bonacina *tom. 1. quæſt. 1. de Baptiſmo ſanguinis diſp. 2. puncto 1.propoſitione 2.verſ.Quod verò,n.7.* Suarez *3.part. tom.3.diſp.29.ſect.3.concluſ.2.* contra Magiſtrum Baunes qui *2.2.quæſt.24.art.6.dub.5.ad 7.argumentum*, aſſerit ad martyrium neceſſariam eſſe contritionem,& charitatem imperantem actum martyrij, & hoc probat ex illo *1. Corinth. 13. Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam , charitatem autem non habuero , nihil mihi prodeſt;* ergo vt martyrium,& traditio ſui corporis proſit , requiritur contritio , ſeu charitas imperans actum martyrij.

Reſpondetur quòd ad martyrium non requiritur charitas antecedens opus martyrij , ſed ſufficit charitas conſequens,quæ ſcilicet conſequatur martyrium; cùm enim per martyrium cum ſola attritione obtineatur gratia prima habitualis iuſtificans,ſimul etiam obtinetur charitas quæ eſt qualitas conſequens gratiam,& ſimul coniuncta cum gratia : itaque rectè dicit Apoſtolus. *ſi tradidero corpus meum,ita vt ardeam, charitatem autem non habuero*, ſaltem conſequentem,nihil mihi prodeſt : ſufficit igitur in adulto ſuſcepturo martyrium attritio ſupernaturalis in initio actus, non tamen eſt neceſſaria contritio, aut dilectio Dei ſuper omnia , in termino tamen actus martyrij fit attritus ſuſcipit gratiam iuſtificantem,& charitatem:ita bene Nugno *concluſ.4.loc.cit.ſolutione ad primum.*

## DVBITATIO VIII.

**IX.** *An baptizatus non reminiſcens contritionis in martyrio ſit Martyr ſi recipiat martyrium in peccato mortali?*

Dico decimò, adultus baptizatus ſuſcepturus martyrium, ſi eſt in peccato mortali,tenetur ſe conterere, & præmittere confeſſionem ſi poteſt : nam hæc obligat in articulo mortis,vel ſi non poteſt, ſufficit quòd bona fide habeat attritionem ſupernaturalem ; quia martyrium ex priuilegio habet promiſſionem gratiæ vltra meritum operantis , vt patet ex illo Lucæ 12. *Quicumque perdiderit animam ſuam propter me,viuificabit eam.* quòd ſi talis ſuſcepturus martyrium per obliuionem,& inaduertentiam peccatorum,non elicit actum attritionis,eo quòd tunc temporis totus detineatur in expellendo metu mortis , probabile eſt ſatis fore ad obtinendam veniam peccatorum , & gratiam iuſtificantem ex priuilegio martyrij ſolam voluntatem moriendi pro Chriſto. Ita expreſsè Magiſter Soto *in 4. diſt. 3. q.vnica,art. 11.fine,verſ.ſit ergo ex his*,& colligitur ex D.Thom. *3.part.quæſt.87.art.1.ad 2.* & Caiet. *ibi ſolutione ad 2.* hos ſequitur Suarez *tom.3. in 3. p.diſp.29. ſect.3.concluſ.3.*

Ratio eſt,quia ſola voluntas moriendi pro Chriſto reputatur actus ſummus charitatis , atque adeò ſufficiens diſpoſitio ad dilectionem Dei ſuper omnia, & iuſtificationem,ſi ſit ſimul coniuncta cum opere martyrij : tum , quia cùm illa voluntas ſit virtualis, dilectio Dei ſuper omnia,iuxta id Ioannis, *Maiorem charitatem nemo habet , quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.*ergo eſt etiam deteſtatio virtualis omnium peccatorum:nam ſi volenti mori pro Chriſto peccata occurrerent, iſtque illa deteſtaretur, hæc voluntas dicitur actus attritionis virtualis,quæ eſt ſufficiens diſpoſitio ſimul cum opere martyrij ad primam gratiam & iuſtificationem:videatur præter auctores cit.etiam Bonacina *tom.1. diſp.2. de Baptiſmo , q. 1. propoſitione 2. verſ.Reſpondeo affirmatiuè.*

**X.** *Argumentis à principio reſpondetur.*

Vnde ad primum argumentum à principio poſitum, reſpondetur quòd inſtitutio Baptiſmi poteſt intelligi quoad duo,vel quoad ipſum Sacramentum,vel quoad obligationem accipiendi ipſum Sacramentum, Baptiſmus quoad ipſum Sacramentum, & quoad vim regeneratiuam eſt inſtitutus ante Chriſti paſſionem, & reſurrectionem , quando Chriſtus baptizatus eſt à Ioanne in Iordane : quoad neceſſitatem verò vtendi illo poſt Chriſti paſſionem & reſurrectionem, quando

quando dictum est Apostolis Matth. vltimo, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes*, &c.

XI. *Explicatur quomodo accedente verbo ad elementum non fit Sacramentum in ipso elemento, sed in homine, & diffinitur ipse Baptismus physicè & metaphysicè.*

Ad secundum respondetur ex D.Th. 3.*p.q.*66.*art*.1. *ad* 3. quòd accedente verbo ad elementum fit quidem Sacramentum, non tamen in ipso elemento, sed in homine, cui adhibetur elementum per vsum ablutionis, & sic materia proxima sacramenti Baptismi potius est ablutio, quàm ipsa aqua: dator enim hæc diffinitio sacramenti Baptismatis per materiam, & formam ad modum compositi physici: Baptismus est exterior corporis ablutio facta sub præscripta forma verborum: per materiam eius proximam, quæ est exterior ablutio, & per formam quæ sunt verba: ad modum verò compositi metaphysici sic diffinitur Baptismus, est Sacramentum regenerationis per lauacrum aquæ in verbo vitæ. Ponitur primo loco *Sacramentum* pro genere, additur *regenerationis*, quæ est quasi differentia. *per lauacrum aquæ in verbo vitæ*, ad explicandam materiam & formam eius: videatur Nugno 3.*part.quæst.*66.*art*.1.

Ad tertium fundamentum patet quid dicendum ex tertia & quarta assertione. lege igitur communi est necessarius necessitate medij, & necessitate præcepti Baptismus ad salutem æternam: vnde si adultus esset pro Christo occidendus, & posset baptizari, si omitteret ex negligentia, vel contemptu, vtique non prodesset ei Baptismus sanguinis: quia peccaret mortaliter contra præceptum graue suscipiendi Baptismum, eo tempore obligans, nisi fortè etiam huius peccati ipsum in fine pœniteret, quando ampliùs baptizari non potest, tunc enim non priuaretur fructu martyrij. Infans etiam occidendus pro Christo, si potest, debet etiam à parentibus baptizari, quòd si non possit, vel illi omittât, nihil obest paruulo, sed si suscipit martyrium, erit Martyr, & vitam æternam consequetur: culpa tamen refertetur in parentes, ad quos intererat illum baptizare, si poterat puer baptizari, & ex negligentia ipsorum non fuit baptizatus: videatur D. Th. 3.*p.q.*66.*art*. 11.*in fine*.

Ad quartum fatemur solum Baptismum aquæ esse Sacramentum, & causare gratiam ex opere operato: atque adeò illum solum esse simpliciter Baptismum: cætera verò ita appellari solùm per Analogiam quamdam in quantum in aliquo casu quoad effectum, & remissionem culpæ supplent vicem Baptismi, vt suprà dictum est. Saluo semper meliori iudicio.

## ARTICVLVS II.

## De materia remota, & proxima Sacramenti Baptismi.

### SVMMARIVM.

1. *Proponitur ratio dubitandi.*
2. *Resoluitur dubitatio.*
3. *An omnis aqua sit materia remota Baptismi, & in omni aqua liceat baptizare, etiam in lixiuio, iure & niue.*
4. *An aqua quæ fluxit de latere Christi, potuerit esse materia remota Baptismi.*
5. *An sit validus Baptismus in sudore, lacte, vrina & similibus.*
6. *An sit validus Baptismus in aquis mixtis.*
7. *An ablutio sit materia proxima Baptismi.*
8. *Quænam quantitas aquæ necessaria sit in Baptismate.*
9. *An possit baptizari infans in vtero, præsertim quando adest periculum mortis.*
10. *An puer proiectus in puteo animo illum baptizandi & suffocandi, sit baptizatus.*
11. *An trina mersio sit necessaria ad Baptismum.*
12. *An possit baptizari aliquis inuolutus in aliqua veste, vel corio, & similibus; & an sit verus Baptismus, si aqua tangeret tantùm capillos.*
13. *An rebaptizandus sit puer baptizatus, non totaliter natus.*
14. *Quænam coniunctio requiratur inter materiam, & formam Baptismi.*
15. *Rationi dubitandi in principio respondetur.*

I. *Proponitur ratio dubitandi.*

Videtur quòd materia remota non sit aqua, neque proxima ablutio. nam *Matth.* 3. dicitur, *ille vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne.* Ita Ioannes Baptista prænuncians Christi Baptismum. non ergo aqua est propria materia Baptismi, sed ignis, non ablutio proxima, sed illuminatio, quæ maximè competit igni.

II. *Dubitatio resoluitur.*

Dico primò, materia proxima Baptismi est ablutio, & remota est aqua. Ita ex D.Th. 3 *p.q.*66 *art*.3. & Concil. Trid. *sess*.7.*can*.2. & patet ex illo Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. Tum, quia hæc materia est conuenientissima, cùm vbique inueniatur pro Sacramento ita necessario.

DVBITATIO I.

III. *An omnis aqua sit materia remota Baptismi, & in omni aqua liceat baptizare, etiam in lixiuio, iure, & niue?*

Dico secundò, aqua, quæ est materia remota Sacramenti Baptismi, debet esse vera aqua naturalis elementaris, sumpto tamen latè vocabulo elementi, pro aquis videlicet maris fluminis, lacuum, paludum, puteorum, fontium, mineralium, & balnei sulphurei, & aquæ pluuiæ: quia verba sacræ Scripturæ iuxta propriam significationem sunt accipienda, nisi aliud suadeat necessitas ad euitandum aliquod absurdum. ergo verba Diui Ioannis cap. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. & illa ad Ephes. 5. *mundans eam lauacro aquæ*, &c. de vera aqua naturali elementari sunt intelligenda. D.Th. 3.*p.q.*66 *art*.4.

Dico tertiò, qui vtitur aqua, quæ fluxit à niue, gelu, & à sale, validè baptizat, sal enim fit ex aqua naturali salsa: ita Armilla *verb. Baptismus, num*. 13. Quamuis Syl. *Baptismus* 2. *q*.4. *fine*, neget posse fieri Baptismum in humore resoluto ex sale; quia sal est corpus mixtum. ergo humor resolutus ex sale non est aqua naturalis elementaris. Syl. sequitur Tabiena *Baptismus* 4.*n*.7.*fine*. Ar Viualdus *de Baptismo, num*. 16. Bonacina *tom*.1. *q*.2. *de Baptismo, puncto* 3.*n*.4. tenent cum Armilla. Horum opinio mihi placet, cùm idem sit quod de aqua resoluta ex niue, & gelu. consentit Filliucius *tom*.1.*de Baptismo, cap*.2. *quæst*. 3. *num*. 29. Nisi tantam haberet densitatem, vt nimia esset exhalationis admixtio, atque adeò amitteret denominationem aquæ.

Dico quartò, nix tamen, glacies, gelu, sal, dum sunt condensata, non sunt apta materia Baptismi; quia ad Baptismum requiritur aqua apta, & idonea ad abluendum; glacies, nix, gelu, sal non sunt apta ad abluendum,

dum, nisi priùs liquefiant, & in aquam redeant, & resoluantur. Armilla *verb. Baptismus, n. 53.*

Dico quintò, in lixiuio potest fieri Baptismus, quoniam transitus ille per cineres non mutat speciem aquæ D. Th. *3. p. q. 66. art. 4. ad 4.* Quòd si lixiuium esset bene decoctum, & nimia mutatio aquæ facta esset, itaut esset mixtum cum alio corpore, non posset tunc inseruire pro materia Baptismi; quia sic admixtum nequit ampliùs aqua denominari: ita bene aduertit Bonacina *tom. 1. quæst. 2. de Baptismo, puncto 3. num. 6.* ante quem obseruauit Sotus *in 4. dist. 3. quæst. vnica art. 4. ad quartum.*

Dico sextò in brodio, seu in iure, aqua videlicet, in qua decocta est caro, non ita spisso, quòd aquæ speciem amitteret, si fieret Baptismus, valeret: quia decoctio carnium in aqua non soluit speciem aquæ. D. Th. *3. p. q. 66. art. 4. ad secundum.* Quòd si in brodio, seu lore plures partes crassæ relictæ essent, quæ aquam vltra naturam eius densarent, non esset apta materia Baptismi; si tamen ex liquore sic spissato exprimeretur aqua subtilis, potest in ea fieri Baptismus, sicut & in aqua expressa ex luto, licèt in luto Baptismus fieri non possit. Syl. *verb. Baptism. 3. n. 5. q. 4. vers. Tertiò quod fieri, ad finem.*

## DVBITATIO II.

IV. *An aqua quæ fluxit de latere Christi, potuerit esse materia remota Baptismi?*

Dico septimò, in aqua, quæ exiuit ex latere Christi, cùm fuerit vera aqua, vt testatur Innocentius III. *cap. in quadam, de celebratione Missarum,* verus Baptismus conferri potuisset, siue illa aqua fuerit naturalis, siue miraculosa de nouo creata; sed tenera fuit naturalis, miraculosè tamen egrediens de corpore mortuo: quia aliàs non esset testimonium veritatis corporis Christi, nam etiam in phantastico corpore potuit miraculosè creari: ita bene obseruat Sotus *in 4. dist. 3. q. vnica art. 4. ad tertium argumentum.*

## DVBITATIO III.

V. *An sit validus Baptismus in sudore, lacte, vrina, & similibus?*

Dico octauò, grauiter peccaret, nec validè baptizaret, qui aliū adhibet aquam in Baptismo, quam naturalem, vt si adhibeat ceruisiam, aquam ardentem, sudorem, lac, vrinam, lachrymas, sputum, seu saliuam, aquam rosaceam, aquam quæ cadit ex arboribus, & vitibus dum secantur, aquam supernatantem cruori, quæ dicitur cholera, vel phlegma, aut aliquem liquorem specie differentem ab aqua naturali; quia materia sacramenti Baptismi est aqua naturalis: huiusmodi autem liquores non sunt aqua naturalis. Syl. *verb. Baptismus 2. q. 4. n. 3.* Imò ieiunans in pane & aqua, si prædictis liquoribus vtatur, frangit ieiunium, vt bene ait Sotus *in 4. dist. 3. q. vnica art. 4. ad 4.*

## DVBITATIO IV.

VI. *An sit validus Baptismus in aquis mixtis?*

Dico nonò, licèt esset differentia inter aquas naturales, puta inter aquam, quæ est purum elementum, & inter aquam pluuialem, & aquam maris, & nostram vsualem: tamen in omnibus aquis naturalibus conficitur Baptisma, licèt etiam haberent admixtas alias qualitates, dummodo sint veræ aquæ. Probatur, quia conficitur Sacramentum Eucharistiæ in vino albi & nigri coloris, (vt dicemus, Deo dante, tractaturi de Eucharistia) etiamsi esset vera sententia asserentium quòd specie distinguuntur. Ita Nugno *in 3. p. quæst. 66. art. 4. vers. circa primam congruentiam.* Sotus *loc. nuper allegato.*

## DVBITATIO V.

VII. *An ablutio sit materia proxima Baptismi?*

Dico decimò, materia proxima Baptismi est ablutio, quæ dicit contactum successiuum, quo aqua successiuè applicatur corpori, aut corpus aquæ, siue sit eadem aqua, siue diuersa. Probatur, quia ad Baptismum requiritur talis ablutio, & contactus quo dicatur homo ablutus; sed homo non potest dici ablutus per nudum contactum, sed per contactum successiuum. ergo ad Baptismum requiritur contactus successiuus, quo aqua successiuè contingit corpus ope ministri: tum, quia sicut aqua in vase existens non dicitur abluere vas, quod ab aqua contingitur; ita non dicitur abluere corpus per solum contactum, sed per contactum successiuum. Ita bene Suarez *tom. 3. in 3. part. disp. 20. sect. 2. vers. Ego sentio.*

## DVBITATIO VI.

VIII. *Quanam quantitas aquæ necessaria sit in Baptismate?*

Dico vndecimò, non est validus Baptismus, quando quis vna, duabus, vel tribus exilibus, & minutissimis aquæ guttis aspergitur: præsertim si guttæ persistant, & non fluant per corpus; quia ad Baptismum requiritur contactus successiuus, & tanta quantitas aquæ, qua possit homo denominari ablutus. Ita bene Sotus *in 4. dist. 3. q. vnica art. 7. vers. Atque idem de aqua.* quem sequuntur Valentia *tom. 4. disp. 4. quæst. 1. de Baptismo, puncto 2. §. Itaque sequitur.* Bonacina *tom. 1. q. 2. disp. 2. q. 2. de Baptismo, puncto 3. n. 8.* Vnde si quis moribundum infantem signo crucis successiuè impressu in fronte pueri digito aqua madefacto contingeret, formam, etiam integram Baptismi, dum imprimit signum, proferens, verum conficeret Baptismum; quia aqua illa, etsi exigua, tangit corpus, & successiue fluit per partem corporis: quæ est præcipua, nempe frons. Ita Filliucius *tom. 1. tract. 2. de Baptismo, c. 2. q. 7. n. 34.*

Sed contra primam partem huius assertionis arguitur. nam minima particula panis potest esse sufficiens, & idonea materia sacramenti Eucharistiæ. ergo similiter minima etiam aquæ gutta, etiamsi persistat in fronte, v. g. sufficiet ad Baptismum. Respondetur negando consequentiam, discrimen namque est quòd materia Eucharistiæ tantùm est verus secundùm se panis, qualis etiam est minima panis particula: Baptismi verò materia non est vtcumque vera aqua, sed aqua in vsu ablutionis, vnde si successiuè non fluat per corpus, non potest dici ablutio, & ideo tunc verus non conficeretur Baptismus, cùm materia proxima illius sit ablutio, quæ successiuum dicit contactum, vt explicuimus *assertione præcedenti.*

## DVBITATIO VII.

IX. *An possit baptizari infans in vtero, præsertim quando adest periculum mortis?*

Dico duodecimò, quamuis infans adhuc existens in vtero baptizatus minimè censeatur, etiamsi vterus matris in quo continetur infans abluatur, adhibita etiam forma Baptismi, quia persona infantis non potest dici abluta: tamen si arte, & opera obstetricis posset aqua vsque ad ipsum infantem in vtero pertingere, adhibendo debitam formam, validiùs fieret Baptismus: quoniam D. Thom. *3. part. quæst. 68. art. 11.* ideò

ideo negat posse infantem baptizari in vtero, quia oportet ablui ipsam personam: ergo quando id fieri posset etiam in vtero, valeret Baptismus. quod rectissimè affirmauit Victoria *in summa de Sacramentis, q.32.* quem sequuntur Valentia *tom.4.disp.4.q.1.de Baptismo, puncto 1. vers. Tertio sequitur.* Bonacina *tom.1. disp.12.q.2.de Baptismo, puncto 3.n.24.*

## Dvbitatio VIII.

X. *An puer proiectus in puteum animo illum baptizandi, & suffocandi, sit baptizatus?*

Dico decimotertiò, non est baptizandus puer, quando ex Baptismo sequitur periculum mortis; quia non sunt facienda mala, vt inde sequantur bona: tamen si quis proiiciat infantem in puteum animo illum baptizandi, & suffocandi simul, manet verè baptizatus; quia adsunt omnia requisita ad Baptismum, adest enim materia, id est, aqua, adest contactus sufficiens, & ablutio, adest forma, quam suppono proferri antequam infans moriatur, adest etiam intentio baptizandi. ergo, &c. Ita Nugno *in 3.p.q.66. art.8. concl.3. & 4.* Victoria *in summa de Sacramentis, q.19.* Viualdus *de Baptismo, num.48.* Valentia *tom.4 disp.4.q.1. puncto 2. vers.7. sequitur*, contra Scotum *in 4.dist.5. quæst.3.* Sotum *in 4.dist.3. quæst. vnica, art.8. §. Quid autem si nulla,* & alios.

Nam dicunt, si Baptismus significat mortem, & Resurrectionem Christi, ergo Baptismus non erit validus, quando administrant eum sola submersione, & non emersione infantis. Respondent, quòd tunc etiam significaret Christi Resurrectionem per spiritualem regenerationem, quam baptizatus reciperet.

Dico decimoquartò, si quis videret puerum labentem in puteum, aut ab alio proiectum in flumen, & proferret verba formæ Baptismi, *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. Baptismus non esset validus: quia verba non verificantur, cùm infans dici non possit à vidente ablutus, sed potiùs à proiiciente. Ita bene Victoria *in summa de sacramento Baptismi.* Bonacina *tom.1. disp.2.de Baptismo, q.2. puncto 3, n.27.*

## Dvbitatio IX.

XI. *An trina mersio sit necessaria ad Baptismum?*

Dico decimoquintò, trina mersio, & ablutio, quamuis non sit necessaria ad substantiam Baptismi, sed solùm ad solemnitatem ex consuetudine Ecclesiæ: tamen si baptizans habeat intentionem exclusiuam, id est, non baptizandi nisi tribus mersionibus, & tantùm faciat vnam, tunc non est validus Baptismus: quia minister non habuit intentionem baptizandi. Ita bene obseruauit Nugnu *in 3. part. quæst. 66. art. 8. conclusione 6.*

Dico decimosextò, si quis tamen habet intentionem faciendi quod facit Ecclesia, licèt habeat intentionem particularem baptizandi sub tribus mersionibus, & absoluit prolationem formæ in prima, vel secunda mersione, est absolutus, quoad substantiam, Baptismus ante tertiam. Quia intentio generalis Ecclesiæ præualet illi intentioni particulari Ministri: est autem intentio Ecclesiæ vt Baptismus, quoad substantiam non pendeat à trina mersione, sed vna perficiatur, cùm absoluta est forma, & persona quouis modo est verè abluta. Ita præclarè Caietan. *in 3. part. quæst. 66. art.8. in responsione ad tertium.* Victoria *in summula de Sacramentis, quæst.19.*

## Dvbitatio X. & XI.

XII. *An possit baptizari aliquis inuolutus in aliqua veste, vel corio, & similibus? &, An sit verus Baptismus si aqua tangeret tantùm capillos?*

Dico decimoseptimò, non est validus Baptismus si aqua contingat tantummodo vestes, aut pileum, vel si aliquis corio, vel vtre contectus aspergatur, vel immergatur in aquam: quia tunc non abluitur persona quatenus est subiectum peccati originalis, quod omnino requiritur, vt patet ex verissima doctrina D.Th. *3.part. quæst.66. art.7. ad 3.* si verò baptizandus esset coopertus aliquo panno lineo, ita vt aqua attingeret carnes, validus esset Baptismus, quia dici posset ablutus. Idem dicendum est si puer sit natus cum pelle secundina si sit porosa, ita vt aqua penetret, & perueniat ad carnes infantis. Ita Syl. *verb. Baptismus 4. n.2.* secus aliàs si non sit porosa, &c.

Dico decimooctauò, probabile est quòd valeret Baptismus, etiamsi quis ablueretur tantùm secundùm capillos, etiam si aqua ad cutem capitis non descenderet: quoniam id satis est vt moraliter dicatur quis ablui, tum quia si multi simul essent baptizandi, difficile est vitare, quin aliqui aspergerentur, & tingerentur tantùm secundùm capillos, & tamen essent baptizati, sicuti verisimile est factum esse in Actis Apostolorum *cap.2. & 4.* in quibus repetiuntur tot hominum millia vna die baptizata, transibant enim coram Ministro bini, & bini, aut fortè terni, vel quaterni, & per aspersionem super singulorum capita cadebat aqua. Ita bene Magister Sotus *in 4. dist.3. quæst. vnica, art. 7. vers. Ecquid autem.* Nihilominus putat idem Sotus posse sub conditione rebaptizari eum, qui secundùm capillos esset tantùm aspersus. Idem tenuit Tol. *in summa lib.2. cap.18. num.3. fine.* Valentia *tom.4. disp.4.q.1. de Baptismo, puncto 2. §. Sextò sequitur.* contra Bonacinam *tom.1. disp.2.q.2. de Baptismo, puncto 3. n.20.* tenentem non esse validum Baptismum, si aqua solos capillos attingat, non enim sunt pars hominis, sed sunt quædam superfluitas, & excrementum carens anima rationali, &c.

Respondetur tamen ad hoc ex Magistro Soto *loc. nuper allegato*, quòd capilli suo modo sunt partes capitis: nam licèt sint eius excrementa, viuunt tamen anima rationali, quamuis non secundùm gradum rationalem & sensitiuum, sed secundùm gradum vegetatiuum, quandoquidem crescunt.

## Dvbitatio XII.

XIII. *An rebaptizandus sit puer baptizatus non totaliter natus?*

Dico decimononò, non esset rebaptizandus puer postquam totus è ventre exiuit, si antequam totaliter esset natus, fuit baptizatus in capite; quia caput est principalis hominis pars, & in eo vigent omnes sensus: similiter si baptizaretur in scapulis, pectore, humeris. Quòd si alia pars quæcunque præter istas tingeretur, magnum certè esset dubium de veritate talis Baptismi; quoniam moraliter non abluitur tunc ipsa persona nisi quis vel totus, vel certè pars præcipua aliqua abluatur: vnde si imminente morte infans nondum totus è ventre natus baptizaretur in digito, manu, vel pede, iterum postea si totus egrederetur sub conditione Baptismus esset faciendus. Ita D. Thom. *3.p.q.68. art. 11. ad 3.*

Licèt Nauarr. *in summ. cap.22. num.7* absolutè teneat validum esse Baptismum abluta quantulacunque parte

parte corporis, quia anima rationalis est in qualibet parte corporis; tum, quia homo dicitur vulneratus in quacunque parte vulneretur: ita etiam dicetur ablutus in quacunque parte abluatur, sed hoc est probabile, at incertum, ideo sub conditione esset puer rebaptizandus: ut bene admonet Sotus *in 4. dist. 3. q. vnica, art. 7. §. Sed arguis.*

## DVBITATIO XIII.

XIV. *Quanam coniunctio requiratur inter materiam, & formam Baptismi?*

Dico vigesimò, vt Baptismus sit validus, necesse est quod materia, & forma coniungantur moraliter, id est, quòd sit parua distantia inter ablutionem & prolationem formæ, non tamen est necessarium, quòd coniungantur physicè, vel metaphysicè, quia non est ita facile facere vtrumque simul mathematicè, vel metaphysicè, sed sufficit contactus, & simultas moralis, Sacramenta enim sunt composita, non quidem physica, sed moralia artificiosa. Nuguo *in 3. p. quæst. 66. art. 1. 8. conclus. 10.*

Sed contra hanc assertionem argnitur. nam in Sacramento matrimonij multis diebus postquam vna persona ex contrahentibus protulit verba, & dedit consensum, potest alia contrahens idem facere: ergo idem dicendum est in sacramento Baptismi, multis scilicet diebus postquam apposita est materia, potest postea apponi forma.

Respondetur negando consequentiam, & ratio negationis est, quia forma Sacramenti matrimonij non significat, quòd tunc temporis apponatur materia. Cæterùm verba & forma sacramenti Baptismi, Ego te baptizo in nomine Patris, &c. significant quòd tunc temporis baptizandus intingatur aqua.

XV. *Rationi dubitandi in principio respondetur.*

Ad rationem à principio adductam ex illo Matthæi 3. *ille vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne.* Respondetur, quòd D. Ioannes Baptista in istis verbis nec materiam, neque formam, neque ritum externum Baptismi Christi Domini explicuit, sed ab efficacia, & virtute conferendi gratiam Spiritus sancti Baptismum nominauit: nomine verò ignis idem significari voluit, quod nomine Spiritus sancti, & per illam repetitionem, & metaphoricam significationem indicauit abundantiam gratiæ baptismalis, & efficaciam eius, quia & animam sanctificat, & sordes eius consumit, & vim bene operandi præstat, iuxta illud D. Augustini *tract. 80. in Ioannem*, Vnde tanta vis aquæ, vt corpus tingat, & cor abluat. Videatur pro hac solutione D. Chrysost. *hom. 11 in Matth.* & D. Th. *3. p. q. 66. art. 3. ad 1.* vbi alias assignat explicationes.

## ARTICVLVS III.

### An forma Baptismi sint hæc verba, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, &c.

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua suadetur.*
2. *Explicatur quot modis sit aliquid necessarium in Sacramentis.*
3. *Dubitatio resoluitur, & declaratur, An sit necesse quòd in forma Baptismi explicetur persona Ministri.*
4. *An liceat Latino baptizare sub forma Græca.*
5. *An de necessitate huius Sacramenti sit vt indicetur persona quæ baptizatur, & explicetur vnitas diuinæ essentiæ, simul & Trinitas personarum.*
6. *An liceat immutare, vel relinquere aliquod verbum formæ Baptismi.*
7. *An in forma huius Sacramenti sit necessarium explicare distinctionem personarum Trinitatis.*
8. *An liceat baptizare in nomine Dei, vel Trinitatis, Crucis Christi, vel Genitoris geniti & spirati.*
9. *An sit vera forma Baptismi, dum dicitur, Nos te baptizamus, &c.*
10. *An duo possint baptizare vnum eundémque hominem.*
11. *An quando plures baptizant vnum, vel vnus baptizat plures, sint plura Baptismata?*
12. *Argumentis à principio satisfit.*

I. *Pars negatiua suadetur.*

Videtur quòd hæc non sit forma necessaria in sacramento Baptismi, nam in Concilio Florentino *decreto de vnione Græcorum, & Armenorum*, conceditur Græcis posse vti hac forma, Baptizetur seruus Christi in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: rursum, quia Apostoli, vt dicitur *Actor. 8.* baptizabant sub hac forma, Ego te baptizo in nomine Christi. ergo explicita inuocatio Trinitatis non est necessaria in forma Baptismi. Dices quòd Apostolis ex speciali dispensatione Spiritus sancti vtebantur tali forma, vt nomen Christi, quod erat odiosum Gentilibus, & Iudæis, honorabile, & amabile redderetur, &c. Sed contrà. nam Nicolaus Papa *dist. 4. de consecrat. can. a quodam Iudæo*, ait quòd baptizati in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantùm in nomine Christi, non debent rebaptizari. ergo absque peculiari dispensatione potest conferri Baptismus validè absque explicita inuocatione sanctissimæ Trinitatis, dicendo, Ego te baptizo in nomine Christi, Ego te baptizo in nomine sanctissimæ Trinitatis, &c.

## DVBITATIO I.

II. *Quot modis sit aliquid necessarium in Sacramentis?*

Dico primò, dupliciter aliquid est necessarium in Sacramentis, primò necessitate præcepti, secundò necessitate Sacramenti: illud est necessarium primo modo necessitate præcepti quod est in præcepto, licèt verè conficiatur Sacramentum, sine illo; illud autem est necessarium secundo modo, sine quo Sacramentum non verè conficitur. hæc distinctio est communis inter Theologos. hoc stante,

III. *Dubitatio resoluitur, & declaratur*

## DVBITATIO II.

*An sit necesse quòd in forma Baptismi explicetur persona Ministri?*

Dico secundò, forma sacramenti Baptismi sunt hæc verba, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vt constat ex Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.*

Non tamen est necessarium necessitate Sacramenti, quòd persona ministri explicetur in hac forma, neque formaliter, neque virtualiter. Probatur, nam in Concilio Florent. *decreto de vnione Græcorum, & Armenorum, tractatu de Baptismo*, conceditur Græcis vt sub hac forma baptizent, Baptizetur seruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; sed in hac forma neque formaliter, neque virtualiter exprimitur persona Ministri. nam Græci illis verbis intelligunt,

Baptizetur

Baptizetur seruus Christi à Christo, vel à Deo, qui auctoritatem & efficaciam habet baptizandi. cùm ergo Græci verum conficiant Sacramentum Baptismi, non erit necessarium necessitate Sacramenti exprimere in illius forma personam Ministri: videatur Sotus *in 4. dist. 3 q. vnica, art. 5.* Nugno *in 3. p. q. 66. art. 5. difficult. 1. conclus. 1.* Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 21. sect. 2. vers. dico 2.*

## Dubitatio III.

IV. *An liceat Latino baptizare sub forma Græca?*

Dico tertiò, Latinus etsi validè baptizaret vtendo forma Græcorum, Baptizetur seruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vel dicēdo, Sic baptizat te Christus in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti; peccaret tamen mortaliter nullo modo exprimendo personam Ministri, neque etiam virtualiter; non explicando verò formaliter, dicendo, Baptizo te in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti, esset tantùm peccatum veniale. Prima pars probatur; quia in Ecclesia Græca non est necessarium necessitate Sacramenti exprimere personam Ministri. ergo in Ecclesia Latina non erit id simpliciter de necessitate Sacramenti; quia essentia Sacramenti vna est in vniuersa Ecclesia: ergo validè Latinus conficeret Sacramentum sub forma Græcorum. Quòd autem grauiter peccaret, probatur, quia non seruat ritum Ecclesiæ Latinæ in re graui, scilicet in explicatione Sacramenti Ministri. Altera verò pars, quòd tantùm peccet venialiter, si tantùm virtualiter exprimat personam Ministri, probatur, quia est res parui momenti, sufficienter enim per verbum præsens, Baptizo te in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti, explicatur persona Ministri, licèt non formaliter. Ita bene Nugno *in 3. p. q. 66. art. 5. difficult. 1.* Bonacina *tom. 1. disp. 1. de Baptismo, q. 2. puncto 4. num. 10.*

## Dubitatio IV.

V. *An de necessitate huius Sacramenti sit vt indicetur persona, quæ baptizatur, & explicetur vnitas diuinæ essentiæ, sicut & Trinitas personarum?*

Dico quartò, de necessitate huius formæ est vt in ea explicetur, seu indicetur persona quæ baptizatur. Probatur, quia nisi aliquo modo exprimatur persona, cui applicatur Baptismus, non potest actus baptizandi practicè significari, vt hîc & nunc in particulari exercitus: nam si tantùm diceret Minister, Ego baptizo in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti, nec significaret determinatum actum baptizandi, nec satis indicaret actum prout hîc & nunc exercetur: tum, quia cùm natura Baptismi terminatiuè sit passio, non potest explicari sine passo: ergo nullum esset Baptisma si non explicetur persona, quæ baptizatur per Pronomen *te*, vel Pronomen *iste*, vel per proprium nomen. Syl. *verb. Baptismus, 1. q. 2. num. 3.* Armill. *ibi num. 5.* Viualdus *de Baptismo, num. 23.*

Dico quintò, in forma Baptismi exprimenda est vnitas diuinæ essentiæ, quod fit dum dicitur, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. nam hoc verbum *in nomine*, ostendit vnitatem essentiæ, vt inquit S. Ambros. *lib. 1. de Sacramentis, c. 7. in nomine*, id est, in virtute, maiestate, Deitate, & inuocatione Patris, & Filij, & Spiritus sācti. Probatur modò cōclusio, quia in forma Baptismi ponitur expresè professio fidei Trinitatis, & veri Dei: sed ita est de essētia illius vnitas naturæ, sicut Trinitas personarum: ergo necessarium est explicare istam vnitatē, dicēdo, in nomine. Nugno *loc. cit. diffic. 4.*

## Dubitatio V.

VI. *An liceat immutare, vel relinquere aliquod verbum formæ Baptismi?*

Dico sextò, si quis vteretur hac forma, Ego te baptizo in nominibus Patris, & Filij & Spiritus sancti; nullum esset Sacramentum, quia in ea fit essentialis mutatio: si quis verò baptizet hoc modo, Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filij, in nomine Spiritus sancti, perficeret quidem Sacramentum, quia non ideo asserit esse plura nomina, sicut qui diceret *in nominibus*, sed idem essentiale Dei nomen reperit commune tribus. Ita bene Magister Soto *in 4. dist. 3. quæst. vnica, art. 5. vers. Apparet nihilominus*, quem sequitur Suarez *tom. 3. in 3. part. disp. 21. sect. 3. §. Sed quid si quis*, contra Bonacinam *tom. 1. disp. 1. de Baptismo, quæst. 2. puncto 4. num. 5.*

Dico septimò, si quis baptizet hoc modo, Baptizo te cum Patre, cum Filio, & cum Spiritu sancto, inualidus est Baptismus, quia non exprimitur vnitas diuinæ essentiæ, inuocatio enim expressa vnitatis Dei est necessaria, sicut expressa Trinitatis, vt statim dicemus. Fillutius *tom. 1. tract. 2. de Baptismo, cap. 3. quæst. 10.* Item si intermittatur in forma ly *in*, dicendo, Ego te baptizo nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti, non esset Baptismus, quia non stat sensus verus. nam per ly *in nomine*, significatur id, quo quis abluit, vel baptizat, sit nomen, virtus, & inuocatio Trinitatis, non tamen haberet hunc sensum si ly *in*, intermitteretur. Syl. *verb. Baptismus, 1. quæst. 11. conclus. 4.* quem sequitur Vitaldus *in Candelabro de Baptismo, num. 26.*

Licèt Toletus *lib. 2 summæ, cap. 19. n. 2.* & Bonacina *tom. 1. disp. 1. de Baptismo, q. 2. puncto 4. n. 16.* Præpositionem *in*, asserant non esse necessariam ad validitatem Sacramenti. Similiter neque illa duo verba, *Ego, Amen*; quia auferendo illa tria verba non aufertur formæ sensus: quod mihi est probabilius.

## Dubitatio VI.

VII. *An in forma huius Sacramenti sit necessarium explicare distinctionem personarum Trinitatis?*

Dico octauò, de essentia huius formæ est vt in ea expresè & distinctè nominentur tres personæ Trinitatis, quatenus inter se distinctæ sunt; quia in lege Euangelica fides explicita Trinitatis est, per se loquendo, necessaria ad salutem; sed Baptismus est Sacramentum fidei, & ianua Ecclesiæ: ergo in eo oportet fieri expressam Trinitatis inuocationem. D. Th. *3. part. quæst. 66. art. 6.*

## Dubitatio VII.

VIII. *An liceat baptizare in nomine Dei, vel Trinitatis, Crucis Christi, vel Genitoris, geniti, & spiritus?*

Dico nonò, consequenter, qui in Baptismo vteretur his verbis, *Ego te baptizo in nomine Dei, in nomine Trinitatis, in nomine Crucis, in nomine Christi*, & similibus, inualidè baptizaret; quia Deus voluit Baptismum administrari cum professione, & confessione explicita obiecti principalis fidei, quod est sanctissima Trinitas, vt expresè constat ex illo Matth. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Et D. Thom. *loco nuper allegato,*

Nugno *ibi*, & communiter DD. docent videndi apud Nugno,&c.

Dico decimò, inualidè baptizaret, qui vteretur hac forma, Ego te baptizo in nomine Genitoris, geniti, & ſpirati. probatur, quoniam proprij termini formæ Baptiſmi ſunt relatiui formaliter ſignificantes relationes, vt eſt Pater, filius, & ſpiratus: at hi termini Genitor, genitus, & ſpiratus, ſunt termini abſoluti formaliter ſignificantes actus notionales, & fundamenta proxima relationum. ergo formaliter ſunt diuerſi ab aliis in forma Baptiſmi à Chriſto inſtitutis: ergo cùm non ſint ſynonymi, ſaltim formaliter variabunt ſenſum. ergo nullum erit Sacramentum ſi conferatur ſub iſta forma, Ego te baptizo in nomine Genitoris, geniti, & ſpirati, & ita hanc ſententiam tenet D.Th. *3.p q.66.art.5.ad 7.*

Sed arguitur. nam iſti termini, Genitor, genitus, & ſpiratus, nedum implicitè, ſed etiam explicitè ſignificant myſterium Trinitatis: ergo ſufficienter illis mediis fit profeſſio Trinitatis explicita, quod ſufficit ad Baptiſmum. Propter hoc argumentum & alia, quæ adducit Caiet. *3.p.q.66.art.5.* ipſe tenuit validum eſſe Baptiſmum traditum ſub iſta forma, Ego te baptizo in nomine Genitoris, geniti, & ſpirati: ſed ſententia D.Th. eſt tutior, & verior, & ad hoc argumentum reſpondetur, non ſufficere in forma Baptiſmi explicare myſterium Trinitatis quaſi materialiter, & ſecundariò, ſed neceſſarium eſt ſignificare illud primariò formaliter propriis terminis à Chriſto Domino inſtitutis: illi verò termini, Genitor ſcilicet, genitus, & ſpiratus, non explicant formaliter myſterium Trinitatis, quia non ratione ſui, ſed ratione eius, quod ſubſequitur, ſcilicet quia ex eo quòd eſt genitor, ſequitur quòd ſit Pater, & ex eo quòd eſt genitus, ſequitur quòd ſit filius, &c & ſic non primariò, & formaliter ipſius Trinitatis perſonas, prout ſunt in ſe, ſignificant: ſed ſecundùm actus notionales, ſeu ſecundùm ordinem originis, & quaſi materialiter, vt diximus. Id autem non eſt ſatis ad expreſſam ſignificationem perſonarum. Primariò enim, & formaliter perſonæ diuinæ prout ſunt in ſe, debent ſignificari in forma Baptiſmi, prout Chriſtus Dominus inſtituit, dum huius Sacramenti expreſſit formam, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti. Videatur pro hac ſolutione Nugno *in 3.part.q.66. art.5 difficult.6. ſolut. ad 2.* Valentia *tom.4. diſp.4. quæſt.1. de Baptiſmo, puncto 3. §. fundamentum.*

DVBITATIO VIII.

IX. *An ſit vera forma Baptiſmi dum dicitur, Nos te baptizamus, &c.*

Dico vndecimò, validus eſſet Baptiſmus quando quis in dignitate conſtitutus loco illius particulæ, Ego te baptizo, diceret, nos te baptizámus; quia ſtat principale ſignificatum, cùm per ly *nos*, intendatur idem quod *ego*: & idem eſt ſi per ly *te*, ponatur ly *vos*, ſiue ad ſignificandam dignitatem baptizati; quia tunc non variatur ſenſus formæ ſubſtantialis: ſiue etiam ad ſignificandam pluralitatem baptizatorum eadem ratione; quia non mutatur ſenſus formæ, cùm idem ſit dicere, Ego vos baptizo, ac dicere, Baptizo te, & te, vt optimè D. Th. *3. part. quæſt.66.art.5.ad 4.* Syl. *verb. Baptiſmus, quæſt. 11. concl. 2.* Tum, quia ſicuti Confeſſarius vnica abſolutione poteſt plures abſoluere, dicendo, Ego vos abſoluo; ita baptizans vnica forma Baptiſmi, dicendo, Ego vos baptizo, poterit plures baptizare. Videatur D.Thom. *loc.cit.* & Bonacina *tom.1. diſp.2. de Baptiſmo, quæſt.2. puncto 4. num. 21.*

DVBITATIO IX.

X. *An duo poſſint baptizare vnum eundémque hominem?*

Dico duodecimò, quando duo ſimul baptizant vnum, & eundem puerum, & vtuntur hac forma, Nos te baptizamus, ſi quilibet eorum intendit baptizare independenter ab intentione alterius, quaſi ſolus baptizet, validè baptizat, nam Euchariſtia multi ordinati ſimul cum Epiſcopo conſecrant vnam & eandem hoſtiá. ergo, &c. tum, quia hæc forma, Nos te baptizamus, quando ſunt plures baptizantes, & vnuſquiſque intendit independenter baptizare ab alio, facit hunc ſenſum, Ego te baptizo, & iſte te baptizat, qui ſenſus eſt verus. ergo verus eſt Baptiſmus. Ita Nugno *in 3.p. q.67.art.6.diffic.1.concluſ.1.*

Si verò quilibet eorum intendat baptizare dependenter ab intentione alterius, non validè baptizat, ſiue ſinguli dicant, Ego te baptizo, ſiue dicant, Nos te baptizamus. nam ſi dicant, Ego te baptizo, falſa eſt forma, quia neuter per ſe baptizat, ſed cum alio. Si dicant, Nos te baptizamus, adhuc eſt falſa forma, & mutatur ſenſus formæ; quia idem eſt dicere, Nos te baptizamus, ac dicere, Ego & tu, Ego & iſte. Ita D. Th. *3.part q.66.art.5.ad 4.*

Dico decimotertiò, quando ſunt duo baptizantes vnum & eundem puerum, ſi vterque Miniſter non totum faciat, vt ſi vnus adhibeat tantùm formam, alter verò tantùm materiam, vt ſi vnus eſſet mutus, & alius mancus, certior, & communior ſententia eſt Baptiſmum in eo caſu non valiturum: quoniam ſiue is, qui formam tunc proferret, & non etiam ablueret, diceret, Ego te baptizo, ſiue, Nos te baptizamus, neutro modo vera eſſet forma, quia non ipſe tunc aut ſolus, aut cum alio ablueret, &c. Ita D.Th. *3.p.q.67.a.6.ad 3.*

DVBITATIO X.

XI. *An quando plures baptizant vnum, aut vnus baptizat plures, ſint plures Baptiſmata?*

Dico decimoquartò, ſi plures baptizent vnum, ſiue vtantur hac forma, Nos te baptizamus, ſiue hac, Ego te baptizo, &. Ego te baptizo; ſi omnes in eodem inſtanti omnia requiſita perficiant, omnes baptizant, vnus tamen eſſet Baptiſmus; quia Chriſtus qui vnus eſt baptizans, interiùs vnum Sacramentum per vtrumque confert: tum, quia licèt ſi per Baptiſmum intelligatur id quod eſt Sacramentum tantùm, id eſt, materia & forma, quia ſunt plures materiæ, & formę, dici poſſunt plura Sacramenta materialiter: tamen ſi per Baptiſmum intelligatur res, & Sacramentum, vel res tantùm, id eſt, character & gratia, ſic eſt vnus, quia vnus tantùm character, & vna gratia confertur; ideo moraliter & formaliter eſt vnum Sacramentum: tum quia licèt ablutiones illæ, phyſicè loquendo, eſſent plures, & diuerſæ, tamen quatenus tunc diuinitus ordinarentur ad vnicum effectum ſupernaturalem Baptiſmi ſignificandum, & efficiendum, non eſſent plures, neque diuerſæ, ſed vna actio moraliter & formaliter, & vnum Sacramentum, & ita hanc ſententiam docet Nugno *in 3. part. quæſt. 67. art. 6. difficult.2.* Valentia *tom 4. diſp.4 quæſ. 2. de miniſtro Baptiſmi, puncto 1. in principio.* Fillucius *tom.1. tract. 2. de ſacramento Baptiſmi, cap.4. quæſ.4. num.75.*

Dico decimoquintò, quando plures ſimul ab vno Miniſtro baptizantur, plura dici poſſunt Baptiſmata; quia

quia sicut distinctio numerica motus desumitur à subiecto, quod mouetur, & in quo recipitur motus, quot enim sunt mobilia in actu, tot sunt motus: ita distinctio numerica Baptismatum desumitur à subiecto in quo recipitur Baptismus, & ex vnitate effectus, vt docet Nugno *in 3. part. quæst. 67. art. 6. difficult. 2.* ergo, cùm plures ab vno baptizantur, cùm plura sint subiecta quæ recipiunt gratiam & characterem baptismalem, plura erunt etiam numericè Baptismata: quamuis adsit vnica forma, qua simul plures baptizantur, nihilominus virtualiter, & æquipollenter est multiplex: videatur Bonacina *tom. 1. disp. 2. de Baptismo, quæst. 2. puncto 4. num. 21.*

## XII. *Argumentis à principio satisfit.*

Ad primum fundamentum à principio adductum patet quid dicendum ex secunda & tertia assertione. Fatemur quidem valere Baptismum collatum à Ministro Latino sub forma, qua vtuntur Græci, Baptizetur seruus Christi in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti; quia sub ista forma exprimitur actus exercitus baptizandi, confessio fit explicita vnitatis Dei, & Trinitatis personarum, quod sufficit vt verum perficiatur Sacramentum: quod autem additur, & explicatur persona Ministri in forma nostra Latina, non est de substantia formæ, maximè cùm ex institutione Christi id non colligatur, qui tantùm dixit assignando formam Baptismi, *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Ita D. Thom. *3. part. quæst. 66. art. 5. ad primum argumentum, fine.* quem sequitur Suarez *tom. 3. in 3. part. disp. 21. sect. 2. conclus. 2.*

Ad secundum fundamentum respondetur optimam esse solutionem ibi assignatam, quæ est D. Thom. *3. p. quæst. 66. art. 6. ad primum argumentum*, nempe secundùm legem ordinariam, neque iam valere, neque vnquam valuisse Baptismum collatum in nomine tantùm Christi, Apostolos quidem baptizasse tantùm in nomine Christi ex peculiari reuelatione Spiritus sancti, & ex priuilegio, vt nomen Christi tunc temporis odiosum Gentilibus & Iudæis, honorabile, & amabile redderetur, vt optimè D. Thom. quem sequuntur Nugno *in 3. part quæst. 66 art. 61 difficult. 2.* Valentia *tom. 4. de Baptismo, disp. 4. quæst. 1. puncto 3. §. Ad secundam respondeo.*

Ad instantiam quæ est tertium fundamentum, respondetur multos videndos apud Viualdum *de Baptismo, num. 42.* propter illam auctoritatem tenuisse valere quidem Baptismum sub ista forma, Ego te Baptizo in nomine Christi, quia cùm *Christi* dico, designo Patrem à quo vnctus est, & ipsum, qui vnctus est filium, & Spiritum sanctum quo vnctus est: sed iam diximus in octaua nostra assertione non sufficere in forma Baptismi implicitis verbis significari distinctionem: sed explicitis, & sensibilibus verbis necessarium est in ista forma exprimere mysterium sanctissimæ Trinitatis.

Respondetur igitur ad instantiam, Nicolaum Pontificem in illo can. *à quodam Iudæo*, &c. vt priuatum Doctorem admiscuisse opinionem suam, quòd valeat Baptismus in nomine Christi collatus, de quo tamen directè non interrogabatur. Cæterùm illud propriè definiuit tantùm, de quo in primis consulebatur, nempe valere Baptismum non obstante quòd conferatur ab aliquo Iudæo, si cætera non defuerint, quod quidem certissimum est: quoniam Baptismus non pendet ex fide, & conditione Ministri, & habemus passim exempla, in quibus Pontifices, vel Concilia definiunt tantùm id quod præcipuè quæritur, non autem alia de quibus propriè non dubitatur. Ita bene Magister Soto *in 4. dist. 3. quæst. vnica, art. 6. vers. Sed tamen sensu.* quem sequitur Valentia *tom. 4 disp. 4. q. 1 de Baptismo, punct. 3. §. Ad testimonia verò.* Videatur alia solutio, & explicatio apud Bonacinam *tom. 1. disp. 2. quæst. 2. de Baptismo, puncto 4. num. 8.*

---

# ARTICVLVS IV.

## De Ministro Baptismi, & de susceptore baptizati de sacro fonte Baptismatis.

### *SVMMARIVM.*

1. *Rationes dubitandi proponuntur.*
2. *Resoluitur dubitatio, & declaratur, quisnam sit Minister Baptismi in casu necessitatis.*
3. *An extra casum necessitatis possit quisque validè baptizare.*
4. *An laicus, vel Diaconus baptizans solemniter sit irregularis.*
5. *An solus Sacerdos sit Minister solemnitatis Baptismi, & qui Sacerdos.*
6. *An Diaconus, vel quilibet alius possit baptizare ex commissione.*
7. *An Sacerdos qui extra casum necessitatis non ministrat Baptismum solemniter, peccet.*
8. *An summus Pontifex possit non Diacono committere vt baptizet.*
9. *An anima separata à corpore, vel Angelus bonus, vel malus possint baptizare?*
10. *An anima separata, si corpori vniretur, possit esse Minister Baptismi.*
11. *De necessitate susceptoris in Baptismo, & eius officio.*
12. *An Religiosi possint esse susceptores in Baptismate, & contrahant affinitatem suscipiendo.*
13. *An hæreticus, vel infidelis, vel non confirmatus, possint esse susceptores, & suscipiendo affinitatem contrahant.*
14. *Quid sit cognatio spiritualis, & quotuplex.*
15. *An proprij parentes possint esse susceptores in Baptismo, & suscipiendo contrahant affinitatem spiritualem.*
16. *An tenentes, vel baptizantes in extrema necessitate contrahant cognationem spiritualem.*
17. *An in Baptismo possint esse plures patrini, & inter ipsos oriatur affinitas.*
18. *An Parochus, vel parentes, debeant designare patrinos, vt contrahatur cognatio spiritualis.*
19. *An non designatus in patrinum contrahat cognationem spiritualem, id faciens contra voluntatem parentum, quando nullus alius designatus est.*
20. *An omnia dicta de susceptoribus in Baptismo debeant etiam dici de susceptoribus in confirmatione.*
21. *An adhibentes, vel admittentes plures patrinos, præter duos, peccent mortaliter.*
22. *An cognatio spiritualis possit contrahi per Procuratorē.*
23. *Argumentis à principio respondetur, & explicatur, An baptizatus ab infideli debeat rebaptizari?*

## I. *Rationes dubitandi proponuntur.*

VIdetur quòd de necessitate huius Sacramenti sit vt Minister eius sit baptizatus: nam D. Gregorius *lib. 2. Epistolarum, epist. vltima ad Bonifacium*, & habetur *in can. quos à Paganis, dist. 4. de consecr.* ibi præcipit iterum baptizari eos, quos à Paganis constiterit baptizatos esse: at Pagani propriè dicuntur, qui baptizati non sunt. ergo, &c. Tum, quia non baptizatus nullo modo est Ecclesiæ membrum.

ergo nec poteſt eſſe Miniſter Sacramentorum Eccleſiæ: tum, quia qui non eſt ſacratus, non videtur aptum inſtrumentum ad conſecrandum alios: ſicut nullus conſecrat Epiſcopum qui non ſit Epiſcopus, neque ordinat Sacerdotes, qui non ſit Sacerdos. ergo, &c. neque baptizare poteſt, qui non eſt baptizatus. Quòd autem in Baptiſmo ſolemni ex præcepto Eccleſiæ ſuſceptor baptizati de ſacro fonte non requiratur, probatur. nam magis eſt conueniens, quòd pater carnalis filium ſuum de fonte ſuſcipiat, quàm aliquis alius, etenim, vt docet Ariſt. 8. *Eth. cap.* 12. filius habet à patre eſſe, nutrimentum, & diſciplinam; ſed patri carnali eſt prohibitum ſuſcipere filium de ſacro fonte, vt habetur 30. *quæſt.* 1. *can. peruenit.* ergo ſi hoc prohibetur patri, cui magis debetur, erit inconueniens, quòd alius ſuſcipiat.

II. *Reſoluitur dubitatio, & declaratur*

## Dvbitatio I.

*Quiſnam ſit miniſter Baptiſmi in caſu neceßitatis?*

Dico primò, miniſter Baptiſmi in neceſſitate eſt omnis homo, ſiue fidelis, ſiue paganus, ſiue mas, ſiue fœmina, habens vſum rationis, poténſque, & ſciens debitam formam proferre, & materiam applicare. Ratio eſt, quia cùm Baptiſmus ſit Sacramentum magnæ neceſſitatis, Chriſtus iure optimo voluit pro miniſtro Baptiſmi conſtituere quemlibet hominem, ſiue marem, ſiue fœminam, ſiue Paganum, ſiue fidelem rationis vſum habentem, &c. Ita D. Thom. 3. *p. q.* 67. *art.* 3. 4. & 5. Tum, quia ſic habetur in Concil. Florent. *in decreto Eugenij*, In caſu neceſſitatis, inquit Pontifex, non ſolùm Sacerdos, vel Diaconus, ſed etiam laicus, vel mulier, immò etiam Paganus, & hæreticus baptizare poteſt.

## Dvbitatio II.

III. *An extra caſum neceßitatis poßit quiſque validè baptizare?*

Dico ſecundò, Baptiſmus collatus extra neceſſitatis articulum à quolibet homine, ſiue viro, ſiue fœmina fideli, vel infideli, eſt validus, nec eſt rebaptizandus, quia ſic eſt baptizatus. Ita D. Th. 3 *p. q.* 67. *art.* 5. *ad* 1. & probatur. nam Nicolaus Papa *in c. à quodam Iudæo, de conſecr. diſt.* 4. definit verum eſſe Baptiſmum datum à Iudæo ſub debita forma, & nihil diſtinguit, an baptizaret ille Iudæus in caſu neceſſitatis, necne, ſed generaliter docet baptizatos ab illo non eſſe iterum baptizandos.

Sed contrà eſt argumentum. nam licèt in articulo mortis, & in extrema neceſſitate poſſit ſimplex Sacerdos miniſtrare ſacramentum Pœnitentiæ, ſi non adſit proprius, etiam in materia neceſſaria, ſeu peccati mortalis, tamen ſi extra neceſſitatem illam ſacramentum Confeſſionis miniſtrare tentet, non ſolùm malè faciet, ſed etiam nihil efficiet. ergo ſimiliter non erit validus Baptiſmus extra neceſſitatis articulum collatus à quolibet homine, &c.

Reſpondetur negando conſequentiam, & ratio diſcriminis eſt, quia ſacramentum Pœnitentiæ, pendet ex poteſtate iuriſdictionis, quæ datur ab Eccleſia, vel aufertur, vel limitatur ad caſum neceſſitatis: at verò poteſtas baptizandi eſt abſoluta poteſtas miniſterialis ad conficiendum tale ſacramentum, quæ non limitatur ſecundùm ſubſtantiam, vel facultatem ſuam ad caſum neceſſitatis, ſed ſimpliciter conſertur, ſicut in omni alia poteſtate conficiendi Sacramentorum patet, quæ ex iuriſdictione non pendet: videatur Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 23. *ſect.* 1. *verſ. Congruentia verò*, &c.

Dico tertiò, licèt ſit validus Baptiſmus collatus extra articulum neceſſitatis à quocunque: grauiter tamen peccaret, qui baptizaret extra neceſſitatem, ſi non ſit Sacerdos: quia ex directa inſtituentis intentione ſolus Sacerdos eſt per ſe inſtitutus Miniſter huius Sacramenti. ergo non poteſt licitè laicus, aut Clericus, qui non eſt Sacerdos, extra neceſſitatem baptizare, etiam ſine ſolemnitate; ergo lethaliter peccabit, cùm in re graui vſurpet ius alienum. Ita Nugno *in* 3. *part. quæſt.* 67. *art.* 3. *difficult.* 3. *concl.* 2.

## Dvbitatio III.

IV. *An laicus, vel Diaconus baptizans ſolemniter ſit irregularis?*

Dico quartò, laicus, vel Miniſter inferior Diacono, qui baptizat ſolemniter, eſt irregularis, immo etiam Diaconus ſi hoc faciat ſine licentia Sacerdoris. Ita habetur *in cap.* 1. *de Clerico non ordinato baptizante.* vbi dicitur, Si quis baptizet, vel aliquod diuinum Officium exerceat non ordinatus, ab Eccleſia non ordinetur, ſed ſolùm Sacerdos eſt ordinatus ad baptizandum ex officio. ergo, &c. Si verò iſti baptizent ſine ſolemnitate, etiamſi id faciant extra caſum neceſſitatis, & ſi peccent lethaliter, non ſunt tamen irregulares: quia, vt ex titulo *de Clerico non ordinato miniſtrante*, conſtat, ibi imponitur irregularitas ei, qui exercet actum Ordinis, cùm non ſit ordinatus, ſed Baptiſmus priuatim datus in rigore, non eſt actus Ordinis, cùm poſſit validè fieri ab homine non ordinato. ergo qui ſic dat Baptiſmum extra neceſſitatem, non propriè peccat exercendo actum Ordinis, ſed vtendo ſine neceſſitate facultate ſibi data in caſu neceſſitatis; ergo propter illum actum non incurritur irregularitas. Ita D. Anton. 3. *part. tit.* 28. *cap.* 1. Nugno *loco cit. concl.* 4. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 31. *ſect.* 4. §. *Sed quæres.* Valent. *tom.* 4. *diſp.* 4. *quæſt.* 2. *de miniſtro Baptiſmi, puncto* 1. *fine.*

## Dvbitatio IV.

V. *An ſolus Sacerdos ſit miniſter ſolemnitatis Baptiſmi, & qui Sacerdos?*

Dico quintò, ſolus Sacerdos eſt ordinarius miniſter ſolemnitatis ex officio Sacramenti Baptiſmi inter Sacerdotes. Primò numeratur Epiſcopus, qui iure ſuo, & ex vi ſuæ ordinationis hoc habet. Secundò Parochus, qui quatenus Presbyter habet poteſtatē Ordinis, quatenus Paſtor habet iuriſdictionem in ſuos ex conceſſione Epiſcopi. Tertiò ſimplex Sacerdos, qui iure diuino, & quoad poteſtatem Ordinis habet ad baptizandum facultatem, vt validè, & dignè miniſterium hoc exerceat, vt licitè tamen extra caſum neceſſitatis baptizet, indiget quoad ius Eccleſiaſticum determinatione ſubditorum propter bonum Eccleſiæ regimen, ex vi tamen ſuæ ordinationis huius Sacramenti eſt Miniſter. Probatur, modò concluſio ex *can. conſtat, de conſecrat diſt.* 4. vbi habetur, *conſtat Baptiſma ſolis Sacerdotibus eſſe tractandum, eiúſque miniſterium nec ipſis Diaconis explere eſt licitum abſque Epiſcopo, vel Preſbytero.* Ratio verò huius eſt optima, quam aſſignat D. Thom. 3. *part. q.* 67. *art.* 2. *in corp.* Nam Sacerdos eſt ordinatus miniſter Sacramenti Euchariſtiæ, quo ad incrementum vitæ ſpiritualis eſt inſtitutum,

habet

habet etiam potestatem Ordinis ad sacramentum Pœnitentiæ necessariam, quod est ad reparandam spiritualem vitam. ergo necesse est quòd multo magis illam habeat ad Baptismum ministrandum, per quod datur spiritualis vita: & ita hanc assertionem docet D. Thom. *loc.* nuper *adducto*, & est communis inter DD.

Sed contrà. nam Presbyter non potest Baptismum ministrare sine facultate sibi ab Episcopo concessa. ergo non proprio iure potest hoc ministerium exercere. Antecedens patet ex D. Hieronymo contra Luciferianos, &c. Respondetur, quòd Sacerdos ex vi suæ ordinationis habet sufficientem potestatem, vt validè & dignè extra necessitatem ministret hoc Sacramentum, & quoad hoc non pendet ab Episcopo, nec indiget concessione eius: at verò vltra hanc potestatem requiritur iurisdictio in personam, cui dandum est Sacramentum, vt licitè illi ministret hoc Sacramentum, & quoad hoc pendet ab Episcopo tanquam à superiori Pastore, & ita intelligendus est S. Hieronymus, &c.

## Dubitatio V.

**VI.** *An Diaconus, vel quilibet alius, ex commissione possit baptizare?*

Dico sextò, Diaconus non est ordinarius Minister huius Sacramenti ex vi suæ ordinationis, est tamen capax istius ministerij ex commissione Episcopi, vel Sacerdotis, itaut etiam solemniter possit illud conficere: nullus tamen homo Inferior Diacono est Minister huius Sacramenti ordinatius, vel ex commissione, vt possit illud conficere solemniter, sed potest illud conficere tantùm in tempore necessitatis, & sine solemnitate. Prima pars probatur optima ratione D. Thom. 3. *part. quæst.* 67. *art.* 2. quia ordinaria potestas supra corpus Christi mysticum manat ex potestate supra corpus Christi verum: sed Diaconus non habet potestatem supra corpus Christi verum. ergo, &c. Tum, quia, vt idem D. Th. præclarè ait *art.* 1. *quæst. citata*, Diaconus ad hoc ordinatur, vt Episcopo, & Sacerdoti deseruiat, seu ministret in Sacramentorum dispensatione. ergo ex vi suæ ordinationis non constituitur tanquam ordinarius Minister alicuius Sacramenti. Secunda para probatur. nam in Pontificali Romano in ordinatione Diaconi dicitur Diaconum debere baptizare, quod quidem intelligendum est non vi suæ ordinationis, & ex officio, sed ex impositione, commissione, & delegatione, vt benè aduertauit Caiet. 3. *part. quæst.* 67. *art.* 1. quem sequuntur Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 23. *sectione* 2. Valentia *tom.* 4. *disp.* 4. *quæst.* 2. *de Ministro Baptismi*, *puncto* 1. Potest igitur Diaconus ex commissione Episcopi, vel Parochi solemniter Baptismum administrare, maximè vbi magna est multitudo baptizandorum, vt rectè Sotus *in* 4. *dist.* 4. *quæst. vnica*, *art.* 1. Immò si necessitas vrgeat, & Sacerdos sit absens, potest Diaconus iure suo ministerium hoc solemniter exercere, vt docet gloss. *in cap. Diaconos*, *verbo necessitas*, *dist.* 93. Tertia pars probatur. nam probatum est solia Sacerdotibus conuenire de iure ordinatio, & ex officio Diaconos ex delegatione tantùm posse solemniter baptizare: quia sunt ministri immediati Sacerdotum in ordine ad corpus Christi verum. ergo inferioribus nullo modo conuenit ministerium hoc solemniter vsurpare, sed necessitate vrgente poterunt hi tantùm priuatim baptixare. Ita bene Nugno *in* 3. *part. quæst.* 67. *art.* 1. *conclus.* 4.



## Dubitatio VI.

**VII.** *An Sacerdos, qui extra casum necessitatis, non ministrat Baptismum solemniter, peccet?*

Dico septimò, si Sacerdos extra casum necessitatis Baptismum administrat sine solemnitate, peccat mortaliter, vt colligitur ex *Clement. vnica*, *de Baptismo*, quæ iubet tales grauiter ab Episcopis puniri. Item si simplex Sacerdoa absque licentia Parochi baptizet solemniter, delinquit lethaliter, vt colligitur ex *cap. interdicimus* 16. *quæst.* 1. & docet Nauarr. *in summa cap.* 22. *num.* 7. Talis tamen non est excommunicatus per *Clement primam*, *de priuilegijs*. Nec esset irregularis, quia non est expressum in iure: Diaconus tamen extra articulum necessitatis, & sine commissione si solemniter Baptismum ministraret, & peccaret mortaliter, & fieret irregularis, ex *cap.* 1. *de Clerico non ordinato ministr.* & notat Syl. *verb. Baptismus* 3 *num.* 1.

## Dubitatio VII.

**VIII.** *An summus Pontifex possit non Diacono committere, vt baptizet?*

Dico octauò, ex dispensatiune tamen summi Pontificis hoc solemne ministerium Baptismi alicui non Diacono committi potest, quia sicut solemnitas, & ceremoniæ Baptismi Ecclesiastico iure institutæ sunt; ita eodem iure videtur præscriptum quòd tales ceremoniæ nemini, qui sit inferior Diacono, possint committi, ergo summus Pontifex cùm habeat facultatem supra omne ius positiuum Ecclesiasticum, poterit hoc solemne ministerium aliis inferioribus Diacono committere. Ita Suarez *tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 23 *sect.* 2. §. *Respondetur dupliciter*, contra Nugno asserentem 2. *p. quæst.* 67. *art.* 2. *conclus.* 4. non posse summum Pontificem committere subdiacono vt solemniter baptizet. Sed probabilior est prima opinio. Ratio est, quia licèt ex officio hoc solemne ministerium competat Sacerdotibus, potest tamen committi Diacono, quia non est ad illud exercendum absolutè necessarius sacerdotalis character. ergo eadem ratione poterit committi subdiacono, &c. Saluo tamen meliori iudicio.

## Dubitatio VIII.

**IX.** *An anima separata à corpore, vel Angelus bonus, vel malus possint baptizare?*

Dico nonò, anima separata à corpore non potest esse Minister huius Sacramenti, non solùm quia non potest formare propria verba, sed etiam, quia re vera non est homo, solis enim hominibus Christus Dominus auctor Sacramentorum contulit hoc ministerium, vt patet ex illo Matth. vltimo, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. Eisdem rationibus nec Angelus, siue bonus, siue malus, potest baptizare de potentia Dei ordinaria; quia locutio, & prolatio verborum requisita ad Ministrum Baptismi est actus vitalis loquentis: locutio autem Angeli in corpore assumpto, est motus corporis non viuentis, & effictus quidam sonus, qui non est sufficiens, oportet enim eam esse operationem vitalem, qualis est prolatio humana: vt optimè obseruauit Caiet. 3. *part. quæst.* 64. *art.* 7. *vers. Rationabilior autem.* & ita hanc sententiam docuit D. Thom. Caiet. Nugno 2. *p. loco* immediatè *citato*.

## Dvbitatio IX.

X. *An anima ſeparata, ſi corpori vniretur, poſſit eſſe Miniſter Baptiſmi?*

Dico decimò, anima verò ſeparata, ſi poſt ſeparationem à corpore iterum ad illud rediret, propriè informando & viuificando illud, non eſt dubium, quòd ſuppoſitum iſtud poſſet eſſe ſufficiens Miniſter Baptiſmi; quia eſſet verè homo, ſiue anima illa rediret ad corpus paſſibile, & mortale, ſiue talis homo maneret beatus in corpore, & anima glorioſis. Probatur, nam in huiuſmodi ſuppoſito concurrunt omnia neceſſaria ex parte Miniſtri ad ſubſtantiam Sacramenti, quia poteſt proferre propria verba humana, atque ita applicare propriam formam, & materiam cum debita intentione: quòd verò non ſit in ſtatu viæ, non videtur eſſentiale impedimentum, cùm poteſtas data ſit à Chriſto Domino hominibus abſoluta baptizandi, nec appoſita eſt illa conditio, aut limitatio, ſcilicet pro ſolo ſtatu viæ, & ita hæc ſententia colligitur apertè ex S.Th. 3.*p.q.*64.*art.*7.*ad* 2. quem ſequitur Nugno *ibi in ſuo Commentario, verſ. Propter hæc argumenta*, &c. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 13. *ſect.* 1. §. *Atque ex his omnibus.*

Dico vndecimò, de potentia tamen abſoluta, ſiue ex priuilegio, ſeu diuina diſpenſatione poſſet Deus conferre effectum Baptiſmi characterem, & gratiam per ſignum ſenſibile factum per Angelum, vel animam ſeparatam: nam Nicephorus *lib.* 11. *hiſtoria Eccleſiaſtica, c.* 20. refert quemdam Epiſcopum fuiſſe ab Angelo conſecratum, & illam conſecrationem fuiſſe habitam ratam ab aliis Epiſcopis. ergo, &c. ſimiliter, tum quia Deus non alligauit virtutem ſuam Miniſtris Eccleſiæ, ſicut nec Sacramentis. D.Th. 3.*p q.*64. *art.* 7. & Caietanus *ibi*; & licèt talis effectus productus in tali ſigno ſenſibili per miniſterium Angelorum, ſiue animæ ſeparatæ, ſiue ſit gratia, ſiue character, eſſet eiuſdem rationis cum effectibus noſtrorum Sacramentorum: tamen ipſum ſignum ſenſibile, ſeu ipſum Sacramentum factum ab Angelo, ſeu ab anima ſeparata, eſſet alterius rationis cum Sacramento, cuius Miniſter eſt homo; quoniam verba prolata ab Angelo, ſeu ab anima ſeparata in corpore aſſumpto, non eſſent vera verba, ſed effictus quidam ſonus. Ita bene notat Nugno *in* 3. *part. q.*64. *art.* 7. *in ſuo Commentario*, §. *Eodémque modo*, &c. Et vt ſatisfaciam ſecundæ parti huius quæſiti,

## Dvbitatio X.

XI. *De neceſſitate ſuſceptoris in Baptiſmo, & eius officio?*

Dico duodecimò, præter baptizantem debet aliquis adeſſe qui baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiat, qui vocatur *Patrinus*, vt habetur in multis canonibus *de Conſecrat diſt.* 4. & docet D.Th. 3.*p q.*67.*art.* 7. cuius officium eſt inſtruere rectè baptizatum in ſana fide, & moribus Chriſtianis, & ita facere ex officio tenetur ſub peccato mortali, vt D.Th. *art.* 8. *q. citata*, docet; excuſatur tamen, vt idem D.Th. notat, ſi parentes proprij, aut Magiſtri, aut alij eam operam impendant baptizato.

## Dvbitatio XI.

XII. *An Religioſi poſſint eſſe ſuſceptores in Baptiſmate, & contrahant affinitatem ſuſcipiendo?*

Dico decimotertiò, iure poſitiuo cauetur quo minus ſuſcipiant hoc munus Abbates, Monachi Moniales, atque adeò Religioſi, vt addit Syl. *verb. Baptiſmus* 5.*q.* 5. idque patet ex Canone *non licet, el* 2. *de conſecrat. diſt.* 4. & ita rigoroſè hoc prohibetur ab Eugenio Pontifice *in cap. placuit, el* 2. 16. *quæſt.* 1. vt dicat ſapientiſſimus Magiſter Sotus *in* 4 *diſt.* 4. *quæſt. vnica, art.* 5. §. *Quin verò*, &c. forte eſſe peccatum mortale Abbates & Monachos de ſacro fonte ſuſcipere baptizatum; quia tamen nullum eſt verbum in textibus citatis irritans factum, veri ſuſceptores erunt, & ſubinde contrahent ſpiritualem cognationem. Ita Syl. *verb. Baptiſmus* 5.*q. fin.* Tabiena *verb. Baptiſmus* 5. *fine.*

## Dvbitatio XII.

XIII. *An infidelis, vel hæreticus, vel non confirmatus poſſint eſſe ſuſceptores, & ſuſcipiendo affinitatem contrahant?*

Dico decimoquartò, *Can. in Baptiſmate, de conſecrat. diſt.* 4. abſolutè dicitur, infidelem non baptizatum non poſſe alium de ſacro fonte ſuſcipere, nec ſi ſuſciperet, contraheret aliquam cognationem ſpiritualem: nam, vt rectè notauit Syl. *verb. Matrimonium* 8. *num.* 7. Dico duodecimò vt quis poſſit fieri alterius cognatus ſpiritualiter, debet iam antè per Baptiſmum eſſe cooptatus in genus vitæ ſpiritualis: hæretici verò, etſi iure poſitiuo non ſint prohibiti ab hoc munere ſuſcipiendi baptizatum de ſacro fonte, vt notat Sotus *in* 4. *diſt.* 4. *quæſt. vnica, art.* 5. tamen iure diuino & naturali certum eſt eos ab eiuſdem munere prohiberi. nam ſi grauiſſimum ſcelus eſt ſi hæreticus homo ſimpliciter errores contra fidem doceat alium, multo magis ſi ſuſcipiat officium docendi errores; ſi tamen ſuſciperet aliquem de ſacro fonte, contraheret cognationem ſpiritualem cum baptizato, & cum parentibus eiuſdem: quia charactere Baptiſmi inſignitus, ac proinde ex hac parte eſt capax cognationis ſpiritualis, ac legibus Eccleſiæ ſubiicitur. Syl. *loco* immediatè *citato*, quem citat & ſequitur Nauarr. *tom.* 1. *conſil. de conſtit. q.* 29. *num.* 67.

Non confirmatus tamen ſuſcipiens in confirmatione puerum, contrahit cum illo eiuſque parentibus cognationem ſpiritualem: quia habet eſſe ſpirituale, & eſt membrum Eccleſiæ per Baptiſmum. Ita Sotus *in* 4. *diſt.* 42 *quæſt.* 1. *art.* 3. *col.* 3. *verſ. Ex quo fit.* licet alij contrarium, quia ſicut (inquiunt) in naturalibus vt quiſpiam generare valeat, exigitur vltra vitam debitum eiuſdem vitæ robur, ita ad ſuſceptionem in confirmatione quæ habet rationem regenerationis in quantum robur ad conſeruandam vitam ſpiritualem Baptiſmi confertur, oportet vt patrinus robur vitæ per confirmationem obtinuerit. Ita Sanchez *lib.* 7. *de matr. diſp.* 60. *n.* 20.

## Dvbitatio XIII.

XIV. *Quid ſit cognatio ſpiritualis, & quotuplex?*

Dico decimoquintò, cognatio hæc ſpiritualis, quæ contrahitur inter ſuſcipientem, & baptizatum, eiuſdémque parentes, ſic communiter à Doctoribus definitur, Eſt propinquitas quædam perſonarum ex ſtatuto Eccleſiæ conſurgens propter collationem Baptiſmi, vel ſuſceptionem recipientis. D. Thom. ab omnibus receptus *in* 4. *diſt.* 43. *quæſt.* 1. *art.* 1. *in corpore*, quæ hodie iure nouo Concilij Trid. *ſeſſ.* 24. *de matrim. cap.* 2. duplex eſt, paternitas, & compaternitas: paternitas inter patrinum, & baptizatum, ſicut etiam inter baptizantem ipſum, & baptizatum

zatum: compaternitas inter patrinum, & parentes baptizati, sicut etiam inter eosdem parentes baptizati & baptizantem.

### DVBITATIO XIV.

**X V.** *An proprij parentes possint esse susceptores in Baptismo, & suscipiendo contra hanc affinitatem spiritualem?*

Dico decimosextò, prohibentur etiam parentes proprij ne suscipiant de sacro fonte proprios liberos, vt colligitur ex *can. peruenit, & can. ad limina* 30. *quæst.* 1. & contrahit cognationem spiritualem cum altero coniuge is, qui filium suscipit. Atque ita non potest petere debitum, & consequenter neuter ab altero, si vterque suscepit, quamuis possit reddere altero malè petente. Non contrahitur autem hæc cognatio ab illis, si in necessitate id fecerunt, quando alius aliquis non adest, qui sit patrinus; peccarent tamen venialiter, quia cùm id officium non sit tantæ necessitatis, absolutè intelligitur parentibus esse prohibitum: videatur D.Th. *in 4. dist.* 42. *q.* 1. *art.* 1. *in corp.* Sotus *ibi q.* 1 *art.* 1. *concl.* 3. Lopez. 1 *part. instruct. c.* 85. §. *præterea si coniux.* Valentia *tom.* 4. *disp.* 4. *q.* 2. *de Ministro Baptismi, puncto* 3. *vers. Tertiò prohibentur.* Sanchez *lib.* 9. *de matr. disp.* 26. *num.* 7. licèt Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. q.* 67. *art.* 8. *de Baptismo.* §. *Quo circa liberè*, &c. neget hanc cognationem spiritualem cum altero coniuge contrahere eum, qui proprium filium de sacro fonte suscipit: quod verum est, si id fecerit ex ignorantia iuris, vel facti inuincibili, secus aliàs si scienter.

Dico decimoseptimò, pater qui filium suum fornicarium baptizat, vel suscipit de sacro fonte, etiam in necessitate, contrahit cognationem spiritualem impedientem & dirimentem matrimonium cum sua concubina, vt non possit eam ducere, & si contrahit cum ea, nullum est matrimonium: quia omnia iura clamant ex vero Baptismo, & susceptione de sacro fonte oriri cognationem spiritualem dirimentem matrimonium contrahendum, & solùm excipitur *in can. ad limina* 30. *q* 1. quando coniugis filium alter coniux baptizat, vel suscipit de sacro fonte, & hoc quoad vsum matrimonij iam contracti, ne scilicet per illum actum præiudicetur petitioni debiti. Ita Ludouicus Lopez 1. *p. instruct. c.* 85. *vers. caterùm, &* 2. *p. de matr c.* 51. *col.* 3. Nauarr. *tom.* 2. *consil.* 5. *num.* 2. Sanchez *lib.* 2. *de matr. disp.* 62. *num.* 11.

Baptizans igitur laicus etiam in extremo necessitatis articulo contrahit cognationem perfectam spiritualem subsequens matrimonium dirimentem cum baptizato eiúsque parentibus: si verò alter coniux filium coniugis baptizat in necessitate, per istum actum non præiudicatur debiti petitioni. Ita *in can. ad limina* 30. *q.* 1. Quia priuari coniugem iure debiti exigendi est in pœnam delicti admissi: at iniquum est pœnam incurri propter obseruantiam præcepti. Vide Sotum *in 4. dist.* 4. *quæst. vnica, art.* 5. *ad finem.* Sanchez *lib.* 7. *de matr disp.* 62. *n* 10. licèt alij, quos tacito nomine refert Palud. *in 4. dist.* 41. *q.* 1. *art.* 1. *concl.* 4. *n.* 9 asserant laicum in necessitate baptizantem non contrahere, &c.

### DVBITATIO XV.

**X V I.** *An tenentes, vel baptizantes in extrema necessitate, contrahant cognationem spiritualem?*

Dico decimooctauò, tenens tamen puerum in Baptismo non solemniter ministrato, non contrahit cognationem hanc spiritualem, quia Ecclesia instituit susceptores solùm in Baptismo solemni, non verò priuato, vt constat ex Trident. *sess.* 24. *de reform. c.* 2. & ita docet Sotus *in 4 dist.* 42. *q.* 1 *art.* 1. *vers. Profectò rationes.* Nugno *in* 3. *p.* 67. *art.* 8 *in suo comment* §. *Pro cuius maiore*, &c. *fine*, &c. Quamuis baptizans non solemniter etiam in extrema necessitate contrahit hanc cognationem spiritualem; quia sic baptizans confert verum Baptismum, &c. Ex vero autem Baptismo consurgit cognatio spiritualis. Ita Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 62. *num.* 14. Bonacina *tom.* 1. *quæst.* 3. *de matrimonio, puncto* 5. §. 2. *num.* 11.

### DVBITATIO XVI.

**X V I I.** *An in Baptismo possint plures patrini esse, & inter ipsos oriatur affinitas?*

Dico decimononò, iure antiquo præscriptum erat ne plures patrini in Baptismo, vel Confirmatione adhiberentur, sed vnus solus, siue vir, siue fœmina, vt constat ex *can. non plures, de consecr. dist.* 4. Quotquot autem baptizatum, vel confirmatum vt patrini tangebant, quamuis contra canonem allatum contrahebant cognationem spiritualem impedientem ac dirimentem subsequens matrimonium, vt expressè deciditur *cap fin. de cognat. spir in* 6.

Dico vigesimò, nouissimè Concilij Tridentini decreto *sess.* 24. *de matr. cap.* 2. permittitur vt possint ad summum duo esse patrini, vir scilicet, & fœmina, minimè tamen permissum est vt duo viri, duæque fœminæ munus patrini obeant: sed si duo adhibeantur, debent esse diuersi sexus. Ratio est congruentissima vt generatio spiritualis carnalem imitetur, in qua nec duo patres, nec duæ matres reperiuntur. Nullum tamen inter eos, si vir & fœmina susceperint, oritur impedimentum: quia neque iuxta antiqua iura contrahebatur, neque Concilium Tridentinum nouum aliquod impedimentum introducit; quo fit vt si vir & vxor alterum puerum de sacro fonte leuent, nullum inter se contrahant impedimentum ad reddendum, vel petendum debitum. similiter si solus maritus sit susceptor, quamuis ipse contrahat cognationem cum baptizato, nihilominus vxor eius nullam contrahit; quia Concilium limitat illam ad ipsum susceptorem; videatur Syl. *verb. matr.* 8. *q.* 7. *dicto* 10. Sanchez *lib.* 7. *de matrim disp.* 57. *n.* 5. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. quæst.* 67. *art.* 8. §. *Secundò explicat.* & D.Thom. *in 4. dist.* 42. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæst.* 2. *ad quartum.*

Dico vigesimoprimò, quando plures duobus patrini designantur, aut duo viri, duæve fœminæ, contra præscriptum Tridentini 24 *sess. de matrim. cap.* 2. Aliqui censent omnes illos si à Parocho admittantur, & simul puerum suscipiant, contrahere hanc cognationem; quia Tridentinum prohibens plurium admissionem, aut duorum eiusdem sexus, non irritat factum aduersùs id decretum. Ita Sanchez *loco nuper adducto num.* 13. Rodriquez *summ.* 1. *p. cap.* 125 *num.* 1. *notabili* 5. Quòd si non simul omnes suscipiant illum puerum, ille solus contrahet hanc cognationem qui primò baptizatum susceperit, vel ad summum duo, si fuerint vir, & fœmina: nam re vera illi tantùm sunt susceptores, & quando iam accedit tertius, ministerium illud iam exhibitum est iuxta Tridentini formam. Ita bene Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. quæst.* 67. *art.* 8. §. *Sed quares.* Nugnu *ibi in suo Commentario, vers. Sequitur tamen ex dictis.*

Dico vigesimosecundò, quando non designati tangunt simul, omnes contrahunt cognationem. Ratio est, quia standum est iuri antiquo, quando aliter non decernitur iure nouo. *l. præcipimus, C. de appellationibus.*

Sed iure antiquo omnes contrahebant cognationem tangendo simul, *c. fin. de cognatione spirituali in 6.* & iure nouo nihil est decretum in hac parte, & innouatum. Concilium enim Tridentinum *sess. 24. cap. 2. de matrimonio*, solùm statuit, quòd si alij vltra designatos tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant; non verò statuit, vt nullus contrahat cognationem, quando nulli designati sunt. ergo omnes contrahunt cognationem, quando non designati tangunt simul. Ita Lopez *part. 2. instruct.* vbi *de matr. c. 51. col. 3.* Nauarr. *c. 22. summa n. 39.* contra Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 57. n. 12.* Rodriquez *1. p. summae c. 225. notabili 4.* licèt horum sententia sit probabilis.

## DVBITATIO XVII.

XVIII. *An Parochus, vel parentes debeant designare patrinos, vt contrahatur cognatio spiritualis?*

Dico vigesimotertiò, quando plures designati sunt à parentibus, sed Parochus admittit vnum tantùm, & vnam, cognatio contrahitur tantummodo ab iis, qui fuerunt admissi à Parocho: quia eo ipso quòd Parochus praeceptum Concilij Tridentini exequens expellit alios praeter duos diuersi sexus, censentur illi expulsi, perinde ac si designati non essent. ergo non contrahunt, &c. Ita bene Bonacina *tom. 1. quaest. 3. de matrim. puncto 5. §. 1. n. 26.*

Dico vigesimoquartò, quando parentes designarunt tantummodo duos, sed Parochus plures admisit ad suscipiendum baptizatum, cognatio contrahitur solùm à designatis à parentibus, non verò à caeteris qui fuerunt admissi à Parocho; quia non pertinet ad Parochum designare patrinos, quando parentes designarunt. Item si duo diuersi sexus designati sunt à parentibus, licèt Parochus nolit illos admittere, si ambo suscipiunt puerum contra Parochi voluntatem, contrahunt cognationem, si Parochus non habuit legitimam causam expellendi illos: qualis esset si ambo essent eiusdem sexus, & vnum solum admitteret, aut si essent Religiosi, aut haeretici, quibus est interdictum esse patrinos, quia verè, & legitimè designati sunt, & admissio Parochi non est de essentia. Ita bene Sanchez *lib. 7. de matr. disp. 57. n. 17. & 18.*

Dico vigesimoquintò, si parentes, aut hi, quibus incumbit, neminem designarunt: si Parochus duos, vel plures designauit, hos contrahere asserimus, quia tunc in istis designatis per Parochum verificatur conditio assignationis petita à Concilio Tridentino, & consequenter hi à Parocho assignati contrahent cognationem spiritualem si puerum susceperint: Ita Bonacina *loc. cit. num. 29.*

## DVBITATIO XVIII.

XIX. *An non designatus in patrinum, contrahat cognationem spiritualem id faciens contra voluntatem parentum, quando nullus alius designatus est?*

Dico vigesimosextò, quando nullus ex designatis in patrinos puerum suscipit, sed quidam non designatus, quamuis parentibus inuitis id munus obeat, efficitur verus patrinus, & contrahit hanc cognationem: quia dum Tridentinum statuit neminem praeter designatos contrahere cognationem, intelligitur quando designatio sortita est suum effectum. Ita Enriquez *lib. 1. de matr. c. 11. n. 13.* Quamuis Manuel Rodriquez *1. p. summa c. 225. n. 1. notabili 4.* satis probabiliter inquit, hos non designatos non effici veros patrinos, nec contrahere cognationem: quia eis deficit qualitas assignationis petita à Concilio Tridentino *sess. 24. de matr. c. 2. de matrim.* vtraque opinio est probabilis, vt diximus *assertione 22.*

## DVBITATIO XIX.

XX. *An omnia dicta de susceptoribus in Baptismo debeant etiam dici de susceptoribus in Confirmatione?*

Dico vigesimoseptimò, omnia statuta in Decreto Concilij Tridentini *sess. 24. de matrim. cap. 2.* non solùm locum habent in patrino Baptismi, sed etiam in patrino Confirmationis: nempe posse adhiberi duos patrinos diuersi sexus, ac nullum alium tangentem praeter patrinos designatos hanc cognationem contrahere; quia eodem modo restricta est cognatio orta ex Baptismo, & ex Confirmatione, vt constat ex fine illius capituli secundi Concilij Tridentini. Ita Nauarr. *in summa cap. 22. num. 40. notabili 3.*

## DVBITATIO XX.

XXI. *An adhibentes, vel admittentes plures patrinos praeter duos, peccent mortaliter?*

Dico vigesimooctauò, adhibere, vel admittere plures patrinos, quàm duos, vel duos viros, aut duas foeminas in susceptione pueri de facto fonte, vel in Cōfirmatione contra expressionem Concilij Tridentini esse culpam lethalem, asserit Vega *1. tomo summae c. 31. casu 39.* quia violatur praeceptum Ecclesiae in re magni momenti. At mitiùs dicendum mihi videtur, hanc prohibitionem non esse tanti momenti, vt obliget ad culpam mortalem, vt docent Lopez *2. p. instruct.* vbi de matrimonio, *c. 51. col. 4.* Sotus *in 4. dist. 42. quaest. 1. art. 2. col. 5.* quos sequitur Sanchez *lib. 7. de matr. disp. 57. n. 6.* quia multis in locis consuetudine id non seruari affirmant aliqui DD.

## DVBITATIO XXI.

XXII. *An cognatio spiritualis possit contrahi per Procuratorem?*

Dico vigesimonono, haec cognatio spiritualis non potest contrahi per actionem Procuratoris, sed desideratur susceptio personalis ipsiusmet patrini, quia patrificantur cognatio spiritualis, ac naturalis: at in illa actus personalis parentum desideratur. ergo, &c. Tum, quia *cap. ad limina 30 quaest. 1.* quod est Ioanne Pontifice, explicatur susceptio patrini necessaria ad contrahendam cognationem his verbis, *eumque ipse proprijs manibus retinendo suscipit*, ex *cap. omnes, ibidem*, quod est Symmacho Pontifice, *nobis suscipientibus*; quae verba actum putè personalem patrini exposcunt, vt veri susceptores sint, atque subinde huius cognationis participes: & ideo huius sententiae sunt Syl. *verb. Matrimonium 8. q. 7. dicto 14.* Armill. *ibi num. 12.* Lopez *2. part. instruct.* vbi *de matrim. cap. 51. col. 5.* hos sequitur Sanchez *lib. 7. de matr disp. 59. n. 4.* neque Procurator tunc contraheret cognationem hanc spiritualem, quia ad illam contrahendam voluntas, & animus desideratur obeundi munus patrini: at Procurator eo animo destituitur cùm non intendat nomine proprio tenere, sed id munus nomine ipsum constituentis exercet. Ita Syl. *vbi suprà dicto 15.* Armilla *loc. cit.* Lopez *2. p. instruct.* vbi de Baptismo. *c. 61 ad finem.*

Dico

Dico trigesimò, consuetudine tamen inductum est vt contrahatur cognatio hæc spiritualis tenendo per Procuratorem; quia quod potest lex, & ius positiuum inducere, potest etiam consuetudo legitimè præscripta, quæ est altera lex, & ita Nauarrus docet *tom. 2. lib. 4. de cognat. spirituali, consil. 6. num.* 8. quod de facto est inductum. nam Congregatio Card. Sac. Concilij tenuit cognationem hanc spiritualem contrahi per Procuratorem, & ipsum Procuratorem eam non contrahere, sed mandantem; sic refert idem Nauarr. *tom. 2. in fine totius 5. libri*, & docet Bonacina *tom. 1. q. 3. de matrimonio, puncto 5. §. 2. num.* 34.

XXIII. *Argumentis à principio respondetur, & explicatur*

## Dvbitatio XXII.

### *An baptizatus ab infideli debeat rebaptizari?*

Ad primum fundamentum positum à principio huius difficultatis, quod militat contra primam assertionem, respondetur cum D.Th. 3 *p q. 67. art. 5. in corp.* Diuum Gregorium cùm rebaptizari præcipit eos, qui à Paganis baptizati fuerant, loqui de Paganis, qui in baptizando non seruabant ritum Ecclesiæ, sed Paganum, & tunc fatemur baptizatos sic à Paganis esse rebaptizandos, secus aliàs si habuissent intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, & veram formam Ecclesiæ, & aquam naturalem baptizando adhibuissent, atque ita explicuit glossa dictum *cap. quos à paganis.*

Ad primam confirmationem respondet idem S.Th. *loc. citat. solutione ad* 2. quòd ille qui non est baptizatus, quamuis non pertineat ad Ecclesiam re, vel Sacramento, potest tamen ad eam pertinere intentione, in quantum scilicet intendit facere quod facit Ecclesia, & formam Ecclesiæ seruat in baptizando, & sic operatur vt Minister Christi, cuius virtus non pendet ex dispositione instrumenti, neque illius virtute nititur.

Ad secundam confirmationem respondetur negando consequentiam, non enim est par ratio de Baptismo, & de Ordine, cùm non sit par vtriusque necessitas, & ideo conceditur, quòd non baptizatus possit baptizare, cùm Sacramentum Baptismi sit maximæ necessitatis, neque verò est inconueniens, vt aliquis dare possit, quod non accepit, præsertim, quando id facit non vt causa præcipua, sed solùm vt instrumentum alterius: non tamen conceditur, vt non consecratus possit alteri Ordines conferre, quia sacramentum Ordinis in Ecclesia non est tantæ necessitatis: vnde non est par ratio de vtrisque.

Ad secundum fundamentum quod pugnat contra 16. assertionem, respondetur cum D.Th. 3. *p. q. 67. art.* 8. *ad* 2. quòd sicut alia est generatio spiritualis à carnali, ita & alia debet esse disciplina; & ideo alius debet esse pater spiritualis à patre carnali, nisi necessitas contrarium exigat. Conuenienter ideo prohibuit Ecclesia 30. *q. 1. can. peruenit*, ne parentes carnales sint susceptores propriorum filiorum, quia suscipiendo de sacro fonte proprios liberos contraheret cognationem spiritualem, & sic inhabiles ad petendum debitum remanerent. Saluo semper, &c.

---

## Articvlvs V.

### De subiecto Baptismi, an scilicet sit tantùm homo natus, vel etiam puer in ventre matris?

*Svmmarivm.*

1. *Ratio dubitandi proponitur.*
2. *Resoluitur dubitatio.*
3. *An sit capax Baptismi Satyrus, vel monstrum habens duo capita, vel duo pectora, & vnum caput, & an hoc bis baptizandum esset?*
4. *An pueri possint saluari sine Baptismo, præsertim si pro Christo essent interfecti, & an id dicere sit temerarium.*
5. *An pueri in vtero matris saluentur per fidem parentum.*
6. *An valeat Baptismus collatus infanti absque consensu parentum.*
7. *An liceat abstrahere à parentibus infidelibus pueros baptizandi causa.*
8. *An liceat similiter abstrahere filios ab hereticis ad finem baptizandi, ita vt teneantur illos ad hunc finem abstrahere ab eisdem.*
9. *An milites captiuantes infideles teneantur baptizare pueros illorum.*
10. *An liceat militibus captiuantibus pueros infideles in bello iusto illos non baptizare, & vendere parentibus.*
11. *An liceat baptizare pueros infidelium in periculo mortis inuitis parentibus.*
12. *An filij siue fidelium, siue infidelium possint cogi ad fidem.*
13. *An sit baptizandus puer infidelis si alter parentum in infidelitate manens in id consenserit.*
14. *An infidelis, de cuius vsu rationis dubitatur, debeat baptizari dum petit.*
15. *Ad rationem dubitandi à principio respondetur, & explicatur, quomodo Deus omnibus hominibus prouidit de salutis remedio.*

I. *Ratio d. bitandi proponitur.*

VIdetur quòd subiectum Baptismi non sit tantùm quilibet homo natus, existens in hoc mortali corpore, vt fatentur communiter Doctores, sed etiam pueri nondum nati in ventre matris. Probatur, quia Deus sua infinita misericordia prouidit remedium salutis pro quolibet hominum statu, vult enim omnes homines saluos fieri, 1 *ad Timoth.* 2. ergo etiam pro paruulis nondum natis: ergo pueri nondum nati possunt baptizari, cùm aliud remedium nequeat assignari, quod ipsis applicari possit præter Baptismum.

II. *Resoluitur dubitatio.*

Dico primò, subiectum Baptismi est, quilibet homo natus existens in hoc mortali corpore, siue sit infans, siue sit adultus, siue sit vir, siue fœmina. Ratio est, quia Baptismus est omnibus necessarius, iuxta illud Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto*, &c. ergo quilibet homo natus est subiectum Baptismi: nam verba Christi, *nisi quis renatus fuerit*, &c. cùm sint vniuersalia, & neminem excludant, extendenda sunt ad quemlibet hominem: tum quia his omnibus conferri potest, & debet Baptismus, qui participes esse possunt salutis æternæ, & Regni cœlestis, sed omnes homines possunt esse participes salutis æternæ, iuxta illud 1. Timoth. 2. *Qui vult omnes homines saluos fieri.* ergo cùm Baptismus sit medium per se ordinatum ad eum finem, necessarium erit vt Baptismom suscipere possint omnes homines: hæc doctrina est D. Thom. 3. *part. in tota ferè quæst.* 68. maximè *art.* 9. & est communis inter Theologos.

Dvbi

DVBITATIO I.

III. *An sit capax Baptismi Satyrus, vel monstrum habens duo capita, vel duo pectora, & vnum caput, & an hoc bis baptizandum esset?*

Dico secundò, Satyrus, aut genitus ex fœmina, & bruto, non est capax Baptismi; quia non est homo, nec habet peccatum originale, cùm hoc traducatur ex Adamo per virilem virtutem: monstrum tamen genitum ex viro & fœmina est baptizandum, & si constat habere duplicem animam, vt si haberet duo capita, & duo pectora, bis baptizandum est, semel in vtroque capite, vel saltem vnico actu baptizandum est, dicendo, Ego vos baptizo.

Si verò dubitetur an constet duplici anima rationali, vt si habeat duo capita cum vno corpore, vel duo pectora sub vno capite, duplex Baptismus conferendus est, vnus absolutè in ea parte in qua perfectius caput, vel pectus apparet; alter sub conditione in alia parte. Ita Sotus *in 4. dist. 3. quæst. vnica, art. 9. vers. ad hunc locum*. Syl. *verb. Baptismus*, 3. q. 10.

DVBITATIO II.

IV. *An pueri possint saluari sine Baptismo, præsertim si pro Christo essent interfecti, & an id dicere sit temerarium?*

Dico tertiò, paruulis ita Baptismus re ipsa necessarius est ad salutem, vt secundùm legem ordinariam nequeant sine Baptismo aquæ, salutem consequi, excepto vnico casu, si videlicet interficerentur pro Christo. hæc assertio est certissima, & communis inter Theologos, & probatur. Omnia salutis remedia, quæ secundùm legem ordinariam valent, docet Deus fideles suos vel Scripturæ, vel Ecclesiæ testimonio; sed præter Baptismum in re, & martyrium pro Christo nullum aliud remedium ordinarium, quod paruulis ad salutem prosit (tempore legis gratiæ, de hoc enim tempore loquimur) vel Scripturæ, vel Ecclesiæ voce, vnquam Deus docuit. ergo nullum aliud ordinarium remedium ipsis superest. Ita præclarè D. Thom. *quodlib. 6. art. 4.* vbi ex professo hanc quæstionem pertractat.

Sed contrà. nam post aduentum Christi non est arctata hominibus via salutis, cùm ipse dicat Ioan. 10. *Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant*; sed tempore legis naturæ saluabantur pueri in fide parentum: motus enim inferior fidei relatus ad salutem pueri cum aliqua exteriori fidei protestatione per aliquod sensibile signum in lege naturæ sufficiebat ad salutem pueri, vt docet D. Thom. *quodlib. cit. ad* 1. Imò tempore legis veteris simpliciter, & absolutè profuit fœmellis fides parentum ad salutem, & masculis etiam in necessitate ante octauum diem, si videlicet mors tunc immineret. Neque hoc videtur mirum cùm illo tempore ante octauum diem non liceret eos circumcidere, id quod insinuat D. Thom. 3. *part. q. 70. art. 4. ad 3.* & docet apertè Sotus *in 4. dist. 5. quæst. vnica, art. 2. vers. Tenemur autem argumentis*. ergo multo magis nunc post Christi aduentum in aliqua necessitate, vt si deesset aqua, vel minister qui formam Baptismi nesciret proferre, fides parentum relata ad salutem pueri, cum aliqua exteriori fidei protestatione, sufficiet ad salutem pueri.

Respondetur ad hoc argumentum concedendo maiorem, in hoc tamen per Christum ampliata est hominibus via salutis, quòd nunc per eã aperta est eis ianua vitæ æternæ, quæ antè clausa erat per peccatum primi parentis. Item etiam in lege naturæ per fidem parentum, & in lege veteri per Circumcisionem non conferebatur gratia paruulis ex opere operato, neque ita copiosa, ac modò confertur paruulis ex opere operato, & copiosior per Sacramentum Baptismi. Ita benè D. Thom. *quodlib 6. cit. art. 4. ad 2.* Concedimus etiam minorem, neque subinde sequitur quòd si pueris in lege naturæ potuit applicari remedium salutis fide parentum aliqua exteriori ceremonia manifestata, & pueris Hebræorum in lege veteri potuit applicari remedium salutis ante octauum diem per aliud signum, quàm Circumcisionis; quòd possit etiam pueris in lege gratiæ aliter applicari remedium salutis de potentia ordinaria, quam per Baptismum, vel per martyrium, si pro Christo occiderentur. Et ratio discriminis est. nam Deus sua diuina prouidentia tempore legis naturæ prospexerat pueris pro remedio salutis fidem parentum manifestatam per actionem aliquam sensibilem, offerendo Deo ipsum puerum. Similiter, quia inhibuerat Deus ante octauum diem pueris Hebræorum Circumcisionem, vt patet ex 17. *Genesis*, consequens erat vt remedium illis permitteret, si necessitas ante octauum diem vrgebat, quod erat in lege naturæ: sicut concedebatur etiam pro fœmellis, quibus non erat aliud remedium: nunc autem in lege gratiæ, quoniam Christus Dominus Baptismum instituit, qui cùm primùm infans in lucem editur, ei valet applicari, nihil mirum si nullum aliud subsidium reliquerit: & sic ad argumentum negamus consequentiam, cùm sit longè diuersa ratio, vt patet ex dictis. Hæc optimè Magister Soto *in 4. dist. 5. q. vnica, art. 2. Ad primum argumentum Caietani.*

Dico quartò, assertiuè affirmari non potest sine temeritate tempore legis gratiæ aliquem infantem decedentem sine Baptismo saluari ex speciali priuilegio, aut dispensatione: si patet, vel alius offerat puerum Deo cum desiderio Baptismi, nisi alias speciali reuelatione diuina fuerit nobis manifestum, quia nobis constat de vniuersali lege in Scriptura lata: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Cœlorum*, Ioan. 3. ergo non potest à nobis dispensatio in tali lege, aut speciale priuilegium affirmari, nisi aut ex eadem Scriptura colligatur, aut alia sufficienti authoritate, vel diuina reuelatione constet. Ita bene Nugno *in 3. part. quæst. 68. art. 2. difficultate 4.* Suarez *tom. 3. in 3. part. disp. 27. sect. 3. conclusione 2.*

DVBITATIO III.

V. *An pueri in vtero matris saluentur per fidem parentum?*

Dico quintò, consequenter pueri in vtero matris existentes, quibus Baptismus applicari non valet, nec pro Christo interficiuntur, si vrget periculum mortis, non possunt saluari per votum, & fidem parentum, si cum inuocatione sanctissimæ Trinitatis, adhibito etiam signo Crucis, in illa necessitate à parentibus offerantur Deo; & si moriuntur in vteris maternis, peribunt. Probatur ex D. Augustino *Epistola 28. ad Hieronymum, de origine animæ.* Quisquis dixerit, ait D. August. quòd in Christo viuificabuntur paruuli, qui sine Sacramenti eius participatione de vita exeunt, hic profectò & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam. Idémque repetit D. Augustinus *lib. 3. de anima, & eius origine.* ergo sine fide, Sacramento, quod est Baptismus, tempore legis gratiæ nemo saluatur: videatur pro hac assertione Magister Sotus *in 4. dist. 5. quæst. vnica, art. 1.*

*art.1.vers.facessit hic tamen.* Valentia *tom.4.disp.4.q.3. de suscipientibus Baptismum, puncto 4.assertione 4.*

## DVBITATIO IV.

### VI. *An valeat Baptismus collatus infanti absque consensu parentum?*

Dico sextò, validus est Baptismus collacus infanti absque consensu parentum; quia ad valorem Baptismi in pueris non babentibus vsum rationis requiritur tantummodo materia, forma, & intentio Ministri. Ita Nugno *in 3.p.q.68.art.10.difficult.1.* Sed contrà arguat Durandus, qui *in 4.dist 4.q.7.num.13.* tenet oppositum: nam ad Baptismum necessaria est intentio suscipientis, imò fides suscipientis, vt dicitur Marc.vlt. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*; sed paruuli non sunt capaces huius intentionis, & actus fidei. ergo saltim coosensus, & fides parentum requiritur vt Baptismus collatus infanti sit validus. Respondecur cum D.Th.*3.p. q.68. art.9. ad* 1. quòd satis est tacitus consensus Ecclesiæ in ministro, qui confert Sacramentum. nam sicuti pueri in maternis vteris constituti non per se ipsos, sed ex nutrimento matris sustentantur, ita etiam pueri nondum habentes vsum rationis, quasi in vtero matris Ecclesiæ coustituti oon per se ipsos, sed per actum Ecclesiæ salutem suscipiunt, quæ est etiam solutio D. Augustioi *lib. 2. de peccatorum meritis & remissione c.25.tomo 7.*

Dico septimò, Baptismus collatus infantibus infidelium coactis parentibus, & inuitis, licèt sit firmus, & ratus, & sic baptizati ad seruandā fidem cogendi sunt, vt docet Caietanus *3.p.q.68.art.10.* Syl.*verb.Baptismus 4.quæst.7.* Azot.1.*part.instit.mor.lib.8.c.25.dub.8.* non tamen est licitum sic baptizare paruulos infidelium inuitis parentibus, aut tutoribus infidelibus, vt relinquantur sub cura, & potestate ipsorum, aut etiam periculum sit ne ad eorum curam & potestatem redeant: quoniam facile peruertetentur ab ipsis. quæ est ratio, & doctrina D.Th.*3.p.q.68.art.10.*

Dico octauò, si paruuli à cura & potestate parentum, aut tutorum infidelium quacunque iusta ratione sint abstracti, puta iure dominij, vel iusti belli, nec adest periculum ne ad illos redeant, & ab his peruertantur, licet ipsos illis inuitis baptizare, modò idonea adhibeatur cautela, ne possint ad infideles redire, & cenetti: quoniam in isto casu paruuli non sunt sub cura, & potestate parentum. Ita bene Sotus *in 4. dist.5. quæst.vnica, art.10. vers. Contra hanc autem sententiam.* Imò addit Sotus, si quis furtim, violēter, & cum iniuria ab infidelibus, qoi sunt in Africa, vel in India liberi, suos paruulos surriperet, possēnt hi paruuli elongati à suis parentibus sine eorum consensu licitè baptizari. quia tunc perinde est, ac si essent omni pareotom auxilio destituti, quorum curam Deus demandauit his, ad quos peruenerunt. Ita etiam Caietanus *3.part. quæst.68.art.10.* quem sequitur Azot.1.*part. instit.moral. lib.8.cap.25.dubio 4.*

## DVBITATIO V.

### VII. *An liceat abstrahere à parentibus infidelibus pueros baptizandi causa?*

Dico nonò, abstrahere tamen paruulos à parentibus liberis, licèt infidelibus, contra quos non suppetit Christianis jus belli iusti ob eum finem, vt baptizentur, non licet, quia hoc est contra ius naturæ, iniustè enim tunc parentes priuarentur iure suo, quod habent in filios: tum, quia qui paruulos ab infidelibus liberis abstraheret, & baptizaret, consuleret spirituali vitalitati paruulorum cum grauissima iniuria & damno alterius, quod minimè licet, qoia offerret obsequium Deo de rapina, vt rectè verbis vtar Durandi *in 4.quæst.6.*

Sed contrà vrget argumeotum. nam Deus vult, ac præcipit, vt baptizeotur illi paruuli: qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, 1.*Timoth.* 2. ergo etiam si parentes infideles id nolint, abstrahendi sunt paruuli, ac Baptismo donandi, obedire enim oportet magis Deo, quàm hominibus, *Actor.5.* Respondetur, Deum quidem absolutè velle vt baptizentur, minimè tamen velle vt baptizentur in illo casu, & illo modo, vt scilicet per iniuriam abstrahautur à parentibus, & eisdem inuitis baptizentur: qooniàm per naturæ legem vult, & præcipit, vt non fiat illa iniuria parenti, & ius diuinum, quod præcipit paruulos sacro fonte donandos, ius naturæ non destruit, sed perficit, vt docet optimè D.Thom. 2.2. *quæst.10. art.12* & ita hanc sententiam tenuit D. Thom. 3.*part.quæst.* 68. *art.* 10. Sotus *in 4. dist.5.quæst.vnica, art.10.conclus.2.* Valentia *tom.4.disp.4. quæst.3. de suscipientibus Baptismum, puncto 3. vers. Septimò dico.*

Neque hæc assertio pugnat cum præcedenti, in hac enim tantùm asserimus esse illicitum abstrahere pueros à parentibus infidelibus liberis, ob eum finem vt sacro fonte donentur, propter rationes allatas: in præcedenti verò fatemur posse postea tales infantes licitè baptizari ab his, ad quos peruenerunt, si longissimè à parentibus abessent; quoniam tunc non sunt sub tutela, & cura parentum: si autem spes esset, quòd redimerentur ab illis, vel quòd aliquo modo reuerterentur ad illos, non essent baptizandi; quia de facili ad infidelitatem transirent, si redirent ad parentes, propter naturalem affectum ad illos: quæ est ratio, & doctrina D.Thom. 3.*part. quæst.* 68. *art.* 10. *in corpore.* Nugno *ibi difficultate 2; conclusione 3.*

Dico decimò, paruulos eorum infidelium, qui mancipia dominorum fidelium sunt, posse inuitis parentibus ab eorum cura abstrahi, & baptizari, adhibita cautela ne ad eorum curam redeant, & ab illis peruertantur. Probatur. nam dominus fidelis potest simpliciter aliis de causis paruulos illos à cura; & potestate parentum, seruorum, & mancipiorum abstrahere, vt scilicet donet, aut vendat, alióque amandet, vnde nunquam sint ad curam & potestatem parentum rediruri. ergo etiam potest illos ab eiusmodi cura, & potestate parentum abstrahere, proposito sibi hoc optimo fine, vt scilicet à parentibus abstracti baptizentur, & educentur christianè. Antecedens communiter conceditur, quoniam res omnes mancipiorum iure sunt domini, & consequentia videtur euidens. Ita Nugno *loco* nuper *allegato.* Durandus *in 4. q.6.* Sotus *in 4. dist.5. quæst.vnica, art.10. vers. circa hanc autem sententiam.* Nomine verò seruorum infidelium, seu mancipiorum, intelliguotur illi, qui emuntur à veris dominis, aut iusto bello capiuntur, & iure belli fiunt serui, vt sunt Turcæ, Saraceni, Mauri. Ita Suarez *tom.3. in 3.part. disp.25.sect.5.ad finem.* Non tamen hoc nomine seruorum infidelium, seu mancipiorum veniunt tributatij, & vasalli Principum Christianorum, qoales sunt Iudæi commorantes ex concessione Principum in aliquibus ciuitatibus, vt rectè contra Durandum ostendit Sotus *loco* nouissimè *adducto*; filij enim horum infidelium non seruorum, & Iudæorum, non possunt abstrahi ab eorum cura, nec inuitis pareotibus baptizari, vt diximus assertione decima immediatè præcedenti; qnia parentes qui non suot serui, sed solùm tributatij, & vasalli, non amittunt ius in filios, sicut non amittunt ius, &

dominium

dominium aliarum rerum. ergo Ipſorum filij non poſſunt ab eis abſtrahi,& eiſdem inuitis baptizari,vt optimè oſtendit D.Th.3.*p.q.*68.*art.*10.

## DVBITATIO VI.

VIII. *An ſimiliter liceat abſtrahere filios ab hæreticis baptizandi cauſa;ita vt teneamur illos ad hunc finem abſtrahere ab eiſdem?*

Dico vndecimò,proles Chriſtianorum,quantumuis parentes reluctentur, poſſunt baptizari, quia ſunt de iuriſdictione Eccleſiæ,& parentes renitentes poſſent tanquam Apoſtatæ puniri. Ita rectè Sotus *in* 4. *diſt.* 5. *q.vnica,art.*10 *concluſ.*2. Item poteſt Eccleſia paruulos filios hæreticorum, & aliorum Apoſtatarum a fide ab ipſis ſubtrahere,illóſque Sacramento Baptiſmi initiare,eadem ratione, quia hæretici ſunt de iuriſdictione Eccleſiæ:ergo ſicut poteſt Eccleſia ipſos parentes hæreticos compellere cenſuris, & pœnis ad ſeruandam fidem; ita poterit ab ipſis ſubtrahere filios, & ſacro fonte donare.Ita colligitur ex D.Th. 3.*p.q.*68. *art.*10. Nugno *ibi difficult.*2.*verſ.Tertia ſententia.*

Dico duodecimò, filios tamen hæreticorum, niſi concipiatur ſpes probabilis fore,vt ſuo tempore poſſint inſtrui in vera fide, illicitum eſt ſacro fonte initiare,quia niſi ſeparentur à parentibus,& ſpes non ſit probabilis,vt in vera fide inſtruantur,in dedecus Catholicæ fidei parentum erroribus inuoluentur,vt habetur *can.Iudæorum* 28 *q.*1.Idem dicendum de paruulo infideli ſeruo,ac ſerui filio,non poſſe ſcilicet licitè baptizari priuſquam à parente ſeparetur; quia licèt paruulus talis ex ſe non ſit indignus ad ſuſcipiendum Baptiſmum,tamen vtens conſortio parentis hæretici,vel infidelis,non cenſetur ſubiectum dignum Sacramento, propter periculum ſubuerſionis ex conſortio parentis infidelis, à quo facilè peruertetur filius, quod eſſet incommodum maximum contra Religionem & dignitatem Baptiſmi. hæc doctrina habetur apertè apud D.Th.*q* 68.*art.*10.*cit.in corp.*& eam ſequitur Suarez *tom.*3.*in* 3 *p diſp.*15.*ſect.*5.Sotus *in* 4.*diſt.*5. *q.vnica, art.*10.Filliucius *tom.*1.*tract.*2.*de Baptiſmo,c.*6.*n.*148.

## DVBITATIO VII.

IX. *An milites captiuantes infideles teneantur baptizare pueros illorum?*

Dico decimotertiò,milites qui infantes infidelium in bello iuſto captiuant,vel alij ad quorum dominium hi pueri à parentibus ſeparati perueniunt, per ſe loquendo tenentur illos ſacro Baptiſmi fonte donare, quia tales domini ſuccedunt in locum parentum:parentes autem tenentur conſulere bono ſpirituali filiorum. ergo tales domini, ad quos paruuli infidelium ſeruorum deuenerunt,tenentur ſaltim ex charitate illos Baptiſmate initiare,præcipuè ſi longiſſimè abeſſent à parentibus infidelibus,& nulla eſſet ſpes ad illos redeundi; paruulos verò infidelium ſeruorum, ſi adſint parentes,licitè non poſſumus Baptiſmo donare,vt diximus *aſſertione præcedenti*,& docet Caiet.3 *p.q.*68.*a.*10. quia de facili ad infidelitatem parentum redirent: & multo minus ex præcepto tenemur illos inuitis parentibus baptizare:videatur etiam pro hac aſſertione Bonacina *tom.*1.*diſp.*2.*de Baptiſmo,q.*1 *puncto* 6 *n.*12.

## DVBITATIO VIII.

X. *An liceat militibus captiuantibus pueros infideles in bello iuſto, illos non baptizare, & vendere parentibus?*

Dico decimoquartò, per accidens tamen domini talium infantium in bello iuſto captorum,& à parentibus ſeparatorum, non tenentur tales paruulos Baptiſmo donare, puta ratione magni incommodi,vt ſi non poſſint illos apud ſe retinere,neque educare, neque alere: vt,v.g. ſi domini,qui illos captiuant, ſunt milites, qui neque inueniunt Chriſtianos homines, qui illos velint emere,&c. poterunt hi pretio accepto tales infantes nondum baptizatos licitè ad ſuos remittere. Probatur, quia ſi domini talium infantium tenerentur illos baptizare, maximè ex charitate; ſed charitas regulariter non obligat cum magno incommodo.ergo domini talium infantium per accidens ratione magni incommodi non tenentur hos paruulos baptizare, ſed poterunt illos nondum baptizatos parentibus,vel aliis vendere,accepta pecunia.Tum,quia hi paruuli infidelium in infantia baptizati frequenter ſunt parum conſtantes in fide, recedentes poſtquam adoleuerint ab illa in dedecus noſtræ fidei & Religionis.Tum,quia quando aliquis apud ſe habet captiuum parentem ſimul cum paruulo filio, non tenetur ſeparare vnum ab altero, vt baptizetur infans, vt docet Caiet.3.*p.q.*68 *art.*10.ergo licitè poterit ratione magni incommodi talem paruulum nondum baptizatum parentibus,vel aliis vendere,accepta pecunia.Ita bene Bonacina *loc. proximè allegato*, Suarez *tom.*3. *in* 3. *part. diſp.*35.*ſect.* 6.*ad finem.*

Sed contrà vrget argumentum, quia tenemur baptizare paruulum in extrema neceſſitate conſtitutum, & morti proximum, & cum periculo propriæ vitæ corporalis,vt tenet probabilior ſententia fundata in illo principio de ordine charitatis, quam tenet Syl. *verb.Bellum* 2.*q* 4. ergo à fortiori erit obligatio baptizandi paruulos infidelium ab eis ſeparatos, etiam cum aliquo incommodo noſtro temporali.Reſpondetur negando conſequentiam, fatemur quidem cum Syl. paruulum baptizandum eſſe, quando in extrema exiſtit neceſſitate cum periculo propriæ noſtræ vitæ, non verò præciſa neceſſitate,& cum tanto incommodo eſt baptizandus puer infidelis,cùm frequenter huiuſmodi poſtquam adoleuerint recedant à fide in dedecus noſtræ fidei,& Religionis. Saluo ſemper meliori iudicio.

## DVBITATIO IX.

XI. *An liceat baptizare pueros infidelium liberorum in periculo mortis inuitis parentibus?*

Dico decimoquintò, filios tamen infidelium nondum baptizatorum,aut etiam baptizatorum,poſſumus & debemus inuitis parentibus baptizare quoties exiſtunt in euidenti periculo mortis, quia tunc parentes ſunt irrationabiliter inuiti: tum, quia in eo euentu ceſſat periculum ſubuerſionis; tum, quia ſubueniendum eſt proximo extremè indigenti. Ita optimè Soto *in* 4 *diſt.*5. *q.vnica,art.*10. *fine*, quem ſequitur Valentia *tom.*4.*diſp.*4. *q.*3. *de ſuſcipientibus Baptiſmum, puncto* 3. §.*Tertio dico.*

## DVBITATIO X.

XII. *An filij ſiue fidelium,ſiue infidelium poſſint cogi ad fidem?*

Dico decimoſextò, proles ſi ſit doli capax,ſiue ſit orta ex fidelibus,ſiue infidelibus, non eſt cogenda ad fidem, ſed ſuæ libertati relinquenda. nullus enim ſui compos ad fidem eſt cogendus, vt definitur in Concilio Tolet. IV. *cap.*56. & refertur *cap. de Iudæis, diſt.*45.& docet Nugno *in* 3.*part.quæſt.*68.*art.*9.*diffic.*2. *concluſ.*2.

Si

Si autem non sit doli capax, eius conditionem sequi debet, qui ad fidem conuertitur, siue pater, siue mater fidem Catholicam susceperit, vt decernitur in Concil. Tolet. IV. *cap.62.* & refertur *can. Iudai 28.q.1.* & sic altero parente infideli inuito baptizari potest. Ratio est, quia eo ipso, quòd alteruter coniux est fidelis, ius habet Ecclesia compellendi ipsum, vt prolem doli minimè capacem baptizet, vt decernitur eodem Concilio Tolet. relato dicto can. *Iudai*, vbi glossa *verb. Iudai*, ait ideo id esse quòd parens conuersus sit jam de Ecclesię foro, ac proinde filij eius. *can. cùm multa 15. q. vltima*, & ita tenet D. Thom. *in 4. dist. 39. quæst. vnica, art. 3. solutione ad 2. vers. dubitatio tandem.* quem sequitur Sanchez *lib. 7. de matr. disp. 73. num. 16.* Imò refertur *tom. 1. consil.* apud Nauarr. *lib. 3. de conuers. infid. consil. 9. fine*, & recenset etiam Valentia *tom. 4. disp. 4. quæst. 3. de suscipientibus Baptism. puncto 3. vers. Quartò dico*, &c. Quod Gregor. XIII. statuit, vt paruulus, quem auus eius paternus Christianus baptizari volebat, baptizaretur, inuita matre Iudæa, quæ defuncto patre superstes erat, & in fauorem fidei Christianæ, & innocentiæ, & salutis ipsius paruuli: videatur alia ratio apud Valentiam loco immediatè citato.

## Dubitatio XI.

XIII. *An sit baptizandus puer infidelis si alter parentum, in infidelitate manens in id consenserit?*

Dico decimoseptimò, etiam si neuter parens infidelis ad fidem conuertatur, si tamen alter, siue pater, siue mater, consentiat infantem filium baptizari, per se loquendo, licitè sacro Baptismate donari potest; quia cùm talis consensus sit in fauorem Religionis, & bonum & salutem filij, præferendus est dissensui alterius parentis. Dixi, *per se loquendo*, nam per accidens contingere potest, vt non expediat baptizare filium altero parente inuito, propter periculum apostasiæ, vel alicuius sacrilegij, & ideo in eo casu curandum est, vt priùs filius subtrahatur à cura, & consortio parentis infidelis, vt tutò baptizari possit, iuxta doctrinam Concil. Tolet. IV. *cap. 59.* & habetur *can. Iudaorum 28. quæst. 1.* Pro hac assertione videatur Suarez *tom. 3. in 3. part. disp. 25. sect. 3. vers. Duo supersunt*, &c. *fine*.

## Dubitatio XII.

XIV. *An infidelis, de cuius vsu rationis dubitatur, debeat baptizari dum petit?*

Dico decimoquintò, si filius infidelium habet vsum rationis, & petit Baptismum, baptizari potest & debet, etiam inuitis parentibus, quia habet ius petendi quod sibi necessarium est ad salutem, nec tenetur obedire parentibus in his quæ sibi, & Deo contraria sunt. Quòd si dubitetur an vsu rationis polleat, si petit sacro fonte donari, baptizandus est, quia in dubio in fauorem fidei declinandum est, vt bene Sotus *in 4. dist. 5. quæst. vnica, art. 10. §. Sed alterum dubium est*, maximè si puer iam compleuit septennium, nam completo septennio præsumitur vsum rationis habere: Sotum sequitur Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 73. n. 16. fine*.

Nec vrget quod affert Suarez contrarium sentiens *tom. 3. in 3. part. disp. 25. sect. 3. ad finem*, puerum si dubitetur habere vsum rationis, non posse baptizari inuitis parentibus, quia melior est conditio parentum possidentium: nam respondetur ad hoc quòd in causa dubij in fauorem fidei inclinandum est, & patria potestas cedit fauori fidei: sicuti licèt iure attento filius minor triennio apud matrem educandus sit, maior autem triennio apud patrem. *l. neque. C. de patria potestate.* at id fallit, quando alter parens infidelis est, tunc enim infans, etsi triennio minor est, apud patrem fidelem educandus est, & quamuis sit maior apud matrem fidelem; quia ratio ætatis, & patriæ potestatis cedit fauori fidei, sic docet glossa *cap. finali, in fine, de conuers. infid.* Ita, &c.

XV. *Ad rationem dubitandi à principio respondetur, & explicatur*

## Dubitatio XIII.

*Quomodo Deus omnibus hominibus prouidit salutis remedio?*

Ad argumentum à principio adductum, quod pugnat contra primam, tertiam & quintam assertionem huius dubij, respondetur Deum sua diuina prouidentia prouidisse de remedio salutis pro quolibet statu hominum, sed non pro qualibet conditione, & accidentibus status, quod est dicere, Deum non constituisse remedium pro his qui non educuntur in lucem, sed in vtero materno moriuntur: hoc enim est accidens, seu conditio status, sicut neque constitutum est remedium pro perpetuò amentibus, qui post peccatum mortale lapsi sunt in amentiam perpetuam: hoc autem non est singulare legis nouæ, sed in omni lege & ætate verum habuit, quia, vt D. August. dicit *lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione, c. 25.* secluso speciali priuilegio, nunquam potuit homo renasci priusquam nasceretur ex vtero matris, & ideo sanctificatio, quæ interdum facta est in aliquibus in vtero materno, semper existimata est fieri ex priuilegio speciali. Diuina igitur prouidentia omnibus hominibus prouidit remedium salutis vniuersali quadam ratione, & modo hominibus accommodato per humanam & sacramentalem actionem, ad quam necesse est supponi subiectum quod sensibus, atque humanis oculis subiacere potest: quòd si interdum permittit Deus infantem mori in eo statu, in vtero scilicet matris absque remedio, hoc permittit ad ostensionem suæ diuinæ iustitiæ. Videatur pro hac solutione Sotus *in 4. d. 5. q. vnica, art. 11. fine. §. Neque verò argumenta.* Bonacina *tom. 1. disp. 2. q. 2. de Baptismo, puncto 6. n. 7.* Suarez *tom. 3. in 3. part. disp. 27. sect. 2 ad finem.*

Et ad illud quod adducitur ex D. Paulo 1. ad Timoth. 2. *Deus vult omnes homines saluos fieri*, respondetur cum D. Th. *1. p. q. 19. art. 6. ad 1.* Deum velle voluntate antecedente, non verò consequente omnes saluos fieri, propterea non sequitur omnes homines de facto saluandos esse, aut baptizandum esse infantem in vtero matris existentem, sicut non sequitur saluandum esse peccatorem ex hac vita cum mortali decedentem: videantur aliæ duæ solutiones, quas adducit D. Thom. *loc. cit.* &c.

---

## Articulus VI.

## De dispositione suscipientis Baptismum.

### Summarium.

1. *Rationes dubitandi proponuntur, probando quòd ex parte adulti dum suscipit Baptismum non requiritur intentio, nec fides, nec contritio, nec attritio.*
2. *Veritas aperitur, explicando, quotuplex possit esse intentio in suscipiente Baptismum.*

3. *An in ſuſcipiente Baptiſmum requiratur intentio actualis, vel virtualis.*
4. *An ſit validus Baptiſmus collatus dormienti, vel furioſo, & amenti; &, an ſit validus ſi ab amente conferatur.*
5. *An indifferenter accedens ad Baptiſmum, ſi baptizetur, validus ſit Baptiſmus.*
6. *An adultus volens baptizari, & ad hoc inducitur coactus, vel metu mortis, ſi baptizetur, Baptiſmus ſit validus.*
7. *An inuitus voce tantùm affirmans, ſe velle baptizari, validè baptizetur.*
8. *Quomodo intentio requiſita ad Baptiſmum, reperiatur in paruulis, & in amentibus à natiuitate, explicatur.*
9. *An liceat baptizare amentem, de quo ambiguum fuit ſi ante amentiam habuerit vſum rationis, & talis Baptiſmus ſit validus.*
10. *An ad conſequendam gratiam Baptiſmi requiratur fides ſupernaturalis in ſuſcipiente, & an remittatur peccatum originale huiuſmodi fidem non habenti.*
11. *An in adultis ad ſuſcipiendum cum fructu Baptiſmum requiratur aliqua diſpoſitio, vel confeſſio ſacramentalis.*
12. *An ad ſuſcipiendum effectum Baptiſmi requiratur, vel ſufficiat attritio etiam cognita.*
13. *Quid ſit attritio requiſita vt diſpoſitio ad Baptiſmum ſuſcipiendum, & quotuplex, & an putans habere attritionem ſupernaturalem, ſi talem non habeat, iuſtificetur.*
14. *An attritio requiſita ad Baptiſmum debeat eſſe circa ſingula peccata, vel circa omnia in genere.*
15. *Quenam diſpoſitio requiratur ad ſuſcipiendum Baptiſmum in adulto non habente peccata actualia, ſed tantum originale.*
16. *Argumentis à principio reſpondetur.*

I. *Rationes dubitandi proponuntur probando quòd ex parte adulti dum ſuſcipit Baptiſmum, non requiritur intentio, nec fides, nec contritio, nec attritio.*

Videtur quòd ex parte adulti ſuſcipientis Baptiſmum non requiratur intentio: nam Baptiſmus datur contra peccatum originale; ſed originale peccatum contrahitur ſine intentione naſcentis: ergo Baptiſmus non requirit intentionem ex parte baptizati. Quòd non requiratur fides in ſuſcipiente Baptiſmum, probatur: nam infidelis perſeuerans in infidelitate, ſi tamen baptizatur, habeátque intentionem Baptiſmum recipiendi, verum recipit Sacramentum, vt fatetur D.Thom. 3. *part. quæſt.* 68. *art.* 8. *ad quartum.* ergo, &c. Quòd neque contritio, neque attritio in adultis requiratur ad effectum Baptiſmi ſuſcipiendum, probatur. nam, vt docet Gabriel *in* 2. *diſt.* 32. *q.* 1. adultus accedens ad Baptiſmum, cum intentione ſuſcipiendi illum, & cum complacentia alicuius peccati mortalis, ſuſcipit characterem baptiſmalem, & conſequitur remiſſionem peccati originalis, & conſequenter etiam ſecundùm opinionem Gabrielis conſequitur remiſſionem peccatorum actualium, nequit enim peccatum originale remitti ſine aliis peccatis mortalibus, cùm remittatur per Ieſu Chriſti Domini noſtri gratiam, vt definit ſacrum Concilium Trid. *ſeſſ.* 5. *de peccato originali.* diuina autem gratia nullum peccatum mortale admittit; ſed habens complacentiam alicuius peccati mortalis, neque contritionem, neque attritionem habet. ergo adultus totalem effectum Baptiſmi conſequi poterit, neque contritionem, neque attritionem habens.

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

DVBITATIO I.

*Quotuplex poſſit eſſe intentio in ſuſcipiente Baptiſmum?*

Dico primò, intentio ſuſcipiendi Baptiſmum poteſt eſſe triplex, actualis, virtualis, & habitualis. Actualis eſt quando quis intendit, & vult ſuſcipere ſacramentum Baptiſmi. Virtualis eſt, quæ poſtquam actualis præceſſit, adhuc virtualiter durat virtute actualis intentionis, nec eſt moraliter interrupta per oppoſitam intentionem, aut per longam temporis moram interpoſitam: habitualis verò intentio eſt illa, qua quis facit aliquid ex habitu, vel manens in illo habitu ſuſcipit aliquid, vt ſi quis multoties voluiſſet baptizari, vt habitum genuiſſet in ſe ſuſcipiendi Baptiſmum, ſi pòſt diſſentiens baptizaretur, dici poſſet habitualiter conſentire, & intentione habituali ſuſcipere Baptiſmum; ſed re vera non ſuſciperet ſacramentum Baptiſmi, vt bene docet Sotus *in* 4. *diſt.* 5. *q. vnica, art.* 7. *ad finem verſ. Aliter autem.* Videatur pro hac diſtinctione idem Sotus *in* 4. *diſt.* 1. *q.* 5. *art.* 8. §. *Hic autem animaduertendum eſt.* Scotus *in* 4. *d.* 6. *q.* 6. Bonacina *tom.* 1. *diſp.* 1. *quæſt.* 3. *de Sacramentis in genere, puncto* 2. §. *Tertiò, num.* 3.

DVBITATIO II.

III. *An in ſuſcipiente Baptiſmum requiratur intentio actualis, vel virtualis?*

Dico ſecundò, in adulto baptizando requiritur intentio actualis, aut virtualis recipiendi Baptiſmum. Probatur ex verbis D. Auguſtini *tract.* 72. *in Ioannem, tom.* 9. & refert D.Thom. 3. *p. q.* 68. *art.* 4. *in arg. Sed contrà, qui creauit te ſine te, non iuſtificabit te ſine te.* ergo actualis, vel virtualis ſaltem conſenſus, &c. tum, quia baptizatus ſuſcipiendo Baptiſmum multas ſumit obligationes: æquitas autem non patitur vt qui præditus eſt vſu rationis, adſtringatur ad illas, niſi conſentiat, & intendat eas ſubire ſuſcipiendo Baptiſmum voluntariè. Ita D.Thom. 3. *part. q.* 68. *art.* 7. Sotus *in* 4. *diſt.* 5. *quæſt. vnica, art.* 7.

Dico tertiò, virtualis intentio ſi moraliter duret, nec ſit retractata in adulto, ſufficit: quia poſitiua voluntas præterita non retractata ſatis eſt vt Baptiſmus cenſeatur voluntarius, ex his quæ docet D.Thom. 3. *p. quæſt.* 68. *art.* 12. habitualis verò intentio non ſufficit; quia etſi hæc ſupponat aliquando actualem fuiſſe, poteſt tamen eſſe interrupta per oppoſitam intentionem, imò ſimul poteſt eſſe cum actu contrario non ſuſcipiendi Baptiſmum, vt patet in exemplo poſito in prima aſſertione de eo, qui multoties petendo Baptiſmum, habitum genuiſſet, ſi iſte poſtmodum actualiter diſſentiens, Baptiſmate initiaretur, diceretur habitualiter conſentire, non tamen eſſet validus Baptiſmus. ita bene Sotus *in* 4. *cit. diſt.* 5. *q. vnica, art.* 7. *fine.*

DVBITATIO III.

IV. *An ſit validus Baptiſmus collatus dormienti, vel furioſo, & amenti? &, An ſit validum ſi ab amente conferatur?*

Dico quartò, conſequenter validus eſt Baptiſmus collatus dormienti, qui Baptiſma petierat ante ſomnum, & voluntatem ſuſcipiendi illud non reuocauerat: quia hic dicitur habere intentionem virtualem, quæ ſufficit ſi non ſit retractata. Idem dicendum eſt

est de furioso, & amente, qui dum haberent lucida rationis interualla, petierunt Baptismum, etiamsi postea dum baptizantur, resistere videantur, quia illa resistentia non repugnat intentioni antea elicitæ, cùm ista resistentia, quæ tunc temporis contingit, non sit actus humanus: videatur pro hac assertione D. Augustinus *lib 4. Confess. cap* 4. D. Thom. 3. *p. q.* 68. *art.* 12. Sotus *in 4 dist. 5. quæst 5. art.* 12. *concl.* 2. Innocentius III. *in cap. maiores, de Baptismo.*

Sed contrà occurrit argumentum, nam licèt dormiens, vel amens voluerit antè administrare Baptismum, tamen si postea in amentia, vel somno administret, Baptismus non valet; ergo neque valebit si quis in amentia, vel somno Baptismum suscipiat, quamuis antea voluerit suscipere. Respondetur cum Magistro Soto *in 4. dist. 5. quæst. vnica, art. 7 fine*, negando consequentiam, & ratio discriminis est, quoniam administratio Baptismi, actio quædam est: susceptio autem Baptismatis non est nisi quædam passio; quocirca plus requiritur ad Baptismi administrationem libertam & voluntariam, quàm ad susceptionem. sicut generatim plus est agere, quàm pati: vt igitur virtualiter censeatur quis velle baptizare, necesse est, vt præter propositum illud baptizandi antecedens, ipsam etiam externam actionem baptizandi exerceat deliberatè, & liberè; actio enim sacramentalis debet esse actus humanus: itaque actio Baptismi requiritur vt sit voluntaria de præsenti dum fit: passio verò, seu susceptio Baptismatis, satis est vt per antecedens propositum sit voluntaria. Ita bene Magister Soto *loco nuper allegato*, quem sequitur Valentia *tom. 4. disp. 4. q. 3. de suscipientibus Baptismum puncto 2. ad finem.*

## Dvbitatio IV.

V. *An indifferenter accedens ad Baptismum, si baptizetur, validus sit Baptismus?*

Dico quintò, si adultus neuter accederet ad Baptismum, hoc est, nec consentiens, nec dissentiens, nō susciperet Sacramentum. Probatur, nam, vt docet D. Th. 3. *p. q.* 68. *art.* 7. *ad* 2. si in adulto deesset intentio suscipiendi Baptismum, esset rebaptizandus, & si de illa dubitaretur, baptizandus esset sub conditione. ergo si daretur homo neuter nec assentiens, nec dissentiens, non esset baptizatus. Ita bene infert Magister Sotus *in 4. dist. 5. q. vnica, art. 7. §. Quintò id confirmatur.*

Sed occurrit hic argumentum. nam baptizatus non se habet vt agens, sed vt patiens: intentio autem non requiritur ex parte patientis, sed ex parte agentis. ergo nulla intentio requiritur in baptizato; ergo si neuter accedit, suscipit Sacramentum. Respondetur cum D. Th. *loc. cit.* baptizatum non esse passum merè naturale, veluti lignum dum incenditur ab igne, sed esse passum liberum, & ideo requiritur in eo intentio, non quidem agendi, sed tantùm recipiendi. Ratio huius est; quia Baptismum suscipere est nouam fidem, & legem, nouámque militiam spiritualem profiteri. ergo liberè debet homo adultus illum suscipere, sicuti ille, qui in aliquam Religionem, aut in militiam sæcularem conscribitur, liberè in illam ingreditur, & eam suscipit. ergo, &c.

## Dvbitatio V.

VI. *An adultus volens baptizari, & ad hoc inducitur coactus, vel metu mortis, si baptizetur, Baptismus sit validus?*

Dico sextò, vt sacramentum Baptismi validum sit, sufficit consensus voluntarius simpliciter, quamtumuis sit inuolontarius secundùm quid, id est, vi, aut metu extortus, siue metus sit ab intrinseco, vt si quis ex metu mortis intrinsecus, seu diuinitus illato susciperet Baptismum, siue sit ab extrinseco ex causis naturalibus incussus, vt si quis ad euitandum mortis periculum in mari Baptismate initiaretur: siue sit metus ab extrinseco à causa libera ab homine incussus per iniuriam, videlicet in illum finem, vt quis baptizetur, verè tunc iste talis susciperet sacramentum Baptismi, quantum ad characterem, & fidem mortuam, non autem gratiam. Probatur, quia iste consensus est simpliciter, & absolutè consensus, vt docet Arist. 3. *Ethic.* ergo sufficit ad valorem Baptismi. Hæc assertio habetur diffinita *in cap. maiores, de Baptismo,* & priùs tradita fuerat in Concilio Tolet. IV. *c.* 56. prout habetur *in can. de Iudæis, dist.* 45.

Sed contrà. nam consensus coactus in sacramento Matrimonij non valet; ergo neque etiam in sacramento Baptismi. Respondetur negando consequentiam, & ratio discriminis est; quia valor matrimonij in ratione Sacramenti fundatur in contractu humano, qui ibi intercedit. Contractus autem humanus naturalis, & ciuilis metu mortis initus, est ipso iure inualidus: ergo destructo fundamento destruitur id quod fundatur in illo, nempe valor matrimonij in ratione Sacramenti: secus est de sacramento Baptismi, quod cùm natura ipsius Sacramenti characterem imprimat, quomodocumque quis consentiat; iure diuino obligatur ad seruandam fidem, & legem Christi: videatur Magister Sotus *in 4. dist. 5. quæst. vnica, art. 7. concl. 2.*

## Dvbitatio VI.

VII. *An inuitus voce tantùm affirmans se velle baptizari, validè baptizetur?*

Dico septimò, simpliciter inuitus, si baptizari cogatur, non suscipit Sacramentum: simpliciter autem inuitus ille dicitur, qui absolutè dissentit, quia aliàs sequeretur inuitum simpliciter ad obseruandā Christianæ fidei legem esse compellendum, quod Christianæ Religioni aduersatur, & diuinæ prouidentiæ, quæ cuncta suauiter disponit, maximè in his quæ pertinent ad fidem, & legem Euangelicam. hæc assertio est decreta ab Innocentio III. *d. cap. maiores, de Baptismo.* si quis tamen inuitus simpliciter exteriùs voce consentiret suscipiendo Baptismum, posset compelli ab Ecclesia ad seruandam fidem & legem Christi, quamuis reuera non esset Christianus: quia ipsa tantùm iudicat de exterioribus. Ita bene obseruauit Sotus *loco nouissimè adducto, propos. 1. ad finem.*

## Dvbitatio VII.

VIII. *Quomodo intentio requisita ad Baptismum reperiatur in paruulis, & in amentibus à natiuitate?*

Dico octauò, in paruulis carentibus vsu rationis Christus, & Ecclesia supplet intentionem, & dispositionem dum sacro Baptismate initiantur. Probatur, quia sicut voluntas Adami sufficit ad contrahendum peccatum originale, ita etiam voluntas, & fides Ecclesiæ respectu infantium qui voluntatis actum nequeunt elicere, sufficit ad suscipiendum dignè, & validè Baptismum. Ratio est D. Thom. 3. *part. quæst.* 68. *art.* 9. *ad* 2. Idem dicendum est de amente perpetuò à natiuitate, non habente lucida rationis interualla, vt docet idem S. Doctor 3. *part. quæst.* 68. *art.* 12.

### Dubitatio VIII.

IX. *An liceat baptizare amentem, de quo ambiguum fuit si ante amentiam habuit vsum rationis, & talis Baptismus sit validus?*

Dico nonò, amens qui post sanam mentem incidit in amentiam, si de eo dubitatur, an petierit Baptismum ante amentiam, est baptizandus sub conditione, si petiit Baptismum, modò non constet permansisse in statu peccati mortalis vsque ad vltimum articulum vsus rationis; quia melius est ipsum decedere cum dubio Baptismo, & sub conditione collato, quàm sine vllo Baptismo. Ita Bonacina *q.2. de Baptismo, disp.2. punct.6. num.10 tom.1.* Veruntamen si constet in statu peccati mortalis permansisse, vt in concubinatu, non est baptizandus; quia baptizaretur cum obice, & Sacramentum administraretur indigno. Ita bene Sotus *in 4. d.5. q.vnica, art.12.§. His tamen non obstantibus.*

### Dubitatio IX.

X. *An ad consequendam gratiam Baptismi requiratur fides supernaturalis in suscipiente, & an remittatur peccatum originale huiusmodi fidem non habenti?*

Dico decimò, ex parte intellectus in adultis suscipientibus Baptismum ad consequendum vltimum illius effectum, nempe gratiam & remissionem peccatorum tum originalis, tum actualium, requiritur recta fides supernaturalis: secundùm illud ad Rom. 3. *Iustitia Dei est per fidem Iesu Christi.* D.Thom. *3.part. q.68. art.8.* Sanctum Thomam sequitur Suarez *tom.3. in 3.part. disp.28. sect.2. §. Dico tertio.* Ad suscipiendum tamen validè Sacramentum eiúsque characterem cum mortua fide, non est necessaria in suscipiente recta fides supernaturalis, sed sufficit volitio suscipiendi Sacramentum: quoniam Baptismus non perficitur per iustitiam, & fidem illius, qui confert, aut suscipit, sed per virtutem Dei, vt habetur *de consecr. dist.4. can. Baptismus*, & docent D.Thom. *loco cit.* Sotus *in 4. dist. 5. q.vnica, art.8. concl.2.*

Dico vndecimò, adultus habens voluntatem suscipiendi Baptismum, & de facto illum suscipit, si non habet rectam fidem, licèt sit regeneratus in Christo, quoad veram Sacramenti susceptionem, & quoad impressionem characteris, non tamen consequitur remissionem peccati originalis, & multo minus actualium. Ita docet D.Th. *3.p.q.69.art.10. in corp.* & probatur, nam adultus suscipiens Baptismum sine recta fide, non consequitur gratiam; sed remissio peccati originalis & actualium fit per Iesu Christi Domini nostri gratiam, vt definit sacrum Concilium Trid. *sess.5. de peccato originali.* ergo, &c. Vnde non bene Gabriel *in 2. d.32.q.1.* asserit in adultis ad remissionem peccati originalis sufficere voluntatem suscipiendi Baptismum, & meritò illum impugnant Suarez *tom.3. in 3.part. disp.28. sect.1.* Nugnus *3.p.q.69.art.9.dub.4.*

### Dubitatio X.

XI. *An in adultis ad suscipiendum cum fructu Baptismum requiratur aliqua dispositio, vel confessio sacramentalis?*

Dico duodecimò, in adultis qui cum peccato originali habent coniunctum aliquod peccatum mortale, prætet voluntatem suscipiendi Baptismum ex parte voluntatis, requiritur aliqua dispositio, quæ consistit in aliqua conuersione ad Deum, cum detestatione, seu pœnitentia prioris vitæ, vt eum fructu suscipiant Baptismum. Probatur. nam ei, qui lethaliter peccauit, pœnitentia est medium ad salutem necessarium, iuxta verba Domini Luc. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* ergo hæc dispositio est necessaria omnibus peccatoribus, etiam baptizandis, &c. Ita D.Thom. *3 part. quæst.68. art.6.*

Dico decimotertiò, non tamen est necessaria confessio sacramentalis ad suscipiendum Baptismum cum fructu. Probatur, quia ante Baptismum nullus est capax sacramenti Pœnitentiæ, cùm Baptismus sit ianua Sacramentorum omnium: tum, quia peccata commissa ante Baptismum non sunt sufficiens materia sacramenti Pœnitentiæ, etiam post Baptismum susceptum, quia fuerunt commissa extra forum Ecclesiæ: videatur D.Thom. *3.p.q.68.art.6.*

### Dubitatio XI.

XII. *An ad suscipiendum effectum Baptismi requiratur, vel sufficiat attritio etiam cognita?*

Dico decimoquartò, ad effectum huius Sacramenti suscipiendum non est necessarium vt homo accedat iam iustificatus per veram contritionem, sed sufficit attritio, etiam si sit cognita. Probatur, quia Baptismus per se, & ex sui natura habet virtutem ad causandam primam gratiam, & ad faciendum hominem ex attrito contritum; ergo est sufficienter dispositus ad Baptismum & effectum illius suscipiendum, qui cum sola attritione accedit. Antecedens probatur, nam, vt diffinit sacrum Concilium Trid. *sess.14. c.4.* sacramentum Pœnitentiæ facit ex attrito contritum: ergo multo magis Baptismus; quia cùm Baptismus sit quædam generatio spiritualis, multo magis ordinatur ad causandam vitam spiritualem de nouo, quàm pœnitentia: quòd autem dispositio sufficiens sit attritio cognita, probatur, quoniam Sacramentum mortuorum, vt est Baptismus, per se habet causare primam gratiam, & facere ex attrito contritum. ergo ad effectum Baptismi suscipiendum per se loquendo propria dispositio est attritio. ergo, etiam si homo cognoscat se tantùm habere attritionem, potest dignè accedere ad hoc Sacramentum. Patet hæc vltima consequentia, quoniam non tenetur homo applicare huic causæ producenti per se primam gratiam, nisi suam propriam dispositionem: & ita hanc sententiam tenet exprèsse D.Th. *3.p.q.79. art.3. ad 2. & infrà q.80. art.4. ad secundum.*

### Dubitatio XII.

XIII. *Quid sit attritio requisita vt dispositio ad Baptismum suscipiendum? &, Quotuplex sit? &, An putans habere attritionem supernaturalem, si talem non habeat iustificetur?*

Dico decimoquintò, pro explicatione præcedentis assertionis duplex est attritio, altera naturalis, altera supernaturalis. Attritio naturalis est dolor de peccatis propter naturalem turpitudinem ipsius peccati, quod est contra bonum virtutis naturalis, & contra ipsum auctorem naturæ; attritio verò supernaturalis est dolor de peccato propter pœnas Inferni vitandas ex aliquo motiuo supernaturali elicita. Ita Nugno *tom.1. in 3. part. quæst 69. art 9. dubio 4. in princ.* hæc attritio sufficiens ad effectum Baptismi debet esse supernaturalis ex motiuo aliquo supernaturali per auxilium diuinæ gratiæ elicita. Probatur, quia hæc attritio

attritio est dispositio ad supernaturalem formam, nempe gratiam iustificantem, & ad tollendam auersionem a fine supernaturali: ergo necesse est vt ipsa sit supernaturalis, & consequenter vt fit ex motiuo supernaturali, & à Deo operante per auxilium gratiæ, quatenus est causa supernaturalis, & ita fatetur Concilium Tridentinum esse donum Dei, & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat. hactenus Concil. *sess. 14. c. 4. de contritione.* Tum, quia dispositio in adulto ad effectum sacramenti Baptismi consequendum debet esse supernaturalis ex parte intellectus, nempe fides recta supernaturalis, vt diximus cum S. Thom. 3. *part. quæst. 68. art. 8. assertione* 10. ergo dispositio requisita ex parte voluntatis, nempe attritio, debet esse supernaturalis, imò multo magis, quia dispositio intellectus est magis remota. Dispositio autem voluntatis est propinquior, & magis perficit conuersionem, & sanctificationem hominis, & ita hanc sententiam tenet Nugno *tom. 1. in 3. part. quæst. 69. art. 9. dub. 4. concl. 3.* Medina 1. 2. *quæst. 109. art. 6. ad finem commenti, vers. ad quartum dicunt quidam,* hos sequitur Bonacina *tom. 1. disp. 2. quæst. 2. de Baptismo, puncto 6. n. 25.*

Dico decimosextò, adultus accedens ad sacramentum Baptismi, qui verè & realiter non habet attritionem supernaturalem, quantumuis probabiliter putet se habere illam, non iustificabitur, poterit tamen hic excusari à peccato. Prima pars probatur, quia in adulto, ad iustificationem vt medium necessarium requiritur propria dispositio, quæ saltem est attritio supernaturalis cum susceptione Sacramenti, vt probauimus assertione præcedenti: ergo adultus accedens ad sacramentum Baptismi cum attritione naturali, existimata attritione supernaturali non iustificabitur. Secunda pars probatur, quia inuincibiliter, & inculpabiliter putat se habere veram attritionem supernaturalem: ergo saltim excusabitur à præsenti peccato. Ita bene Nugno *quæst. 69. cit. art. 9. dub. 3.*

Sed contra primam partem huius assertionis vrget argumentum. nam accedens ad sacramentum Eucharistiæ cum attritione supernaturali, si probabiliter existimat se habere contritionem, verè iustificatur. ergo etiam qui accedit ad Baptismum cum attritione existimata supernaturali, licèt verè & realiter sit naturalis. Antecedens conceditur ab omnibus, & ratio est, quia sacramentum Eucharistiæ est Sacramentum nouæ legis, quod ex opere operato secundùm saltem rationem genericam habet facere ex attrito contritum, & causare primam gratiam; ergo accedens ad illud in aliquo casu necessitatis cum attritione supernaturali, existimata probabiliter contritione iustificabitur. Consequentia verò argumenti principalis probatur: nam ad effectum Eucharistiæ, per se loquendo, necesse est, vt homo accedat verè contritus, & tamen per accidens propter ignorantiam, & bonam fidem potest sufficere existimata contritio, licèt vera non sit. ergo pari ratione licèt in sacramento Baptismi per se loquendo requiratur vera attritio supernaturalis, ob ignorantiam poterit sufficere solùm existimata. Respondetur cum Nugno *loco nouissimè adducto, solutione ad* 3. concedendo antecedens, & negando consequentiam, & ad impugnationem negamus similiter consequentiam, & ratio discriminis est, quia qui accedit ad Baptismum cum sola attritione existimata, re vera nullam habet dispositionem ad iustificationem; qui verò accedit in aliquo casu necessitatis, puta quando non est copia Confessoris ad Eucharistiam cum vera attritione existimata, tamen cū contritione iam in re habet aliquam verám dispositionem, quæ licet non sufficiat, per se loquendo, ad Eucharistiam secundùm vltimam differentiam, sufficit tamen secundùm rationem genericam Sacramenti nouæ legis, & etiam secundùm rationem specificam sacramenti Eucharistiæ, sufficit per accidens, & sic iste iustificabitur, quia secum affert sufficientem dispositionem per se loquendo ad sacramentum Eucharistiæ secundùm rationem genericam Sacramenti nouæ legis, & per accidens supposita ignorantia inuincibili ad idem Sacramentum secundùm rationem specificam: attritio verò naturalis existimata supernaturali, & vera attritione ad nullum Sacramentum neque per se, neque per accidens, est sufficiens dispositio: vnde non est eadem ratio.



## Dubitatio XIII.

XIV. *An attritio requisita ad Baptismum debeat esse circa singula peccata, vel circa omnia in genere?*

Dico decimoseptimò, hæc attritio supernaturalis quæ est pœnitentia imperfecta, & detestatio vitæ prioris, & eam adultus habere debet ad effectum Baptismi consequendum, non est necessarium quòd feratur supra singula peccata expressè, & in specie, sed satis est, quòd baptizandus doleat de aliquibus peccatis in specie, & de reliquis in confuso, & in genere, imò sufficit, quòd doleat de omnibus in genere. Probatur, nam in sacramento Pœnitentiæ ideo requiritur dolor de singulis peccatis mortalibus in specie, licèt non requirantur singuli dolores de singulis sigillatim, quia in illo Sacramento eiusmodi dolor ordinatur ad rectam confessionem, quæ vt debet esse singulorum in specie peccatorum, explicando tamen numerum illorum, ita etiam oportet esse singulorum peccatorum in specie, sed in sacramento Baptismi, vt diximus *assertione* 13. non est necessaria confessio sacramentalis, neque omnium in genere, neque singulorum peccatorum in specie. ergo non est necesse vt aliquis in Baptismo de vllis peccatis in specie doleat, sed satis fore si doleat de omnibus in genere, & ita opinantur Caiet. 3. *part. q. 86. art. 2. in responsione ad primum. §. Ad hoc dicitur quod Baptismus*, quem sequitur Valentia *tom. 4. disp. 4. q. 3. de Baptismo, puncto 3. vers. Iam dico tertiò.*

## Dubitatio XIV.

XV. *Quanam dispositio requiratur ad suscipiendum Baptismum in adulto non habente peccata actualia, sed tantùm originale?*

Dico decimooctauò, si daretur adultus cum solo peccato originali, quod in sententia D. Thomæ non est possibile, vt dicemus assertione sequenti, quando susceptutus esset Baptismum, non teneretur elicere actum pœnitentiæ attritionis, vel contritionis: quia pœnitentia est de peccatis commissis ab ipso pœnitente; cùm autem adultus cum solo originali, propria voluntate, nullum commiserit peccatum actuale, non requiritur in ipso pœnitentia, & detestatio peccatorum, quando initiandus est Baptismate, vt dignè, & cū effectu suscipiat illud. Requiritur tamen in isto casu in adulto propositum seruandi legem Dei, cum voluntate suscipiendi Baptismum, & fide recta supernaturali; quia qui recipit aliquam legem, debet habere propositū seruandi illam, sed qui baptizatur de nouo, recipit legē Christianam. ergo, &c. Quòd autē requiratur fides

recta supernaturalis, iam supradictum est *assertione* 10. Ita bene Nugno *tom. 1. in 3. p. q. 62. art. 1. diffic. 3. concl. 3. ad finem, & q. 69. art. 9. dub. 4. concl. 1.*

Dico decimonono, casus assignatus assertione præcedenti est impossibilis. Probatur ratione elicita à S. Thoma 1. 2. q. 89. *art.* 6. nam aut puer in primo instanti vsus rationis conuertitur ad Deum, aut non: si conuertitur, accipiet à Deo gratiam, per quam remittetur ei peccatum originale, hæc enim conuersio, inquit D. Th. esset ex speciali auxilio Dei supernaturali, & consequenter sufficiens esset dispositio ad iustificationem pueri: si autem puer tunc non conuertitur ad Deum, eo ipso peccabit mortaliter contra præceptum illud affirmatiuum Zachariæ 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* ergo nunquam erit adultus cum solo peccato originali. Videantur D. Th. *loc. cit.* Caiet. & Medina *ibi*, Nauarrus *summa c.* 11. *n.* 8.

XVI. *Argumentis à principio respondetur.*

Ad primum argumentum, quod militat contra secundam & tertiam assertionem, respondetur Baptismum nedum esse ordinatum contra originale, sed etiam contra actualia peccata quæ per propriam voluntatem & intentionem causantur. ergo similiter in adultis propria voluntas, & intentio suscipiendi Baptismum requiritur. Videatur D. Thom. 3. *p. q.* 68. *art.* 7. *ad* 3. Imò si daretur adultus cum solo originali, adhuc exigeretur ab eo intentio Baptismi suscipiendi in remissionem originalis culpæ: quia eo ipso quòd suscipit Baptismum, etiam si non haberet nisi solum originale, nouam fidem & legem Christianam liberè, & cum intentione profiteri tenetur. Ita bene obseruat Magister Sotus *in 4. dist. 5. quæst. vnica, art. 7. § Quintò id confirmatur.*

Ad secundum quod pugnare videtur contra 10. assertionem, patet ex dictis in eadem nostra 10. assertione. nam argumentum tantùm probat eum, quem constat in infidelitate permanere, non esse baptizandum: si tamen habet intentionem suscipiendi Baptismum, & baptizatur, Sacramentum suscipit, & characterem, non tamen remissionem peccatorum, neque etiam originalis, cùm non suscipiat gratiam iustificantem.

Ad tertium respondetur negando maiorem, temerarium enim est, & proximum errori asserere ad tollendum peccatum originale sufficere quòd adultus velit suscipere Baptismum, etiam si non habeat rectam fidem, & attritionem prioris vitæ: hoc, inquam, est temerarium, & errori proximum: nam sacrum Concilium Tridentinum *sess.* 5. *de peccato originali,* multoties repetit non esse remissionem peccati originalis sine infusione gratiæ, sed adultus suscipiens Baptismum non habens rectam fidem, & attritionem prioris vitæ, non suscipit gratiam iustificantem. ergo neque etiam remissionem peccati originalis, cùm hæc non habeatur nisi per Iesu Christi Domini nostri gratiam. Videatur Nugno *tom. 1. in 3. part. quæst. 69. art. 9. dubio 4. concl. 1.*

## ARTICVLVS VII.

## De effectibus principalibus Baptismi.

*SVMMARIVM.*

1. *Rationes dubitandi proponuntur.*
2. *Veritas aperitur, explicando, an in Baptismo imprimatur character, & infundantur cum gratia cætera virtutes.*
3. *An per Baptismum ne dum originale, verùm etiam omnia alia peccata remittantur.*
4. *An per Baptismum tollantur peccata, quæ fiunt in actuali susceptione eiusdem.*
5. *An fictè accedenti ad Baptismum remittatur hoc peccatum irreligionis per Baptismum, & nisi remittatur, an teneatur illud confiteri simul cum peccatis factis ante Baptismum si de illis in Baptismo non doluerit.*
6. *An per Baptismum deleantur ne dum pœnæ debitæ pro peccatis, verùm etiam pœnalitates naturales.*
7. *An per Baptismum tollatur irregularitas in baptizato.*
8. *An fictè accedens ad Baptismum, illum validè suscipiat?*
9. *Rationibus in contrarium à principio respondetur, & explicatur, à quonam attritio habeat validitatem?*
10. *In quo differant Circumcisio, & Baptismus.*

I. *Rationes dubitandi proponuntur.*

Videtur quòd per Baptismum non tollantur omnia peccata, nec liberetur homo ab omni reatu peccati, nec conferantur eidem per Baptisma gratia, & virtutes: nam pœnitentia est sufficiens causa remissionis actualium peccatorum, & aliquando potest esse ita perfecta vt remittantur etiam per illam quantum ad totam pœnam: sed ante Baptismum in adultis requiritur pœnitentia, secundùm illud Actor. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrùm* ergo Baptismus nihil operatur circa remissionem actualium peccatorum in adultis, neque circa remissionem pœnæ si præcessit pœnitentia perfecta, per hanc enim aliquando totus pœnæ reatus remittitur; neque per illum infunduntur gratia, & virtutes, quia per pœnitentiam perfectam adultus iustificatur, & recipit consequenter gratiam, & virtutes omnes supernaturales. Quod autem non imprimat characterem, probatur: nam sicut in veteri lege per Circumcisionem distinguebatur fidelis ab infideli, erat enim signaculum iustitiæ fidei, vt dicit Apostolus ad *Rom.* 40. Ita etiam nunc per Baptismum distinguitur fidelis ab infideli; sed Circumcisio, quæ erat signaculum fidei, non imprimebat aliquem characterem in anima, vt fatetur D. Thom. 3. *part. quæst.* 63. *art.* 1. *ad* 3. ergo neque etiam Baptismus.

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

DVBITATIO I.

*An in Baptismo imprimatur character, & infundantur cum gratia cætera virtutes?*

Dico primò, per Sacramentum Baptismi imprimitur character: character autem est potentia quædam spiritualis in intellectu animæ ad aliquid agendum, vel recipiendum: character quidem Baptismi ad recipiendum alia Sacramenta; Ordinis verò, & Confirmationis ad agendum alia munia spiritualia, vt docet D. Thom. 3. *part. quæst.* 63. *art.* 2. *& 4.* Probatur modò conclusio ex sacro Concilio Tridentino *sess.* 7. *can.* 9. *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, & indelebile, vnde ea iterari non possint, anathema sit.* ergo, &c.

Dico secundò, Baptismus confert gratiam cum reliquis virtutibus, & donis, quæ gratiam consequuntur, modò non adsit obex ex parte suscipientis. nam Sacramenta nouæ legis conferunt gratiam non ponentibus obicem semper & omnibus ex opere operato, vt docet sacrum Concilium Tridentinum *sess.* 7. *can.* 6. 7. *& 8. de Sacramentis in genere.* Sed Baptismus est

est Sacramentum nouæ legis; ergo ex opere operato confert primam iustificationem, cùm sit Sacramentum mortuorum, & cæteras virtutes quæ sunt cum ea annexæ: quod docuit D.Thom.ante Concilium Tridentinum 3.p.q.69.art.4.& 6.

Dico tertiò, paruulis per Baptismum non solùm remittitur peccatum originale, vt quidam perperam relati in *Clementina* 1.*de summa Trinitate, & fide Catholica*, renuerunt, sed etiam illis per Baptismum infunduntur gratia, & virtutes. Probatur ratione S.Thom. 3.*part.quæst.* 69.*art.* 6. Quia pueri, sicut & adulti, in Baptismo efficiuntur membra Christi. ergo necesse est, quòd à capite percipiant influxum gratiæ & virtutum.

Dico quartò, licèt olim fuerit dubitatum, an gratia & virtutes paruulis per Baptismum infunderentur, & ab Innocentio III. *in cap. maiores, de Baptismo*, & à Clemente V. cum Concilio Viennensi *in Clement.* 1. *de summa Trinitate, & fide Catholica*, hoc non fuerit de fide definitum, sed solùm probabilius existimatum, iam modò de fide certum est diffinitum in Concilio Florentino sub Eugenio IV. & in Concilio Tridentino *sess.*6. *de iustificatione, cap.*7. *& canone* 11. *eadem sess.*6. *de iustificatione*, vbi definitur iustificationem fieri per charitatem, & gratiam inhærentem, sed paruuli per Baptismum verè, & propriè iustificantur, & renascuntur ad vitam spiritualem. ergo, &c. Videatur pro hac assertione Nugno *tom.*1.*in* 3.*p.q.*69.*art.*6.*in Commentario.*

## Dubitatio II.

III. *An per Baptismum ne dum originale, verum etiam omnia alia peccata remittantur?*

Dico quintò, per Baptismum remittitur primò peccatum originale, & quidquid in eo veram rationem peccati habet: nam ad hoc est institutum, & id habetur definitum in Concilio Tridentino *sess.*5. *de peccato originali can.* 5. his verbis: *Si quis per Iesu Christi Domini gratiam quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam non totum id tolli, quod verum, & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit.*

Dico sextò, Baptismus cum originali culpa simul delet in adultis omnem actualem ante commissam si nullum fit ex parte suscipientis impedimentum. Hoc dictum est etiam de fide definitum in Concilio Florentino in decreto Eugenij. *Huius*, inquit, *Sacramenti effectus est remissio omnis culpa originalis, & actualis*; tum quia in iustificatione impij delentur omnia peccata, sed homines per Baptismum iustificantur, vt docet sacrum Concilium Tridentinum *sess.*14.*c.*1. ergo, &c. Et ita hanc & præcedentem assertionem ante Concilium docuit D.Thom.3.*part.quæst.*69.*art.*1.

## Dubitatio III.

IV. *An per Baptismum tollantur peccata, quæ fiunt in actuali susceptione eiusdem?*

Dico septimò, peccata commissa in ipsa susceptione Baptismi, quæ durant per actum positiuum vsque ad instans perfectionis Baptismi, non remittuntur per Baptismum, sed subiicienda sunt sacramento Pœnitentiæ, vt si quis velit baptizari eum animo, v.g. furandi, quem voluntatem habet positiuè in principio, in medio quando profertur forma Sacramenti, & etiam in vltimo instanti prolationis formæ: quia per Baptismum non remittuntur nisi peccata commissa ante ipsum. ergo peccatum quod committitur in ipso instanti, in quo perficitur sacramentum Baptismatis, Pœnitentiæ sacramento est subiiciendum: quæ est secunda tabula post naufragium, vt notauit sacrum Concilium Tridentinum *sess.*6. *de iustificatione, cap.*14. Peccatum enim quod positiuè perseuerat vsque ad instans in quo perficitur Sacramentum, consequenter etiam durat post illud instans, & sic non etit annumerandum inter peccata, quæ antecedunt Baptismum, vt optimè obseruauit Nugno *tom.* 1.*in* 4. *part. quæst.*69.*art.*10.*dub.*2. *ad* 1 *argumentum, vers. Ad Confirmationem respondetur.*

Sed contra hoc videtur pugnare doctrina D.Th. 3.*part quæst.*69.*art.*10.*in solutione ad secundum & tertium argumentum*: vbi docet quòd Baptismus remittit etiam peccata, quæ simul existunt cum ipso. Respondetur quòd D.Thom. intelligendus est de peccatis, quæ sunt illo tempore quo forma Baptismi profertur, & suscipitur Sacramentum, quæ tamen non durant per actum positiuum vsque ad instans perfectionis Sacramenti: vt si quis velit baptizari cum voluntate, & complacentia fornicandi, quam voluntatem, & complacentiam habet in principio, & in medio, quando profertur forma, si antequam proferatur forma, & compleatur Baptismus, statim cesset à tali voluntate, & complacentia per non considerationem, licèt illa macula habitualis maneat post Baptismum, dum tamen post Baptismum non adsit noua complacentia, atque adeò neque noua malitia, non tenetur illud peccatum confiteri, sed recedente fictione remittitur postea per ipsum Baptismum: videatur Nugno *loco citato, vers. ad argumentum sententiæ Scoti*; & ratio huius est, quia peccatum cuius complacentia positiuè non durat vsque ad vltimum instans completionis formæ Baptismi, inter peccata commissa ante susceptum Baptismum connumerandum est, & consequenter non erit materia subiicienda sacramento Pœnitentiæ, cùm fuerit commissum ante fotum Ecclesiæ.

## Dubitatio IV.

V. *An fictè accedens ad Baptismum remittatur illi hoc peccatum irreligionis per Baptismum, & nisi remittatur, an teneatur illud confiteri simul cum peccatis factis ante Baptismum, si de istis in Baptismo non doluerit?*

Dico octauò, fictio tamen formalis pro ipso peccato irreligionis, quod est quando quis accedit ad sacramentum Baptismi sine debita dispositione, quæ est attritio, vel contritio, vt suprà diximus, si duret vsque ad vltimum instans in quo perficitur sacramentum Baptismi, non remittitur per Baptismum, sed per sacramentum Pœnitentiæ. Itaque fictè baptizatus sine debita dispositione attritionis, vel contritionis, tenetur postea confiteri se suscepisse sacramentum Baptismi in peccato mortali irreligionis: quia peccatum quod perseuerat vsque ad vltimum instans inclusiuè, in quo perficitur sacramentum Baptismi, est subiiciendum sacramento Pœnitentiæ: vt diximus assertione præcedenti cum Nugno *loco ibi citato*: non tamē tenetur iste adultus sic fictè accedens ad Baptismum confiteri de peccatis commissis ante Baptismū, etiam si de illis in susceptione Baptismi non habuerit attritionem, quia illa sunt peccata hominis non baptizati, & antecedentia Baptismum, quæ remittuntur per Baptismum recedente fictione: ita præclarè Caiet.3.*part.q.*69 *art.* 10.§ *In responsione ad* 2. *&* 3. quem sequitur Nugno *dubio* 2.*citato conclus.* 4. Suarez *tom.*3. *disp.*28 *sect.*5.§ *nihilominus D.Thom.*

Sed occurrit contra hoc validum argumentum. nam contingere potest, quòd aliquis à principio susceptionis Baptismi velit Sacramentum sine debita reuerentia suscipere,& postea per non considerationem cesset ab illa volitione; ergo hæc fictio formalis remittetur per sacramentum Baptismi. Probatur consequentia. nam suprà diximus, quòd complacentia fornicationis,v.g.si positiuè non duret vsque ad vltimum instans, in quo perficitur forma Baptismi, non remanet materia sacramenti Pœnitentiæ, sed recedente fictione virtute Baptismi suscepti remittitur. ergo,&c.Respondetur negando consequentiam principalis argumenti; quia iste talis adhuc formaliter & actualiter est fictus, & irreligiosè positiuè accedit ad sacramentum Baptismi; quia neque contritus, neque attritus illum suscipit, & ista mala susceptio Sacramenti est sacrilegij species, & ita de hac irreuerentia debet conteri, & confiteri post Baptismum in sacramento Pœnitentiæ, quia cùm duret vsque ad vltimum instans, in quo perficitur Sacramentum, non est annumerandum hoc sacrilegium inter peccata commissa ante Baptismum. Cæterùm si actualis complacentia fornicationis, v.g. non durat in vltimo instanti, in quo consummatur Sacramentum, hoc peccatum annumerandum est inter peccata commissa ante Baptismum susceptum, vt colligitur ex S. Thom. *3.part. quæst. 69. art. 10. in solutione ad secundum & tertium.* Ideo recedente fictione remittitur per Baptismum, & non est subiiciendum sacramento Pœnitentiæ: & ita si in instanti, in quo perficitur Sacramentum, fictus mutaretur,& contereretur de suis peccatis, non diceretur fictè accessisse ad sacramentum Baptismi,& omnia peccata prioris vitæ simul cum irreligiositate illa, qua incepit ille fictus Sacramentum suscipere, remitterentur per Baptismum, & sic non indigeret sacramento Pœnitentiæ, cùm hæc omnia fuerint commissa ante completam Baptismi susceptionem: videatur D.Thom. *loco nuper allegato*, & *ibi* Caiet. Nugno *post quartam conclusionem, in solutionibus argumentorum.*

## Dvbitatio V.

### VI. *An per Baptismum deleantur nedum pœnæ debitæ pro peccatis, verùm etiam pœnalitates naturales?*

Dico nonò, sacramentum Baptismi non solùm confert gratiam qua deletur peccatum originale, & actuale, verùm etiam delet omnem pœnam peccatis debitam: hanc assertionem non solùm docuit D.Th. *3.part.quæst.69. art.2.* Sed etiam est definita in Concilio Florentino *in decreto Armenorum*, vbi habetur baptizatis non imponi satisfactionem pro peccatis præteritis. ergo Baptismus delet omnem pœnam, alioquin iniungenda esset satisfactio. Intelligitur hæc assertio de pœnis, quæ peccatis actualibus debentur, quæ per diuinam iustitiam sunt impositæ, quales sunt pœnæ Inferni, aut Purgatorij.

Dico decimò, Baptismus tamen non aufert omnes vitæ pœnalitates, huiusmodi sunt passibilitas corporis, ægritudines, dolores, mors, fomes peccati, quæ licèt secundùm se ex principiis naturæ oriantur, esséntque in homine in puris naturalibus condito quantum ad entitatem,& imperfectionem eorum, his tamen defectibus subuentum erat per originalem iustitiam, quam in primo suo parente totum genus humanum amisit, & ideo hi defectus in homine lapso non censentur merè naturales, sed pœnales, & per peccatum originale contracti, ideo à Theologis dicuntur pœnalitates: naturales quidem, quia secundùm se oriuntur ex principiis naturæ hominis; pœnales verò, quia modò in homine post lapsum consequuntur etiam in pœnam peccati, & amissæ iustitiæ originalis, manent istæ pœnalitates in homine post Baptismum ad exercitium virtutum, vt docet D.Thom. *3.part quæst.69.art.3* & ad reprimendam hominum superbiam, vt D.Augustinus dicit *lib. 4. contra Iulianum, cap.2.& lib.13 de ciuitate Dei, cap.4.*

## Dvbitatio VI.

### VII. *An per Baptismum tollatur irregularitas in baptizato?*

Dico vndecimò, licèt ante Baptismum nullus infidelis sit irregularis, irregularitas enim est inducta ab Ecclesia in suos subditos: infideles autem pro tempore infidelitatis non sunt subditi Ecclesiæ; ergo nec puniri debent vinculis & pœnis Ecclesiæ pro delictis commissis tempore infidelitatis, iuxta illud Apostoli 1.Corinth.cap.5. *Quid enim mihi de his, qui foris sunt, iudicare*; tamen defectus existens in homine ante Baptismum potest reddere illum irregularem post Baptismum: vnde defectus corporis, defectus natalium, bigamia, reddunt hominem irregularem post Baptismum: non tamen defectus lenitatis perfectæ, vt in iudice pœna mortis puniente reum, facit hominem infidelem irregularem post Baptismum. Syl. *verb. Baptismus 6. num. 2.* quem sequuntur Valentia *tom.4. disp.4. de effectibus Baptismi, quæst. 4. puncto 1. §. Porrò liberare.* Fillucius *tom.1. tract.20.c.10.quæst.1. num.256.*

Dico duodecimò, delictum existens in homine ante Baptismum non reddit hominem post Baptismum irregularem, & sic DD. communiter fatentur omnem irregularitatem consurgentem ex proprio delicto tolli per Baptismum: ita colligitur ex *can. deinde, dist.26. & can.vna, ead dist.* Ratio est, quia homo per Baptismum regeneratur, & fit quasi nouus homo, & consequenter omnis macula aufertur: ergo delictum existens in homine ante Baptismum, non reddit hominem irregularem post Baptismum, cùm per hunc omne delictum auferatur, & consequenter omnis macula, indecentia, & irregularitas, quæ in delicto, & in culpa fundatur. Armilla *verb. Irregularitas, num.87.* Suarez *tom.5. de cens.disp.41. sect. 1.num.2.*

## Dvbitatio VII.

### VIII. *An fictè accedens ad Baptismum, illum validè suscipiat?*

Dico decimotertiò, adultus fictè accedens ad Baptismum cum actuali complacentia alicuius culpæ lethalis, vel sine contritione, vel attritione prioris vitæ, licèt non recipiat tunc gratiam iustificantem, nisi postea recedente fictione, recipit tamen tunc, quando Baptismate initiatur, characterem baptismalem, quia regeneratur in Christo si habet voluntatem suscipiendi Baptismum quoad impressionem characteris, & recipit etiam habitum fidei infusum, ornatæ quidem, & spei supernaturalis. Probatur, quia sicut fides supernaturalis, & spes non pendent in conseruatione sua à gratia, & charitate; ita neque in infusione: tum, quia potest accidere quòd homo in Baptismo ponat obicem gratiæ, & charitati; non tamen fidei & spei, quia potest credere, & sperare, non tamen de peccatis dolere: ergo tunc sacramentum Baptismi habebit effectum circa fidem,& spem, quamuis non habebit circa alia dona. hæc assertio colligitur ex Soto *in 4.dist.5. art.8. concl.2.*

*concl.* 2. quem sequitur Suarez *tom.* 3. *in* 3.*part. disp.*28. *sect.*3. §.*Quocirca valde*,&c.

IX. *Rationibus in contrarium à principio respondetur,& explicatur*

## DVBITATIO VIII.

### *A quónam attritio habeat validitatem?*

Ad primum argumentum à principio positum, quod directè militat contra sextam & nonam assertionem; respondetur quòd interior ille actus pœnitentiæ,qui requiritur in susceptione Baptismi, remittit quidem si antecedit Baptismum, originalem culpam, & omnia alia actualia commissa ante Baptismum,& potest esse ita intensus & perfectus, vt remittat omnem pœnam illis debitam: si tamen adsit propositum suscipiendi Baptismum, nulla enim fit remissio peccatorum, nisi per virtutem Passionis Christi,quæ nobis applicatur in susceptione Sacramentorum,iuxta illud Apostoli ad Hebr. 9. *sine sanguinis effusione non fit remissio.* Vnde inutilis esset motus ille pœnitentiæ in adulto ante Baptismum, si non adsit propositum suscipiendi Baptismum,& sic valorem habet actus pœnitentiæ ante susceptum Baptismum ex intentione suscipiendi illum; post Baptismum verò ex intentione subiiciendi se clauibus per sacramentum Pœnitentiæ: & ideo quando adultus pœnitens ad Baptismum accedit, consequitur remissionem omnium peccatorum; ex proposito tamen ex intentione suscipiendi in se ipsum Baptismum.

Similiter post Baptismum adultus contritus consequitur remissionem omnium peccatorum mortalium: si tamen habeat intentionem, & propositum subiiciendi se clauibus per sacramentum Pœnitentiæ, & sic remissio peccatorum fit semper per Sacramenta, vel in voto,vel in re suscepta: videatur pro hac solutione D.Thom.3.*p.q.*69.*art.*1.*ad* 1. Sotus *in* 4. *d.*6.*q.*1. *art.*1.§.*At in contrarium*,&c.

## DVBITATIO IX.

X. *In quo differant Circumcisio & Baptismus?*

Ad secundum, quod pugnat contra primam assertionem,respondetur negando consequentiam:& ratio discriminis est inter Circumcisionem, & Baptismum, quòd Circumcisio per se non attingebat ad mundandam animam, atque adeò nullam habebat virtutem spiritualem conferendi gratiam, vel aliud quidpiam spirituale,& consequenter nec imprimebat characterem spiritualem in anima, neque Circumcisio erat ianua Sacramentorum spiritualium,sicut noster Baptismus, & ideo sufficiebat ibi in lege veteri signaculum illud corporale in carne, quo populus ille distinguebatur à cæteris nationibus.Cæterùm Sacramenta nouæ legis virtutem habent per se ex opere operato attingendi animam producendo gratiam iustificantem, & aliqua producendi characterem piritualem, vt est Baptismus, Ordo, & Confirmatio: quamuis Scotus *in* 4.*dist.*6.*quæst.vltima*,concedat Circumcisionem contulisse characterem. Videatur D.Th.*loc.cit.in argumento*.Sotus *in* 4.*dist.*1.*q.*4 *art.*1 *ad finem.*

---

## ARTICVLVS VIII.

## An Baptismus habeat in omnibus æqualem effectum?

### *SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua suadetur.*
2. *Veritas dilucidatur,explicando effectus Baptismi.*
3. *An contritus accedens ad Baptismum, recipiat maiorem, vel minorem gratiam, quo maior, vel minor fuerit eius dispositio.*
4. *An attritus accedens ad Baptismum recipiat maiorem,vel minorem gratiam, quo maior, vel minor fuerit attritio illius.*
5. *An contritus accedens ad Baptismum cum contritione remissa,recipiat maiorem gratiam, quàm attritus accedens cum attritione intensa.*
6. *An gratia gratis data,vt sanitas,& similia, concedantur in Baptismo ex dispositione maiori, vel minori ipsius suscipientis?*
7. *An Minister bonus, vel malus conferendo Baptismum,sit causa recipiendi maiorem, vel minorem gratiam.*
8. *Quid sit meritum de condigno,& congruo, & an in hominibus reperiantur respectu Dei.*
9. *Quotuplex sit congruitas meriti de congruo.*
10. *In quónam differant meritum de congruo,& meritum de condigno.*
11. *An possit dari casus quòd recipiens Baptismum à meliori Ministro minorem recipiat gratiam, quam ille,qui recipit à non tam bono.*
12. *Ad rationem dubitandi à principio respondetur,& explicatur, An paruulis ante vsum rationis detur gratia inæqualis.*

I. *Pars negatiua suadetur.*

QVòd etiam in paruulis ante vsum rationis non habeat æqualem effectum: nam paruulis ante vsum rationis morituris diuinitus in Baptismo datur gratia inæqualis: quoniam iustificati virtute Sacramenti suscepti si moriantur ante vsum rationis, assumuntur à Deo ad sedes Angelorum, qui eeciderunt; sed omnes Angeli sicut sunt inæquales in natura, ita & in gratia,& in gloria. ergo etiam infantes qui cum solo effectu Baptismi ex hac vita decedunt, inæqualem gratiam per Baptismum recipiunt, cùm ad illas inæquales sedes gloriæ Angelorum per diuinam prædestinationem sint ordinati, & ita hanc sententiam tenuit Scotus *in* 4 *dist.*4.*quæst.*7.Gabr.*ead.dist.q.* 2.Paludanus *in* 4.*dist* 4.*quæst.*1.

II. *Veritas dilucidatur,explicando effectus Baptismi.*

Dico primò, duplex est effectus Baptismi,vnus priuatiuus,alter positiuus.Priuatiuus est remissio omnis culpæ,& omnis pœnæ; effectus verò positiuus per se est gratia,& virtutes, quæ ex opere operato efficiuntur ab ipso Baptismo. Effectus priuatiuus est æqualis in omnibus tam paruulis, quàm adultis, si quidem quantum est ex parte Baptismi, remittit omnem culpam, & totam pœnam; positiuus verò in omnibus paruulis est æqualis, quia omnes pueri æqualiter se habent ad Baptismum,cùm non in fide propria,sed in fide Ecclesiæ baptizantur: ergo omnes æqualem effectum per se positiuum, æqualem scilicet gratiam baptismalem, & virtutes recipiunt in Baptismo. Ita D.Thom. 3.*parte quæst.*69. *art.* 8. & *ibi* Nugno *in summa articuli.*

Dico secundò,adulti,qui cum æquali dispositione, puta cum æquali fide,contritione,vel attritione sacro Baptismate initiantur, æqualem effectum positiuum, nempe æqualem gratiam, & virtutes recipiunt: quia sicut agens naturale æqualiter operatur in subiecto æqualiter disposito,& approximato, ita etiam sacramentum

mentum Baptismi æqualiter operabitur, &c. Nos enim ex causis naturalibus proportionabiliter philosophari debemus, quoties reuelationem in contrarium non habemus: si verò adulti cum inæquali dispositione recipiunt sacramentum Baptismi, inæqualem gratiam suscipiunt; quia ad iustissimam sapientiam, & prouidentiam Dei spectat vt accedens ad Sacramenta magis dispositus maiorem recipiat gratiam, ergo, &c. D. Thom. *loc. cit.* Sotus *in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 6.* Valentia *tom. 4. disp. 4. de Baptismo quæst. 4. puncto* 1. Tum, quia sacrum Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 7. de iustificatione*, agens de gratia, & iustitia, cuius instrumentalis causa est Baptismus, docet dari secundùm mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundùm propriam vniuscuiusque dispositionem & cooperationem, ergo inæqualiter dispositus, &c.

## Dubitatio I.

III. *An contritus accedens ad Baptismum recipiat maiorem, vel minorem gratiam, quo maior, vel minor fuerit eius dispositio?*

Dico tertiò, adultus accedens ad Baptismum magis dispositus dispositione sufficienti extra Sacramentum ad conferendam gratiam, qualis est contritio, & amor Dei super omnia supernaturalis, non solùm recipit maiorem gratiam ex opere operato, & ex vi Sacramenti; quia Sacramentum virtute propria magis disposito confert maiorem gratiam: verùm etiam ex vi dispositionis præcisè ex opere operantis recipit maiorem aliquem gradum gratiæ, præter illum, vel illos gradus gratiæ, quos recipit vi Sacramenti ex opere operato. Probatur, nam huiusmodi dispositio per se sufficiens ad conferendam gratiam, qualis est contritio, & amor Dei super omnia supernaturalis, non fit deterioris conditionis ob coniunctionem cum Sacramento, sed si non coniungeretur cum Sacramento, conferret gratiam ex vi sua ex opere operantis; ergo coniuncta cum Sacramento conferet aliquem gradum gratiæ præter illum, vel illos, qui ex opere operato vi Sacramenti conferuntur.

Maioris claritatis gratia sic poterit hæc assertio explicari, accedat vnus ad Baptismum cum contritione, vt quatuor, alius verò contritione vt duo, ille primus accipiet gratiam vt octo, quatuor gradus ex opere operantis, & quatuor ex opere operato; iste verò secundus accipiet gratiam vt quatuor, duos gradus ex opere operantis, & duos ex opere operato: loquimur autem sic claritatis gratia ad explicandum quomodo crescat gratia, quæ datur ex opere operato vi Sacramenti, & quomodo etiam augeatur ex opere operantis vi dispositionis, quæ secundùm se est sufficiens ad conferendam gratiam, vt est contritio, & dilectio Dei super omnia supernaturalis: non quia gradus gratiæ, quæ dantur ex opere operato, sint æquales illis, qui dantur ex opere operantis, hoc enim omnino cognoscere non possumus. Ita bene docet Nugno *tom. 1. in 3. part. quæst. 62. art. 1. diffic. 4. concl. 2.*

## Dubitatio II.

IV. *An attritus accedens ad Baptismum recipiat maiorem, vel minorem gratiam, quo maior, vel minor fuerit attritio illius?*

Dico quartò, si adultus accedit ad Baptismum cum dispositione, quæ secundùm se extra Sacramentum non est sufficiens ad obtinendam gratiam, qualis est attritio, non recipiet maiorem gratiam vi illius dispositionis præcisè ex opere operantis, sed tantùm recipiet gratiam vi Sacramenti maiorem, vel minorem, iuxta maiorem, & minorem perfectionem attritionis cum qua accedit. Prima pars huius assertionis probatur, quia per attritionem quantumuis perfectam, extra Sacramentum nulla confertur gratia, ergo neque etiam quando coniungitur cum Sacramento vi sua præcisè ex opere operantis conferet aliquem gradum gratiæ. Secunda verò pars probatur, quia licèt attritio secundùm se extra Sacramentũ non sit sufficiens dispositio ad gratiam, est tamen sufficiens simul cum Sacramento, & mensura gratiæ, quæ confertur in Baptismo, ergo adultus accedens ad Sacramentum cum sola attritione, in gradu tamen, & perfectione maiori, quàm alter, maiorem etiam recipiet gratiam, quia adulti iustificantur in Baptismo iuxta propriam vniuscuiusque dispositionem, vt fatetur sacrum Concilium Tridentinum *sess. 6. de iustificatione, cap. 7.* Videatur pro hac assertione Nugno *tom. 1. in 3. part. quæst. 69. art. 8. difficult. 2. vers. Pro cuius maiori*, &c. Bonacina *tom. 1. de Sacramentis in genere, disp. 1. quæst. 4. puncto 3. num. 4.* Suarez *tom. 3. in 3. part. disp. 7. sect. 5. concl. 3. §. Et confirmatur.*

## Dubitatio III.

V. *An contritus accedens ad Baptismum cum contritione remissa, recipiat maiorem gratiam, quàm attritus accedens cum attritione intensa?*

Dico quintò, vnus adultus accedens ad Baptismum cum contritione quantumque remissa, & alter cum attritione quantumque intensa, semper ille accipit maiorem gratiam, quàm qui accedit cum attritione quantumque intensa. Probatur, quoniam attritio non potest peruenire ad perfectionem contritionis, non solùm quia differunt specie, sed etiam quia altera versatur immediatè circa Deum, & ipsa secundùm se est sufficiens vt conuertat hominem in Deum, est enim summus dolor pro peccatis propter Deum summè dilectum. Attritio verò præcisè extra Sacramentum non conuertit hominem in Deum, cùm sit dolor imperfectus assumptus pro peccatis, propter turpitudinem illorum, vel propter pœnam gehennæ, sicut species rerum naturalium, quarum vna est secundùm se perfectior in esse naturæ; altera verò est illa imperfectior, nunquam hæc potest peruenire ad perfectionem alterius quantumcunque sit perfecta intra suam speciem in indiuiduo, vt bene docuit Nugno *tom. 1. in 3. p. q. 62. art. 1. difficult. 4. concl. 2.*

## Dubitatio IV.

VI. *An gratiæ gratis datæ, vt sanitas, & similia, concedantur in Baptismo ex dispositione maiori, vel minori ipsius suscipientis?*

Dico sextò, effectus verò per accidens, ad quos Baptismus per se non est ordinatus, qui aliquando conferuntur, aliquando verò minimè, quales sunt gratiæ gratis datæ, sanitas corporalis ipsius qui baptizatur, vt Constantinus Magnus, qui per Baptismum fuit à lepra sanatus, & alij similes, non causantur physicè ab ipso Baptismo, sed à Deo conceduntur ad præsentiam illius, & inæqualiter participantur secundùm Dei prouidentiam, licèt sacro Baptismate donati, sint æqualiter dispositi. Probatur, quia isti effectus dantur

omnino

omnino per accidens,& non correspondent ipsi Baptismo, neque alicui dispositioni subiecti; ergo regulantur solùm per diuinam voluntatem: tum, quia multoties hi effectus per accidens conferuntur minus dispositis,& minus iustis, & aliis nimis iustis denegantur. ergo,&c.Hæc assertio clarè habetur ex doctrina S.Thom.3.*p.q.69.art.8.in corpore.*

## Dvbitatio V.

VII. *An Minister bonus, vel malus conferendo Baptismum, sit causa recipiendi maiorem, vel minorem gratiam?*

Dico septimò, ex solo merito & impetratione boni Ministri tribuentis Sacramentum, suscipiens illud non recipit immediatè & de condigno maiorem gratiam: potest tamen bonus Minister, siue aliàs iustus, mereri baptizando adultum de congruo, & mediatè aliquod auxilium supernaturale, vel bonum motum, quo se ad gratiam suscipiendam meliori modo disponat,& sic baptizatus adultus meliorem, & intensiorem habens dispositionem,merito, & oratione Ministri maiorem effectum gratiæ consequetur. Probatur, quia cùm aliquis iustus orat pro alio, per illam met orationem,vel meritoriam operationem immediatè, & de condigno sibi ipsi meretur præmium gratiæ, & gloriæ proportionatum, & adæquatum. ergo non poterit alteri immediatè, & de condigno mereri tale præmium. Aliquod tamen auxilium supernaturale,vel bonum motum, quo alter se præparet ad gratiam suscipiendam, de congruo, & mediatè mereri potest homo iustus; quia hoc est quasi accidentarium præmium respectu merentis: respectu autem alterius est principium quo se disponat ad gratiam, vel augmentum eius obtinendum: ergo adultus baptizatus merito,& impetratione Ministri recipiens hoc auxilium & maiorem dispositionem,maiorem etiam gratiæ effectum consequetur: hæc assertio habetur ex doctrina S.Thomæ 3.*part.quæst.*64.*art.*1.*ad secundum.* & illam etiam docet Nugno *ibi difficultate* 3.*concl.*1.*&* 2. Bonacina *tom.*1.*disp.*1.*q.*4. *de Sacramentis in genere, puncto* 4. *n.vnico.*Suarez *tom.*3.*in* 3 *p.disp.*7.*sect.*5.*concl.*2.

## Dvbitatio VI.

VIII. *Quid sit meritum de condigno, & de congruo,& an in hominibus reperiatur respectu Dei.*

Dico octauò,pro maiori intelligentia præcedentis assertionis meritum est actio, cui iustè debetur merces: sed iustitia dupliciter dicitur, vno modo propriè,quæ scilicet respicit debitum ex parte recipientis: alio modo quasi similitudinariè, quæ respicit debitum ex parte dantis, & sic iustitia dicitur decentia diuinæ voluntatis; & secundùm hoc etiam meritum dupliciter dicitur: alterum condigni, seu de condigno; aliud congrui,seu de congruo. Meritum de condigno est quando ipse agens habet debitum recipiendi: meritum congrui, seu de congruo,est quando debitum dandi est in dante secundùm decentiam ipsius: ita dilucidè & præclarè D.Thom. *in addit.ad* 3.*p.q.*14. *art.*4. *in corp.* Vel dicamus sic circumscribendo meritum de condigno,

Meritum de condigno est opus viæ liberum studiosum ad alterum aliqua ratione spectans, quod secundùm aliquem modum æquitatis, siue iustitiæ aliquo munere ab altero compensari debet. Ita colligitur ex S.Thom.1.2.*quæst.*114.*art.*1.*in corpore*, & sic meritum quo gratiæ augmentum, & gloriam meremur apud Deum,Apost.2.*ad Timoth.*4.appellat opus iustitiæ, dicens,*de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.*

Sed contrà. nam Deus nulli est debitor, vnde dicitur ad Rom.10. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei.* ergo nullus à Deo potest aliquid de iustitia mereri. ergo in nobis non datur meritum de condigno erga Deum: tum, quia iustitia est quædam æqualitas, vt patet per Philosophum 5.*Eth.cap.*5. At inter Deum & hominem est maxima inæqualitas, in infinitum enim distant. ergo,&c. Respondetur quòd actio nostra studiosa, & libera non habet absolutè rationem meriti de condigno,& ex iustitia apud Deum, nisi ex diuina ordinatione. Deus enim ordinauit actum nostrum liberum studiosum ad consequendum augmentum gratiæ,& virtutum in hac vita, & vitam æternam in alia, & sic non sequitur, quòd efficiatur simpliciter debitor nobis secundùm absolutam æqualitatem iustitiæ, sed potiùs sibi ipsi,& suæ diuinæ ordinationi in quantum debitum & iustum est vt sua ordinatio impleatur: nobis tamen operantibus ex gratia, & charitate secundùm quamdam proportionem debet, & secundùm aliquem modum iustitiæ, & æquitatis, semper tamen præsupposita sua diuina ordinatione.

Et per hæc patet ad secundum fundamentum. fatemur quidem inter Deum, & hominem infinitam esse inæqualitatem, & non esse absolutam iustitiam, cæterùm præsupposita diuina ordinatione in actione hominis potest esse aliquis modus iustitiæ,& æquitatis,quod sufficit, vt homo mereatur de condigno aliquid apud Deum: videatur D.Thom. 1.2. *q.*114. *art.*1. præcipuè *solutione ad tertium*, & Caiet. *ibi* §.*in corpore, art. Aduerte*,&c.

Meritum verò congrui,seu de congruo,propriè loquendo,de merito de congruo, est opus studiosum liberum,habens aliquam congruentiam, vt illi aliquid conferatur, non tanquam ex iustitia, sed secundùm quandam honestatem,decentiam, seu congruentiam. Requirit in subiecto, in quo est, gratiam, eo quòd omne meritum coram Deo est amicabile, atque adeò præsupponit amicitiam,atque adeò gratiam, qua formaliter constituitur homo Dei amicus, vt bene Nugnus obseruauit *tom.*2.*in* 3.*part.quæst.*89. *art.*2. *diffic.*2. *solutione ad quartum.*

## Dvbitatio VII.

IX. *Quotuplex sit congruitas meriti de congruo?*

Hæc autem congruitas, quæ in merito de congruo reperitur, est duplex, altera quæ tantùm se tenet ex parte Dei & misericordiæ ipsius,& de hac congruitate loquitur D.Thom.*in addit.ad* 3.*part. quæst.*14.*art* 4. *in corp.* dum ait,ex merito congrui dicitur aliquis mereri aliquod bonum per opera bona extra charitatem facta, quia diuinam bonitatem decet vt vbicunque dispositionem inuenit,perfectionem adiiciat, hoc tamen meritum,addit D.Thom.*loc.cit.*non propriè dicitur meritum, ideo magis concedendum est, quòd huiusmodi opera extra charitatem factà non sint alicuius meritoria,quàm quòd sint,nisi impropriè & remotissimè: vnde inquit D. August. quòd peccator non est dignus pane quo vescitur, & ratio est, nam ad verum meritum etiam de congruo requiritur quòd subiectum operans sit gratum, nullum enim opus meriti nomen admittit,nisi fundetur in gratia,& amicitia Dei,vt bene D.Thom. *loco* nuper *allegato*, & Magister Sotus *in* 4.*dist.*19.*quæst.*1.*art.*5.§.*Circa hoc autem adstruitur.*

Altera verò congruitas est, quam facit lex amicitiæ,

citiæ, & hæc non solùm se tenet ex parte Dei misericorditer acceptantis, sed etiam ex parte hominis iusti operantis, & ideo eius operatio dicitur propriè mereri de congruo illud bonum ad quod obtinendum ex intentione operantis formali, vel virtuali ordinatur, & hoc modo Patres antiqui suis bonis operibus, & orationibus meruerunt de congruo Incarnationem Verbi, & eius accelerationem, & omnes iusti merentur peccatoribus bonum motum liberi arbitrij, quo se ad iustificationem disponant: videantur Aluarez *in 3. part. D. Thom. q. 1. art. 11. disp. 17. vers. Notandum tertiò, num. 11.*

## DVBITATIO VIII.

X. *In quónam differant meritum de congruo, & meritum de condigno?*

Obseruandum tamen quòd inter differentias, quas bene assignat Aluarez, sapientissimus & laudatissimus Magister meus, inter meritum de condigno, & meritum de congruo loco nouissimè adducto *num. 9. & 10.* vna est quòd meritum de condigno infallibiliter acceptatur à Deo, & iustus sibiipsi per illud semper consequitur augmentum gratiæ, & nisi mortificetur per sequens peccatum infallibiliter adipiscitur vitam æternam: quia cùm supponat diuinam promissionem & ordinationem, quæ est infallibilis, infallibiliter etiam consequitur effectum suum; hoc autem non competit merito congrui, siue de congruo, quia hoc non præsupponit diuinam promissionem, sed fundatur in lege amicitiæ, quæ est inter Deum, & hominem iustum: lex autem amicitiæ non exigit necessariò, quod amicus in omnibus morem gerat amico, & impleat eius voluntatem, & ei concedat quidquid petierit: videatur etiam Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 4. sect. 2. §. prima sententia.* his positis,

## DVBITATIO IX.

XI. *An possit dari casus, quòd recipiens Baptismum à meliori Ministro, minorem recipiat gratiam, quàm ille qui recipit à non tam bono?*

Dico nonò, consequenter contingere potest, & contingit regulariter, vt adultus suscipiens sacramentum Baptismi à meliori Ministro, non habeat maiorem dispositionem, & consequenter non recipiat maiorem, & intensiorem gratiam, licèt melior Minister, vel alius iustus multum orauerit pro adulto baptizato, quia licèt per illam orationem, & meritoriam operationem sibi ipsi meruerit de condigno immediatè, & infallibiliter præmium essentiale augmenti gratiæ, & gloriæ proportionatum, & adæquatum: quoniam meritum de condigno non fundatur in solo valore operis, quem habet ex gratia, sed etiam in promissione diuina, vt docet D. Thom. *1. 2 quæst. 114. art. 1. ad 3.* & Caiet. *ibi*, quæ cùm sit infallibilis infallibiliter etiam meritum de condigno consequitur effectum. Cæterùm iustus orans pro alio non meretur nisi de congruo, quod pro illo petit, & esset quasi præmium accidentarium respectu merentis si quod pro alio petit assequeretur: meritum autem congrui non supponit diuinam promissionem, sed fundatur in lege amicitiæ, quæ non necessariò exigit, vt amicus amico morem gerat; ergo melior Minister orans pro adulto baptizando non semper pro illo impetrat meliorem dispositionem, cùm merito congrui eam possit alteri mereri, quod non semper & infallibiliter sortitur effectum suum, & ita hanc nostram assertionem optimè docuit Nugnus *tom. 1. in 3 p. q. 64. art. 1. difficultate 3. post tertiam conclusionem, §. Pro cuius explicatione.*

XII. *Ad rationem dubitandi à principio respondetur, & explicatur*

## DVBITATIO X.

*An paruulis ante vsum rationis detur gratia inæqualis?*

Ad fundamentum positum à principio difficultatis, quod directè militat contra primam assertionem, respondetur negando maiorem, paruulis scilicet morituris ante vsum rationis dari in Baptismo gratiam inæqualem. Nam sicut infantes per proprium actum non possunt se ad gratiam disponere: ita non possunt maiorem, vel minorem gratiam recipere, sed æqualis, & determinatus ex certa lege diuina effectus gratiæ, & virtutum confertur omnibus paruulis: neque ita scrupulosè, & adamussim illud accipi debet, quod dici solet de successione hominum Beatorum in locis & sedibus, quæ erant paratæ Angelis, qui ceciderunt, vt in eodem numero, & eodem gradu gloriæ sedes eorum in cœlo Empyreo sint occupaturi, sed sensus est, homines esse coaptandos in beatitudinem à qua desciuerunt illi Angeli, licèt etiam fortè neque pari numero, & diuerso etiam gradu: non enim ratio primaria electionis hominum fuit reparatio Angelicarum sedium, neque occasione peccati Angelorum prædestinari nos sumus: quare licèt Angeli non cecidissent, homines fuissent prædestinati, & beatentur. Ita bene Sotus *in 4 dist. 6. quæst. 1. art. 6. §. Hæc autem opinio.* Nugnus *tom. 1. in 3. part. quæst. 62. art. 1. difficultate 4. vers. Ad fundamentum verò aliorum.* Valentia *tom. 4. disp. 4. quæst. 4. puncto 1. §. Respondet autem*, &c. Suarez *tom. 3. in 3. part. disp. 28. sect. 3. vers. Tertiò dici potest.*

## ARTICVLVS IX.

## An Baptismus susceptus cum fictione producat suum effectum recedente fictione?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, & explicatur, quid sit fictio.*
3. *An peccatum veniale in suscipiente Baptismum, impediat gratiam, vel eius augmentum.*
4. *An suscipienti Baptismum, culpa venialis complacentia, illi per Baptismum hæc culpa remittatur, & pœna illi correspondens.*
5. *An recedente fictione Baptismus sortiatur suum effectum, & quomodo.*
6. *An omnia Sacramenta recedente fictione causent gratiam.*
7. *An possit dari confessio valida, quæ sit informis.*
8. *An teneatur homo iterum confiteri peccata exposita in confessione valida, sed informi.*
9. *Quomodo in confessione valida, sed informi remoueatur obex, & causetur gratia.*
10. *Quidnam requiratur ad tollendam fictionem in suscipiente Baptismum vt eiusdem consequatur effectum.*
11. *An recedente fictione conferatur gratia correspondens dispositioni quæ tollit fictionem: & eundem effectum operetur Baptismus, recedente fictione, ac si esset receptus cum illa dispositione, per quam tollitur fictio.*

12. *Quinam ordo reperiatur in sacramento Baptismi, quando recedente fictione perducit suum effectum.*
13. *Explicatur in hoc argumento, an peccatum remittatur ante infusionem gratiæ.*
14. *An Baptismus conferens gratiam recedente fictione illam conferat ex opere operato, & quid hoc sit.*
15. *An Baptismus, & Sacramenta nouæ legis causent gratiam ex opere operato, vel ex opere operantis.*
16. *An Baptismus fictè susceptus instrumentaliter physicè causet gratiam, vel tantùm moraliter.*
17. *Argumentis in contrarium à principio respondetur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

QVod non existit in rerum natura, non potest operari saltem physicè, & efficienter, sed quando recedit fictio, iam non existit Baptismus; ergo saltem physicè, & efficienter non potest Baptismus causare gratiam recedente fictione. Confirmatur, nam omnia opera mortua, id est, facta in peccato mortali, nunquam viuificantur ad gratiam, sed talis susceptio sacramenti Baptismi est opus mortuum factum in peccato mortali. ergo nunquam viuificatur ad gratiam.

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

DVBITATIO I.

*Quid sit fictio?*

Dico primò, fictio in præsenti materia, est aliquid diuinæ gratiæ repugnans, quæ fictio *obex* communiter à Theologis appellatur, vt docet Suarez *tom. 3. in 3. part. disp. 7. sect. 4. in principio, & disp. 28. sect. 4. in initio.* Omne igitur peccatum mortale, etiam præcedens susceptionem Baptismi, nisi homo habeat illius aliquam detestationem & dolorem, & omnis culpa lethalis actu commissa in ipsa susceptione Sacramenti durans vsque dum perficitur Sacramentum, est obex & fictio impediens omnem effectum gratiæ, ne scilicet tunc conferatur per Sacramentum. Dixi, *durans vsque dum perficitur Sacramentum*, quia possibile est quòd quis à principio sumptionis Sacramenti sit fictus, & peccet mortaliter, & postea ante instans perfectionis Sacramenti habeat contritionem, vel attritionem, & sic recedente fictione, & obice iustificetur. Probatur euidenter, quoniam implicat esse simul gratiam, & peccatum; ergo fictus accedens cum peccato mortali ad Sacramentum, nullum effectum gratiæ recipiet. hæc assertio est communis inter DD. videantur Nugno *tom. 1, in 3. p. q. 62. art. 1. diffic. 3. concl. 2. & 3.* Syl. *verb. Baptismus 4. num 11.*

DVBITATIO II.

III. *An peccatum veniale in suscipiente Baptismum impediat aduentum gratiæ, vel eius augmentum?*

Dico secundò, actuale peccatum veniale non est obex respectu infusionis primæ gratiæ, per Baptismum suscipiendæ, neque augmenti gratiæ, quod per alia Sacramenta viuorum confertur. quod verum est, non solùm in iustificatione, & infusione primę gratiæ per Sacramentum, sed etiam extra Sacramentum, nam potest quis habere contritionem peccati mortalis, & concomitanter admittere aliquod veniale peccatum, quod non obstabit, quominus statim iustificetur. Probatur modò conclusio, quia peccatum veniale non habet formalem repugnantiam, neque cum infusione primæ gratiæ, neque cum augmento eiusdem. ergo, &c. Hæc conclusio colligitur apertè ex doctrina S. Th. 3. *p. q. 79. art. 8.* & Nugno *ibi diffic. vnica.* Suarez *tom. 3. in 3. part. disp. 7. sect 4 post 4. conclusionem.*



DVBITATIO. III.

IV. *An suscipienti Baptismum culpa venialis complacentia, per Baptismum hac culpa illi remittatur, & pœna illi correspondens?*

Dico tertiò, adultus recipiens Baptismum cum complacentia, & affectu alicuius peccati venialis: si aliàs habet contritionem, vel attritionem prioris vitæ, consequitur quidem gratiam & remissionem omnium aliorum peccatorum, & totius pœnæ illis debitæ, non tamen obtinet remissionem illius culpę venialis, cuius habet affectum, neque remissionem pœnę respōdentis illi culpæ. Probatur. nā quamuis per actuale peccatum veniale non impediatur infusio gratiæ sanctificantis, neque remissio pręcedentium peccatorum; impeditur tamen remissio illius culpæ venialis, quæ actualiter committitur in Baptismi susceptione, & consequenter neque pœna illi culpæ debita remittitur: tum, quia complacentia ad peccatum veniale, est obex ne remittatur culpa illa venialis, quæ actualiter tunc committitur. ergo nisi tollatur obex actualis, scilicet illa complacentia, non remittitur in Baptismi susceptione: tum, quia, vt docet D. Th. 3 *p. q. 87. art. 1.* culpa etiam venialis non remittitur nisi per actum pœnitentiæ perfectæ, vel imperfectæ, quæ est contritio, vel attritio: sed actualis affectus ad peccatum excludit contritionem, vel attritionem eiusdem. ergo, &c. videatur Bonacina *tom. 1. disp. 2. q. 1 de Baptismo sanguinis, puncto 1. n. 2.* hoc idem docuit D. Thom. ante 3. *p. q. 69. art. 8.* præcipuè *ad primum argumentum.*

DVBITATIO IV.

V. *An recedente fictione Baptismus sortiatur suum effectum, & quomodo?*

Dico quartò, recedente fictione statim Baptismus consequitur suum effectum, quem priùs habuisset si fictio, & obex non fuisset. Ideoque peccata præcedentia Baptismum remittuntur quoad culpam & pœnam, per sacramentum Baptismatis iam susceptum; sequentia verò, quæ baptizatus post susceptionem Baptismi commisit, quantum ad culpam virtute pœnitentiæ amouentis fictionem, non autem quantum ad pœnam totaliter. Ita D. Thom. 3. *part. q. 69. art. 10.* & ante docuit D. August. *lib. 1 de Baptismo cap. 11.* & refertur *dist. 4. de consecratione, in can. tunc valere.* Baptismum, inquit D. Augustinus, impeditum à suo effectu per fictionem incipere illum habere ablata fictione: sed effectus Baptismi est infusio gratiæ iustificantis, tollere peccatum originale, & omnia peccata actualia ipsum præcedentia quoad culpam, & quoad omnem pœnam. ergo, &c. Videatur etiam Syl. *verb. Baptismus, n. 11. § Decimoseptimò, ad finem.*

DVBITATIO V.

VI. *An omnia Sacramenta recedente fictione causent gratiam?*

Dico quintò, non solùm Baptismus, sed etiam alia omnia Sacramenta habent suum effectum causando gratiam recedente fictione; quia licèt suscipiens Sacramentum propter positum obicem in ipsa susceptione Sacramenti, non recipit in actu primam gratiam, si sint Sacramenta mortuorum, vel augmentum gratiæ, si sint Sacramenta viuorum; recipit tamen habitualiter, seu clariùs recipit ius, vt postea remoto obice detur: quoniam per vsum Sacramenti applicantur Christi merita, quantum est ex parte Dei & Christi. ergo post Sacramentum receptum manent

Christi merita applicata, & acceptata à Deo, vt quotiescunque ablatum fuerit impedimentum, statim habeat suum effectum: & ita hanc sententiam docuit Caiet. *tom. 1. opusc. tract. 5. quæst. 5. de Confessione informi*, Nugno *tom. 1. in 3. part. quæst. 62. art. 1. diffic. 6. concl. vnica.* Et quoniam maior & specialis difficultas est de sacramento Pœnitentiæ, quomodo possit dari validum, sed informe, vt postea recedente fictione causet gratiam; ideo

## Dvbitatio VI.

VII. *An possit dari confessio valida, quæ sit informis?*

Dico sextò, potest dari confessio valida quantum ad substantiam, itaut non teneatur homo iterum confiteri eadem peccata, atque adeò sit verum sacramentum Confessionis. Et nihilominus quòd confessio sit informis, id est, non conferens gratiam, sicuti est verus Baptismus informis in illo qui baptizatur cum intentione peccandi, habens tamen intentionem suscipiendi Sacramentum. Probatur, nã potest dari casus, quòd pœnitens habens quatuor peccata mortalia accedat ad sacramentum Pœnitentiæ cum attritione sufficienti vera & supernaturali trium tantùm peccatorum, quorum recordatur, & ad quartum, cuius inculpabiliter obliuiscitur, non extendatur attritio, tunc sacramentũ Pœnitentiæ est validum, sed informe ergo, &c. Antecedens probatur quòd sit validum, quia ibi est vera attritio supernaturalis, vt supponimus: quæ est sufficiens materia sacramenti Pœnitentiæ, & Confessio est formaliter integra, quia nihil cum culpa tacetur, sed vbi est vera forma, Sacramentum est validum. ergo, &c. Quòd autem sit informe, probatur, quia ibi deest in re ipsa medium necessarium ad remissionem illius quarti criminis lethalis obliti, quod est interior pœnitentia illius, quam supponimus ad illud non extendi. ergo illud peccatum oblitum non remittitur, sed sine illo nõ possunt tolli reliqua, quia impium est à Deo dimidiam sperare salutem. ergo in isto casu erit Sacramentum validum, sed informe. Hæc assertio sexta est verissima, & illam docet D. Th. *3. p. in addit. q. 9. art. 1.* Nugnus *ibi dub. 1.* Caiet. *tom. 1. opusc. tract. 5. de satisfact. pœnitentiali, q. 5. §. ex defectu autẽ*, Sayr. *tr. de pœnit. c. 14. n. 2.* Ratio adducta est P. Suar. *tom. 4. in 3. p. disp. 20. sect. 5. n. 7.* quæ potius mihi videtur speculatio Metaphysica, quàm casus moralis: nam ferè semper pœnitentes in sacramento Pœnitentiæ solent præmittere confessionem generalem, dicendo, *Confiteor Deo, & tibi Pater*, & in fine confessionis adhibent ista verba, *quia peccaui nimis*, &c. Similiter Confessarij solent inducere pœnitẽtes ad displicentiam omnium peccatorum præteritorum, & ad propositum vitandi futura; ergo dolor ille supernaturalis virtualiter saltem se extendet ad omnia peccata mortalia: ergo sufficiens erit. Casus autem moralis, in quo dari potest sacramentum Pœnitentiæ validum, sed non formatũ gratia, iste est. Nam fieri potest quòd pœnitens accedens ad sacramentum Pœnitentiæ habeat aliquam attritionem supernaturalem de peccatis propter pœnas inferni vitandas, quę secundùm se non sufficiens ad iustificationem etiam cum Sacramento, ipse tamen pœnitens existimet esse sufficientem, tunc in isto casu sacramentum Pœnitentiæ est validum, sed non formatum gratia. ergo. Maior probatur, nam in attritione supernaturali est latitudo, vt statim explicabimus; ergo poterit aliqua dari sufficiens ad validitatem Sacramenti, non tamen ad iustificationem etiam cum Sacramento. Minor probatur, quia attritio supernaturalis est sufficiens materia proxima pro validitate sacramenti Pœnitentiæ, & tunc esset vera forma, & intentio, vt supponitur, ministri. ergo, &c. & iste est casus, quem adducit S. Th. *3. p. in addit. q. 9. a. 1.* Nugnus *ibi dub. 2.* Sayr. *tract. de Pœnit. cap. 14. num. 2.*

Sed insurges. nam vi Sacramenti fit homo ex attrito contritus. ergo accedens cum vera attritione supernaturali ad sacramentum Pœnitentiæ iustificabitur; ergo tunc non erit Sacramentum validum, & informe, sed & validum & formatum gratia. Respondetur attritionem istam perfectam, esse quidem sufficientem, quoad substantiam Sacramenti, non autem ad iustificationem. Pro cuius rei intelligentia,

Obseruandum est quòd dolor supernaturalis de peccatis potest esse triplex. Primus perfectus, qui est propter Deum summè dilectum, & hic appellatur *Contritio*, & hic sufficit ad iustificationem sine reali susceptione Sacramenti. Secundus dolor est propter pœnas inferni vitandas, vel propter turpitudinem peccati cum spe veniæ, perfectè tamen, itaut excludat omne propositum peccandi, atque adeò includat propositum firmum ampliùs non peccandi, & iste dolor est attritio sufficiens ad iustificationem simul cum Sacramento, & cum isto dolore simul cum Sacramento fit homo ex attrito contritus. Tertius dolor supernaturalis quidem, sed imperfectus nimis, est quando quis dolet de peccatis propter pœnas inferni vitandas, vel propter turpitudinem peccati cum spe veniæ, atque adeò excludit saltem formale propositum ampliùs non peccandi, quia tamen est imperfectus, non excludit omne propositum peccandi, idcirco non absolutum propositum non peccandi, sed potiùs quædam velleitas non peccandi, & inefficax quædam displicentia peccatorum, atque adeò non sufficit ad iustificationem etiam cum valido Sacramento, licèt sit sufficiens ad substantiam Sacramenti, non tamen vt Sacramentum sit gratia formatum: nam ad iustificationem impij firmum propositum non peccandi. & vitandi peccata in futurum requiritur: quia quid maius desideratur ad Sacramentum formatum, quàm ad solam Sacramenti substantiam: ergo aliquis dolor supernaturalis poterit esse sufficiens ad substantiam Sacramenti, qui propter sui imperfectionem non erit sufficiens ad Sacramentum gratia formatum. Hæc distinctio triplicis doloris supernaturalis colligitur ex sacro Concilio Tridentino *sess. 14. cap. 4. de contritione*, si attentè legatur: videatur etiam D. Thom. *3. part. in addit. quæst. 9. art. 1. solut. ad 3.* Nugnus *ibi dub. 1. §. ad quintum respondetur.* Cappoolos à Porrecta *ibi post tertiam conclusionem. §. Corollarium.* Sayr. *tract. de Pœnitentia, cap. 14. num. 2.*

## Dvbitatio VII.

VIII. *An teneatur homo iterum confiteri peccata exposita in confessione valida, sed informi?*

Dico septimò, non tenetur homo iterum confiteri peccata exposita in confessione valida, sed informi. Probatur, quia si Sacramentum fuit validum, absolutio ab illis peccatis fuit vera. ergo pœnitens verè manet absolutus ab illis peccatis in ordine ad claues. ergo non tenetur iterum ea subiicere clauibus: tenebitur tamen pœnitens illud, vel illa peccata inculpabiliter omissa in confessione valida, sed informi, iterum confiteri si defectum commissum postea recognoscat: quia peccatis illis oblitis sufficienter applicatur remedium necessarium ad eorum remissionem, quando exponuntur in confessione sacramentali, quod Christus Dominus instituit *Ioan. 20.* in illis verbis, *Quorum remiseritis peccata*, &c. hanc assertionem docet D. Th. *in addit. ad 3. p. q. 9. art. 1. ad finem corporis.* Nugno *ibi tom. 1. in 3. p.* Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 22. sect. 7. n. 2.*

Dvbi-

## Dubitatio VIII.

IX. *Quomodo in confessione valida, sed informi, remoueatur obex, & causetur gratia?*

Dico octauò, si nouum peccatum non est commissum post susceptum Pœnitentiæ sacramentum validum, sed informe, per solam attritionem veram, & supernaturalem generalem omnium peccatorum, fictio & obex remouetur, & per se, & immediatè remittuntur peccata in confessione exposita, & consequutiuè oblita inculpabiliter si nondum pœnitens illorum reminiscitur: quia eadem dispositio quæ sufficit cum Sacramento præsenti, sufficit etiam cum Sacramento iam suscepto, quando non est nouum impedimentum, neque nouum peccatum, sed attritio generalis omnium peccatorum est sufficiens in Sacramento præsenti, ergo, &c. Ita bene Nugno *tom. 2. in addit. ad 3. p. D. Th. q. 9. a. 1. dub. 3.* Suar. *tom. 4. in 3. p. disp. 20. sect. 5. n. 15. ad finem.* At si post prædictam confessionem validam, sed informem, nouum peccatum mortale commissum est, non potest fictio, & obex remoueri sine contritione, vel cõfessione talis peccati, quia Sacramentum prius susceptum non potest habere efficaciam circa peccatum postea commissum: si verò pœnitens reminiscitur peccati obliti, tenetur illud confiteri, & tunc remittentur simul omnia peccata, oblitum per sacramentum Pœnitentiæ, cui de nouo pœnitens subiicitur, vel per contritionem extra Sacramentum: alia verò iam confessa ratione alterius Sacramenti iam suscepti, quia recedente fictione per nouam confessionem illius obliti, vel per contritionem extra Sacramentum, aliud iam susceptum validum, sed informe, consequitur, & causat effectum suum: videatur Nugno & Suar. *loco* nouissimè *adducto*: iam satis diximus per quid tolli possit fictio, vt sacramentum Pœnitentiæ validum quoad substantiam, sed informẽ, incipiat habere effectum suum, breuiter dicamus per quid tollatur obex in sacramento Baptismi, de quo præcipuè in hoc dubio agimus.

## Dubitatio IX.

X. *Quidnam requiratur ad tollendam fictionem in suscipiente Baptismum vt eiusdem consequatur effectum.*

Dico nonò, si quis bona fide accedit ad Baptismum, putans se esse attritum, cùm re vera non sit, aut si inuincibiliter existimet non esse aliam dispositionem præter fidem, & voluntatem Baptismi: attritio vera & supernaturalis est dispositio sufficiens ad tollendam fictionem, vt Baptismus postea suum effectum habere incipiat. Probatur, quia in casu de quo agimus, tota fictio posita fuit in carentia dispositionis, & non in aliquo nouo peccato. ergo posita attritione vera, & supernaturali, quæ est sufficiens dispositio in Baptismo, tollitur obex, & fictio, & Baptismus suũ sortietur effectum: & ita hanc assertionẽ docet Palud. *in 4. dist. 4. q. 5.* Sylu. *verb. Baptismus 4. n. 11. §. decimoseptimo, ad finẽ.*

Dico decimò, quando in susceptione Baptismi committitur peccatum mortale, vt cùm quis suscipit illum cum cõplacentia alicuius peccati mortalis, vel sciens, & prudens quis accedit ad Baptismum sine attritione vera, & supernaturali, talis fictio & obex, vt Baptismus suum effectum habere incipiat, non tollitur nisi per contritionem, vel attritionem simul cum actuali susceptione sacramenti Pœnitẽtiæ. probatur, quia peccatum fictionis non tollitur per Baptismum, vt docet D. Th. *3. p. q. 69. a. 10. ad 2.* ergo vt tollatur requirit cõtritionẽ extra sacramentum Pœnitentiæ, vel attritionẽ simul cum actuali susceptione sacramenti Pœnitẽtiæ, quia sacramentum Pœnitentiæ facit hominem de attrito contritum: tum, quia illud peccatum fictionis durans vsque ad consummatam susceptionem Sacramenti, computatur inter peccata, quæ Baptismum cõsequuntur, cùm intelligatur esse ab homine baptizato. nam Baptismus prius natura infundit characterẽ baptismalem, quàm gratiam iustificantem. ergo peccatũ illud fictionis durans vsque ad consummatam susceptionem Baptismi repugnans gratiæ baptismali, intelligitur esse hominis iam baptizati. ergo est materia sacramenti Pœnitentiæ, & ideo per contritionem necessariò est delendum, quando sacramentum Pœnitentię non applicatur, vel per attritionem simul cum actuali susceptione sacramenti Pœnitentiæ: hæc assertio colligitur clarè ex D. Th. *3. p. cit. q. 69. a. 10.* maximè *solutione ad 2* Nugno *ibi tom. 1. dub. 3. concl. 2.* Suar. *tom. 3. in 3. p. disp. 28. sect. 5. concl. 3. & 4.* Videatur etiam Magister Sotus *in 4. dist. 6. q. 1. art. 8. §. ex quo fit consequens.*

Dico vndecimò, si post Baptismum susceptum aliquod peccatum mortale commissum est, necessaria erit contritio ad tollendam fictionem, & recipiendum effectum Baptismi, & sufficiet etiam attritio cum actuali susceptione sacramenti Pœnitentiæ, quod facit hominem de attrito iustum & contritum: quia illud peccatum post Baptismum commissum non potest per Baptismum deleri. ergo, &c. Hæc conclusio est ferè communis inter Theologos, & constat ex Sacr. Concil. Trid. *sess. 7. can. 10. de Baptismo.*

## Dubitatio X.

XI. *An recedente fictione conferatur gratia correspondens dispositioni, quæ tollit fictionem, & eundem effectum operetur Baptismus recedente fictione, ac si esset receptus cum illa dispositione per quam tollitur fictio?*

Dico duodecimò, recedente fictione non solùm cõfertur gratia respondens dispositioni per quam recedit fictio, verùm etiam gratia respondens sacramento Baptismi iam suscepto: quia alioquin Sacramentum præteritum non diceretur producere suum effectum recedente fictione. Præterea cùm dispositio per quam recedit fictio non sit deterioris conditionis ob coniunctionem cum sacramento Baptismi iam suscepto, dicendum est non solùm conferri gratiam baptismalem respondentem Sacramento præterito: verùm etiam respondentem dispositioni si sit per se sufficiens ad causandam gratiam per quam recedit fictio. Ita bene Sotus *in 4. dist. 6. q. 1. art. 8. fine*, quem sequitur Bonacina *tom. 1. disp. 1. de Sacramentis in genere, quæst. 6. puncto 3. n. 3. §. Respondeo iuxta*, &c.

Dico decimotertiò, Baptismus ita operatur recedente fictione, ac si esset receptus cum illa dispositione, per quam tollitur fictio, id est, tantam gratiam cõfert recedente fictione, quantam contulisset si fuisset receptus cum simili dispositione per quam modò aufertur obex, vt si fictio modò recedit per solá attritionem veram & supernaturalem (vt in casu nonæ assertionis diximus accidere posse) & sit talis attritio perfecta vt quatuor, & per talem dispositionem si adesset in actuali susceptione Baptismi, recepisset homo gratiam baptismalem vt quatuor. Modò recedente fictione datur vi Sacramenti iam suscepti gratia perfecta vt quatuor. Probatur, quia Baptismus semel receptus tam est efficax ad operandum recedente fictione, quàm in principio actu existens. Quoniam licèt præcesserit quoad suum esse, non tamen quoad efficaciam, cùm nondum contulerit suum effectum, & merita Christi Domini manent post receptum Sacramentum applicata & acceptata à Deo, vt quotiescunque

ablatum fuerit impedimentum , statim habeat effectum , & hoc ex institutione Christi Domini , vt docet Nugno *tom.1. in 3.part. quæst.62. art. 1. diffic.6. ad quartum.* ergo , &c. Videatur Nugno *loco.cit. §. Sed ad hoc* , Suarez *tom.3.in 3.part.disp.28. sect.4. vers.Nihilominus potest quis* , &c.

Dico decimoquartò , ad maiorem explicationem duarum præcedentium assertionum , si fictio Baptismi recedit per contritionem , quæ secundùm se est sufficiens dispositio ad recipiendam gratiam iustificantem , vel per attritionem cum actuali susceptione sacramenti Pœnitentiæ , si contritio sit perfecta vt quatuor , & similiter attritio coniuncta cum sacramento Pœnitentiæ sit in eodem gradu intensa, non solùm confertur gratia vt quatuor correspondens dispositioni , quæ est contritiò , vel sacramento præsenti Pœnitentiæ , verùm etiam datur gratia respondens præcedenti sacramento Baptismi secundùm quantitatem præsentis dispositionis. Probatur, nam contritio præsens secundùm se est sufficiens conferre gratiam secundùm perfectionem quam habet , & similiter attritio simul cum sacramento Pœnitentiæ vi Sacramenti dat effectum gratiæ secundùm quantitatem suæ perfectionis : sed Baptismus fictè susceptus ita operatur recedente fictione , ac si esset receptus cum illa dispositione per quam tollitur fictio. ergo recedente fictione dabitur simul tota illa gratia , quæ vtrique respondet , quatuor gradus vi præsentis dispositionis , quæ est contritio intensa vt quatuor, vel attritio in eodem gradu coniuncta cum actuali susceptione sacramenti Pœnitentiæ , & quatuor vi Sacramenti iam suscepti , quod ita operatur recedente fictione , ac si esset receptus cum illa dispositione, per quam modò tollitur fictio : videatur pro hac assertione Nugno *tom.1 in 3.part.quæst 62.art.1 .diffic.4.concl.2.* Suarez *tom.3 in 3.part.disp.28. sect.5. vers. Tertiò,de sacramento Baptismi* , & ambo locis citatis præcedenti assertione.

Quamuis alij , quos tacito nomine refert Nugno *tom.1 in 3.quæst.62. art.1. diffic.6. solutione ad 5.* censeant Baptismum recedente fictione solùm conferre minimam gratiam , quam potest dare homini , neque ponenti obicem, neque positiuè se præparanti ad sacramentum suscipiendum , quod est etiam satis probabile : & ratio poterit esse hæc , quia dispositio præsens respectu sacramenti Baptismi iam suscepti se habet tanquam remouens prohibens; ergo non est mensura gratiæ respectu Sacramenti præcedentis, cùm sit tantùm remouens prohibens : sed tenendo priorem sententiam negandum est antecedens, &c.

## Dvbitatio XI.

XII. *Quinam ordo reperiatur in sacramento Baptismi , quando recedente fictione perducit suum officium?*

Dico decimoquintò, quando sacramentum Baptismi recedente fictione per contritionem, vel per sacramentum Pœnitentiæ , incipit habere effectum suum, talis ordo reperitur. Priùs natura pœnitentia tollit fictionem, quæ prioritas reducitur ad genus causæ materialis & dispositiuæ , quia recessus impedimenti prius natura intelligitur , quàm introductio formæ impeditæ: tum, quia recessus fictionis est quasi dispositio, vt Baptismus habeat effectum suum. In secundo instanti naturæ Baptismus remittit peccata, quæ fuerunt ante ipsum commissa : nam infusio gratiæ generantis , vel sanantis , intelligi nequit ante recessum originalis culpæ , & lethalium culparum actualium. In tertio instanti naturæ Baptismus iustificat animam per gratiam generantem , quia gratia generans , quæ confertur per Baptismum, prioritate naturæ præcedit gratiam sanantem, quæ per pœnitentiam infunditur. In quarto priori naturæ pœnitentia iustificat hominem per gratiam sanantem. nam prius natura est generatio in vita spirituali per Baptismum , quàm sanatio per pœnitentiam. ergo, &c.

## Dvbitatio XII.

XIII. *An peccatum remittatur ante infusionem gratiæ?*

Sed contrà arguitur. nam non potest remitti peccatum sine gratia , sed in illo primo instanti naturæ intelligitur per pœnitentiam remissum peccatum fictionis: ergo gratia sanans per pœnitentiam intelligitur præcedere gratiam generantem habitam per Baptismum. Respondetur quòd in genere causæ materialis, & dispositiuæ prius natura est remissio omnium peccatorum originalis & actualium mortalium, quàm infusio gratiæ, atque adeò negatur consequentia quòd in illo primo instanti naturæ intelligatur anima cum gratia sanante, cùm nondum intelligatur in illo primo instanti remissum peccatum originale per Baptismum. Et quando dicitur, non potest intelligi remissum peccatum in anima sine gratia, &c. Respondetur distinguendo , non potest intelligi remissum peccatum in anima sine gratia in fieri , & vt in via in genere causæ efficientis expellentis peccatum concedo: nisi intelligatur gratia in anima perfectè in genere causæ formalis actuantis, & informantis completè animam negatur : & sic prius natura erit recessus fictionis in genere causæ materialis per pœnitentiam. Secundò remissio peccati originalis, & actualium commissorum ante Baptismum. Tertiò infusio gratiæ generantis. Quartò gratia sanans : quamuis hæc omnia in eodem instanti temporis simul coëxistant. Videatur Nugno *tom.1 .in 3.p.q.69.art.10.dub.2.vers.Ad secundum erg.*

## Dvbitatio XIII.

XIV. *An Baptismus conferens gratiam recedente fictione illam conferat ex opere operato, & quid hoc sit?*

Dico decimosextò , Baptismus cum fictione susceptus , illa postea recedente incipit habere effectum suum gratiæ sanctificantis , & regenerantis ex opere operato ; quia vltra omne meritum operantis tam de condigno, quàm de congruo, habet recedente fictione causare gratiam, vt quando fictio recedit per solam attritionem , licèt ista dispositio sit necessaria, vt Sacramentum sortiatur effectum suum, tamen non est sufficiens ad iustificationem , neque est immediatè dispositio ad gratiam suscipiendam, seu ad tollendum obicem: vnde tota gratia, quæ tunc confertur, causatur ab ipso Sacramento ex opere operato, cùm non ex merito operantis , neque ratione propriæ dispositionis præcisè, vt est ab operante, censetur, cùm attritio non sit per se sufficiens dispositio ad gratiam. Causare igitur gratiam ex opere operato recedente fictione, & illam conferre vi Sacramenti iam applicati, & suscepti vltra omne meritum operantis tam de condigno, quàm de congruo. Ad differentiam collationis gratiæ ex opere operantis, quæ obtinetur ex merito operantis , vel ratione propriæ dispositionis præcisè vt est ab operante, videatur Nugno *tom.1 .in 3.p quæst.62. art.1.diffic.1.§ Pro explicatione*, &c. Suarez *tom.3. in 3.p. disp.7.sect.2.§. Atque ex his.*

DVBITATIO XIV.

XV. *An Baptismus & Sacramenta nouæ legis causent gratiam ex opere operato, vel ex opere operantis?*

Dico decimoseptimò, Baptismus & omnia Sacramenta nouæ legis dicuntur causare gratiam ex opere operato, quia illam causant ex merito & opere quod iam est operatum à Christo Domino receptum, & contentum in ipsis Sacramentis, vt ipsa gratiam conferant omnibus quibus applicantur, dummodo non ponant obicem. Confertur verò gratia ex opere operantis, quando gratia correspondet ipsi operi operantis, vt quando homo extra Sacramentum per contritionem iustificatur, tunc ex opere operantis datur illi gratia, licèt enim talis gratia contrito detur in ordine ad sacramentum Pœnitentiæ, quia ita Deus ordinauit; tamen illa datetur vt operis operantis, etiamsi Deus ordinasset statum gratiæ sine sacramento Pœnitentiæ; quia contritio secundùm se est vltima dispositio ad gratiam: ita bene obseruauit Nugno *loco* nuper *adducto*.

DVBITATIO XV.

XVI. *An Baptismus fictè susceptus instrumentaliter physicè causet gratiam, vel tantùm moraliter?*

Dico decimooctauò, Baptismus priùs fictè susceptus, recedente postea fictione instrumentaliter physicè non conferri gratiam, vere agendo efficienter, verè influendo in animam per veram efficientiam, quia quod non existit in rerum natura, non potest physicè operari: sed quando recedit fictio, non existit Baptismus; ergo physicè non causat gratiam Baptismus recedente fictione. hanc assertionem Nugno *tom. 1. in 3. p. q. 61. a. 1. diffic. 7. §. ad 1. arg.* censet essenimis probabilem, & eam tenet absolute Valent. *tom. 4. disp. 4. q. 4. de effectib. Baptismi, punct. 2. vers. Denique illud etiam*, &c.

Sed contrà. nam fictio semper tollitur per aliquem actum hominis, puta per contritionem, vel attritionem. ergo iste actus in recessu fictionis poterit verè instrumentaliter physice & efficienter conferre gratiam in virtute prioris Sacramenti.

Respondetur, quòd licet hoc fieri possit ita volente Deo, tamen gratis dicitur quòd de facto fiat, quia ille actus non est pars Sacramenti præteriti, neque est virtus, vel instrumentum prioris Sacramenti in fictione jam suscepti.

Dices quòd virtute characteris iam suscepti Baptismus recedente fictione physicè & efficienter causat gratiam.

Respondetur eadem solutione, posse quidem Deum vti illo vt instrumento physico, ad infundendam gratiam recedente fictione, tamen de facto character non infunditur ad hunc finem, vt postea recedente fictione sit instrumentum physicum ad causandam gratiam, vnde sine fundamento dicitur Deum de facto vti illo vt instrumento physico ad conferendam gratiam per Baptismum iam præteritum.

Dico decimonono, Baptismus iam præteritus recedente fictione est causa moralis gratiæ. Probatur, illa dicitur causa moralis, quæ licèt per se non habeat vim ad influendum effectum, potest tamen mouere moraliter, & inducere causam principalem vt efficiat effectum: vt chirographum, quod monet hominem ad soluendas pecunias, vel ad aliquid aliud agendum, est causa moralis, & instrumentum morale, vt homo physicè illam actionem soluendi pecunias efficiat; sed Deus ratione prioris Baptismi iam suscepti, qui in diuina acceptatione, & promissione fundata in sanguine Christi pro nobis effusi, quasi mouetur, & excitatur ad gratiam conferendam; ergo moraliter Baptismus recedente fictione operatur, & causat gratiam. Ita docet late Cano *relect. de Sacram in genere, part. 4.* vt refert Nugno *loc. nouissimè adducto, vers. hanc sententiam.* Suarez *tom. 3. in 3. part. disp. 9. sect. 2. §. Ad tertium.*

XVII. *Argumentis in contrarium à principio respondetur.*

Ad fundamentum positum à principio respondetur probare tantùm nostram decimamoctauam assertionem; licèt enim Baptismus, & cætera Sacramenta nouæ legis quando actu existunt physicè instrumentaliter vere efficiendo causent gratiam, quod aperte colligitur ex modo loquẽdi sacrorum Conciliorum, Florentini *in decreto Eugenij*, & Tridentini *sess. 7. de Sacramentis can. 6.* dum inquiunt Sacramenta nouæ legis continere gratiam, quam significant, & ipsam non ponentibus obicem conferre; & Concilium Moguntin. *can. 11.* asserit Sacramenta nouæ legis esse sancta signacula, & efficacia signa: sunt ergo dum existunt, verè & propriè instrumenta efficientia gratiam, quia tunc habent necessariam conditionem omni agenti physico, quæ est actualis existentia: vnde quando non sunt, & in specie Baptismus, recedente postea fictione moraliter tantummodo operantur, quia in diuina acceptatione manere intelliguntur accepta Deo vt quotiescunque ablatum fuerit impedimentum, statim habeant effectum suum, & sic Deus moraliter quasi motus & excitatus ratione prioris Sacramenti iam præteriti, vt causa principalis gratiæ verè, & efficienter illam in animam infundat.

Ad confirmationem respondetur concedendo maiorem, tonc ad minorem dicimus, quòd Sacramentum ipsum, licèt sit opus mortuum ex parte suscipientis, tamen secundùm se, prout est opus operatum à Christo Domino, est opus viuum, & habet causare gratiam ex opere operato virtute Passionis, & sanguinis Christi pro nobis effusi, quod opus est iam operatum à Christo Domino, & à Deo acceptatum: vnde potest tribuere vitam spiritualem gratiæ, statim, quòd tollitur impedimentum. Videatur Nugno *tom. 1. in 3. part. q. 62. art. 1. diffic. 6. ad 2.* Saluo, &c.

DISQVISITIO XVII.

*De Bello.*

ARTICVLVS I.

An sit licitum bellum inter Christianos?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur quid sit bellum, & quid ad bellum iustum requiratur.*
3. *In quo resideat auctoritas indicendi bellum, explicatur.*
4. *Resoluitur dubitatio.*
5. *An sit licitum præbere auxilium in bello ne dum fidelibus, sed etiam infidelibus præliantibus contra Christianos.*
6. *An possit dari bellum iustum ex vtraque parte bellantium, & quænam sint causæ iusti belli.*
7. *An Princeps habens iustam causam indicendi bellum, teneatur acceptare condignam satisfactionem.*

8. *An bellum possit esse iustum, dum ex illo oritur malum maius, quam sit causa iusta illud indicendi.*

9. *Ad rationem partis negatiuæ respondetur, explicando, an sit contra diuinum præceptum dimicare.*

I. *Pars negatiua probatur.*

AM quod aduersatur diuino præcepto est illicitum; sed bellare aduersatur diuino præcepto, dicitur enim ad Rom. 12. *Non vos metipsos defendentes, sed date locum iræ.* ergo, &c. & ita Lutherus, quem refert Roffensis *art.* 34. damnauit omnia bella Christianorum contra Turcas, & alios hostes Christiani nominis.

## Dubitatio I.

II. *Quid sit bellum, & quid ad bellum iustum requiratur?*

Dico primò, bellum est conflictus armorum, quo vi nocemus contrariæ parti: *Bellum* dicitur eo quòd nihil habeat bellum, propter varia & diuersa incommoda, quæ illud concomitantur. Tres circumstantiæ requiruntur ad belli iustitiam. Prima est auctoritas indicendi bellum. Secunda est causa iusta bellandi, quæ in vniuersum est propulsatio grauis iniuriæ & certæ. Tertia est intentio recta, ne videlicet affectu odij, sed potiùs iustitiæ moueatur. Ita optime D. Thom. 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 1.

## Dubitatio II.

III. *In quo resideat authoritas indicendi bellum?*

Dico secundò, auctoritas indicendi bellum residet penes Rempubl. perfectam; nomine Reip. perfectæ intelligitur Magistratus, siue Princeps, siue Senatus, qui in sua iurisdictione non habet superiorem, & mixtum tenet imperium, qui scilicet in temporalibus nullum recognoscit superiorem: qualis est Respublica Venetorum, Genuensium; quales sunt Reges, Imperator, Papa, & etiam his inferiores, vt Dux Sabaudiæ, Florentiæ, Mantuæ, &c. Quia ad personam priuatam, & subditam non pertinet bellum mouere, cùm possit suum ius prosequi iudicio superioris: videatur 13. q. 1. *can. quid culpatur.* Syl. *verb. Bellum* 1. *num.* 2. Dixi, *auctoritas indicendi bellum*, nam ad bellum repellendum non requiritur auctoritas publica, cùm quisque habeat ius se defendendi, vt ostendit D. Thom. 2. 2. *q.* 64. *art.* 7.

IV. *Resoluitur dubitatio.*

Dico tertiò, his tribus circumstantiis suppositis licitum est bellare: quia lege naturæ homines habent ius propulsandi iniurias, se defendendi, & prohibendi ne inferantur, vel aliquo modo vlciscendo, & amouendo illatas: at quando non est aliquis vtrique parti communis superior, ad quem recurratur pro compensatione vindictæ, & iniuriæ, id fieri non potest nisi per bellum. ergo tunc licitum erit bellare: positis illis tribus circumstantiis, hæc assertio est communis: videatur D. Th. *loc. cit.* Bannes *ibi* 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. *dub.* 2. *concl.* 3. Clauis Regia *lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 2.

## Dubitatio III.

V. *An sit licitum præbere auxilium in bello, nedum fidelibus, sed etiam infidelibus præliantibus contra Christianos?*

Dico quartò, licitum est præbere auxilium iustè præliantibus, quia licitum est alium in bono opere adiuuare; sed bellum iustum est bonum opus. ergo, &c. Caiet. 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 1. Imò licitum est etiam accersere infideles in subsidium iusti belli, si scandalum & periculum fidei absit: nam quod alij possunt sponte sua rectè facere, licitè quoque potest ab eis peti: tum, quia Carolus V. ex consilio Theologorum in bello aduersus Gallos vsus est militibus Germanis, qui erant Lutherani infideles. ergo licitum est, &c. Syl. *verb. Bellum* 1. *quæst.* 8. *conclus.* 3. Sanchez *lib.* 2. *oper. mor. cap.* 31. *num.* 24.

Dico quintò, licitum est etiam absolutè, & per se loquendo Principibus Christianis auxilium ferre in bello iusto infidelibus, etiam si bellum esset contra Christianos. Quia Dauid præbuit auxilium Acbis Regi Palæstinæ contra exercitum Israël, vt patet 1. *Regum, cap.* 29. vbi constat dedisse auxilium infidelibus contra fideles, & ita hanc assertionem docet Bannes 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 1 *dub.* 5. *concl.* 1.

Dico sextò, per accidens tamen & ratione aliarum circumstantiarum contingere potest, vt sit illicitum, & grauissimum peccatum aduocare infideles milites in subsidium contra Christianos: quoniam regulariter solet suboriri maximum scandalum in Republica Christiana ex aduocatione infidelium; ergo, &c. Idem dicendum quando Christi fideles in bello iusto ferunt auxilium infidelibus pugnantibus contra Christianos, licèt enim hoc per se, & absolutè sit licitum, quia licitum est alios in actu iusto adiuuare, & bellum iustum est actus iustitiæ vindicatiuæ, quæ virtus in vindicanda, & compensanda iniuria tanquam in proprio obiecto versatur, cuius munus solum spectat ad auctoritatem publicam, vt docet optimè D. Thom. 2. 2 *quæst.* 108. *art.* 2. *ad primum.* Attamen ratione scandali hoc esset illicitum, vt bene asserit Bannes *loco* nuper *adducto dubio* 5. *concl.* 2. quem sequitur Valentia *tom.* 3. *disp.* 3. *quæst.* 16. *de bello, puncto* 2. *vers. Ratione autem scandali*, &c.

## Dubitatio IV.

VI. *An possit dari bellum iustum ex vtraque parte bellantium, & quænam sint causæ iusti belli?*

Dico septimò, bellum ex vtraque parte bellantium ex natura rei non potest esse licitum. Probatur, quia si vnus habet ius, v. g. occupandi aliquam ciuitatem, iustitia est ex parte illius. ergo ex parte alterius erit iniustum occupare eandem ciuitatem, quoniam duo actus contrarij circa idem non possunt ex se pertinere ad eandem virtutem; talis autem esset conatus occupandi aliquam ciuitatem, & conatus defendendi eandem: at per accidens ob ignorantiam inuincibilem alterius partis potest vtrinque dari iustum bellum, quia vtraque pars bona fide putans se habere ius contra alterum, bellum licitè gerere potest. Ita Azor. 3. *p. instit. mor. lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 29.

Iustum est etiam bellum cùm de eadem re obtinenda sunt opiniones probabiles: quia satis est in rebus moralibus duci opinione probabili, cùm demonstratio haberi non possit Filliucius *tom.* 2. *tract.* 29. *cap.* 9. *num.* 183. ante quem hoc docuit Syl. *verb. bellum* 1. *q.* 9. *concl.* 3. *ad finem.* Azor. 3. *part. instit. mor. lib.* 1. *cap.* 7. *dub.* 4. sed de hoc latiùs dicemus *dubio sequenti.*

Dico octauò, causæ iusti belli hæ poterunt percenseri. Primò licitè bellum geritur quando negatur id quod iure debetur. Secundò ad recuperanda propria bona, quæ ab hostibus iniustè detinentur. Tertiò ad impedienda Reipublicæ damna, ob id licitum est bellum inferre hæreticis. nam hæresis affert Reipublicæ

Christia-

Christianæ grauissima damna requiritur tamen vt hæretici sint ab Ecclesia denunciati. *cap. cum secundum leges, de hæreticis in 6.* Quartò contra eos qui ferunt suppetias, opem, & auxilium hostibus. Quintò quando contumelia publica Principi irrogata est. Sextò quando subditi sunt rebelles, & ex hoc etiam capite licitum est bellum contra pertinaces hæreticos Ecclesiæ rebelles. Septimò contra tuentes malefactores, ne iustas persoluant pœnas. Octauò quando aliqui violant fœdera & pacta inita. Videatur Bannes 2. 2. *quæst.*40. *art.*1. *dub.*4. *vers. circa secundam conclus.* Caiet. *ibi.* Azor. 3. *part. Instit. moral. lib.*2. *cap.*7. *dub.*34. Valentia *tom.*3. *disp.*3. *quæst* 16. *de bello, puncto* 2. Bonacina *tom.*1. *disp.*2. *quæst. vltima, sect.*1. *puncto vltimo, de bello §.*2. *num.*7.

## Dubitatio V.

VII. *An Princeps habens iustam causam indicendi bellum teneatur acceptare condignam satisfactionem?*

Dico nonò, antequam bellum sit inchoatum tenetur Princeps habens iustam causam indicendi bellum, acceptare condignam satisfactionem sibi oblatam ab aduersaria parte, quod si acceptare noluerit, bellum est iniustum, & tenetur omnia capta, & damna illata restituere. Probatur, quia bellum non est gerendum nisi vrgente necessitate, sicut dicitur 23. *q.*1. *can. noli.* Sed quando offertur condigna satisfactio, nulla vrget necessitas belligerandi: ergo tunc efficitur bellum iniustum, & ex consequenti omnia sunt restitutioni obnoxia.

Notandum est quòd nomine satisfactionis condignæ debet etiam intelligi, quòd si Princeps habeat exercitum congregatum, tenetur illi aduersaria pars restituere omnes sumptus quos fecit congregando exercitum. Ita bene Bannes *loco cit. dub.* 8. *conclus.*1.

Dico decimò, si aduersarij offerant satisfactionem post inceptum iam bellum, debet pars læsa illam acceptare, & ab incepto bello desistere: quia quandocunque hostis offert sufficientem satisfactionem parti læsæ, & hæc illam acceptare potest (si non sit in tali aliquo ardore conflictus à quo difficillimè possent milites statim reuocari,) eo ipso desinit esse necessarium bellum; ergo si post inceptum bellum, hostis offert condignam satisfactionem, si pars læsa potest illam acceptare, tenetur desistere: hanc assertionem vt certam supponit Syl. *verb. Bellum* 1. *quæst.* 10. *concl* 5. & eam tenet vt probabilem Bannes 2.2. *q.* 40. *art.*1. *dub.*8. *concl.*2.

Quamuis etiam satis probabiliter Caiet. *in summa verb. Bellum*, arbitretur non teneri Principem, quando semipræliatum est, & cædes hominum hinc intercesserunt, ab incepto bello desistere; quia quando eousque processum est, non sunt ampliùs aduersarij in statu satisfaciendi, sed satispatiendi à parte læsa, tanquam à suo iam legitimo iudice. nam prælium & conflictus armorum in bello iusto est actus iustitiæ vindicatiuæ, quæ propriè est virtus Principis, siue iudicis, vt docet D. Thom. 2.2. *quæst.*108. *art.* 2. *ad primum.* Caiet. *ibi.* Bannes 2.2. *quæst.*40. *art.*1. *dub.*8. *vers. Sed in oppositum* ergo sicuti iudex post prolatam sententiam potest punire reum non acceptando aliam satisfactionem, sic Princeps offensus post inchoatum bellum, cùm habeat rationem iudicis, non tenetur ampliùs acceptare condignam satisfactionem: licèt post indictam, sed nondum inchoatam pugnam, si aduersaria pars offerat satisfactionem sufficientem, teneatur illam acceptare: quia tunc perindè est ac si non esset prolata sententia, & Princeps non habet rationem veri iudicis, vt bene adnotauit Magister Bannes *loco nouissimè adducto, in solutione ad quintum, fine,* & propter hanc rationem tenuit ipse sententiam Caiet. probabiliorem.

## Dubitatio VI.

VIII. *An bellum possit esse iustum dum ex illo oritur maius malum, quàm sit causa iusta illud indicendi?*

Dico vndecimò, accidere potest vt iusta causa belli subsit, & hostis nolit præbere condignam satisfactionẽ parti læsæ, & tamen illicitum sit bellum aggredi: vt si belligerando daretur opportunitas hostibus Christiani nominis inuadendi, & oppugnandi Rempubl. Christianam, tunc teneretur Princeps læsus intermittere bellum ad auertendum mala hæc maiora: quia etsi tale bellum non esset tunc contra iustitiam, esset tamen contra charitatem, qua quisque tenetur anteferre suis commodis maius bonum communitatis, & Ecclesiæ, vt optimè obseruauit Magister Victoria *in relectione de iure belli, num.*33. quem sequitur & refert Valentia *tom.*3. *disp.*3. *q.*16. *de bello, punct.*2. *§. Octauò certum,* &c Bonacina *tom.*2 *disp.*2. *quæst. vltima, sect.*1 *puncto vlt. de bello, §.*2. *num.*9.

IX. *Ad rationem partis negatiuæ respondetur, & explicatur*

## Dubitatio VII.

*An sit contra diuinum præceptum dimicare?*

Ad rationem à principio positam, quæ directè militat contra tertiam assertionem, respondetur distinguendo minorem, bellare priuata auctoritate aggrediendo inimicum, pugnat cum diuino præcepto fateor: publica verò auctoritate vindicare iniurias aliis illatas, & Reipubl. quo pacto vindicari solent per bellum iustum à Principe habente ad hoc potestatem, negamus hoc esse illicitum, & contra præceptum Domini, sicuti condonare propriam iniuriam ad perfectionem pertinet. At si Princeps cuius est vlcisci iniurias Reipubl. toleraret iniurias aliis illatas, hoc pertineret ad imperfectionem; sicuti sua non repetere licet; & tamen si aliquis non repeteret ea quæ sunt aliorum, si ad eum pertinet, peccaret. Ita præclarè D. Thom. 2.2. *quæst.* 188 *art.* 3 *ad primum.*

Respondetur igitur ad illod Apostoli ad Rom. 12. *non vosmetipsos defendentes,* &c. & ad aliud consimile ex 5. cap. Matth. *Ego autem dico vobis, non resistere malo, sed si quis te percusserit in vna maxilla, præbe ei & alteram.* ista & similia loca intelligenda sunt formaliter in hoc sensu quòd nulla persona priuata auctoritate propria debet reddere malum pro malo ex odio inimicitiæ. Potest tamen fieri materialiter absque odio inimicitiæ, vt reddamus malum pro malo auctoritate publica ad vlciscendas iniurias propter bonum commune, sicut Deus hoc pacto vindicat iniurias proprias, vt docet D. Thom. 2.2. *q.*108 *art.*1. *ad* 1.

Specialiter autem ad illud, *si quis te percusserit in vna maxilla, præbe illi & alteram*, respondetur, his verbis non significari alteram maxillam percutienti reipsa esse præbendam, sed sic intelligi debet ne dum inflictam alapam patienter esse ferendam, & propria auctoritate non vlciscendam, sed etiam debemus in præparatione animi sic animum habere paratum ad patienter quoque ferendam alteram, si quis rursus

percusserit: videatur D. Augustinus *Epistola 5. ad Marcellinum*. D. Thom. 2. 2. *quæst. 40. art. 1. ad secundum*. Bannes *ibi dubio 1. vers. Sed ad maiorem explicationem*. Valentia *tom. 3. disp. 3. quæst. 16. de bello, puncto 1. vers. Respondeo primò*.

---

## Articvlvs II.

## An indici possit bellum à Principe qui dubitat vtrùm ad illud indicendum iustam habeat causam?

*Svmmarivm.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas dilucidatur, explicando, An Princeps teneatur examinare per se, vel per alios causam belli.*
3. *An teneatur petere condignam satisfactionem antequam bellum indicat.*
4. *Titulo dubitationis respondetur.*
5. *An milites habeant eandem obligationem examinandi iustitiam belli, sicut Principes, vel Consiliarij eorundem.*
6. *An liceat militibus pugnare quando sunt certi, quòd Princeps dubitat de iustitia belli.*
7. *Ad rationem partis affirmatiuæ respondetur.*

### I. *Pars affirmatiua probatur.*

QVia in causa dubia licitum est cuicumque ciuium vocare in ius alterum ciuem; ergo similiter licebit Principi alteri indicere bellum. Antecedens probatur: nam quilibet in suis priuatis actionibus moralibus dimissa opinione probabiliori, potest sequi probabilem, quam iudicat esse veram, nec necesse est, vt iudicet illam esse veriorem, vt docet Medina 1. 2. *q. 19. art. 6. dub. penultimo*, &c. Consequentia verò sic ostenditur: quoniam sicut mouentur lites inter ciues, vt vnusquisque ius suum prosequatur coram iudice; sic etiam bellum ad hoc ordinatur inter Principes, vt vnusquisque Princeps per se ipsum accipiat ius suum, cùm non habeat superiorem coram quo possit aduersarium alterum Principem conuenire.

### II. *Veritas dilucidatur, & explicatur*

### Dvbitatio I.

### *An Princeps teneatur examinare per se, vel per alios, causam belli?*

Dico primò, Princeps diligentissimè inquirere, & examinare tenetur causas iusti belli per se ipsum, & per alios: quia Princeps qui bellum indicit, gerit vices iudicis in re grauissima; sed iudex antequam sententiam proferat, tenetur diligenter causas litigantium inquirere & examinare. ergo similiter Princeps tenetur diligenter inquirere ea, quæ militant pro parte alterius Principis aduersarij antequam bellum illi indicat. Bannes 2. 2. *q. 40. art. 1. dub. 5. concl. 1.*

### Dvbitatio II.

### III. *An teneatur petere condignam satisfactionem antequam bellum indicat?*

Dico secundò, non statim atque Principi constat habere se iustam belli causam, potest ille indicere bellum, sed debet priùs ab aduersaria parte petere condignam satisfactionem, & eam acceptare si offeratur, quòd si eam non impetret, tunc poterit bellum indicere. Probatur, quia bellum non est licitum, nisi sit necessarium ad finem obtinendi debitam iniuriæ satisfactionem: ergo, si petita pacificè iniuriæ satisfactione potest Princeps eam impetrare, tenebitur priùs illam petere antequam bellum indicat. Ita bene obseruauit Valentia *tom. 3. disp. 3. q. 16. de bello, puncto 2. vers. Septimo*, &c.

### IV. *Titulo dubitationis respondetur.*

Dico tertiò, postquam facta est à Principe diligens inquisitio, & tamen res adhuc dubia sit, tunc si res sit in possessione alterius, manente dubio non licet contra eum bellare. v. g. si vnus Rex est in legitima possessione alicuius ciuitatis, si est æquale dubium, an habeat ius ad illam, nec ne, non potest alter Rex si adhuc dubitet ciuitatem illam ad se pertinere, armis eam repetere: quia cùm iura partium sunt obscura, reo potius fauendum est, quàm actori, vt habetur *de regulis iuris in 6. reg.* 11. ergo in hoc casu cùm sit dubium, fauendum est possessori qui se habet vt reus: ergo non potest alter Princeps cùm de ciuitate possessa ab altero sit æquale dubium, possessori indicere & inferre bellum, quia indicere alteri bellum est veluti proferre sententiam criminalem capitis contra illum, vt optimè adnotauit Bannes 2. 2. *quæst. 40. art. 1. dub. 5. concl. 2.*

Dico quartò, tenetur tamen Princeps, qui est in possessione, manente dubio de re possessa admittere Legatos alterius partis, & alia facere, quæ necessaria sunt ad rei veritatem inuestigandam, quod si nollet, iure contra eum pars aduersa bellum mouere poterit; quia iniuriam ei inferret in eo quòd nolit Legatos suos admittere. Ita Victoria *in relatione de iure belli, num.* 27. Sayr. *in Claui Regia, lib. 7 cap. 13. num. 7.*

Dico quintò, si Rex, regnum, vel ciuitas adhuc in nullius esset possessione (vt si controuersia esset de iure hæreditario ad aliquod regnum mortuo Rege) tunc in dubio neutra pars alteram oppugnare posset pro obtinenda re tota, sed solùm pro obtinenda parte æquali, vel inæquali, prout dubium esset vtrinque æquale, vel inæquale, quia in pari causa nulla prorsus est iniuria æqualem petere partem: quòd si vnus Princeps velit tunc diuidere rem, de qua est dubium, cum alio, partibus æqualibus, vel recompensare alteram partem, non potest alter mouere bellum contra illum, nec talem rem vi occupare: quia iudex iustus in re dubia non applicat illam totam vni parti, sed illam diuidit partibus æqualibus inter litigantes; ergo Princeps parte, de cuius rei possessione est dubium, tenetur esse contentus. Bannes *loc. cit. concl. 3.* quem sequuntur Sayr. Valentia *locis in hoc dubio adductis*.

Dico sextò, quando dubitatio est inæqualis pro vtraque parte, si de iustitia partis, quæ non possidet, minus dubium est, tunc Princeps de cuius iustitia minus dubitatur, potest à parte quæ est in possessione repetere compensationem aliquam illius minus dubiæ actionis, quam habet ad rem, quam alter cum maiori dubio possidet, quòd si possidens nolit compensationem aliquam ei dare, potest illi bellum indicere: nam persona particularis, quæ possidet, cum dubio inæquali tenetur partem aliquam restituere pro qualitate dubij. ergo similiter in nostro casu, ac subinde si non facit aliquam compensationem, iniuriam illi infert, & sic iustè poterit alter Princeps illi bellum indicere. quod docuit Bannes *loco allegato concl. 4.* illum sequitur Valentia *puncto 2. citato vers. Quinto certum est.*

Dvbi-

DVBITATIO III.

V. *An milites habeant eandem obligationem examinandi iustitiam belli, sicut Principes, vel Consiliarij eorumdem?*

Dico septimò, militibus non incumbit eandem obligationem examinandi, & cognoscendi iustitiam belli, atque ipsi Principi bellum indicenti, eiúsque Consiliariis: vnde milites qui sunt addicti militiæ certis stipendiis, vel sunt subditi, possunt militare, & sequi ipsum Principem inimicis bellum inferentem, etiam si dubitent de iustitia belli: quoniam lictor potest exequi sententiam iudicis, quamois dubitet de iustitia illius, quia non spectat ad illum examinare illam. ergo & milites possunt pugnare, etiam si speculatiuè dubitent de iustitia belli sui Principis. Practicè tamen deponunt dubium de bello, an sit iustum, quia iudicant hic, & nunc in dubiis præsumendum esse pro iustitia Principis, & sic practicè non agunt contra conscientiam dubiam. Syl. *verb. Bellum, 1.n.10. quæst.9. concl.5.* quem sequitur Azor *part.3. instit. mor. lib.2. cap.7. dub.21.*

Dico octauò, milites qui non sunt subditi, aut stipendiarij Principis, non possunt bellare si dubitent de iustitia belli, quia sicuti mulier, quæ dubitat de morte prioris viri, non potest alteri nubere, quia se exponit periculo inferendi illi iniuriam. ergo similiter & milites, qui sunt liberi, non possunt adhærere vni Principi, quando dubitant an inferant iniuriam alteri. Bannes 2.2 *quæst.40.art.1 dub.6. concl 2.* hunc sequitur Valent. *tom.3. disp.3 quæst.16. de bello, puncto 2. vers. Si autem miles.*

Dico nonò, non tamen tenentur milites etiam non subditi, valde accuratè iustitiam belli examinare, quia id munus potiùs est Principis, & Consiliariorum eius: satis igitur esse poterit, vt licitè militiæ nomen dent opinio bona, quam habent de iustitia, & æquitate Principis bellum mouentis, quem idcirco credunt non esse bellum iniustum suscepturum, & sic saltem probabiliter reputent bellum esse iustum. Ita rectè notauit Caietanus *in summa verb. bellum.*

DVBITATIO IV.

VI. *An liceat militibus pugnare quando sunt certi quòd Princeps dubitat de iustitia belli?*

Dico decimò, si milites sint certi quòd dubius est Princeps de iustitia belli, & pars aduersa est in possessione rei, de cuius dominio dubitatur, & propter quam bellum indicitur, non licet illis pugnare quamuis sint subditi & stipendiatij. Probatur, quia, vt diximus *assert.3.* tunc bellum esset iniustum, quia in pari causa iustitiæ melior est conditio possidentis, vt dicitur in iure, *reg.65.* ergo si milites sciunt Principem bellum inferentem esse in æquali dubio de rei possessione, & alter est in possessione, non licet eis nomen militiæ dare, & sequi Principem bellum indicentem, etiamsi sint subditi & stipendiarij, quia in te apertè iniusta non tenentur illi obedire: videatur Baones *loco nuper adducto concl.3.*

VII. *Ad rationem partis affirmatiuæ respondetur.*

Nec contra hanc & tertiam nostram assertionem officit fundamentum à principio positum. Negamus enim consequentiam, & ratio discriminis est, quoniam in lite ciuium particulatium post illam iudicatam manet adhuc inquisitio iuris, & iudicis antequam sententia exequutioni mandetur, & propterea sufficit illud dubium ad litigandum iustè. Cæterùm indicere bellum est proferre sententiam, & executioni mandare contra alterum Principem in possessione constitutum, quod est illicitum, & iniquum. Poterit tamen Princeps, qui non est in possessione rei, stante illo dubio per nuncios, & Legatos aduocare alterum Principem ad rei veritatem inuestigandam, sicut potest ciuis vocare alterum vt compareat coram iudice, quando de re possessa dubitat an ad ipsum spectet, quòd si Princeps possidens renuerit veritatem examinare, alter propter iniuriam sibi illatam habebit iustam causam illi bellum indicendi, vt diximus *assertione 4.* Poterit pro hac solutione videri Bannes 2.2. *quæst.40.art.1.dub.5.ad primum.*

ARTICVLVS III.

An licitè bellum à Principe Christiano inferri possit infidelibus, eósque bonis, & vita priuare?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas dilucidatur, explicando, An liceat Principibus debellare, & depradare infideles, quando sunt subditi illorum, & an omnibus licitum sit debellare Turcas, & Saracenos.*
3. *An liceat priuatis hominibus idem quod Principibus.*
4. *An infideles non subditi possint in seruitutem redigi, vel depradari.*
5. *Ad rationem partis negatiuæ respondetur, explicando triplicem differentiam infidelium.*

I. *Pars negatiua probatur.*

Nam infideles, puta Indi, & Pagani, qui nunquam fuerunt subiecti Principibus Christianis, eo solo titulo, quòd infideles sunt, & idolorum cultores, non possunt licitè debellari, neque deprædari; quia iustum bellum tantùm est, aut offensiuum contra iniquè occupantes bona nostra, aut defensiuum contra inuadentes, aut infestantes nos: sed infideles Indi, & Pagani, qui neque de iure, neque de facto fuerunt subiecti Principibus Christianis, non iniquè occupant bona Christianorum, neque inuadunt, & infestantur nos. ergo licitè debellari non possunt: & ita hanc opinionem tenuit Caiet. 2.2.*q.66. art.8.* infideles scilicet eo solo titulo quòd infideles sunt, non posse licitè debellari. Syl. *verb. Infidelitas, q 7.* Armill. *eod. verb. n.7.*

II. *Veritas dilucidatur, & explicatur*

DVBITATIO I. & II.

*An liceat Principibus debellare, & depradare infideles, quando sunt subditi illorum? & An omnibus licitum sit debellare Turcas, & Saracenos.*

Dico primò, hæretici, qui in temporalibus sunt subiecti Imperatori, Regi, vel Principi alicui Christiano, qui in temporalibus non agnoscit superiorem, postquam ab Ecclesia tanquam hæretici sunt denunciati, possunt ab eisdem Principibus Christianis, quibus subsunt in temporalibus, licitè debellari, & priuari propriis

propriis bonis: quia ob crimen hæresis iure temporalium amissione, & morte puniri possunt: si autem in temporalibus superiorem non habent, tunc penes Papam est potestas concedendi alicui Principi Christiano, vt contra illos bellum gerat, & priuet illos propriis bonis si fidem, & Religionem, quam professi sunt, retinere noluerint: videatur Castro *lib. 6. de iusta hæret punit. cap.* 14. Azor. 3. *part. instit. mor. lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 30.

Dico secundò, contra Turcas, & Saracenos, quilibet Christianus Rex, vel Respublica, aut Princeps superiorem non agnoscens in temporalibus habet ius gerendi bellum continuum: quia occupant, & detinent Prouincias, & terras Christianorum. Armil. *verb. Infidelitas, num.* 9. nec solùm habent potestatem debellandi & deprædandi Regna, & Prouincias horum infidelium: sed etiam quodlibet oppidum, villam & quemlibet priuatum illorum, quia quod circa totum licet, circa quamlibet illius partem licebit. ergo si iusto bello Principes Christiani non agnoscentes in temporalibus superiorem possunt totum Regnum talium infidelium debellare, & deprædari, poterunt etiam quemcunque priuatum illius diripere. Ita bene Salon. 2. 2. *q.* 66. *art.* 8. *controuersia* 1. *ante* 1. *conclusionem, & conclus.* 4.

## Dubitatio III.

### III. *An liceat priuatis hominibus idem quod Principibus?*

Dico tertiò, non licet tamen priuatis hominibus auctoritate priuata diripere, & deprædari, ac captiuitati tradere tales infideles, nisi quando ipsi nos inuadunt, & ad nos accedunt vt deprædentur. Prima pars probatur, quia non licet aliquem diripere & captiuare, nisi titulo iusti belli: sed priuatus non potest alteri iustum bellum inferre, auctoritas enim bellum indicendi pertinet ad Principem. ergo, &c. Secunda pars patet, quia quando infideles nos aggrediuntur, iure naturæ sine vlla alia facultate habemus iustum bellum contra inuasores, & consequenter possumus illam iniuriam à nobis repellere, & illos vt in bello iusto captiuare & deprædari; quilibet enim priuatus habet ad hoc amplam & virtualem facultatem à suis Principibus. Videatur idem Salon. *loco adducto.*

Dico quartò, consequenter euntes ad terras, & littora infidelium ad eos captiuandos, & deprædandos sine publica auctoritate Principis Christiani non agnoscentis in temporalibus superiorem, iniquè agunt, & tenentur ad restitutionem, quia priuatæ personæ non habent iustum titulum captiuandi infideles, & bona illorum deprædandi: nam iustus titulus habetur ratione iusti belli, sed iustum bellum requirit auctoritatem publicam. ergo, &c. & ita consequenter loquitur Salon. *loco citato concl.* 4. *ad finem.* Confirmatur hæc assertio ex doctrina D. Th. 2. 2. *q.* 66. *art.* 8. *ad* 2. vbi docet nunquam esse licitum auferre bona infidelium auctoritate priuata, & sic auferentes committere rapinam ergo tenentur ad restitutionem.

Sed contrà vrgebis. nam Christiani milites sæpe numero inuadunt Turcas, & alios infideles sine auctoritate Principis, & diripiunt, & capiunt prædas, & illorum bona, & nemo est qui illos compellat ad restitutionem, quin potiùs ab omnibus laudantur. ergo signum est hoc licitum esse. Respondetur cum Magistro Bañes 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 1. *dub* 4. *vers. ad argumentum in contrarium*, &c. quòd, per se loquendo, illi milites tenentur restituere bona capta ab infidelibus priuata auctoritate, sed aliquando excusari possunt ex voluntate Principis interpretatiua, vt quando est maxima opportunitas, & aliunde non potest facile conueniri Princeps vt conferat facultatem, & tunc excusantur & à peccato, & ab obligatione restituendi: quia illud bellum virtualiter procedit ex licentia, vel ratihabitione Principis. Vnde Azor. 3 *part. lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 20. *vers. Ex dictis sequitur*, &c. asserit quòd Christiani practicam artem iure exercent contra Turcas, & Saracenos in mari, & terra: quia sunt perpetui hostes populi Christiani, & publica Regum, ac Principum Christianorum auctoritate continuum bellum est indictum contra eos: quod etiam docet Valentia *tom.* 3. *disp.* 3. *quæst.* 16. *de bello, puncto* 3. §. *Quam ob causam.*

## Dubitatio IV.

### IV. *An infideles non subditi possint in seruitutem redigi, vel deprædari?*

Dico quintò, infideles, qui nobis subiecti non sunt, neque de iure, neque de facto, neque auctoritate publica, neque priuata, possunt in seruitutem redigi, neque eorum bona prædari: quia iniustè non detinent Prouincias, & terras Christianorum, neque persecutionibus, & bellis vexant Christianos. ergo eo solo titulo quòd infideles sunt, debellari, & prædari non possunt. hæc conclusio colligitur apertè ex D. Th. 2. 2. *q.* 66 *art.* 8. *ad secundum.* & eam tenet *ibi* Caiet. Syl. *verb. Infidelitas, num.* 8. *quæst.* 7.

Dico sextò, debellari tamen possunt huiusmodi infideles, etiamsi non sint infesti Christianis, si resistant, & impediant prædicationem Euangelicam, aut prohibeant ne alij ad fidem conuertantur, aut conuersos persequantur, aut fideles eò pacificè euntes non admittant apud eos peregrinari, aut adueniens iniuriis afficiant, &c. quia hæc omnia sunt iusti tituli ad bellum iustum. Videatur D. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 8. Caiet. 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 8 Azor. 3. *part. instit. mor. lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 3. *diffic.* 6. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 2 *q. vlt. puncto vlt. de bello*, §. 2. *num.* 12.

### V. *Ad rationem partis negatiuæ respondetur, explicando triplicem differentiam infidelium?*

Ad fundamentum à principio positum respondetur solùm probare nostram quintam assertionem. Pro cuius maiori explicatione obseruandum quòd infideles sunt in triplici differentia: quidam enim sunt qui de iure, & de facto subsunt Principibus Christianis, vt Iudæi, hæretici, vel Mauri, qui agunt in terris Christianorum. Alij sunt qui de iure, quamuis de facto non, subduntur Principibus, vt qui occupant terras, quæ aliquando fuerunt Christianorum, vt sunt Turcæ, & Saraceni, occupant enim hi iniquè & tyrannicè terras Christianorum, & sic Principes Christiani habent ius ad illas, licèt de facto ab infidelibus possideantur. Tertij generis sunt, qui nec de facto, nec de iure subsunt Principibus Christianis, vt sunt Indi, Pagani, quibus nunquam fuit prædicatum Euangelium, infideles primi generis interueniente iusta causa possunt à Principibus Christianis priuari bonis, aut vita, propter commissa crimina, vel propter commune bonum: quia propter suam infidelitatem non debent esse melioris conditionis, quàm alij ciues Christi fideles: & ita diffinitum est tit. *de Iudæis, & Saracenis.* de infidelibus secundi generis diximus *in tertia assertione:* de aliis *in* 5. *&* 6. Videantur DD. cit. Caiet. Salon, Azor, Bonacina *locis adductis.*

Arti

## ARTICVLVS IV.

## An omnes bellantes in bello iniusto teneantur insolidum ad restitutionem omnium damnorum?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Explicatur, an quicunque physicè, vel moraliter est causa totius damni, teneatur ad integrã restitutionem, & quid sit causa physica, vel moralis damni.*
3. *Titulo dubitationis respondetur.*
4. *An milites subditi, dubij de iniustitia belli, postea certiores facti, teneantur ad damnorum restitutionem.*
5. *Quidnam sit possessorem bona fidei fieri ex re aliena ditiorem.*
6. *An bellantes teneantur ad restitutionem damnorum illatorum vicinis.*
7. *Argumento a principio respondetur.*

### I. *Pars affirmatiua probatur.*

QVia vnusquisque bellantium est causa totius damni, omnes enim milites mutuò se iuuant, & vnus castrum, ciuitatem, vel domum capugnare non potest, nec Dux sine militibus, nec vnus miles sine alio; ergo cùm quilibet causa sit damni per alium facti, singuli in bello iniusto pugnantes tenentur insolidum omnia damna illata parti offensæ restituere, & ita hanc opinionem tenet Angles *part. 2. in floribus, quæst. de restit. ex bello iniusto, diffic.* 10.

### DVBITATIO I.

### II. *An, quicunque physicè, vel moraliter est causa totius damni, teneatur ad integram restitutionem: & quid sit causa physica, vel moralis damni?*

Dico primò, quicunque physicè, vel moraliter causa est totius damni, tenetur in solidum, seu in integrum, seu in totum ad restitutionem: qui verò non est causa totius damni, sed partis tantùm, non tenetur, sed solùm pro sua parte, pro sua ratione, pro sua rata. Probatur, quia quilibet tenetur ad restitutionem damni, eo modo, quo fuit illius causa efficax: si ergo fuit causa efficax totius damni, tenetur ad restitutionem totius in integrum; si verò fuit causa efficax partis, ad solius partis restitutionem obligatur.

Obserua quòd ille dicitur causa physica alicuius damni, qui positiuè adiuuat, & realiter causat damnum, vt cùm Petrus consentiens cum Paulo in furto faciendo, concurrit cum illo ad infringendas fores, ad portandum pondus auri, v.g. sublatum, tunc dicitur concausa physica, quia realiter, & efficienter cooperatur ad furtum: ille verò dicitur causa moralis damni, qui suo consilio, mandato, consensu, laude, recursu cooperatur ad damnum alterius: videatur Magister Bannes 2.2. *quæst. 62. art. 7. ante primum dubium, vers. vbi notandum.*

### III. *Titulo dubitationis respondetur.*

Dico secundò, Dux generalis exercitus tenetur insolidum, seu in totum ad restitutionem damnorum in iniusto bello illatorum: quia est causa efficax totius damni, ad quod inferendum direxit exercitum. Pari ratione Dux minus generalis, qui non est caput totius exercitus, sed partis, tenetur in integrum de præda iniusta facta à suis subditis, & de damno ab illis illato. Bannes 2.2. *q. 40. art. 1. dub. 7. concl.* 1. Bonacina *tom. 2. disp. 1. de restit. q. 2. puncto* 10. *n.* 12.

Dico tertiò, miles verò in bello iniusto, qui alios milites non induxit, non tenetur ad restitutionem totius damni illati à toto exercitu, sed tantùm pro sua parte, quia ipse in totum damnum non influxit: nec obstat quòd singuli se iuuerunt ad iniquam expugnationem, & ingressum in vrbem, quia solùm iuuerunt faciendo partem suam, non autem procurando vt alij suam in illo damno facerent, aut vt vrbem expugnarent. Syl. *verb. Bellum,* 1. *quæst.* 10 *vers. Sexta.* Sayr. *in claui lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 12. *num.* 70 quamuis Caiet. 2.2. *q.* 62. *art.* 7. contrarium tenuerit.

Dico quartò, si dubium sit, an vnus miles alios suos commilitones suo consilio, vel laude permouerit, tùc si post diligentem inquisitionem dubius manet, non tenetur in integrum ad restitutionem damnorum illatorum à suis commilitonibus: quia in dubiis melior est conditio possidentis immunitatem restitutionis in solidum. Ita bene Lessius *lib. 2. de iust. c.* 13. *dub.* 4. *ad finem.* Si verò plures milites, seu vna manus domum aliquam spoliant, omnes vno consilio, vel alio genere cooperandi se escitantes tenentur insolidum, quia in isto casu quilibet alios iuuat, & facit fortiores, & omnes sunt cooperatores. Syl. *verb. Restitutio* 3. *quæst. 6. vers. Quartum.*

### DVBITATIO II.

### IV. *An milites subditi, dubij de iniustitia belli, postea certiores facti, teneantur ad damnorum restitutionem?*

Dico quintò, milites subditi, dubij de belli iustitia, sicut excusantur à culpa, quoniam in dubiis præsumendum est pro iustitia Principis, & ita licitè pugnare possunt; sic etiam bona fide durante non tenentur ad aliquam restitutionem: at cognita postea belli iniustitia tenentur restituere quidquid prædæ apud ipsos manet, & id, in quo per illam prædam facti sunt ditiores: domos autem, quas succenderunt, & segetes, quas combusserunt, animalia quæ occiderunt, non tenentur restituere: quia ista bona fide consumpserunt, nec in eis facti sunt ditiores. Ita Bannes 2.2. *quæst. 40. art. 1. dub. 7. concl.* 4. Salon. 2.2. *quæst.* 62. *art.* 6. *controuers. 1. ad finem, vers. Primum igitur.* Sanchez *lib.* 2. *oper. moral. cap.* 23. *num.* 6. Pro maiori explicatione huius assertionis,

### DVBITATIO III.

### V. *Quidnam sit possessorem bona fidei fieri ex re aliena ditiorem?*

Dico sextò, possessor bonæ fidei dicitur fieri ex re aliena consumpta locupletior, quando occasione illius rei sic consumptæ patrimonium suum aliquo modo est auctum, vt quia sumptus aliquos alioquin ex suo patrimonio facturus non fecit, aut aliquid lucri fecit illius rei occasione: quòd si patrimonium non creuit, nec illius rei occasione aliquid lucrifecit, non dicitur fieri locupletior, & sic propter rem in bello captam & possessam bona fide cõsumptam, miles subditus, & speculatiuè dubius de belli iustitia, practicè tamen deposito dubio sibi licere pugnare decreuit, quia præsumendum est pro iustitia Principis, ad nullam tenebitur restitutionem, cognita postea veritate de iniustitia belli, si occasione prædæ factæ, & consumptæ in nulla re est factus ditior, & locupletior. Ita optimè

optimè Sotus *in lib 4. de Iustitia q. 7. art. 2. versic. horum instar.* Victoria *in relatione de iure belli, num. 33.* Sanchez *lib. 2 oper. mor. cap. 23. num. 6.*

Dico septimò, milites subditi, dubij de belli iustitia, si non obstante obedientia Principis adhuc maneent dubij practicè de belli iustitia, scilicet, an licitè de facto pugnent, tunc tenentur omnia damna, & quæcunque consumpta restituere, etsi ditiores & locupletiores non euaserint, comperta postea veritate de iniustitia belli: quia ratione illius conscientiæ dubiæ adhuc perseuerantis, cùm semper dubij permanserint, minimè liberantur culpa iniustitiæ belli; ergo cùm sint possessores malæ fidei, ad restitutionem omnium damnorum à se illatorum teneneotur, vt bene Syl. *verb. Bellum 1. quæst. 9. dicto 3.*

## DVBITATIO IV.

### VI. *An bellantes teneantur ad restitutionem damnorum illatorum vicinis?*

Dico octauò, milites tenentur restituere omnia spolia ablata, & damna illata resarcire omnibus viciuis, vel eorum agris, qui non sunt hostes: quia alienum inuito domino auferunt, nisi aliàs consuetudine fuerit introductum, vt tempore belli vicini alere milites teneantur. Ita Angles *p. 1. in floribus, q. de restitutione ex bello iniusto, diffic. 1. concl. 2.*

### VII. *Argumento à principio respondetur.*

Ad fundamentum à principio positum, quatenus militat contra tertiam assertionem, respondetur quòd si bellantes milites in bello iniusto ad idem damnum indiuiduum cooperarentur, vt si inuaderent se ad idem pondus auri auferendum, tunc in solidum tenerentur ad restitutionem, quia hic & nunc damnum illud non fieret nisi vnusquisque illorum in totum illud damnum indiuiduum vim conferret, licèt partialem: si verò milites pugnantes non concurrant ad idem damnum indiuiduum, sed distinctum damnum vnusquisque irroget, tunc non in integrum, sed dumtaxat pro sua parte tenentur: quia tunc quisque solùm est causa partis damni, quam ipse per se dedit, non autem totius, aut partis, quam alius fecit, nisi fortè alium impulerit, vt citiùs, aut alacriùs faceret, aut nisi se vicissim permouerint, vel animarint, tunc enim singuli censentur causa totius damni; hoc autem ordinariè non accidit, nisi inter paucos. Ita bene Syl. *verb. Restitutio 3. q. 5. § Quartum,* quem sequitur Less. *lib. 2. de iust. cap. 13. dub. 40. num. 36.*

## ARTICVLVS V.

## An sit licitum in bello iusto occidere innocentes?

### SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas dilucidatur, explicando, qui sint nocentes, quibus licet mala inferre in bello iusto.*
3. *An liceat occidere Clericos Sacris initiatos, vel Religiosos completo belli congressu.*
4. *Dubitatio resoluitur.*
5. *An liceat interficere innocentes dum creduntur futuri inimici fidei Christianæ.*
6. *Ad rationem partis affirmatiuæ respondetur.*

### I. *Pars affirmatiua probatur.*

Nam licitum est concedere militibus ciuitatem in prædam, vel tradere illam ferro & igni. pater hoc, quia id necesse est aliquando ad animandos milites, ibique deuinciendos, cùm opus fuerit, ad alia bella, ad terrendas alias hostium ciuitates vt sese subiiciant & dedant: sed tunc plurimi innocentes occiduntur patuuli, & mulieres: ergo licebit in bello iusto occidere innocentes.

### II. *Veritas dilucidatur, & explicatur*

## DVBITATIO I.

### *Qui sint nocentes, quibus liceat mala inferre in bello iusto?*

Dico primò hostes, quibus mala inferri possunt in bello iusto, dicuntur hi, contra quos denunciatum est iustum bellum *l. hostes ff. de captiuis.* Inter hostes aliqui sunt nocentes, & rei, illi videlicet, qui sunt in causa, & in culpa gerendi bellum, & qui actualiter in eo pugnant; aliqui verò sunt innocentes, vt sunt paruuli, & mulieres, quæ non sunt causa belli, nec actualiter decertant.

Dico secundò, præter paruulos & mulieres præsumuntur etiam innocentes, vt declarauit Alexander III. *in cap. innouamus, extra de tregua, & pace.* Presbyteri, Monachi, Conuersi, peregrini, Mercatores, rustici dum sunt in agricultura, vel eunt, vel redeunt ex ea. Animalia etiam quibus arant, & semina portant ad agrum, securitate congrua, inquit Pontifex, lætentur. Per Mercatores tamen, vt putat Caiet. *in sum. verb. bellum,* debent hîc intelligi non qui sunt ciues in Republ. hostium, sed qui transeunt importantes aliqua mercimonia, nam mercatores incolæ non sunt quoad hoc melioris conditionis, quam alij artifices, vt rectè inquit Caiet.

## DVBITATIO II.

### III. *An liceat occidere Clericos Sacris initiatos, vel Religiosos completo belli congressu?*

Dico tertiò, finito belli iusti congressu, & euictis hostibus, non est licitum occidere Clericos Sacris initiatos, Monachos, Regulares, Conuersos, peregrinos, Mercatores, rusticos, infantes, & mulieres, quia isti nec causam belli dederunt, nec actualiter pugnasse præsumitur: animalia etiam quibus agri coluntur nec licitum est occidere, vt *in cap. innouamus,* asserit Alexander III. nisi certò constiterit prædictos aliquo modo operam suam ad pugnam præstasse: quia isti tunc considerentur vt nocentes, & malefactores, & in pœnam delicti, cùm auxilium iniuste pugnantibus etiam ipsi certando dederint. Ita bene Bannes 2. 2. *quæst. 40. art. 1. dub. 14. concl. 1. vers. Tertiò colligit,* Victoria *in relect. de iure belli, num. 34.* hos sequitur Azor. 3. *part. instit. mor. lib. 2 cap. 7. dub. 7. & 8.*

### IV. *Dubitatio resoluitur.*

Dico quartò, in bello iusto per accidens, & præter intentionem interficere innocentes non est peccatum. v.g. quando expugnatur ciuitas ab eo, qui habet iustum bellum, & non potest aliter expugnari nisi tormentis bellicis, quamuis sciat multos innocentes esse interficiendos: quia illa occisio innocentum solùm est voluntaria in sua causa; quàm nec Dux exercitus, nec milites tenentur vitare, cùm habeant iustum bellum, ergo non est illi voluntaria ad culpam, quoniam illud quod non tenemur vitare, non est nobis voluntarium ad culpam, vt docet D.Th. 1. 2. *quæst. 6.*

*quæſt.6.art.3.* hæc aſſertio eſt communis ſententia Doctorum, & eam ſpecialiter docuit Magiſter Victoria *vbi ſupra num.37.& 38.*

## DVBITATIO III.

V. *An liceat interficere innocentes dum creduntur futuri inimici fidei Chriſtianæ?*

Dico quintò, finito belli congreſſu, & parta victoria in bello iuſto, etiam contra Turcas, & Saracenos, non licet interficere mulieres, quia præſumuntur innocentes quantum ad bellum ſpectat: nec pueros, nec infantes, quia cùm ſint innocentes, non ſunt puniendi pro peccato futuro nondum patrato, vnde etiamſi cùm adoleuerint fiant paruuli infidelium, hoſtes Chriſtianorum, non ſunt occidendi finito belli congreſſu, cùm nemo iuſtè occidatur pro culpa, aut iniuria futura. Ita bene Victoria *vbi ſupra n.38.* Lopez *1.p. ſui inſtruct.cap.61.§.grauius dubium.*

VI. *Ad rationem partis affirmatiuæ reſpondetur.*

Ad fundamentum à principio poſitum reſpondetur, quòd per ſe regulariter, & communiter non licet tradere ciuitatem in prædam, aut ferro, & igni, propter plurima mala temporalia, & ſpiritualia, quæ inde ſequuntur: at cùm victoria aliter obtineri non poteſt in bello iuſto, niſi promiſſione facta de hoſtili ciuitate in prædam militibus tradenda, tunc licitum eſt Duci id promittere, & promiſſum poſtea ſeruare. patet, quia aliter hoſtes debellari non poſſunt: in quo caſu vniuerſa illius mala, quæ inferuntur innocentibus, conſequenter ſunt per accidens, & præter intentionem, & tunc Dux belli tenetur militibus præcipere vt abſtineant à diripiendis Eccleſiis, & occidendis innocentibus, & ſpoliandis his, quos ſuprà diximus *aſſertione 3.ex cap.innouamus, de tregua, & pace:* videatur pro hac ſolutione Victoria *in relectione de iure belli, n.52.* Syl. *verb. Bellum 1.q.10.concl.2.* Bannes *2.2.q.40. art.1.dub.11 ad ſecundum argumentum.* Azor. *3.part.inſt. mor.lib.2.cap.7.dub.13.*

## ARTICVLVS VI.

## An ſit licitum in bello iuſto expoliare innocentes, & in captiuitatem illos ducere?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Reſoluitur dubitatio.*
3. *An tranſacto bello teneatur Princeps reſtituere innocentibus, quæ ſuperfuerunt ex ſpolys illorum.*
4. *An poſſit expoliari ciuitas, quæ non conſenſit in bello.*
5. *An quando bellum eſt perpetuum, ſemper liceat expoliare hoſtes.*
6. *An bona ablata à piratis ſi ab his auferantur ab alijs militibus, ſint auferentium, vel priorum dominorum.*
7. *An in bello iuſto poſſint expoliari commorantes in ciuitate qui non ſunt partes illius, vt viatores, &c.*
8. *An res capta in bello iuſto ſint militum, vel Principis bellum indicentis.*
9. *Rationi in contrarium reſpondetur.*
10. *An milites teneantur ad reſtitutionem damni illati, quando Superiores præcipiunt non inferri damnum aduerſarijs.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NOn licet in bello iuſto per ſe & directè interficere innocentes. ergo neque etiam licebit illos expoliare, & in captiuitatem ducere. Probatur conſequentia. nam acceptio rei alienæ ab innocente tam intrinſecè eſt mala, ſicut occiſio illius, cùm ſit furtum vel rapina. ergo, &c.

II. *Dubitatio reſoluitur.*

Dico primò, licitum eſt in bello iuſto expoliare & in ſeruitutem ducere innocentes, etiam illos, quos ſcimus eſſe innocentes, qui tamen ſunt partes Reipublicæ aduerſariæ. Probatur, quia in delictum Reipubl. cuius ſunt partes, poſſunt hac pœna puniri: tum, quia ſicut pœna amiſſionis bonorum puniuntur filij pro parentibus, vt *1.2. quæſt.10. art.3.* communiter docent Theologi. ergo & innocentes, qui ſunt Reipublicæ partes, poſſunt hac pœna puniri: tum, quia libertas inter bona fortunæ reputatur. ergo licebit in bello iuſto expoliare libertate victos tum nocentes, tum innocentes, qui ſunt partes Reipublicæ nocentis: ſicut licet vtroſque expoliare aliis bonis fortunæ, vt bene probat Victoria *in relect. de iure belli, n.42.* Bannes *2.2.q.40. art.1.dub.11.concl.3.* hos ſequitur Valentia *tom.3.diſp.3. q.16 de bello, puncto 3.aſſertione 5.* contra Angles *p.2. in floribus, quæſt.de reſtitutione ex bello iniuſto, diffic.6.*

## DVBITATIO I.

III. *An tranſacto bello teneatur Princeps reſtituere innocentibus, quæ ſuperfuerunt ex ſpolys illorum?*

Dico ſecundò, tranſacto belli conflicto, & ſtabilita victoria, non tenetur Princeps reſtituere innocentibus qui ſunt partes Reipubl. nocentis illa quæ ſuperſunt ex ſpoliis innocentium: quia cùm licitè, & iuſtè capta ſint, iam non manent obnoxia reſtitutioni. Ita bene adnotauit Bannes *loco nouiſſimè adducto, verſ. Quod verò.*

## DVBITATIO II.

IV. *An poſſit expoliari ciuitas, quæ non conſentit in bello?*

Dico tertiò, ſi eſſet aliqua ciuitas illius Principis, contra quem eſt iuſtum bellum, quæ in bello non conſenſit, nec auxilium præbuit bello iniuſto, tunc non adeſt iuſta cauſa ad expoliandos ciues illius ciuitatis, quoniam tunc illa ciuitas non ſe habet vt pars alterius ciuitatis, contra quam pugnatum eſt, quantum ad iniuſtum bellum. ergo nulla ſubeſt cauſa, vt patiatur illam pœnam. Gabr. *in 4.diſt.15.q.4.a.1.* quem adducit & ſequitur Bannes *loc.cit.* Syl. *Bellum 1.q.10.concl.3.*

Dico quartò, ſi tamen hoſtes in aliqua ciuitate commorantes nollent reſtituere res ablatas per iniuriam ab aliis ciuibus alterius Regni, nec Princeps illius ciuitatis curaret reſtitui, quod à ſuis improbè, & iniuſtè ablatum eſt: Reſpublica læſa ſi non poteſt commodè quod ſuis ciuibus ablatum eſt recuperare à nocentibus, poſſunt læſi auctoritate ſui Principis expoliare alios innocentes, qui ſunt in Regno hoſtium; quia tunc Princeps læſorum habet ius contra Principem nocentium, vt ex qualibet parte Regni illius condignam poſſit accipere ſatisfactionem. ergo læſi auctoritate ſui Principis, hoc idem poterunt efficere: videatur Azor. *3.p.inſtit.mor.lib.2.c.7.dub.19.*

Dico quintò, in iſto caſu non ſolùm ſurripientes bona aliena tenentur ad reſtitutionem, ſed etiam

Princeps illorum, qui neglexit vindicare quod à suis improbè factum est, debet restituere illis innocentibus læsis vniuersa bona ab illis ablata, & damna illata, quoniam ex iustitia Princeps ille tenebatur vindicare quod à suis improbè factum est. ergo non faciendo peccauit contra iustitiam, & ex consequenti damna illa innocentibus illata de iustitia tenetur resarcire: ita bene Magister Bannes *loco nuper allegato*.

Dico sextò, consequenter Princeps non agnoscens in temporalibus Superiorem, iure potest dare litteras, quibus concedit suis ciuibus potestatem expoliandi quoscunque ciues alterius Reipublicæ pro compensatione rerum sibi ab eius Reipublicæ ciuibus iniustè ablatarum, quas litteras vocat Syl. *Repressalia*; quia talis Princeps habet ius hoc etiam modo recuperandi bona suorum ciuium, Syl. *verb. Repressalia, quæst.1. in fine*, Victoria *in relectione de iure belli, num.41*. Valentia *tom.3.disp.3.q.16.de bello, puncto 3.vers.Propter*.

## Dubitatio III.

V. *An quando bellum est perpetuum, semper liceat expoliare hostes?*

Dico septimò, quando bellum est perpetuum cum aliquibus hostibus, vt est bellum Christianorum contra Turcas, & Saracenos, semper licet eis, & eorum ciuibus eripere, quæcunque ipsis eripi possint: quia hoc modo licet debilitare vires aduersariæ Reipublicæ, quæ vtitur facultatibus suorum ciuium ad continuandum bellum iniustum contra nos: tum, quia Christiani virtualem habent consensum Principum Christianorum debilitandi vires hostium Christiani nominis: tum, quia Turcæ, & Saraceni semper Christianos vexant extorsionibus, & piraticis bellis: videatur Magister Victoria *in relectione de iure belli, n 39*. Valentia *loco præcedenti assertione adducto. §.quam ob causam*. Azor. *lib.2.instit.mor.part.3.c.7.dub.20*.

## Dubitatio IV.

VI. *An bona ablata à piratis, si ab his auferantur ab alijs militibus, sint auferentium, vel priorum dominorum?*

Dico octauò, bona alicuius nationis, v.g. Romanorum per iniustum bellum ablata à piratis, extracta postea à militibus Hierosolymitanis è manibus piratarum Turcarum, non acquiruntur militibus S. Ioannis; quia Turcæ, & Saraceni non acquisierunt dominium illorum bonorum, quæ per iniustum bellum abstulerunt, & consequenter remanent sub dominio priorum dominorum, illisque sunt restituenda, detracta æstimatione operæ, & industriæ positæ in his bonis acquirendis. Salon.2.2.*q.66.art.8. controu.1. concl.1*. Consuetudine tamen potuit introduci, vt res extractæ ab hostibus fiant capientium, quando hoc bono communi expedit, vt milites fiant animosiores ad hostes expugnandos: videatur Bonacina *tom.2. tract.de restit. disp.2.q.vlt sect.1.puncto vltimo.§.3.n.23*. Valentia *tom.3. disp.3.quæst.16.de bello, puncto 3.concl.4*.

## Dubitatio V.

VII. *An in bello iusto possint expoliari commorantes in ciuitate, qui non sunt partes illius, vt viatores?*

Dico nonò, expoliari non possunt in bello iusto, qui non sunt partes Reipublicæ contra quam bellum mouetur, etiamsi inter hostes commorentur, vt sunt peregrini, viatores, mercatores, alienigenæ, qui transeunt importantes aliqua mercimonia: quia bona istorum non sunt sub vniuersali dominio Reipublicæ, quæ iniuriam intulit, cùm non sint ciues ipsius. Rapinam etiam committunt milites si spoliant rusticos existentes in agricultura, & animalia, quibus arant, & semina portant. *extrà de trenga & pace, c.innouamus*. Syl. *verb.Bellum 1.num.11.concl.3*.

## Dubitatio VI.

VIII. *An res captæ in bello iusto sint militum, vel Principis bellum indicentis?*

Dico decimò, iure gentium res mobiles in bello iusto captæ, etiamsi excedant compensationem damnorum, efficiuntur ipsorum militum capientium, & ab eis iustè possideri possũt. Ita D.Th.*lib.3.de regim. Principum, c.17*. Immobiles verò cedunt ipsi Principi indicenti bellum, vt patet ex *l si captiuus. §.1.ff.de captiuis*.

IX. *Rationi in contrarium respondetur.*

Ad rationem à principio positam respondetur negando consequentiam, & ratio discriminis est, quoniam illorum bonorum temporalium, quibus spoliantur innocentes, qui sunt conciues & partes Reipublicæ, habet ipsa Respublica dominium vniuersale, & sic ob delictum ipsius possunt in bello iusto innocentes priuati. Cæterùm Respublica non habet dominium vitæ suorum ciuium, sicut nec ipsi ciues habent, vt communiter asseritur à Theologis 2.2.*q*. 62. Ideóque qui habet iustum bellum contra illam Rempublicam, potest priuare innocentes illis bonis, quorum Respubl. habet dominium. At verò occidere illos ex intentione non poterit: quia Respublica non habet dominium vitæ illorum. Ita præclarè Bannes 2.2. *q.40. art.1.dub.11.ad quartum argumentum*.

## Dubitatio VII.

X. *An milites teneantur ad restitutionem damni illati quando Superiores præcipiunt non inferri damnum aduersarijs?*

Vltimo loco pro hoc dubio obseruandum, quòd milites pugnantes in bello iusto tenentur ad restitutionem damni illati contra expressam, vel tacitam Superioris prohibitionem, præcipientis, ne damna aduersariis inferantur, vel ne inferantur nisi ad certos limites: quia tunc damna illata censentur iniusta, quoniam auctoritate priuata, & non publica Principis inferuntur: ita optimè Syl. *verb. Bellum 1. q.10. concl.4*. quem sequitur Rodriquez *summ.1.p.c.128.n.1*. Verum tamen est milites non teneri ad restitutionem quando damna intulerunt aduersariis contra prohibitionem Superioris, qui eam tulit, nõ quidem ne damna inferrentur aduersariis, sed ne ipsius exercitus damnum pateretur: quia in hoc casu damnum illatum non esset contra voluntatem Principis, licèt illi displiceat ob periculum damni exercitus: videatur Bonacina *tom.2. tract.de restit.disp.2.q.vltima, sect.1.puncto vlt.§.3.n.16*.

## Articulus VII.

## An capti in bello iusto, & in seruitutem redacti à suis dominis, licitè fugere possint?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*

2. *Decla*

2. *Declaratur quis sit seruitus, & per quam legem sit introducta.*
3. *An liceat in seruitutem redigere homines captos in bello iusto.*
4. *An heretici, vel Apostata in bello iusto capti, fiant mancipia capientium.*
5. *An possint Principes condere legem, vt heretici, vel Christiani capti in bello iusto vt mancipia alijs vendantur.*
6. *An filij innocentes hereticorum capti in bello iusto, à Christianis fiant eorumdem serui.*
7. *An Christiani capti ab infidelibus fiant serui illorum, si sint capti in bello iusto.*
8. *Respondetur titulo dubitationis.*
9. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, an liceat consilium prastare seruis, vt fugiant.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm qui priuat verum & legitimum dominum re quam possidet, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem; sed capti in bello iusto sunt sub dominio domini sui capientis. ergo licitè fugere non possunt, imò tenentur ad restitutionem damni illati dominis suis. Ita Nauarr. *summa c.17 n.103.*

## DVBITATIO I.

II. *Quid sit seruitus, & per quam legem sit introducta?*

Dico primò, seruitus legalis, qua seruitute fiunt serui capti in bello iusto, illa est, qua vnus homo dominus vtitur altero seruo ad suam propriam vtilitatem, & commodum. hæc seruitus per legem positiuam est introducta. *l. hostes, de captiuis*. nam iure naturæ nullus homo seruus est, aut dominus. sed omnes liberi, & pares conditione sunt, iuxta illud Ecclesiast. 15. *Fecit Deus hominem rectum*, id est, liberum, quod docent verba, quæ sequuntur, *& posuit illum in manu consilij sui.* Videatur speculum Confessariorum *disp. 1. de dominio, q.26. n.2.* Sotus *lib.4. de iust q.2. art.2.*

## DVBITATIO II.

III. *An liceat in seruitutem redigere homines captos in bello iusto?*

Dico secundò, licitum est homines bello iusto captos in seruitutem redigere, ex *l. hostes, de captiuis*. At Christianos captos bello iusto ex Christianis, more, & vsu inter Christianos receptum est non fieri seruos, sed seruari posse captiuos, vt pretio postea redimantur: quod in fauorem fidei, vsu receptum & constitutum est. Syl. *verb. Bellum 1. num. 1.*

## DVBITATIO III.

IV. *An heretici, vel Apostata in bello iusto capti, fiant mancipia capientium?*

Dico tertiò, hæretici gaudent hoc priuilegio Christianorum, vt capti à Christi fidelibus in bello iusto non fiant mancipia capientium: quia licèt diuersos errores habeant contra fidem, retinent tamen quodammodo fidem cùm Christum Dominum confiteantur: Apostatæ verò à fide, qui dicuntur *Renegati*, non gaudent hoc priuilegio, & fiunt serui capti in bello iusto, & mancipia capientium: quia totaliter fidem deseruerunt, & negant Christum. Bannes 2.2. q.40. *art.1. dub.12* quem sequitur Valentia *tom.3. disp.3. q.16. de bello, punct.3. assert.5. §. Sed hic occurrunt duo, &c.*



## DVBITATIO IV.

V. *An possint Principes condere legem, vt heretici, vel Christiani capti in bello iusto, vt mancipia alijs vendantur?*

Dico quartò, lege tamen, & constitutione noua Principum Christianorum statui potest, vt hæretici, & Christiani nocentes capti bello iusto à Christianis perpetuæ seruituti tradantur, & tanquam mancipia alijs vendantur: nam vsus & mos contrarius tolli potest noua lege Principis; tum, quia quos occidere iure possumus, iure possumus seruos efficere, sed nocentes in bello iusto captos finito belli congressu, & obtenta victoria licitum est occidere in pœnam peccati, in terrorem aliorum, ob bonum publicum, & ad pacem, & securitatem imposterum habendam. ergo, &c. Videatur Bannes *loco nuper adducto.* Azor. 3. *part. instit. mor. lib.2. cap.7. dub.10. & 14.*

## DVBITATIO V.

VI. *An filij innocentes hereticorum à Christianis capti in bello iusto, fiant eorumdem serui?*

Dico quintò, infantes baptizati, filij Apostatarum à fide, & alij innocentes apud ipsos, quia fide minimè apostatarunt, gaudent eo priuilegio, quo Christiani bello iusto capti non fiunt serui Christianorum capientium, quia tales paruuli & innocentes nihil contra fidem cogitarunt. ergo tanquam Christi fideles priuilegio libertatis gaudebunt, quam per Christum Dominum Christi fideles sunt consequuti. Bannes *vbi suprà concl.* 2. quem refert, sequitúrque Valentia *loco proximè allegato.*

## DVBITATIO VI.

VII. *An Christiani capti ab infidelibus fiant serui illorum si sint capti in iusto bello?*

Dico sextò, Christiani capti ab infidelibus Paganis bello iusto, fiunt serui capientium, (vt si tempore treguæ Christiani aggrederentur illos infideles, in tali casu haberent bellum iustum pro se, fides enim iure naturali est etiam hostibus seruanda:) quia ius gentium introductum vt capti in bello iusto fiant serui capientium, debet esse æquale Christianis, & infidelibus. ergo cùm Christiani in tali casu possint ab infidelibus iustè occidi, poterit ab eis mors in perpetuam seruitutem commutari. Ita bene Sotus *lib.4. de iust. q.2. art.2.* quem sequitur Azor. 3. *part. inst. mor. lib.5. cap 7. dub.25.* contra aliquos DD. citatos *in speculo Confessariorum disp. 1. de dominio, q.29.*

Dico septimò, Christiani verò capti à Turcis, & Saracenis non fiunt serui capientium secundùm rei veritatem; quia Turcæ, & Saraceni communiter bellum iniustum gerunt contra Christi fideles. ergo iure belli ab eis capti non fiunt serui capientium, cùm bellum sit iniustum ex parte talium infidelium: & sic non solùm licitè fugere possunt, verùm etiam surripere à suis dominis, quantum satis est, ad compensandam sibi iniuriam, & damnum illatum, imò quantum possunt, quia tunc possunt nocere hostibus ex tacito Principis consensu: videatur Caiet. 2.2. *quest.66. art* 8. Syl. *verb. furtum q.6.* Less. *lib.2. de iustitia, c.5. dub.5.* & speculum Confessariorum *loc. cit. q.28.*

VIII. *Titulo dubitationis respondetur.*

Dico octauò, capti in bello iusto serui capien-

M 2 tium

tium nacta occasione si fugiant à dominis suis nec peccant, nec tenentur illis aliquod pretium restituere. Probatur, nam hæc seruitus iure gentium est introducta: ergo non debet magis obstringere, quàm consuetudine totius orbis sit receptum: sed consuetudo totius orbis habet vt tales serui sine peccato, nihil dominis restituendo possint fugere ad libertatem recuperandam. ergo, &c. Non tamen possunt dominis persequentibus vi resistere; quia licèt reus è carcere possit fugere, non tamen ministris iustitiæ persequentibus resistere. ergo similiter, &c. ius enim habet dominus illos intercipiendi, & detinendi. Ita bene Sotus *lib. 4. de iustitia, q. 2. art. 2. post tertiam concl.* Bannes 2.2. *quæst. 40. art. 1. dubio penultimo.*

Dico nonò, seruus iure belli captus, & alteri venditus, semper habet ius fugiendi ad suos, & ad libertatem recuperandam. Probatur, nam capiens seruum, ipsum vendens non potuit maius ius conferre emptori, quàm ipse habebat: ergo si à capiente seruus fugere potest, similiter ab emptore poterit: speculum Confessariorum *de dominio, disp. 1. quæst. 32.*

Dico decimò, serui si sint domi nati ex parentibus in bello iusto captis, etiam habent ius fugiendi. Probatur, quia natiuitas ista, & captiuitas originem duxit ex bello; ergo tacitè habebit illam conditionem, quam habet seruitus, & captiuitas ex bello inducta; sed parentes in bello capti licitè fugere possunt. ergo, &c. Tum, quia proles non est deterioris conditionis suis parentibus. Sayr. *in claui Regia, lib. 9. cap. 6. num. 35.* Less. *lib. 2. de iust. cap. 5. dub. 5. num. 25.*

IX. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

## Dvbitatio VII.

### *An liceat consilium præstare seruis vt fugiant?*

Ad rationem à principio positam respondetur quòd quamuis non liceat seruo fugere vi, dolo, & resistentia aliqua domino illata, simpliciter tamen fugere potest, & sic fugiens non priuat dominum sua possessione. nam tamdiu sunt serui capti in bello iusto, quamdiu à capientibus custodiuntur, maximè cùm conditio talium seruorum misera, odiosa, & violenta sit, & ex regulis iuris *in 6.* odia restringi, & fauores conueniat ampliari.

Sed contra hanc solutionem arguitur. nam si liceret seruis captiuis in bello iusto fugere, consequenter liceret eis talem fugam consulere; sed non licet consulere vt seruus fugiat à domino suo, à quo iusto titulo possidetur, vt habetur *in cap. de seruis fugitiuis*, & videtur esse diffinitum in Concilio Gangrensi *c. 3.* vt refertur *in can. si quis seruum 17. quæst. 4.* vbi absolutè dicitur seruo alieno non licere suadere fugere à dominis suis, à quibus iusto titulo possidentur. ergo, &c.

Respondetur canones illos intelligi de seruis emptitiis, id est, qui seipsos vendunt, vel à parentibus venditi sunt, & istis non licet fugere, nec fugam illis consulere: secus autem est de seruis captis in bello iusto, & ita hanc solutionem adhibet Bannes 2.2. *q. 40. art. 1. dub. penult. solut. ad 1.* quem refert & sequitur speculum Confessariorum *disp. 1. de dominio, q. 31. ad 4. arg.* Videatur alia solutio apud eundem Bannes, & altera apud Less. *lib. 2. de iust. c. 5. dub. 5. n. 26.*

## Articvlvs VIII.

## An Ecclesiæ, & Clerici, tempore iusti belli, licitè expoliari possint?

### *Svmmarivm.*


1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Dubitatio resoluitur.*
3. *An bona Ecclesiasticorum in bello iusto possint deuastari, & deuastantes teneantur ad restitutionem.*
4. *An Clerici bellantes possint occidi.*
5. *An hostes confugientes ad Ecclesias possint licitè expoliari.*
6. *Rationi in contrarium respondetur, & explicatur quid debeant facere milites in bello iusto, quando hostes effugiunt ad Ecclesiam.*


I. *Pars affirmatiua probatur.*

Nam aliquando contingit, victoriam obtineri non posse à gerentibus bellum iustum, nisi Ecclesiæ expugnentur, spolientur, & etiam igni tradantur, vt cùm hostes confugiunt ad Ecclesias, vt ibi se defendant, & pugnent contra milites. ergo licebit tempore iusti belli ad consequendam victoriam Ecclesias, & Clericos expugnare, occidere, & spoliare: nam in bello iusto omnia ista fiunt, dum sunt accommodata ad consequendam victoriam, vel ad condignam satisfactionem sumendam, aut ad pacem stabiliendam, & ad componendam, vt communiter fatentur DD.

II. *Dubitatio resoluitur.*

Dico primò, per accidens, si scilicet opus fuerit ad victoriam consequendam, possunt in bello iusto Ecclesiæ aduersariæ partis expugnari, & etiam igni tradi, vt si hostes illuc confugerint vt exinde pugnent contra milites bellum iustum gerentes, & quæcunque mala in isto casu subsequantur etiam spiritualia, vt crematio imaginum, sunt præter intentionem eorum, qui habent iustum bellum. Probatur hoc pronuntiatum ratione posita pro parte affirmatiua, & eam docet Tabiena *verb. Bellum, num. 15.*

Dico secundò, si verò Ecclesiæ non sunt incastellatæ ad aliquem offendendum, non possunt per se expugnari, & illas euertentes, & incendentes sunt excommunicati, & tenentur ad emendam ad omnia damna illata resarcienda, ex *c. conquesti, de sentent. excomm.* Bona similiter Clericorum ex proposito in bello iusto surripere non licet; quia sunt exempta à iure, *in cap. innouamus, extrà de tregua & pace.*

## Dvbitatio I.

III. *An bona Ecclesiasticorum in bello iusto possint deuastari, & deuastantes teneantur ad restitutionem?*

Dico tertiò, bona tamen Ecclesiasticorum per accidens ob indigentiam belli possunt deuastari, & qui iuxta talem indigentiam talia bona deuastarunt, peracto bello non tenentur ad restitutionem; quia nulla ratio apparet, ob quam sint obligandi ad emendam, nisi fortè in aliqua re facti sint locupletiores, vt bene ait Bonacina *tract. de restitut. tom. 2. disp. 2. quæst. vltima, sect. 1. puncto 4. §. 3. num. 19.*

## Dvbitatio II.

IV. *An Clerici bellantes possint occidi?*

Dico quartò, si Clerici pugnant in actuali belli

conflictu

conflictu possunt expoliari, & occidi; quia tuoc ex Clericis facti sunt hostes: patta tamen victoria non liceret Cleticos occidere, aut expoliare. Quia Princeps temporalis non est iudex Clericorum extra conflictum belli actualem. Ita Bannes 2.2. *quest.* 40. *art.* 2. *dub. vlt. concl.* 3. Quòd si bellum iustum esset contra Prælatum Ecclesiasticum, possent Clerici etiam post partam victoriam expoliari in pœnam Prælidis Ecclesiastici, cui Clerici sunt subiecti. Ita Rodriquez *summa part.* 1. *cap.* 128. *num.* 3.

DVBITATIO III.

V. *An hostes confugientes ad Ecclesias possint licitè expoliari?*

Dico quintò, confugientes ad Ecclesias, vt ibi protegantur beneficio immunitatis illius, tone non possunt expoliari ad modum, quo alij rei ad Ecclesias accedentes gaudent illo beneficio. Ita colligitur ex *can. sicut antiquitus* 17. *q.* 4. Et probatur ratione: quoniam Princeps in bello iusto non habet maiorem potestatem in hostes, quàm habeat in subditos; sed proprios subditos non potest ab Ecclesia extrahere, & in ea expoliare. ergo nec hostes, bona enim hostium posita in Ecclesia hac immunitate gaudent. Syl. *verb. Bellum* 3. *num.* 6. *ad finem.*

Dico sextò, si hostes qui sunt intra Ecclesiam pugnauerunt, ex ipsa contra gerentes bellum iustum, possunt ipsi, & eorum bona extrahi ab Ecclesia, & illis priuari: quoniam hi primùm fregerunt immunitatem Ecclesiasticam. ergo non debent illa gaudere. Syl. *verb. Bellum* 3. *q.* 8. similiter ex Ecclesia extrahendo victualia quibus sustentantur in hostium impugnatione, illa rapiendo non peccant iustè pugnantes, nec tenentur ad restitutionem. Tabien. *verb. Immunitas, n.* 10. *& verb. Bellum num.* 17.

Dico septimò, si adest periculum ne hostes confugientes ad Ecclesiam ad se defendendum iterū postea reintegrent bellum, & rebellent, & pugnent contra Principem bellum iustum gerentem, etiamsi ipsi hostes de Ecclesia non bellent, licitè ab Ecclesia extrahuntur, & intra Ecclesiam occidi possunt, & expoliari bonis in Ecclesia positis: si aliud remedium non inueniatur hostes penitus debellandi, & si opus fuerit etiam possunt iustè pugnantes in isto casu Ecclesiam comburere; quia tunc sic expedit ad pacem, & tranquillitatem acquirendam, quæ est finis belli: secus aliàs, si non imminet periculum, quòd confugientes hostes ad Ecclesiam iterum reintegrent bellum, & rebellent: videatur Bannes 2.2. *q.* 40. *art.* 2. *dub. vlt. fine.*

VI. *Rationi in contrarium respondetur, & explicatur*

DVBITATIO IV.

*Quid debeant facere milites in bello iusto, quando hostes effugiunt ad Ecclesiam?*

Et per hoc patet ad rationem à principio positam: respondemus enim solùm probare primam nostram & vltimam assertionem: vnum tamen obseruandum est, quòd si nullum adest medium hostes debellandi, nisi Ecclesiæ ad quas confugerunt comburantur, tunc tenentur iustè bellantes protestari se non Intendere imagines, & Reliquias concremare, nec augustissimum Eucharistiæ Sacramentum comburere, quòd si incenduntur, hoc per accidens, & præter intentionem iustum bellum habentium contingit: nec propriè rebus sacris tunc iniuria infertur, & licèt species sacramentales comburantur, Christo tamen in propria persona nulla fit læsio, & iniuria; magis quàm si per calorem naturalem in stomacho sumentium Eucharistiam species illæ sacratissimæ digerantur, cùm totum hoc accidat præter intentionem iustè bellantium. Saluo semper meliori iudicio.

ARTICVLVS IX.

An licitum sit Clericis bellum gerere?

SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas dilucidatur, explicando, quid intelligatur nomine Clericorum.*
3. *Dubitatio resoluitur.*
4. *An ad summum Pontificem, vel Episcopum spectet, concedere licentiam præliandi Clericis sacris initiatis.*
5. *An Clerici indigeant expressa Superioris licentia, vt possint interesse bello iusto, ad ministrandum spiritualia.*
6. *Ad rationem à principio respondetur.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

Illud quod est secundùm se honestum, & meritorium, est licitum etiam Clericis; sed bellare est quandoque honestum & meritorium: dicitur enim 23. *q.* 8. *can. omni timore*, quòd si aliquis pro veritate fidei, & salnatione patriæ, ac defensione Christianorum mortuus fuerit, à Deo cœleste præmium consequetur. ergo licitum est Clericis bellare.

II. *Veritas dilucidatur, & explicatur*

DVBITATIO I.

*Quid intelligatur nomine Clericorum?*

Dico primò, nomine Clericorum intelligimus in vniuersum omnes habentes aliquem ordinem Ecclesiasticum, etiam primam tonsuram, vt colligitur *cap. cum contingat, de ætate, & qualitate ordin.* Iure Canonico Clericis bellare est interdictum: non tamen diuino, aut naturali: hoc ius habetur 23. *q.* 8. vbi multa Pontificum decreta congeruntur, quæ hoc prohibent: videatur D. Thom. 2. 2. *q.* 40. *art.* 2. Sotus *lib.* 5. *de iustitia, q.* 1. *art.* 4. Bannes 2. 2. *q.* 40. *art.* 2. *dub.* 2. *concl.* 1.

III. *Dubitatio resoluitur.*

Dico secundò, Clerici in maioribus Ordinibus constituti bellando sine licentia summi Pontificis tam in bello offensiuo, quàm defensiuo, peccant lethaliter: quia huiusmodi puniuntur in iure grauissimis pœnis. *can: Clerici, & can. quicumque* 23. *q.* 8. ergo peccant mortaliter, quia grauissima pœna non imponitur nisi pro grauissima culpa. extenditur hæc assertio ad omnes Monachos, etiam laicos, vt patet ex *c. eos qui* 20. *q.* 3. & docet Magister Bannes 2. 2. *q.* 40. *art.* 2. *dub.* 1. *concl.* 2.

Dico tertiò, Clerici verò in minoribus constitutis militare nullum est peccatum: quia consuetudine excusantur ab hoc peccato. Bannes *loc. cit. concl.* 1. Couarruuias *in Clement. si furiosus, de homicid. p.* 1. §. 3. *n.* 2. Bonacina *tom.* 2. *tract. de restit. disp.* 2. *q. vltima, sect.* 1. *puncto* 4. *num.* 19. Clerici verò in minoribus beneficiarij militando grauiter peccant, quia tenentur ratione beneficij viuere more clericali. Azor *part.* 3. *instit. mor. lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 5. Videatur pro hac assertione Sayr. *lib.* 6. *de censur. cap.* 19. *num.* 2.

DVBITATIO II.

IV. *An ad summum Pontificem, vel Episcopum spectet concedere licentiam bellandi Clericis Sacris initiatis?*

Dico quartò, vt Clerici Sacris Initiati, vel Ecclesiasticum beneficium habentes in minoribus constituti licitè in bellis iustis intersint ad pugnandum, & militandum extra articulum necessitatis, proprij Episcopi licentia non sufficit, sed auctoritas Papæ requiritur: quia iure communi est illis prohibitum propria manu pugnare, sed in iure communi alius quàm Papa dispensare non potest. ergo, &c. Azor. *loc. cit. dub.* 1. Bonacina *loco* similiter *nouissimè allegato, num.* 29. §. *Respondeo affirmatiuè.*

Sed contra hanc assertionem videtur pugnare doctrina D. Thom. 2. 2. *quæst.* 4. *art.* 2. *ad secundum.* vbi asserit, ex auctoritate etiam Superioris non posse Clericos interesse bellis iustis, itaut propria manu pugnent, &c. Respondetur quòd licèt summus Pontifex possit dispensare cum aliquibus Clericis ad bellandum propria manu si adsit aliqua magna necessitas, vt ad consequendam insignem aliquam victoriam redundantem in maximum commodum Reipub. tamen malefaceret dispensando in casibus ordinariis cum omnibus Clericis regulariter, communiter, & ordinariè: esset enim hoc maximæ indecentiæ status clericalis, regulariter scilicet bellare in casibus ordinariis, cùm sint Clerici ad meliora deputati, ad contemplationem diuinorum, laudem Dei, & ad orationes pro populo fundendas, & in hoc secundo sensu intelligendus est D. Thom. Nostra verò assertio intelligitur, quando adest aliqua magna necessitas, etiam extra extremam & grauissimam: videatur pro hac solutione Magister Bannes 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 2. *dub.* 2. *concl.* 1. Caiet. *ibi.* Valentia *tom* 3. *disp.* 3. *quæst.* 16. *de bello, puncto* 4. *vers. Secundò certum*, &c.

DVBITATIO III.

V. *An Clerici indigeant expressa Superioris licentia vt possint interesse bello iusto ad ministrandum spirituali?*

Dico quintò, vt verò Clerici simplices curam animarum non habentes, neque aliquod Ecclesiasticum beneficium residentiam requirens, intersint bello iusto non ad pugnandum propria manu, sed vt iustè militantibus spiritualiter subueniant suis exhortationibus, absolutionibus, & aliis huiusmodi spiritualibus subuentionibus, non requiritur auctoritas Superioris expressa, sed tacita sufficit. Valent. *tom.* 3. *disp.* 3. *quæst.* 16. *de bello, puncto* 4. *vers. Quartò certum est*, &c. Quia de hoc nulla est in iure prohibitio: secus autem si curam animarum habent, vel beneficium requirens residentiam; quia tunc est necessaria auctoritas Superioris ad dispensandum in residentia. Ita Azor. & Bonacina *locis præcedenti assertione allegatis*: ante quos docuit hoc Bannes 2. 2. *q* 40. *art* 2. *dub* 3. *concl.* 4. *fine.*

VI. *Ad rationem à principio respondetur.*

Ad rationem à principio positam respondetur quòd licèt exercere bella iusta sit honestum & meritorium, tamen illicitum redditur Clericis, propter hoc quòd sunt ad opera magis meritoria deputati, ad contemplationem scilicet diuinorum, ad laudem Dei, & ad deprecandum pro populo: sicut matrimonialis actus potest esse meritorius, tamen virginitatem vouentibus est damnabilis, propter obligationem eorum ad maius bonum. Ita præclarè D. Thom. 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 2. *ad quartum argumentum.*

ARTICVLVS X.

## An Clerici possint aliquando præliari absque licentia summi Pontificis.

SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, explicando, An Episcopus, vel Clericus habens dominium temporale possit indicere bellum.*
3. *An quicunque Clericus possit petere à Principe sæculari vt bellum in defensionem suæ Ecclesiæ indicet?*
4. *An Clerici, vel laici hortantes milites ad occidendum in bello iusto sint irregulares.*
5. *An in casu necessitatis possint Clerici absque Superioris licentia præliari.*
6. *Rationi in contrarium respondetur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

Ex illo Apostoli 2. ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus*, sed bellica exercitia sunt negotia valdè sæcularia, habent enim maximam inquietudinem, & sic repugnant officiis, quibus personæ sacræ deputantur. ergo videtur quòd neque etiam ex auctoritate Papæ liceat Clericis militare: & ita sentire videtur Gratianus 23. *quæst.* 8. *can. de Episcopis verò.*

II. *Veritas aperitur, & explicatur.*

DVBITATIO I.

*An Episcopus, vel Clericus habens dominium temporale possit indicere bellum?*

Dico primò, Episcopus, siue Clericus habens dominium temporale, non agnoscens Superiorem in temporalibus, potest indicere bellum iustum, & Ducem constituere, qui eius bella gerat; quia cùm Pontifex tradit huiusmodi dominium Clerico, dispensat cum illo, vt possit bella iusta mouere: tum quia non est deterioris conditionis, quàm alius dominus temporalis, nec habet minus ius ad suam Rempubl. bello iusto tuendam, si id necesse est, quàm alius Princeps temporalis. Syl. *verb. Bellum* 3. *n.* 2. *q.* 1.

DVBITATIO II.

III. *An quicunque Clericus possit petere à Principe sæculari vt bellum in defensionem suæ Ecclesiæ indicet?*

Dico secundò, quicunque Clericus, etiam non habens dominium temporale, potest conuocare Principem sæcularem, qui bella gerat pro defensione suæ Ecclesiæ: ex *can. Maximianus* 23. *quæst.* 3. vbi Maximianus quidam Episcopus petioit auxilium ab Imperatore pro tuenda sibi credita Ecclesia, quod si prætermisisset, non esset laudanda eius patientia, sed negligentia meritò culpanda: hanc conclusionem docent Syl. *loc. cit.* Bannes 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 2. *dub.* 3. *concl.* 4.

### Dubitatio III.

IV. *An Clerici, & laici hortantes milites ad occidendum in bello iusto sint irregulares?*

Dico tertiò, tam Clerici, quàm laici possunt interesse bello iusto absque irregularitate, modò ipsi non mutilent, vel occidant, etiamsi adhortentur milites generaliter ad occidendum, vel mutilandum eos, quos victoria requirit: secus autem si habent intentionem specificam sanguinis, id est, vt hic, aut ille de numero hostium occidatur, tunc enim fierent irregulares morte, vel mutilatione sequuta: quia tunc censentur causa propinqua occisionis, & deformationis. Ita Nauarr. *summa cap.*27. *num.*215. *& tom.* 2. *consil. lib.*5. *de homicidio*, *consil.*4 *num.*3. & colligitur ex *cap. petitio tua, de homicidio*, vbi Pelagius Presbyter, etsi præsens esset in bello iusto cum ipsis militibus, & pugnauit; non tamen eum irregularem iudicauit Honorius III. dummodo propria manu neminem interfeceerit, & tamen vix potest quis in prælium, & pugnæ conflictum exire, quin in eo bello socios ad strenuè & fortiter præliandum hortetur. Ita bene Sayr. *lib.*6. *de cens. cap.*19. *num.*6. notauit, & docuit.

Hinc colligitur Duces exercitus, consultores militiæ iustæ, tubicines, pulsantes tympana, & alios quauis ratione concurrentes ad bellum iustum non esse irregulares, nisi per se ipsos mutilent, vel occidant, vel hortentur ad occidendum aliquem in peculiari, vt elicitur ex *dicto cap. petitio tua, de homicidio*, & obseruauit Bonacina *tom.*1. *tract. de censuris, disp.*7. *q.*4. *dubio, seu puncto* 4 *proposit.*3 *num.*8.

### Dubitatio IV.

V. *An in casu necessitatis possint Clerici absque Superioris licentia præliari?*

Dico quartò, in articulo necessitatis licitum est Clericis sine auctoritate Superioris pugnare, nimirum ob defensionem sui, vel suorum parentum, & sociorum, quando aliter mors propria parentis, amici, vel sociorum, vel proximi innocentis euitari non potest, quia lege naturæ, & charitatis tenentur in his casibus pugnare, non expectata licentia summi Pontificis: vt bene docuit Caiet. a. 2. *quæst.* 40. *art.* 2. Item etiam possent propria manu militare Clerici in casu necessitatis, cùm scilicet aliter peritura esset Respubl. vel exercitus, atque etiam propter consequendam aliquam insignem victoriam redundantem in maximum Reipubl. commodum, non expectata auctoritate Superioris: quia si adesset legislator, seu dispensator, certè dispensaret, & vellet in his casibus Clericos propria manu pugnare, cùm vnusquisque teneatur subuenire bono communi in grauissimis, & extremis necessitatibus, vt optimè Caietan. *loco citato*, Bannes 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 2. *dub.*3. *concl.* 1. hos sequitur Valentia *tom.* 3. *disp.* 3. *quæst.* 16. *de bello*, *puncto* 4. *in princ.* Azor. 3. *part. instit. mor. lib.*2. *cap.*16. *dub.*8. Ad maiorem explicationem assertionis prædictæ,

Dico quintò, si Clericus ad consequendam insignem aliquam victoriam simpliciter est ad pugnam necessarius, adeò quòd sine eo non consequeretur, tunc non expectata Superioris facultate posset licitè propria manu pugnare; quia si adesset summus Pontifex, dispensaret in lege: secus autem si non simpliciter sit necessarium Clericum pugnare ad victoriam consequendam, sed tantùm ad meliùs & faciliùs eam habendam, quia sic semper liceret Clericis pugnare, ipsis enim cum aliis pugnantibus, faciliùs consequeretur victoria. Ita bene obseruarunt Caiet. & Baones *locu cit.*

VI. *Rationi in contrarium respondetur.*

Nec officit ratio à principio posita: nam licèt sit illicitum, & valde deforme, vt persona Deo peculiariter dicata, vt sunt Clerici, & Monachi, ordinariè, & regulariter exerceant negotia sæcularia, qualia sunt exercitia bellica, & malè faceret Pontifex communiter dispensando cum Clericis ad bellandum propria manu in casibus ordinatiis, vt diximus *assertione* 4. in hoc dubio, soluendo argumentùm contra illam propositum. Cæterùm in casu necessitatis, vt si aliter Respubl. esset peritura si Clerici propria manu non pugnarent, tunc summus Pontifex potest licitè cum illis vt pugnent dispensare; imò non expectata licentia summi Pontificis: nam lege naturali quilibet tenetur in articulo necessitatis subuenire bono communi Reipubl. & etiam innocenti alicui particulari periclitanti. Et sicut gratia non destruit naturam, sed illam perficit, ita lex Ecclesiastica pertinens ad ordinem gratiæ, minimè tollit obligationem legis naturalis, vt doctè asseruit Caiet. 2. 2. *quæst.* 33. *art.*7.

## Articvlvs XI.

## An Clerici, vel Monachi in bello iusto pugnantes sine licentia summi Pontificis possint hostes, contra quos militant, suis bonis expoliare?

*Svmmarivm.*


1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur, an liceat sine auctoritate Principis habentis bellum iustum arripere bona hostium.*
3. *Titulo dubitationis respondetur.*
4. *Ad rationem in contrarium respondetur.*


I. *Pars negatiua probatur.*

Quia non licet bona hostium surripere, nisi ius ad bellandum habeatur, sed Clerici, & Monachi sine licentia summi Pontificis non habent ius ad bellandum. ergo, &c.

### Dubitatio I.

II. *An liceat sine auctoritate Principis habentis bellum iustum bona hostium arripere?*

Dico primò, si Clericus, vel Monachus, vel quiuis alius sæcularis sine auctoritate tacita, saltem Principis habentis iustum bellum, militet, non potest surripere bona hostium, & accipiens tenetur illa restituere: nam quiuis homo priuatus non potest licitè expoliare hostes bonis suis, nisi ad hoc habeat expressam, vel tacitam facultatem à Principe mouente bellum iustum. ergo si Princeps, seu Dux exercitus præcipiat vt tales Monachi, vel Clerici Apostatæ, v. g. à suo exercitu egrediantur, non poterunt hi bellantes contra voluntatem Principis bona hostium surripere, & accipientes tenentur ad restitutionem, etiamsi ex alio capite bellum sit iustum contra patrem ordinariam. Ita colligitur ex Syl. *verb. Bellum* 3. *num.*4. *quæst.*4.

III. *Titulo dubitationis respondetur.*

Dico secundò, Clerici, vel Monachi, qui sine auctoritate summi Pontificis in bello iusto militant, licèt

peccent contra præceptum Superioris Ecclesiastici præcipientis, ne Clerici, & Deo dicati, bellica exercitia exerceant: tamen si ex voluntate Principis temporalis nomen militiæ dederunt, possunt iustè bona hostium accipere, sicut & cæteri milites. nam Princeps temporalis mouens iustum bellum aduersariæ parti potest bona suorum hostium accipere, & Clericis, vel Monachis conferre: ergo ipsi Clerici, vel Monachi immediatè in bello iusto pugnantes poterunt spolia & bona hostium accipere, quia Princeps temporalis ascribens in suam militiam Clericos, vel Monachos, eo ipso confert illis potestatem spolia, & bona hostium accipiendi: videatur pro hac assertione Magister Bannes 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 2. *dub.* 5. *pronunciato tertio.*

IV. *Ad rationem in contrarium respondetur.*

Ad rationem in contrarium respondetur quòd licèt Clerici, & Monachi in bello iusto propria manu pugnantes sine summi Pontificis auctoritate peccent contra ius commune, vt patet ex *can. Clerici, & can. quicunque* 23 *quæst.*8 *& can. eos qui* 20. *quæst.* 3. vbi prohibetur ne Clerici, vel Monachi ad meliora deputati militent propria manu: non tamen delinquunt contra iustitiam commutatiuam militando in bello iusto, & hostes suis bonis expoliando, si ad hoc accessit voluntas Principis temporalis mouentis bellum iustum. Cùm enim hic possit bona suorum hostium accipiendo conferre Clericis & Monachis, eidémque poterit potestatem dare aduersariam partem bonis expoliandi dum bellum durat, & propria manu pugnant. Tales igitur non tenentur ad restitutionem, licèt peccent militando sine facultate summi Pontificis, cuius est super iure communi Ecclesiastico dispensare. Videatur Nauarr. *tom.* 2. *consil. lib.* 5. *de homicidio, consil.* 10. *ad finem.* Saluo semper, &c.

## ARTICVLVS XII.

## An omnes militantes in bello iusto defensiuo sint irregulares, sequuta morte, vel mutilatione?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Dubitatio resoluitur.*
3. *An occidens, vel mutilans in defensionem innocentis fiat irregularis; &, An occidens Clericum in defensionem innocentis, incurrat excommunicationẽ.*
4. *Ad rationem in contrarium respondetur, explicando, ad cuius defensionem licitum sit Clericis pugnare in bello iusto.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

Nam omnes assistentes, & militantes in bello iusto, etiamsi non omnes occidant, vel mutilent, censentur tamen vna causa moralis eum percutientibus, & occidentibus: ergo sicut occidentes, & mutilantes in bello iusto sunt irregulares, ita etiam alij militantes, & assistentes, etiamsi ipsi propriis manibus non occiderint, vel mutilauerint. nam militando cum aliis occidentibus, & mutilantibus illos adiuuant, eisque animum ad occidendum præbent.

II. *Dubitatio resoluitur.*

Dico primò, si bellum iustum sit defensiuum & necessarium ad defensionem propriæ vitæ, & personæ, non fit quis irregularis, etiam sequuto homicidio per propriam actionem: quia eadem est ratio de rixa priuata ad defensionem propriæ personæ, & de bello eodem modo defensiuo propriæ personæ; sed licet in rixa priuata ob defensionem inculpatam sui occidere aggressorem, absque incursu irregularitatis, ex *Clem. si furiosus, de homicidio.* ergo & in bello etiam defensiuo: Princeps igitur si in bello iusto aggreditur, si vocet milites, det eis arma, & per illos occidat suos aggressores, etiamsi ipse propriis manibus mutilet, & occidat, non fit irregularis. Ita bene obseruauit Nauar. *summa cap.* 27. *num.* 212. *vers. Secundò sequitur.* Suarez *tom.* 5. *de censuris, disp.* 47. *sect.* 6. *num.* 1. Bonacina *tom.* 1. *tract. de censuris, disp.* 7. *q.* 4. *puncto* 4 *n.* 2.

Dico secundò, si bellum defensiuum sit necessarium ad defensionem patriæ, & boni communis, idem iuris est quod diximus in bello defensiuo propriæ personæ: quia præferenda est defensio patriæ conseruationi propriæ vitæ, & bonum commune præstantius est priuato bono. ergo à fortiori si non incurritur irregularitas per occisionem inculpatam ob defensionem propriæ vitæ, neque incurritur in defensionem patriæ, & boni communis in casu necessitatis, quando aliàs vrbs, aut patria caperetur, & bonum commune subuerteretur: quod verum habet, non tantùm in laicis, sed etiam in Clericis pugnantibus in bello defensiuo in defensionem patriæ, & boni communis, quando eorum auxilium est omnino necessarium ad defensionem Reipublicæ & boni communis, & ita tenet Sayr. *lib.* 6. *de censur. cap.* 19 *num* 5. citans Conarr. & alios. Suarez *loc. cit. num.* 2. quamuis Caiet. 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 2. & Nauarr. *summa cap.* 27. *num.* 212. in hoc casu doceant non peccare Clericos pugnantes, & occidentes; incurrere tamen irregularitatem: sed prima opinio rationabilior mihi videtur, quia omnino irrationabile puto quòd quis priuetur officio suo faciendo id, ad quod ex iure naturæ tenetur.

Dico tertiò, qui ad necessariam defensionem parentum, vxoris, aut filiorum in bello iusto aliquem occideret, irregularis non est: quia iure naturæ, & lege charitatis tenetur eos defendere in tali casu. Sayr. *loc. cit.*

## DVBITATIO I. & II.

III. *An occidens, vel mutilans in defensionem innocentis fiat irregularis? & , An occidens Clericum in defensionem innocentis incurrat excommunicationem?*

Dico quartò, defendens innocentem proximum cum moderamine inculpatæ tutelæ, etiamsi necesse sit aggressorem interficere, vt innocentem à morte eripiat, non fit irregularis, quia homicidium patratum non inducit irregularitatem, nisi sit culpabile: sed licitum est tueri innocentem à morte, etiamsi necessarium sit occidere, vel mutilare aggressorem, vt est sententia communis, quam ex Alciato, & aliis refert Iulius Clarus *verb homicidium, num.* 28. ergo non fit irregularis mutilans, vel occidens defendendo innocentem, si sit necessarium interficere aggressorem.

Tum, quia Irregularitas non incurritur nisi in casibus à iure expressis; sed in iure ratione homicidij solùm fiunt irregulares expressè, qui vel illicitè occidunt, aut dant operam rei illicitæ, ex qua illud sequitur, vel licitè occidunt tanquam ministri publici iustitiæ, vt patet si quis percurrat canones; ergo persona priuata occidens, vel mutilans aggressorem innocentis cum moderamine inculpatæ

tutelæ

tutelæ sui, & innocentis non peccat, nec sit irregularis.

Tum, quia interficiens Clericum in defensionem proximi non incurrit excommunicationem, vt est sententia communis Canonistarum *in cap. si verò, de sententia excomm.* ergo neque incurrit irregularitatem. Patet consequentia, ideo enim non incurrit excommunicationem, quia talis occisio fit à priuata persona sine culpa; ergo similiter: & ita hanc sententiam tenet Alphonsus à Castro *lib. 1. de lege pœnali, cap. 14.* Valentia *tom. 3. disp. 3. quæst. 16. de bello, puncto 4 vers. Sed contraria sententia*, &c. citans, & sequens Syl. *verb. Bellum 3. n. 3. q. 2. circa finem.* Suarez *tom. 5. de cens. disp. 46. sect. 3. num. 3.* Filliucius *tom. 1. tract. 19. de censuris, cap. 10. n. 168.* contra Nauart. *summa 27. n. 213.*

Sed contrà. nam in *Clementina si furiosus, de homicidio*, solùm excipitur ab incursu irregularitatis sequutæ ex mutilatione, vel occisione, is qui in suam defensionem cum debito moderamine occidit aggressorem: ergo deformantes extra hunc casum incurrent irregularitatem, etiamsi aliquando non peccent. Propter hoc fundamentum multi DD. tenent extra prædictum casum mutilantes, & occidentes incurrere irregularitatem, etiamsi in bello aggressiuo patriam, & commune bonum defenderint.

Respondetur tamen quòd licèt *in Clementina si furiosus*, non excipiatur ab incursu irregularitatis quicunque priuati licitè deformant, sed tantùm hi, qui ob defensionem inculpatam propriæ vitæ tuendæ occidunt: tamen, quia neque ibi in Clementina, neque alibi vsquam, vt patebit canones percurrenti, decernitur aliqua irregularitas priuatis personis licitè occidentibus in articulo necessitatis vel sui, vel aliorum, apertè deducitur tales deformantes non affici aliqua irregularitate, quia irregularitas non incurritur, nisi sit in iure expressa: cùm igitur nullibi sit in iure expressum priuatas personas in bello defensiuo licitè deformantes incurrere irregularitatem, in nullam incidere tales mutilantes & occidentes, fatendum est: videatur pro hac solutione Sayr. *lib. 6. de censuris, cap. 19. num. 5.* Valentia *tom. 4. disp. 7. quæst. 19. de irregularitate, puncto 3. de quarta specie irregularitatis, vers. Etenim textus iuris, fine.* Suarez *tom. 5. de cens. disp. 46. sect. 2. num. 5.*

Sed vrget adhuc argumentum. nam in iudice contra reum proferente mortis sententiam, & in milite bellante in bello iusto aggressiuo, homicidium sequutum est inculpabile; sed hi occidentes, seu mutilantes incurrunt irregularitatem ex defectu lenitatis perfectæ, vt omnes fatentur. ergo licèt personæ priuatæ licitè occidant in articulo necessitatis, incurrent irregularitatem, saltem quando deformant extra casum propriæ vitæ tuendæ.

Respondetur negando consequentiam. nam in iure habetur expressè quòd index proferens mortis sententiam incidit in irregularitatem ex defectu lenitatis perfectæ, vt videre est *cap. Clericis, & cap. sententiam, ne Clerici, vel Monachi*. & similiter in iure statuitur quòd milites propria manu occidentes in bello iusto aggressiuo sunt irregulares, vt patet *can. si quis, & can. aliquando, dist. 51.* non tamen habetur expressè in iure, quòd priuatæ personæ in articulo necessitatis in bello defensiuo pugnantes ad defensionem inculpatam sui, & aliorum incurrant irregularitatem, hinc sequitur illam non incurrere, quia non incurritur irregularitas, nisi sit in iure expressum, *cap. is qui, de sentent. excomm. 6.*

IV. *Ad rationem in contrarium respondetur, & explicatur*

## Dubitatio III.

*Ad cuius defensionem licitum sit Clericis pugnare in bello iusto?*

Et per hæc patet ad rationem in contrarium à principio adductam. fatemur enim, quòd in bello iusto defensiuo tam laici, quàm Clerici si assistunt, pugnant & occidunt ad defensionem patriæ, boni communis, Regis, Principis, parentum, cognatorum, & innocentium, nec peccant, nec fiunt irregulares, quando aduertunt quòd alias vrbs, vel patria caperetur ab hostibus, Rex, Princeps, parentes, aut innocentes ab iniustis inuasoribus iniquè occiderentur, nisi ipsi pugnent, & illos defendant, etiamsi necesse sit occidere iniquos aggressores: quia, vt diximus, irregularitas non incurritur à priuatis personis, nisi per actum, qui est illicitus, incongruus, & inconueniens. Cæterùm hic actus pugnandi, & occidendi in articulo necessitatis iniustos aggressores est congruus eiusmodi statui eùm sit debitus iure naturali, & diuino. Hactenus de bello iusto defensiuo; modò dicendum de bello iusto aggressiuo.

## Articulus XIII.

### An militantes in bello iusto aggressiuo, si fiat à Principe non habente in temporalibus Superiorem ad reparanda damna iniustè illata Reipubl. vel vlciscendas iniurias iniquè illatas ab aduersaria parte, sint irregulares sequuta morte, vel mutilatione?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur.*
3. *An militantes fiant irregulares animando, vel adiuuando in bello iusto aggressiuo.*
4. *An aliquis dubitans, vtrum occiderit, vel mutilauerit in bello iusto, irregularis debeat reputari.*
5. *An sit irregularis certans in bello iusto, si alium leuiter vulnerauerit, qui sic vulneratus postea ab alijs occidatur.*
6. *Ad rationem in contrarium à principio respondetur.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm in executione iusta homicidij, quæ sit ratione sententiæ, non tantùm executor, vt est lictor, manet irregularis, sed etiam apparitores, seu satellites, & alij ministri assistentes, vel comitantes, ad promouendum, seu auctoritate donandum actum illum, quantumuis iustum, sed multo magis concurrunt, & auctoritatem præbent commilitones simul cum aliis occidentibus militantes. ergo omnes erunt irregulares morte sequuta, vel mutilatione. Maior apertè colligitur ex *cap. sententiam, ne Clerici, vel Monachi*, & communiter tenent DD. videndi apud Sayr. *lib. 6. de censuris, cap. 16. num. 12.* Minor est clara, & consequentia est euidens.

II. *Veritas aperitur.*

Dico primò, pugnantes in bello iusto si propriis manibus

manibus sanguinem non effundant, vel mutilent, non sunt irregulares, etiamsi alij occidant, vel mutilent. Ratio est, quia hi dant operam rei licitæ, & iustæ, & aliàs non effunduut sanguinem, neqoe illum per se effundere intendunt, cum primariò pugnantes io tali bello intendant reparare damna Reipubl. iniustè illata: seo vindicare iniurias iniquè similiter illatas. Confirmatur ex *cap. petitio tua, de homicidio*, vbi Pontifex solùm præcipit abstinere à diuinis ministrandis illum, qui in simili conflictu aliquem interfecit, vel de hoe habet dubiam conscientiam. Et ita hanc sententiam communiter tenent DD. præcipuè Syl. *verb. Bellum 3. q. 3.* Tabiena *verb Irregularitas 3. num. 2.* Nauarr. *tom. 2. consil. lib. 5. de homicidio, consil. 6.*

Dico secundò, occidens, seu mutilans in bello aggressiuo tam iusto, quàm iniusto, incurrit irregularitatem, patet ex *cap. cit. petitio tua, de homicid.* Ita communiter DD.

## Dvbitatio I.

### III. *An militantes fiant irregulares animando, vel adiuuando in bello iusto aggressiuo?*

Dico tertiò, militantes tameu in bello iusto aggressiuo, si videntes alium militem aggredientem ad occidendum aliquem illum animarent, directè prouocando ad homicidium, vel alium impedirent ne posset fugere, siuè vulnerando, siue alio modo, tunc sequuto effectu mortis, vel mutilationis fierent irregulares, etiamsi propriis manibus non deforment, quia proximè, & determinatè cooperantur ad particulare homicidium. Suarez *tom. 5. de censuris, disp 47. sect. 6. num. 5. fine.* Filliucius *tom. 1. tract. 19. de censuris in particulari, cap. 10. num. 269.*

## Dvbitatio II.

### IV. *An aliquis dubitans, vtrùm occiderit, vel mutilauerit in bello iusto, irregularis debeat reputari?*

Dico quartò, militans in bello iustn in quo aliqui mutilantur, & occiduntur, si ipse sit dubius, an aliquem occiderit, vel mutilauerit, & magis credit se nemioem occidisse, vel mutilasse, non debet se reputare irregulatem: quia pugnans in bello iusto dat operam rei licitæ, & tuetur partes iustitiæ, & ideo si nesciat, nec scire potest, an quempiam occiderit, vel mutilauerit per se, debet magis credere se non occidisse, vel mutilasse, & per consequeos non debet se reputare irrègularem. Ita bene Nauarr. *tom. 2. consil. lib. 5. de homicidio, consil. 4 num. 1.*

Dico quintò, si tamen pugnans in bello iusto maneat omnino dubius, an ipse per se occiderit, vel mutilauerit, ita vt non habeat maius indicium ad vnam partem, quàm ad aliam, & tale indicium non deposuerit, tunc in foro interiori debet reputari irregularis, quia in hac materia qui verè dubitat, tutiorem partem debet eligere, & sic se esse irregularem reputare debet, arg. *cap. ad audientiam, de homicidio*, & ita docet Syl. *verb. Homicidium 3. num. 8. quæst 6. vers. tertium.* Dixi, si tale iudicium dubium non deposuerit: quia si est laicus, potest practicè deponere dubium, & reputare se non esse irregularem, vt dicemus *dubio immediatè sequenti, concl 3.* in foro tamen exteriori non potest declarari irregularis, quia nullus iudex debet condemnare aliquem de quo dubitat, an debeat condemoari, necne. Nauarrus *in summa cap. 27. num. 193.*

## Dvbitatio III.

### V. *An sit irregularis certans in bello iusto, si alium leuiter vulnerauerit, qui postea sic vulneratus ab alys occidatur?*

Dico sextò, certans in bello iusto, si aliquem vulnerauit leuiter, non tamen occidit, aut mutilauit: si postea occisus sit ab aliis, irregularis erit si animum occidendi habuit, etsi non percusserit illum lethaliter propria manu, ita ex *cap. significasti, el 2. de homicidio voluntario, & ca uali,* & docet Syl. *verb. Homicidium 3. num. 8. quæst 6. vers. secundum.*

Dico septimò pugnans in bello iusto, si percussit aliquem, & vulnus ab eo inflictum dignosci possit non fuisse mortale, & non habuit animum occidendi, etiamsi postea volneratus occidatur ab aliis, non erit irregularis. Ita Tabiena *verb. Irregularitas 3. num. 21. concl. 10.*

Dico octauò, decertans tamen in bello iusto, si vulnerauit aliquem qui postea occiditur ab aliis, & si ipse occidendi voluntatem non habuerit, si vulnus inflictum ab eo discerni non potest, an fuerit mortale, in dubio irregularis iudicatur, arg. *cap. significasti el 2.* & ita docuerunt Tabiena *loc. cit. concl. 21.* Sayr. *lib. 6. de censuris cap. 19. num. 13. ad finem.*

### VI. *Ad rationem in contrarium à principio respondetur.*

Ad rationem in contrarium à principio positam, quæ pugnat directè contra primam oostram assertionem, respondetur concedendo maiorem, & negando minorem, & ratio discriminis, & negationis est, quia in casu nostro habemus textum expressum *in cap. petitio tua, de homicidio*, qui reddit immunes ab irregularitate assistentes, & militantes in bello iusto aggressiuo, si non occidant, vel mutilent, & ex alio capite, est textus apertus *in cap. sententiam, ne Clerici, vel Monachi*, quòd iudex proferens sententiam contra reum mortis, vel mutilationis, lictor, exequutor, satellites assistentes, sequuto effectu omnes fiunt ex defectu lenitatis perfectæ irregulares: & quia irregularitas solùm incurritur, quando in iure est expressum, vt dubio præcedenti, in fine assertionis 4. docuimus, ex *cap. is qui, de sententia excom. in 6.* Ideo militantes in bello iusto si non deformant, non fiunt irregulares, quia ita est in iure expressum: iudex verò, lictor, & satellites assistentes sententiæ executioni sunt irregulares, quia ita in iure habetur. Videatur pro hac solutione Suarez *tom. 5. de censuris, disput. 47. sect. 6. num. 5 fine.* Filliucius *tom. 1. tract. 19. de censuris in particulari, cap. 10. quæst. 5. n. 269. propè finem.* Hactenus de militantibus in bello iusto, vt sic in communi; modò inquirendum est specialiter de Clerico propria manu pugnante, &c.

---

## Articvlvs XIV.

## An Clericus pugnans in bello iusto incurrat irregularitatem, si socij eius interfecerint aliquos, licèt ipse non interfecerit?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Explicatur an Summ. Pont. dispenset in irregularitate dum licentiam ad præliandum concedit.*

3. Resol

3. *Resoluitur dubitatio principalis.*
4. *An dubitans vtrùm propria manu occiderit, nec ne; si post adhibitam diligentiam adhuc maneat dubius, irregularis debeat censeri.*
5. *An Clericus, vel Religiosus militans in bello iusto sine licentia Summ. Pontif. si dubitet, an alium occiderit, irregularis sit.*
6. *An ministrans arma pugnaturo fiat irregularis, sequuta morte, vel mutilatione.*
7. *An dans arma alteri ad sui, vel alterius defensionem, sit irregularis.*
8. *Rationi à principio respondetur, & explicatur, quomodo liceat Clericis interesse bello.*

### I. Pars affirmatiua probatur.

EX *cap. quod in dubijs, de pœnis*, vbi ait Pontifex deponendos esse Clericos, qui per se militant, vel alios incitant ad præliandum, quia grauissimè peccant, nec requirit aliam sanguinis effusionem ab ipsismet Clericis factam. ergo pugnando in bello alioqui iusto aggressiuo dant operam rei illicitæ, cùm grauissimè peccent, & incurrent irregularitatem si socij eorum occidant aliquos, licèt ipsi propriis manibus non deformauerint.

### DVBITATIO I.

### II. An Summ. Pont. dispenset in irregularitate dum licentiam ad prælandum concedit?

Dico primò, si Papa alicui Clerico det licentiam, vt eat ad bellum iustum, & propria manu pugnet contra hostes, eo ipso dispensare censetur cum eo ne irregularis fiat, si in eo bello manu propria hostes interficiat, quia Pontifex qui est supra humanas constitutiones, cum eo dispensat, dando ei licentiam vt pugnet in bello iusto sine incursione irregularitatis: sicuti si Papa venderet alicui beneficium Ecclesiasticum, dispensaret cum eo in pœnis simoniacis. Ita Tabiena *verb. Irregularitas* 5. *num.* 21. *conclus.* 2. Medina *lib.* 1. *instruct. cap.* 11. §. 11. hos sequitur Sayr. *lib.* 6. *cap.* 19. *num.* 14. Idem tenet Syl. *homicidium* 3. *quæst.* 6. *vers.* 6.

### III. Resoluitur dubitatio principalis.

Dico secundò, Clericus, vel Religiosus existens in bello iusto cū armis defensiuis, & offensiuis, etiam sine licentia Papæ, si certus sit quòd ipse propriis manibus nullum occiderit, non est irregularis, etiamsi aliqui ab aliis occidantur. Probatur ex *c. penultimo, de homicidio*, vbi textus loquitur de Clericis, quibus non licebat pugnare in bello iusto aggressiuo, vt expressè adnotat *ibi* Panormitanus *num.* 1. hos tamen non incurrisse irregularitatem ex sola percussione nisi propriis manibus occidissent. Ita *in textu cap. citati* declaratur, & docet expressè Nauar. *tom.* 2. *consil. lib* 5. *de homicidio, consil.* 10. *n.* 1. Syl. *verb. Homicidium* 3. *n.* 8. *quæst.* 6. *vers. sextum.* vbi apertè fatetur, Cleric si motu proprio sine licentia Papæ cum armis offensiuis militat in bello iusto, non est irregularis, si ipse neminem occiderit, vel mutilauerit, licèt quis ab aliis occisus fuerit, vel mutilatus; nouissimè docet etiam hanc assertionem Filliucius *tom.* 1. *tract.* 19. *cap.* 10. *num.* 176.

Sed contra viget argumentum. Nam Clericus, vel Religiosus, qui proprio motu interest, & militat in bello iusto aggressiuo, dat operam rei illicitæ periculosæ, & inductiuæ ad homicidium, seu mutilationem, animosiores enim fiunt milites ad præliandum & occidendum à commilitonibus, ergo sequuto effectu erit irregularis: quia dans operam rei illicitæ periculosæ, vt plurimum mutilationis, vel occisionis, sequuto effectu fit irregularis. Antecedens patet, quoniam Clericus, vel Monachus sine licentia Papæ militans in bello iusto aggressiuo, grauissimè peccat, quia id ipsis peculiariter est prohibitum, ex *can. cum Clerici*, cum aliis, 23. *quæst.* 8. ergo, &c.

Respondetur quòd irregularitas non incurritur nisi sit in iure expressum, *cap. si qui, de sententia excom.* 6. At *in cap. penultimo, de homicidio*, habetur quòd Clerici militantes in bello iusto aggressiuo, licèt grauiter peccent, tamen nisi per se occiderint, vel mutilauerint, non incidunt in irregularitatem, etiamsi alij occidant, vel deforment, & cùm ius positiuum quoad pœnam non omnino pendeat à ratione, sed magis ex voluntate legislatoris pœnam statuentis; ideo, &c. Videatur pro hac solutione Sanchez *lib.* 1. *oper. mor. cap.* 10. *num.* 48.

### DVBITATIO II.

### IV. An dubitans vtrùm propria manu occiderit, nec ne, si post adhibitam diligentiam adhuc maneat dubius, irregularis debeat censeri?

Dico tertiò, miles laicus pugnans in bello iusto aggressiuo, & dubitans an per se occiderit, vel mutilauerit, si adhibita sufficienti diligentia, ad inquirendam veritatem adhuc manet anceps, potest practicè deponere dubium, & se non reputare irregularem: quia textus *cap. ad audientiam, & cap. significasti el* 2. *de homicidio*, statuentes in dubio factæ occisionis, vel mutilationis, incurri irregularitatem, loquuntur in dubio facti homicidij iniusti, sub quo non comprehenditur occisio iusta quam miles laicus in bello iusto facit: si ergo dubitat an deformauerit propriis manibus, poterit practicè deponere dubium, quia melior est conditio militis iustè pugnantis possidentia in dubio immunitatem ab irregularitate. Henriquez *lib.* 14. *de irregularitate, cap.* 5. *num.* 4. *ad finem.* Syl. & Nauar. *locis cit. assertione* 4. *dubij præcedentis.*

### DVBITATIO III.

### V. An Clericus, vel Religiosus militans in bello iusto sine licentia Sum Pont. si dubitet an alium occiderit, irregularis sit?

Clericus verò, seu Religiosus militans in bello aliàs iusto sine licentia Papæ, dubitans an propriis manibus occiderit, vel mutilauerit, est irregularis, quia dedit operam rei illicitæ, & non potuit iustè propria manu pugnare: Clericatus enim reddit eum inhabilem ad pugnandum, *cap. ex multa, de voto, §. finali, de Clericis verò*, & est etiam textus expressus *cap. penult. de homicidio.* Videatur etiam Sanchez *lib.* 1. *oper. mor. cap.* 10. *num* 50.

Sed contra primam partem huius conclusionis est argumentum. Nam in dubiis tutior pars est eligenda; vt habetur *cap. ad audientiam, de homicidio.* ergo laicus militans in bello iusto si dubitat, an occiderit, reputandus est irregularis.

Respondetur quòd in dubio tutior pars est amplectenda sub præcepto in solis casibus in iure expressis. In casibus verò in iure non expressis, solum est consilium sequi partem tutiorem; & quoniam *in cap. ad audientiam, & in cap. significasti el* 2. *de homicidio*, in dubio facti homicidij decernitur quis irregularis, non autem in dubio factæ occisionis iustæ: ideo miles laicus licitè pugnans in bello iusto dubitans an deformauerit, non est censendus irregularis, sed potest post adhibitam sufficientem diligentiam ad inquirendam veritatem;

veritatem: si adhuc manet anceps, potest dubiam conscientiam deponere: quia in hoc casu melior est conditio possidentis immunitatem ab irregularitate: Clericus verò in Sacris constitutus, seu Religiosus, in dubio an occiderit in bello iusto, debet se reputare irregularem, quia ita est textus expressus *cap. petitio tua, de homicidio*. Hæc solutio apertè colligitur ex doctrina, quam Syl. *verb. Ieiunium, n. 27. in fine*, docuit. Nauar. *cap. si quis autem, num 41. de pœnit. disp.* 7. hos sequitur Suarez *tom 5. in 3. part. disp. 40. sect. 6. num* 8. Sanchez *lib. 1. in Decalogum, cap.* 10. *num* 48.

## DVBITATIO IV.

VI. *An ministrans arma pugnaturo fiat irregularis sequuta morte, vel mutilatione?*

Dico quartò, Clericus, siue laicus ministrans ensem, lanceam, & generaliter arma pugnantibus, quando est iniustum bellum, seu pugna aliqua est iniusta, si quis occiditur, vel mutilatur in illo bello iniusto, vel in illa rixa particulari iniusta, est irregularis: quia præstat causam propinquam morti, vel mutilationi. Tabiena *verb. Irregularitas 3. n. 21. concl.* 14. Syl. *verb. Homicidium 3. n. 8. q. 6. vers. Quintum.* Sayr. *lib. 7. c. 4. n.* 10.

Dico quintò, Clericus, siue laicus dans arma ad omnes vsus non est irregularis, si postea accipiens iniuste occidat alium. Item mutuans gladium ei, quem nescit occisurum alium, non incurrit irregularitatem, etiamsi mutuatarius occidat: quia in his casibus dans arma, & mutuans gladium censentur causa remota homicidij, ob quam irregularitas non incurritur: secus autem si conferens arma sciat accipientem occisurum alium, tunc enim illam incurreret; quia tunc causa proxima homicidij diiudicatur: videatur Sayr. *lib. 7. de cens. cap. 4 num 9. & 10.*

Dico sextò, si Clericus in bello iusto arma, quæ habet apud se, præbet alteri militi, vt occidat aliquem in particulari, est irregularis sequuto effectu: quia illa datio cum intentione speciali occidendi hunc, vel illum, est causa propinqua mutilationis, vel occisionis. Syl. *verb. Homicidium 3 n. 8. q. 6. vers. Quintum.* Nauarr. *summa c. 27. n. 215. vers. Septimo.*

Dico septimò, si verò præbeat arma militi in bello iusto in genere vt se, & sua defendat, etiam in ipso belli conflictu, quamuis intendat occisionem hostium in genere, sequuta morte, vel mutilatione non est irregularis. Probatur, quia Clericus assistens in bello iusto hortans milites ad vincendum ad strenuè pugnandum in genere non incurrit irregularitatem, vt fatetur Nauarr. *loco cit. n.* 216. Sayr. *lib. 6. de cens. c. 19. n. 6.* ergo nec incidit in illam si præbeat arma, vt vincant, & pugnent. Perinde enim est hortari milites in genere ad victoriam, ac præbere arma vt pugnent. Sayr. *loc. cit. n.* 12. Henriquez *lib.* 14. c. 12. §. 4. Dixi in conclusione, *quamuis intendat occisionem hostium in genere*, quia tale desiderium nihil exteriùs operatur, vt sit fundamentum proximum irregularitatis, & per se ad illam inducendam non sufficit: tum, quia tale desiderium ex se iustum est includens virtualiter conditionem si alio modo victoria comparari non potest. Ita bene obseruauit Suarez *tom. 5. in 3 p. disp. 47. sect. 6. n.* 11.

## DVBITATIO V.

VII. *An præbens arma alteri ad sui, vel alterius defensionem, sit irregularis?*

Dico octauò, Clericus existens in bello defensiuo, si non valens se defendere ab iniquo inuasore, det alteri arma, vt ipsum adiuuet, si ille defensor occidat aggressorem, ille primus non est irregularis; quia talis Clericus inuasus potest se defendere per se ipsum, & occidere aggressorem si aliter probabiliter non potest seipsum defendere, ex *Clem. . . si furiosus, de homicidio*, ergo potest per alium dando illi arma, &c. Ita bene Nauarr. *summa cap. 27. num 212. vers. Secundo.* Sayr. *lib. 6. de censuris, cap. 17. num. 14.* Suarez *tom. 5. de cens. disp. 47. sect. 6. num. 1. fine*, loquens specialiter de Clericis: secus autem si daret arma vt proximus se defenderet, & sic erit irregularis si sequatur deformatio: quia non dat illa ad necessariam sui defensionem, prout requirit *Clem si furiosus, de homicidio.* Ita Syl *verb. Homicidium 3. num. 8. q. 6 vers. Quintum.* Sayr. & Nauarr. *locis nuper allegatis.* quamuis hæc limitatio antiquitus fuerit ferè communiter recepta.

Dico tamen nonò, satis probabile mihi videtur, quòd dans arma innocenti vt se ipsum defendat ab iniquo inuasore cum moderamine inculpatæ tutelæ, non contrahit irregularitatem sequuta deformatione: quia priuatum homicidium non inducit irregularitatem nisi sit culpabile, vt docent multi DD. Valentia *tom. 3. disp. 3 quæst. 16. de bello, puncto 4. vers. Sed contraria sententia*, adducens Alphonsum à Castro *lib. 2. de lege pœnali, cap.* 14. Lessius *lib. 2. de iustitia, cap. 9. dub. 11. num.* 73. citans Sotum *lib. 5. de iustitia, q. 1. art.* 8. Suarez *tom. 5. de censuris disp. 46. sect. 3. num.* 6. Sed dare arma innocenti vt se ipsum defendat ab iniquo aggressore, est actus maximæ charitatis. ergo non erit irregularis illa dans, si innocens se illis defendendo occidit iniustum inuasorem: tum, quia irregularitas homicidij non incurritur à priuata persona, nisi per culpam, vt diximus, aut per spontaneam voluntatem, sed in casu nostro non interuenit culpa, vt patet, neque est spontanea voluntas. Quia ibi non est intenta occisio, sed defensio proximi, quæ quodammodo & per vim extorta est ab iniquo aggressore. ergo, &c. non erit irregularis dans arma innocenti, vt seipsum defendat ab iniquo inuasore, si sequitur deformatio: quia neque peccat, neque intendit occisionem, sed defensionem proximi innocentis, quæ est actus maximæ charitatis. Saluo semper, &c.

VIII. *Rationi à principio respondetur, & explicatur*

## DVBITATIO VI.

*Quomodo liceat Clericis interesse bello?*

Ad rationem à principio positam quatenus militat directè contra secundam assertionem; respondetur quòd *cap. quod in dubijs, de pœnis*, intelligitur solùm de bello iniusto: Clericus enim in bello iniusto pugnans, aut præstans fauorem, auxilium, vel consilium, siue interficiat, siue non, dummodo inde sequuta fuerit mors hostis, aut membri mutilatio etiam per alios, irregularis erit, *cap. sunt dignum. §. vlt. n. 0, de homicidio.* Syl. *verb. Homicidium 3. num. 8. q. 6. vers. Sextum.* Tabiena *verb. Irregularitas 3. num. 21. concl.* 3 Excusabitur tamen ab irregularitate Clericus in bello iniusto assistens, vt præfati DD. tradunt, Syl. *verb. Homicidium cit. vers. Quartum.* Tabiena *loco adducto, concl.* 13. & Nauarr. *summa cap. 27. num. 224. vers.* 10. Dummodo non intersit bello iniusto vt faueat, sed ob aliquam bonam causam, puta vt pacem componat, confessiones audiat, licèt ex hoc timor incutiatur inimicis per accidens, & augeatur animus militum: quia dat operam rei licitæ & iustæ. Assistens verò Clericus in bello iusto, dummodo propriis manibus non occidat, vel mutilet, neque specialiter adhortetur ad aliquem occidendum, non est irregularis, quamuis in genere hortetur, & foueat milites ad vincendum, ad strenuè pugnandum,

vt

vt apertè colligitur ex *cap. petitio tua, de homicidio*, & docet Nauarr. *summa cap. 27. num.* 216. Sayr. *lib. 6. de censf. cap. 19. num. 6.* Videatur etiam Suarez *tom. 5. de censf. disp. 47. sect. 6. num. 10.*

## ARTICVLVS XV.

## De dispensatione huius irregularitatis. Quis in hac irregularitate contracta ex homicidio iusto voluntariè facto in bello iusto dispenset?

### SVMMARIVM.

1. *Probatur Episcopum posse super hanc irregularitatem dispensare.*
2. *Explicatur an irregularitas, quæ contrahitur ex homicidio voluntario, comprehendat irregularitatem ortam ex solo defectu lenitatis perfectæ, & quæ sit irregularitas ista, quam Pontifex reseruat sibi.*
3. *Ad quem spectet dispensatio super irregularitatem, quæ incurritur ex occisione in bello iniusto.*
4. *An sint irregulares socij in bello iniusto, si homicidia & mutilationes sequantur tantùm ex parte prouocantium, & ad quem pertineat dispensatio.*
5. *Respondetur titulo dubitationis.*
6. *An Prælati Ordinum Mendicantium possint dispensare super irregularitatem contractam ex defectu lenitatis perfectæ.*
7. *An Prælati Mendicantium possint cum suis subditis dispensare in irregularitatibus prouenientibus ex publico delicto, & ad forum contentiosum deducto.*
8. *Rationi in contrarium à principio respondetur, explicando, quomodo intelligatur illud axioma*, Cui conceditur maius, etiam conceditur minus.

I. *Probatur Episcopum posse super hanc irregularitatem dispensare.*

VIdetur quòd Episcopi virtute Concilij Tridení. *sess. 14. cap. 6. Decreto de Reformatione*, possint super hac irregularitate dispensare. nam vi Concilij Trid. *loc. cit.* conceditur Episcopis dispensare super irregularitate illicitè contracta, vna excepta, quæ contrahitur ex homicidio voluntario iniusto. ergo à fortiori poterit Episcopus dispensare in irregularitate licitè contracta ex occisione iusta in bello iusto. nam iura clamant, Cui conceditur maius, conceditur minus: sed maius est dispensare in irregularitate, quæ prouenit ex delicto, quàm in illa, quæ contrahitur ex actu licito, & aliquando meritorio vitæ æternæ, vt in bello iusto ex occisione ista. ergo si potest Episcopus dispensare in irregularitatibus ex delicto prouenientibus, poterit multo magis in his, quæ ex actu licito contrahuntur: & ita hanc sententiam tanquam probabilem tenuit Rodriquez *tom. 1. qq. regul. q. 24. art. 8.*

### DVBITATIO I.

II. *An irregularitas, quæ contrahitur ex homicidio voluntario, comprehendat irregularitatem ortam ex solo defectu lenitatis perfectæ? &, Quæ sit irregularitas illa, quam Pontifex reseruat sibi?*

Dico primò, irregularitas, quæ contrahitur ex homicidio voluntario, non comprehendit illam, quæ sine vlla culpa procedit ex solo defectu lenitatis perfectæ ob iustam occisionem, etiam voluntariam: vnde bene adnotauit D. Th. 1. 2. q. 88. *art. 6. ad* 3. quòd iudex qui occidit latronem, vel miles, qui in bello iusto occidit hostem Reipubl. & docuit etiam D. Aug. *lib. 1. de libero arbitrio, cap. 4.* non appellantur homicidæ, neque fiunt irregulares irregularitate proueniente ex homicidio voluntario, quæ est difficillimæ dispensationis, sed contrahunt irregularitatem ex solo defectu lenitatis perfectæ: sunt ergo hæ irregularitates quasi specie diuersæ, & ideo sub exceptione vnius, non includitur alia: quod rectè docuit Caiet. *verb. Irregularitas.* Armilla *ibi n. 13.* Quoniam homicidium voluntarium est delictum, & crimen contra quintum præceptum Decalogi: sed occisio hominis iusta, quæ fit à iudice, vel à milite in bello iusto, non est crimen; ergo neque homicidium. ergo irregolaritas, quæ contrahitur ex homicidio voluntario, est quasi distincta specie ab irregularitate, quæ prouenit ex occisione hominis iusta. Ex quo colligitur quòd quando Pontifex reseruat sibi dispensationem irregularitatis homicidij, non intelligitur reseruare irregularitatem occisionis iustæ, quæ homicidium non est. Ita bene Armil. *loc. cit.* quem sequitur Suarez *tom. 5. de censf. disp. 47. sect. 6. n. 13.* Rodriquez nuper allegatus. Sayr. *lib. 6. de censf. c. 19. n.* 16.

### DVBITATIO II.

III. *Ad quem spectet dispensatio super irregularitatem, quæ incurritur ex occisione in bello iusto?*

Dico secundò, si sermo sit de irregularitate incursa ob mutilandum in bello iniusto, tunc si homicidia, vel mutilationes factæ sunt ab iniquè pugnantibus in parte hostium iustè militantium, & licitè se defendentium, dispensatio super irregularitate contracta ab iniustè bellantibus spectat ad summum Pontificem, quia est irregularitas contracta ex homicidio voluntario, & ex intentione, cùm actio iniustè bellantium per se ordinetur, & sit sufficiens ad homicidia, & mutilationes. Ita apertè Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 7. & sess. 14. cap. 6. de reformatione*, & docet Lopez *part. 2. de dispens. irregularitatis, cap.* 30. Sayr. *lib. 7. de censf. cap. 7. num.* 14. & communiter DD. videndi apud Sayr. *loco citato.*

Dico tertiò, sunt etiam irregulares huius speciei homicidij voluntarij, cum quibus solus Pontifex dispensat, omnes milites in bello iniusto pugnãtes, imò omnes assistentes, & stantes à parte iniustè bellãntium, cooperantes, & excitantes ad pugnam, imò totus exercitus si contingant homicidia, vel mutilationes in hostibus innocentibus, siue intersint armati, siue inermes, siue deformeur, siue non, siue ob id timor inimicis augeatur, siue non: quia hi omnes proximè & ex intentione cooperari intelliguntur ad mutilationes, & homicidia sequuta. Ita Tabiena *verb. Irregularitas 3. num. 21. concl. 3.* Syl. *verb. Homicidium 3. num. 8. q. 6. vers. Sextum.* Nauarr *summ. cap. 27. num. 124. vers. Decimò.* Sayr. *lib. 6. de censf. cap. 19. num. 7.*

Dico quartò, pari ratione hanc irregularitatem, super qua solus Pontifex dispensat, incurrunt stantes & assistentes ex parte iniustè rixantium sequuto homicidio auctoritatem dando deformationi iniustæ, & qui subministrat arma, vt fiat bellum, aut homicidium iniustum, non tamen qui dat ad omnes vsus: similiter qui dat pecuniam ad bellum, aut rixam aliquam iniustam, sic etiam qui accusant, iudicant, testificantur iniustè, & qui produnt aliquem iniustè, vt occidatur. Nauarr. *tom. 2. consil. lib. 5. de homicidio, consil. 16. num. 1.* Sayr. *lib. 7. de censf. cap. 4. num. 10.*

## Dubitatio III.

IV. *An sint irregulares socij in bello iniusto, si homicidia & mutilationes sequantur tantùm ex parte prouocantium, & ad quem pertineat dispensatio?*

Dico quintò, si in bello iniusto sequuntur homicidia, vel mutilationes in parte sociorum, qui iniustè militant, potest Episcopus dispensare super irregularitate contracta, si occulta sit homicidium, vel mutilatio: quia tale homicidium, vel mutilatio non est intenta à sociis iniustè pugnantium: ergo respectu ipsorum est casualis. ergo irregularitas, quam tunc incurrunt, erit ex deformatione casuali culpabili quidem, vt statim patebit. ergo poterit Episcopus super illa dispensare si sit occulta, cùm hoc concedatur Episcopo vi Concilij Tridentini *sess.24. cap.6. Decreto de Reformatione.* Quod autem incurrant socij iniustè pugnantium irregularitatem ex homicidio casuali culpabili, si sequuta fuerint tantùm homicidia, vel mutilationes in parte ipsorum iniustè bellantium. Probatur, quia iniustè bellando dant operam rei illicitæ contra iustitiam, & periculosæ ex se, vt similes deformationes sequantur, nedum in parte aduersa hostium innocentium, sed etiam in parte sociorum iniustè pugnantium. ergo incurrunt irregularitatem prouenientem ex homicidio casuali, culpabili quidem si solùm contingant deformationes in parte sociorum iniustè militantium. Reformatio enim casualis si sit culpabilis constituit irregulares facientes opus illud illicitum, ad quod sequitur: videatur pro hac assertione Suarez *tom.5. de censuris, disp.47. sect.5. n.2.* Filliucius *tomo 1. tract.19. de cens. in particulari, c.10. n.180.*

V. *Titulo dubitationis respondetur.*

Dico sextò, si sermo sit de irregularitate incursa ob occisiones, vel mutilationes factas propriis manibus à iustè militantibus in parte aduersa, solus Pontifex in ea dispensat, cùm Episcopis tantùm concessa sit facultas dispensandi in irregularitate contracta ex delicto, ex Concilio Tridentino *sess.24. cap.6. Decreto de Reformatione*, quatenus sit occulta: at irregularitas quam contrahunt milites in bello iusto pugnātes, propriis manibus deformantes prouenit ex defectu lenitatis perfectæ. ergo, &c. Et ita hanc sententiam docent Magister Bannes *2.2. quæst.40. art.1. dub.4. concl.1.* Nauar. *tom.2. consil. lib.5. de homicid. consil.39. num.1.* Suarez *tom.5. de cens. disp.47. sect.6. num.15.* Sayr. *lib.6. de censuris, cap.19. num.15.* contra Rodriquez *loco cit.* in ratione à principio posita.

## Dubitatio IV.

VI. *An Prælati Ordinum Mendicantium possint dispensare super irregularitatem contractam ex defectu lenitatis perfectæ?*

Dico septimò, qui habent priuilegium dispensandi in irregularitatibus, exceptis irregularitatibus bigamiæ & homicidij voluntarij, vt sunt Prælati Ordinum Mendicantium, possunt etiam dispensare in hac ex defectu lenitatis perfectæ, quia sub homicidio voluntario non comprehenditur id quod iustè fit, sed tantùm quod iniustè, hoc enim est simpliciter homicidium, non autem illud, vt diximus, ex S.Th. & aliis *assertione prima*: & ita hanc sententiam docent Caiet. *in summa verb. irregularitas, in fine.* Bannes, Suarez nouissimè adducti. Sayr. *loc. cit. num.16.* Rodriquez *tom.2. qq. Regul. quæst. 24. art.8.* contra Arag. *2. 2. quæst.64 art.8.* Salon *ibidem, contro.4. concl. vltima, post solutionem vltimi argumenti, vers. obseruandum denique.* Sed nostra opinio est verior, & communior, & ita fuit resolutum Romæ *in sacra Pœnitentiaria*, in facti contingentia, vt refert Sayr. *loco citato*, adducens Viualdum *tract. de irregularitate, num.327.*

## Dubitatio V.

VII. *An Prælati Mendicantium possint cum suis subditis dispensare in irregularitatibus prouenientibus ex publico delicto, & ad forum contentiosum deducto?*

Dico octauò, Prælati Religiosorū Ordinum Mendicantium habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, vt sunt Generales, & Prouinciales, possunt etiam cum suis subditis dispensare in irregularitatibus prouenientibus ex publico delicto, & ad forum contentiosum deducto, præterquam homicidij voluntarij, bigamiæ & mutilationis membrorum, qua in re isti Prælati maiorem facultatē habēt erga suos subditos, quàm Episcopi erga suos diocæsanos: nam Sixtus IV. absolutè concessit Generalibus, & Prouincialibus Ordinis Minorum, & Prædicatorum, vt possint dispēsare cum suis subditis in omni irregularitate, exceptis irregularitatibus bigamiæ, homicidij voluntarij, & mutilationis, cùm ergo hæc facultas sit absoluta, & vniuersalis, ne dum in foro interiori, sed etiam in foro exteriori, ne dum in irregularitatibus occultis, sed etiam in irregularitatibus prouenientibus ex publico delicto, & deducto ad forum contentiosum, & in irregularitatibus contractis ex occisione iusta, ex defectu lenitatis perfectæ, exceptis tantummodo veræ bigamiæ, homicidij voluntarij, & mutilationis; poterunt Prælati Ordinis Minorum, & Prædicatorum, & alij per communicationem priuilegiorum dispensare cum suis subditis; & ita hanc sententiam tenet expressè Rodriquez *tom.1. qq. Regul. quæst. 24. art.8.* vbi refert verba priuilegij à Sixto IV. concessi. Ludouicus Beia *p.4. casuum, casu 37.§. aduertendum, quòd*, &c. Ioannes de la Crux *de statu Religionis lib.1. cap.6. dub.16. concl.2. & dub.19. concl.1.*

VIII. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur.*

## Dubitatio VI.

*Quomodo intelligatur illud axioma, Cui conceditur maius, etiam conceditur minus?*

Ad rationem in contrarium, quæ militat contra sextam assertionem, respondetur negando consequentiam: & ad probationem, Cui conceditur maius, conceditur minus, dicimus quòd hoc habet veritatem quoad illos, qui habent auctoritatē dispensandi ordinariam iure communi, non tamen quoad illos, qui ex commissione, & tāquam delegati Sedis Apostolicæ dispensant, & cum Episcopis vi Concilij Tridentini *sess. 24. c.6. Decr. de Reformatione*, concedatur facultas dispēsandi in omnibus irregularitatibus occultis ex delicto prouenientibus, vna excepta homicidij voluntarij, non inde bene infertur, quòd possint etiam in irregularitatibus contractis ex defectu lenitatis perfectæ, etsi concedamus id esse minus: quia in hoc sunt delegati Sedis Apostolicæ, & ex commissione hoc illis conceditur. Ita benè ad consimile argumentum respondet Lopez *p.1. Instruct. cap. 50.§ secundum Nauar.*

Respondetur secundò id esse verum in his, quæ sunt eiusdem rationis cum irregularitatibus contractis ex delicto: vnde licèt sit minus dispensare in irregula

irregularitatibus prouenientibus ex defectu lenitatis, non inde infertur, quòd qui ex commissione habet dispensare in irregularitatibus ex delicto occulto, recipiat etiam facultatem dispensandi in his, quæ ex defectu lenitatis contrahuntur, cùm sint diuersæ rationis: tum, quia priuilegium contrarium iuri communi debet strictè interpretari, vt minus derogetur iuri communi, vt notant Iurisperiti *in cap. cùm dilectus, de donat. & cap. cùm dilectus, de consuetud.* Tum per stylum Curiæ tenentis non posse Episcopum dispensare in irregularitatibus ex defectu lenitatis perfectæ contractis, vt obseruauit Nauarr. *tom. 2. citato lib. 5. de homicidio, consilio* 39. *num.* 1. Saluo, &c.

## ARTICVLVS XVI.

### An licitum sit bellum iustum aggressiuum diebus festis inire?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas demonstratur.*
3. *Ad rationem à principio respondetur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm ex D.Thom. 2.2. *quæst.* 40. *art.* 4. pro tuitione Reipublicæ licitum est bellare diebus festis. ergo bellum defensiuum sustinere erit licitum diebus festis, quod est pro tuitione Reipubl. non autem bellum aggressiuum inire.

II. *Veritas demonstratur.*

Dico primò, non tantùm in bello defensiuo, sed etiam in offensiuo iusto si adsit opportunitas ad acquirendam victoriam, licet bellare in die festo. Probatur, quia piscantibus quando euenit piscium multitudo, licitum est in die festo piscari, vt habetur *in cap. licet, de feriis.* ergo à fortiori licebit in hoc casu bellare, quia maius bonum est victoria, quæ cedit in commune bonum Reipublicæ, quàm captura piscium. Ita Bannes 2.2. q. 40. *art.* 4. *dub.* 1.

Dico secundò, pugnare in die festo præcisè absque necessitate, vel vtilitate Reipublicæ, non est peccatum saltem mortale, modò Missa audiatur: quia bellum non est opus seruile, cùm etiam à Principibus exerceatur, esset tamen in tali casu peccatum veniale, quia illud opus aduersatur fini præcepti de sanctificatione Sabbatorum. Ita bene Caietanus 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 4. quem sequuntur Bannes *ibi dub.* 2. Valentia *tom.* 3. *disp.* 3. *quæst.* 16. *de bello, puncto* 5. Bonacina *tom.* 2. *tract. de restitutione, disp.* 2. *quæst. vltima sect.* 1. §. 4. *num.* 30.

III. *Ad rationem à principio respondetur.*

Nec obstat quod dicit D.Thom. *art.* 4. *cit.* in corpore, solum esse licitum bellum in die festo exposcente necessitate, & pro tuitione Reipubl. nam, vt bene annotauit Caiet. ibi, vltio etiam iniuriarum, & recuperatio rerum iniustè ablatarum per bellum offensiuum, nonnulla quoque Reipubl. tuitio est, & sic D.Thom. non aduersatur nostræ primæ assertioni, sed suffragatur. Ita cum Caietano, Bannes & Valentia *locis allegatis* obseruarunt. Hactenus de bello ad honorem Dei, &c.

## DISQVISITIO XVIII.

### *De Beneficijs.*

## ARTICVLVS I.

### An definitio beneficij communiter assignata à Canonistis sit bona? &, An simoniacè illud obtinens sit excommunicatus, & in conscientia dimittere teneatur?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur.*
3. *An acquirens beneficium per simoniam realem sit excommunicatus, & irrita collatio.*
4. *An simoniacè acquirentes pensiones clericales, & vicarias quoad tempus sint excommunicati.*
5. *An Regularis obtinens per simoniam realem Vicariatum, vel Prioratum, & huiusmodi, sit excommunicatus, & teneatur illud dimittere.*
6. *An emptio iurispatronatus, vel vicaria, vel officiorum Ecclesiasticorum, vel superioritatum Mendicantium simoniacè facta sit valida.*
7. *An ascendens ad summam dignitatem per simoniam realem sit excommunicatus, & teneatur in conscientia illam dimittere, & non dimittens, an sit verus Pontifex, & eius definitiones sint infallibiles, & an Ecclesia sit supra Pontificem per simoniam realem electum.*
8. *Ad rationem à principio respondetur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm beneficium, inquiunt, est ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis propter aliquod officium spirituale auctoritate Ecclesiæ constitutum. nam Prælaturæ Regularium, vt sunt Prioratus, Prouincialatus, Generalatus, sunt beneficia, vt fatetur Less. *lib.* 2. *de iustitia, dub.* 25. *num.* 137. Sed ista officia & beneficia in quibusdam Religionibus non obtinentur nisi triennio, & pro arbitrio Superioris tolli possunt, neque habent præbendam, & ius percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis. ergo non rectè definitur, Beneficium est ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Deo, &c.

II. *Veritas aperitur.*

Dico primò, beneficium est ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis propter aliquod officium spirituale auctoritate Ecclesiæ constitutum. Ita Syl. *verb. Beneficium* 1. *n.* 1. Innocentius, & Host. *in c.* 9. *relatum, de præbendis*, dicitur ius perpetuum, quia si sit temporale, non est beneficium: vnde vicaria temporalis non est beneficium, vt rectè docet Nauar. *tom.* 1. *consil. lib.* 5. *ne Prælati, consil.* 2. *n.* 2. dicitur propter aliquod officium spirituale, id est, propter obligationem, ob quam beneficiarius tenetur aliquam functionem spiritualem obire, vt recitare horas Canonicas, facere Sacrum, administrare Sacramenta, &c. dicitur auctoritate Ecclesiastica constitutum; quia nisi auctoritas Prælati accedat confirmans tale ius, non censebitur beneficium Ecclesiasticum, vt colligunt DD. ex *extremo el* 1. *de consecrat. dist.* 1. & docet Nauar. *tom.* 1 *consil. lib.* 3. *de præbendis, consil.* 7.

## DVBITATIO I.

III. *An acquirens beneficium per simoniam realem sit excommunicatus, & irrita collatio?*

Dico secundò, beneficium per simoniam realem acquirens est ipso facto excommunicatus, & collatio, & prouisio huiusmodi est nulla, irrita, & inanis, nullúmque ius tribuit sic per simoniam obtinenti, & ita tenetur illud relinquere, vt instè pœniteat. Ita *in Extrauaganti, cùm detestabile, de simonia*, quæ habetur inter communes, & *in Extrauaganti Martini V.* quæ incipit, *Multa*, in Concil. Constantiensi *sess.* 43. & in alia eiusdem Pontificis, cuius initium est, *Damnabilem*, vt referunt Syl. *verb. simonia q.* 19. Tabiena *eodem verbo n.* 72.

## DVBITATIO II.

IV. *An simoniacè acquirentes pensiones clericales, & vicarias quo ad tempus, sint excommunicati?*

Dico tertiò, pensio clericalis, & vicaria, quoad tempus, licèt habeat iurisdictionem spiritualem, non sunt beneficia, & consequenter ementes illas simoniacè non sunt excommunicati: quia soli simoniaci reales in ordine, & beneficio sunt ipso iure excommunicati, vt docet Caiet. *summa, Excommunicatio* 72. Tabiena *verbo simonia num.* 72. Nec tenentur ipso iure illas dimittere: quia solum beneficium Ecclesiasticum simonia reali acceptum iure Ecclesiastico debet dimitti, per *Extrauagantem, cùm detestabile, de simonia*, & annotauit Lessius *lib.* 2 *de iustitia, cap.* 35. *dub.* 30. *n.* 168. & speciatim docuit Filliucius *de pensione clericali, & vicaria quoad tempus*, quæ licèt simoniacè sint emptæ, non sunt dimittendæ ante sententiam: quia canones aliud de illis non statuerunt. Ita *tom.* 3. *tract.* 45. *de vitio simoniæ, cap* 13. *quæst.* 7. *num.* 22. *vers. Secundò emptio.* huius etiam sententiæ est Bonacina *tom.* 3. *quæst.* 7. *de pœnis contra simoniacos latis, puncto* 2. *n.* 22 *fol.* 80. *col.* 2. *mihi.*

Nauarrus tamen *tom* 2. *consil lib.* 5. *ne Prælati, consil.* 1. *& summa cap.* 23. *num.* 111. *vers. ad* 13. *§. Quartò* fatetur, quòd pretio conducens vicariam alicuius Episcopi, vel alterius Rectoris, non sit excommunicatus, quia non committit simoniam in ordine, vel beneficio: nihilominus *locis citatis* apertè docet, quòd talis contractus est ipso iure nullus: quia simoniacus, & conductor, nisi vicaria dimissa, non est absoluendus.

Mihi tamen magis placet prior opinio: quia hæc pœna dimittendi in conscientia, & ante omnem sententiam, spirituale simoniacè acquisitum non habet locum nisi in solis beneficiis: quia licèt Extrauagantes citatæ prima facie videantur ad omnes simoniacos se extendere, propter quædam verba lata ibi contenta, tamen cùm materia, de qua in illis agitur, sit sola simonia in ordine, aut beneficio, vt patet in tractatu, & contextu eorumdem: ideo rationabiliter dicitur quòd soli, & omnes simoniaci in ordine, aut beneficio, sunt excommunicati, & soli simoniaci in beneficio si simonia sit realis ex vtraque parte completa in conscientia, & ante omnem sententiam beneficia sic acquisita tenentur dimittere. Ita præclarè obseruauit Caiet. *summa verb. excom. cap.* 72. *num.* 2.

Cùm igitur vicaria quoad tempus alicuius Episcopi, vel alterius Rectoris non sit beneficium, vt ipsemet Nauar. fatetur *summa c.* 23. *n.* 111. *vers. ad* 13. *§ Quartò*, neque pensio spiritualis clericalis, neque officia quædam Ecclesiastica, vt Auditoratus, & Clericatus Cameræ Apostolicæ, officium Inquisitoris, iuspatronatus non sint beneficia, etiam si horum emptio sit simoniaca, non tamen erunt in conscientia ante omnē sententiam dimittenda, cùm non sint beneficia, tum quia verba legis pœnalis strictè sunt intelligenda, & pœna dimittendi in conscientia emptum simoniacè in solis beneficiis habet locum. Ita colligitur ex Caiet. *loc.* nuper *adducto*, & apertè docet Filliucius *tom.* 3. *tract.* 45 *de simonia vitio, c.* 13 *q* 8 *n.* 23. *vers Quimò vt locum habeat:* videatur etiam Less. *lib.* 2 *de iust. cap.* 35. *dub.* 30. *n.* 168.

## DVBITATIO III.

V. *An Regularis obtinens per simoniam realem vicariatum, vel prioratum, & huiusmodi, sit excommunicatus, & teneatur illud dimittere?*

Dico quartò, officium Prioris, Guardini, Prouincialis, Generalis, & quoduis aliud simile in aliquo regulari Ordine Mendicantium obtinens per simoniam realem, non est excommunicatus, neque in conscientia ante sententiā tenetur illud dimittere. Quoad primam partem probatur hæc assertio: quia nullus simoniacus iure ipso est excommunicatus præter simoniacum realem in ordine, & in beneficio, vt docent Tabiena *verb simonia num.* 72 Nauar. *l. c. cit. in summa c.* 23. *n.* 111. *vers. ad* 13. *§. Quarto*; sed officium Prioris, Guardiani, Prouincialis, Generalis, & quoduis aliud simile, nō est beneficium, vt fatentur Caiet. *summa verb. Excommunicatio c.* 72. *n.* 3. *ad finem.* Azor. *part.* 3. *inst. mor. lib.* 12. *c.* 2 *dub.* 6. *vers. quæres.* Rodriquez *tom.* 2. *qq Reg. q.* 26. *art.* 2. *vers. potest tamē*, cōtra Less. *lib.* 2. *de iust. c.* 35. *dub.* 25. *n* 137. ergo obtinens talia officia per simoniam realem, non est excommunicatus, &c. contra Caietanum, qui licèt censeat talia officia non computari inter beneficia ecclesiastica, cùm non sint perpetua, nec sint stipendia bonorum Ecclesiæ, vult tamen quòd illa per simoniam realem obtinens sit excommunicatus: quia hæc officia beneficiis Ecclesiasticis æquiparari possūt. Ita Caiet. nouissimè adductus: sed oppositum verius, & mitius mihi videtur, cùm verba legis pœnalis strictè, vt suprà diximus, sint intelligenda, & ita nobiscum tenet apertè Azor nuper allegatus. Probatur modò secunda pars assertionis, quòd scilicet non tenetur in conscientia ante iudicis sententiam sic obtinens tale officium illud dimittere: quia pœna dimittendi ipso iure, & in conscientia acquisitum per simoniam realem, solùm habet locum in beneficiis Ecclesiasticis: at hæc officia non sunt beneficia, &c. ergo, &c. Ita expressè docet Filliucius *tom.* 3. *tract.* 45. *de vitio simoniæ, c.* 13. *quæst* 8. *num.* 23. *vers.* 5. *vt locum*, &c.

Contra Nauarrum *tom.* 2. *consil lib.* 5. *ne Prælati, consil.* *n.* 3. *& in summa c.* 23. *n.* 111. *vers. ad* 13. *§. Tertiò*, vbi asserit quòd obtinens officium habens iurisdictionem spiritualem, non est absoluendus nisi dimittat illud, vel proponat efficaciter dimittere, etiam si tale officium non sit beneficium: vt si quis conducat, vel emat vicariatum temporalem Episcopi, vel alterius Rectoris, licèt iste non incidat in excommunicationem, quia vicaria spiritualis non est beneficium: emptio tamen, & conductio huiusmodi est nulla, & ita Confessarius non debet absoluere huiusmodi emptorem, nisi prius dimittat illam. Ita Nauarr. nuper adductus.

Sed prima opinio est mitior, & probabilior, quia res sacræ spirituales, quæ per simoniam realem sunt acquisitæ, licèt earum acquisitio sit peccaminosa, validè tamen acquiruntur, nisi per ius Ecclesiasticum facta sit irrita, & inanis earum acquisitio: sed in iure Ecclesiastico solùm emptio beneficiorum Ecclesiasticorum est ipso iure irrita, & inanis, vt patet per Extrauagantes suprà adductas. ergo, &c. Et licèt verba in illis contenta videantur se extendere ad omnes simoniacos, tamen materia de qua in illis agitur, est sola

sola simonia in ordine, aut beneficio, vt diximus ex Caiet. *summ. verb. excomm. c. 72. n. 10.* & speciatim Rodriquez *p. 2. summa c. 58. concl. 6.* obseruauit, quòd licèt in Extrauaganti Pauli II. cuius initium est, *Cùm detestabile, de simonia*, addatur, quòd nullatenus ius acquiratur in officiis Ecclesiasticis. quæ simoniaca contigeru labe obtineri nomine officiorum Ecclesiasticorum, inquit Rodriquez, intelliguntur officia quæ sunt beneficia.

### Dubitatio IV.

VI. *An emptio iurispatronatus, vel Vicaria, vel officiorum Ecclesiasticorum, vel superioritatum Mendicantium simoniacè facta, sit valida?*

Hinc bene deduxit Filliuc. *loc. cit. q. 7. num. 22. vers. 2. emptio*, & c. *& q. 8. n. 13. §. Quinto*, &c. quòd emptio iurispatronatus, etsi facta sit simoniacè, valida est; idem de pensione spirituali, idem de Vicaria quoad tempus, quæ beneficiom non est, idem de officiis quibusdam Ecclesiasticis, vt Auditoratus Cameræ Apostolicæ. Idem de superioritatibus Mendicantium, quæ non recensentur inter beneficia, &c. etsi grauissimè huiusmodi conductores, & emptores delinquant.

### Dubitatio V.

VII. *An ascendens ad summam dignitatem per simoniam realem sit excommunicatus, & teneatur in conscientia illum dimittere? & non dimittens, an sit verus Pontifex, & illius definitiones sint infallibiles? &, an Ecclesia sit supra Pontificem per simoniam realem electum?*

Dico quintò, licèt Papatus sit beneficium duplex, maximam scilicet administrationem habens cum iurisdictione amplissima, vt probatur ex *cap. innotuit, de maledicis*, his verbis, *in depressionem beneficij nostri*, & est communis opinio Canonistarum *in reg. 1. beneficium Ecclesiast. de reg. iuris in 6.* Tamen si Papa ad Papatum per simoniam peruenisset, non teneretur resignare, modò à duabus partibus Cardinalium concorditer fuerit electus. Probatur ex *cap. licèt, de electione*, vbi Alexander III. statuit, vt ille absque vlla exceptione Romanus Pontifex habeatur, quia à duabus partibus Cardinalium concordantibus electus fuerit, & receptus. Ita Less. *lib. 2. de iust. c. 35. dub. 25. n. 145.*

Dico sextò, contraria sententia à quibusdam asserta est quòd talis simoniacè electus non sit verus Pontifex, & teneatur Pontificatum deponere: quia simoniacè electus non est canonicè electus. Nam *in can. si quis pecunia, dist. 79.* Nicolaus Pontifex statuit, *si quis pecunia fuerit Apostolica sedi inthronizatus, non Apostolicus, sed Apostaticus habeatur.* Idem probari potest ex Concilio Lateranensi sub Iulio II. *sess. 5.* in constitutione, cuius initium est, *Cùm tam diuino*, vbi sacro approbante Concilio statuitur, vt electio Romani Pontificis per simoniam facta eo ipso nulla existat, & sic electo nulla in spiritualibus, vel temporalibus tributur facultas, & ita hanc sententiam tenuit Azor. *part. 2. instit. mor. lib. 4. c. 5. dub. 7. vers. Deinde quares.*

Sed sustinenda omnino est prima sententia ex *cap. licet, de elect.* & ad oppositum respondet Filliucius, quòd constitutio Iulij II. cùm tam diuino non fuit recepta, saltem quando simonia occulta esset, & præualuit statutum *in cap. vbi periculum, de elect. in 6. & cap. licet, de electione*, vt scilicet contra electionem Papæ canonicè factam nulla exceptio admittatur. Ita Filliucius *tom. 3. tract. 45. de vitio simonia, cap. 13. quæst. 8. num. 23. ad finem*, adducens pro se Suarez *tom. 1. de Religione, lib. 4. de simonia, cap. 57. num. 57.* vbi similiter asserit constitutionem Iulij II. nunquam fuisse vsu receptam.

Dico septimò, Pontifex pecunia, & simoniacè electus, etiamsi ex parte rei secundùm opinionem aliquorum DD. non esset legitime electus Pontifex, sed putatiuus ob canones suprà citatos, tamen hoc ipso quo recipitur, & eligitur à duabus partibus Cardinalium, esset habendus ab Ecclesia pro vero Pontifice, vt patet ex *cap. licèt, de electione*, & talis in suis definitionibus haberet infallibilem veritatem, quia ratione tituli colorati concurrente communi errore, piissimus dominus propter commune bonum suæ Ecclesiæ illi assisteret, ne in rebus fidei definiendis erraret. Ita bene Less. *lib. 2. de iustitia, c. 35. dub. 25. num. 146.*

Sanchez verò *lib. 3. de matrimonio, disp. 22. num. 28.* asserit valere quidem gesta per Pontificem habentem non verum titulum, sed putatiuum, non tamen, inquit, habebit talis Pontifex potestatem definiendi infallibiliter res fidei: ea enim soli vero Pontifici & Ecclesiæ vniuersali, & generali Concilio inest: sed hoc iam suprà *quodlibeto 3. art. 11. dub. 2.* confutatum est. & dato, sed non concesso, quòd non esset verus Pontifex, tunc, vt loquitur Less. *loc. cit.* Deus illi putatiuo Pontifici à duabus partibus Cardinalium electo, licèt simoniacè, propter commune sponsæ suæ Ecclesiæ bonum assisteret, vnde infallibiliter etiam res fidei definiret.

Sed contrà vrget argumentum. nam non valerent gesta spiritualiter per fœminam ad summum Pontificatum prouectam, vt docet Baldus *l. non mutat. C. de liberali causa, in fine*; sed hæc si errore communi eligeretur a duabus partibus Cardinalium in Pontificem, propter titulum coloratum, & communem errorem esset Pontifex putatiuus; ergo similiter gesta, & definitiones ab eo, qui non esset verus, sed putatiuus Pontifex, non essent valida, nec firma.

Responderet Sanchez ad hoc argumentum negando consequentiam. Non enim est eadem ratio de fœmina ad summum Pontificatum per errorem prouectam, & de viro, qui simoniacè est electus ad Papatum: quia fœmina iure diuino, & naturali est ineligibilis ad habendam Ordinis potestatem spiritualem; homo verò simoniacè electus iure tantummodo positiuo est incapax, & inhabilis: spiritualiter gesta per habentem impedimentum iuris diuini, aut naturalis, quamuis concurrat titulus putatiuus, & communis error, sunt nullius momenti, quia Ecclesia nequit supplere defectum iuris naturalis, & diuini: vnde si non Sacerdos sacramentaliter absolueret, quamuis communiter existimetur Sacerdos, & verus Parochus, absolutio esset irrita, quia iure diuino sacramentaliter absoluens debet esse Sacerdos. Ita bene Tabiena *verb. Confessio 2. num. 23.* Si verò quis iure diuino Pontificatus capax, quia scilicet est vir baptizatus, inualidè ad summum beneficium Pontificatus eueheretur ratione vitij interuenientis in electione, quia pecunia, & simonia reali est electus, ob quod vitium iure humano positiuo electio est nulla, & irrita: tunc omnia gesta per illum valebunt, quia impedimentum est solius iuris humani, & concurrit communis error cum titulo præsumpto collato ab habente legitimam authoritatem: vt si esset electus à duabus partibus Cardinalium; quia tunc Ecclesia potest supplere tale impedimentum ex humano iure

iore procedens, & conferret illi sic electo potestatem agendi ea, quæ sunt ordinis, & iurisdictionis spiritualis, & Deus sua particulari prouidentia illi assisteret, & sic infallibiliter posset res fidei definire. Et licèt Ecclesia non sit supra verum Pontificem, est tamen supra hunc, qui verus non esset si pecuniâ eligeretur; sed tantùm putatiuus: videatur pro hac solutione Sanchez *loc.citat.lib.3. de matrim.disp.22. num.28. ad finem.* Sed iam omnis difficultas cessat ex *cap. licet, de electione,* & ex *cap. vbi periculum, eod. tit. in 6. & in Clement. de de elect. ne Romani*: vbi definitur quòd contra electum Pontificem è duabus partibus Cardinalium nulla exceptio admittatur, quod est speciale in hac electione, vt *ibidem* dicitur: quia Pontifex nullum habet Superiorem, per quem emendari possit error in eius electione commissus, & hoc ius nunc suam vim habet, non obstante constitutione Iulij I I. quæ nunquam videtur fuisse recepta.

VIII. *Ad rationem à principio respondetur.*

Ad argumentum positum ab initio difficultatis, quod directè militat contra quartum pronunciatum, respondetur negando maiorem, si sermo sit de officijs Prioris, Guardiani, Prouincialis in aliquo regulari Ordine Mendicantium, hæc enim non esse beneficia fatentur apertè Caiet. Rodriquez, Azor. Filliucius *locis citatis*, & ideo nihil mirum si non sint perpetua, nec sint stipendia bonorum Ecclesiæ, & per consequens neque illis competere debet definitio beneficij: secus autem mihi videtur dicendum si huiusmodi officia inter Claustrales non mendicantes haberent suo modo præbendam, tunc enim inter beneficia essent recensenda: quæ licèt quibusdam in locis triennio durent, & ad nutum Superioris tolli possint, id non habent ex sua institutione, sed ex eo quòd is, qui ea obtinet, subiectus est Superiori quoad omnia, quoad officia, habitationem, totámque vitæ directionem: vt bene obseruauit Less. *lib. 2. de iustitia, cap.34. dubio 1. num. 5 §. Respondeo.* Videatur pro hac solutione speciatim Filliucius *tom.3. cit. tract. 45. de vitio simoniæ, cap.13. quæst.8. num.23. vers. Quinto.*

## ARTICVLVS II.

## An Cardinalatus & Monachatus sint beneficia Ecclesiastica?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Quid sit beneficium simplex, & compositum, & hoc quotuplex sit; & quid sit beneficium collatiuum, electiuum, & missum, explicatur.*
3. *Resoluitur dubitatio de Cardinalatu.*
4. *Resoluitur dubitatio de Monachatu.*
5. *Rationibus in contrarium à principio respondetur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm ex eo quòd quis creatur Cardinalis, non habet ius ad fructus capiendos ex bonis Ecclesiasticis, sed ius eligendi summum Pontificem, ergo Cardinalatus secundùm se non est beneficium, cùm non habeat ius percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis. Item Monachi licèt habeant ius petendi alimenta ex cœnobiis, tamen eorum portio non est extracta ex communibus bonis, sed sunt communiter conuiuentes sub obedientia, & nihil de perceptis suo arbitratu expendere possunt. ergo non sunt beneficiarij; sicut Clerici olim inseruientes Ecclesiæ habebant ius ad alimenta, non tamen propriè dicebantur beneficiarij, quia nondum facta erat partitio bonorum Ecclesiasticorum.

DVBITATIO VNIC.

II. *Quid sit beneficium simplex, & compositum, & hoc quotuplex sit? &, Quid sit beneficium collatiuum, electiuum, & missum.*

Dico primò, beneficium diuiditur in simplex, & in compositum, seu duplex, quorum aliud est electiuum, aliud collatiuum, aliud missum. Simplex illud dicitur, quod neque administrationem rei Ecclesiasticæ, nec præeminentiam singularem, nec Clerum, nec populum habet, sed tantùm institutum est ad persoluendas Deo aliquas preces, vel alia diuina Officia: quale est Canonicatus, Altare, Capellania, quibus est assignata dos, & dantur in titulum perpetuum. Præstimonium, quod est portio aliqua desumpta ex pinguiori beneficio solita dari tantùm Clerico, vt sua studia persequi possit: quod licèt ab initio suæ institutionis non fuerit propriè beneficium, quia dabatur ad certum tempus, postea verò transiit in beneficium, quia sic numeratur inter alia in iure Canonico, *cap. quoniam, de concessione præbend. in 6.* Tum, quia datur in titulum, & habet ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis: videatur Azor. *part.2. instit. moral. lib.3. cap.7. dubio 1.*

Compositum verò, seu duplex beneficium est quod habet aliquam iuris qualitatem, qualis est administratio rerum Ecclesiasticarum, sine iurisdictione, vt est officium, & beneficium Thesaurarij, administratio Sacramentorum cum iurisdictione in foro conscientiæ, vt est Parochia; si præterea habet Clericos, & Parochos, quibus præsit, est Plebanatus: si habet tantùm honorificum gradum in choro, absque iurisdictione, & administratione, est personatus; si habet iurisdictionem in foro exteriori in Clericos, dicitur Dignitas, vt est Archidiaconatus; si habet etiam populum subiectum cui ministret sacramentum Confirmationis, & Ordinis, est Episcopatus, Archiepiscopatus, &c. si sit dignitas, & præeminentia cum iure Romanum Pontificem eligendi, est Cardinalatus; si hæc omnia habeat, & præterea sit vniuersalis Ecclesiæ Præsul, est Papatus. Dicuntur hæc beneficia composita, seu duplicia, quia præter onus recitandi horas Canonicas habent aliquam iuris qualitatem, vt administrationem rerum Ecclesiasticarum, vel iurisdictionem, &c. vel aliquam præeminentiam, &c. vt diximus: vide Syl. *verb. Beneficium* 1. Less. *lib.2. c.34. dub.2.*

Item beneficium aliud est collatiuum quod libera, & simplici voluntate Superioris confertur: aliud electiuum, quod scilicet præcedente electione ab electoribus facta, & accedente postea confirmatione ex consensu Superioris confertur: aliud beneficium dicitur Missum, quod præsentante patrono, & Episcopo instituente confertur. Gemin. *cap. cum illis, §.1. de præbend. in 6.* Filliucius *tom.3. tract.41. cap.1. quæst.1. num.6. fine.* His positis,

III. *Resoluitur dubitatio de Cardinalatu.*

Dico secundò, Cardinalatus est beneficium duplex collatiuum à Romano Pontifice: quòd sit beneficium, probatur, quia hoc ipso quòd quis Cardinalis creatur, habet aliquos reditus ex bonis Ecclesiasticis, imò solet R. P. singulis centum aureos in singulos menses assignare, & nonnullas, quas dicunt, partes in

in pane, & vino. Quòd sit duplex, probatur, quia præter obligationem recitandi horas Canonicas habent Cardinales præeminentiam cum iurisdictione in titulis, quibus præsunt, *cap. his quæ, de maior. & obedient.* habent enim ius eligendi Summum Pontif. quodam honoris, & maximæ dignitatis titulo. Azor. *p. 2. instit. moral. lib. 4. cap. 1. dub.* 8. Quod sit beneficium collationum, patet, ex simplici enim voluntate Pontificis confertur. Filliucius *loco* nuper *allegato, cap. 2. quæst.* 10. *num.* 38.

### IV. *Resoluitur dubitatio de Monachatu.*

Dico tertiò, Monachus, qui auctoritate Superioris in Monachorum numerum coaptatur, & recipitur, & ab hoc vnà cum cæteris habet ius eligendi, & suffragium ferendi in communibus negotiis monasterij, licèt habeat ius petendi alimenta ex ipso Cœnobio, non tamen propriè, & simpliciter dici potest beneficiarius, quia non percipit fructus ex bonis Deo dicatis, quos suo arbitratu expendat, cùm communiter conuiuat sub obedientia. Panormit. *in Clement. Dispendiosam, de iudicijs.* Azor. *part. 2. lib. 3. cap. 26. dub. 7.*

Dico quartò, in Gallia verò, & in Germania in nonnullis cœnobiis sunt Monachi, qui habent ius exigendi fructus, & recipiendi, siue in prædio sibi à Superiore assignato, siue ab administratore bonorum Monasterij, quos deinde arbitrio suo expendant in vsus suos honestos, & religiosos, & hi Beneficiarij dici possunt: quia ins tale requiritur ad beneficium, & qui illud habent, Beneficiarij dicuntur, & ita glossa *in Clement Dispendiosam, clt. verb. Beneficijs*, tenet Monachatum esse beneficium, & verum haber quando per monachatum Monachus habet tale ius modo dicto; quod etiam docet Filliucius *tom. 3. cit. cap. 1. quæst. 3. vers. Ad secundum dubium.*

### V. *Rationibus in contrarium à principio respondetur.*

Et per hæc patet ad fundamenta posita ab initio quomodo Cardinalatus, & Monachatus sint beneficia, videantur Doctores allegati, &c. Salua semper meliori sententia.

---

## ARTICVLVS III.

## An Capellania sit beneficium?

### SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, & explicatur, An ad faciendam capellaniam sit necessaria Episcopi authoritas.*
3. *An Capellanus non habens curam animarum, teneatur residere.*
4. *An capellania habens onus Sacra faciendi possit conferri non Sacerdoti.*
5. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

### I. *Pars negatiua probatur.*

NAm in institutione capellaniæ patroni illam instituentes solent conditionem apponere ne Episcopus in bona, quæ capellæ assignantur in dotem, se inferat, sed tota eorum bonorum cura, & administratio ad laicos patronos pertineat; sed non est beneficium nisi auctoritate superioris Ecclesiastici constituatur, & conferatur, vt colligitur ex *cap. nemo, & cap. nullus, de consecratione dist. 1.* & *ibi* communiter docent DD. ergo, &c.

### II. *Veritas aperitur, & explicatur*

DVBITATIO I.

### *An ad faciendam capellaniam sit necessaria Episcopi authoritas?*

Dico primò, capellania, cui est annexa obligatio Sacra faciendi, est beneficium, quotiescumque est fundata Episcopi auctoritate, vt glos. *in Clem. 2. de decimis, verbo si beneficiorum.* Quòd si ad laicos tantùm pertineat, nec Episcopus in illam se ingerit, beneficium non est, sed vel patrimonium Clerici, in cuius bonum cedit, éstque beneficiom simplex, nisi curam animarum habeat adiunctam. Azor. *part. 2. lib. 3. cap. 8. dubio* 4.

DVBITATIO II.

### III. *An Capellanus non habens curam animarum teneatur residere?*

Dico secundò, Capellanus habens capellaniam, cui non est annexa animarum cura, iure communi positiuo tenetur in Ecclesia residere, ex *cap. conquerente, & cap. cùm ad hoc, de Clericis non residentibus*, & docet Nauar. *tom. 1. consil. lib. 3. de Clericis non residentibus, consil. 4. num. 3. fine.* Quia beneficium datur propter officium, *cap. fin. de rescriptis 6.* quale est inseruire Ecclesiis faciendo Sacra, tale enim officium exercere debent habentes capellanias.

Dico tertiò, consuetudine tamen introduci potuit, vt simplicia beneficia obtinentes, & capellanias, quibus cura animarum non est annexa, tutò redditus, & fructus percipiant, etiam absentes, dummodo per Vicarios ab ipsis constitutos suis inseruiant capellaniis: quia beneficia simplicia iure tantùm canonico, non autem diuino, & naturali residendi legem, & præceptum imponunt; sed contra ius humanum positiuum consuetudo rationabilis, & præscripta potuit præualere. ergo, &c. Et ita hanc conlusionem tenent Nauar. *loc. cit. num. 3.* Azor. *part. 1. instit. mor. lib. 5. cap. 17. dub. 3. §. deinde obijci*, &c. Videantur etiam pro hac assertione Medina *part. 2. q. 90. art. 3. ad* 2. Sanchez *lib. 3. de matri. disp. 18. num. 1.* Rodriquez *tomo 1. qq. Reg. quæst. 6. art. 11.* vbi docent legem, & decretum etiam latum à Concilio generali, si non fuerit receptum, non obligare, & colligitur ex *cap. super quibusdam, de verb. signif.*

Dico quartò, assertio hæc immediatè præcedens solùm locum habet in iis capellaniis, & beneficiis simplicibus, quibus nullum præceptum speciale residendi est impositum ex peculiari ipsorum institutione, vel priuilegio, vel statuto, vel consuetudine speciali: quia in his spectari, & seruari debet eorum institutio, vel Ecclesiæ priuilegium, aut consuetudo specialis: ita ex Innocentio colligitur *in cap. fin. de Clericis non resident.* & docent apertè Nauar. *loc.* nuper *allegato.* Azor. *part. 2. instit. moral. lib. 3. cap. 8. dub. 5. ad finem.*

DVBITATIO III.

### IV. *An capellania habens onus Sacra faciendi possit conferri non Sacerdoti?*

Dico quintò, capellania eo solo quòd habet onus celebrandi, si in eius fundatione sit statutum, quòd Collatarius Capellanus per se ipsum hoc agat, non potest conferri nisi habenti ætatem, qui infra annum sit Sacerdos: quia est beneficium sacerdotale, quod dari non potest nisi habenti talem ætatem, vt docet Nauar. *tom. 1. consil. lib. 3. de prebendis, consil. 7. num. 2.* Secus

verò si in fundatione hoc non sit expresse cautum, quia tunc satis videtur prouisum voluntati fundatoris, si Collatarius per alium hoc agat. Filliucius *tom. 3. tract. 41. cap. 1. quaest. 4. num. 15.*

Dico sextò, probabilius mihi videtur dicendum talem Capellaniam, eo ipso, quòd habet onus Sacrum faciendi, conferri non posse, nisi ei, qui tempore quo nominatur, in ea ætate sit vt temporibus iure præscriptis intra annum Sacerdos fieri possit, quia talis Capellania videtur sacerdotalis. Idem dicendum si Capellaniæ fundatio habet sic, Beneficiarius per se, vel per alium ter in hebdomada Sacris operetur. Azor. *part. 2. lib. 6. cap. 34. dub. 3. & 4.* Less. *lib. 2. de iust. cap. 34. dub. 19. num. 96. 97.* Non tamen oportet, quòd sit actu Presbyter, & hoc est consuetudine introductum, vt obseruauit Less. *loc. cit. n. 97.* & est recepta sententia *in cap. ei cui, de præbendis* 6. vt notat Nauarr. *tom. 1. lib. 3. de præbend. consil. 7. num. 2.*

Dico septimò, si in litteris Institutionis Capellaniæ sacerdotalis, seu beneficij presbyteralis (instituti scilicet pro Sacerdotibus) expressim conditio apponatur, quòd conferatur actu Presbyteris, non Sacerdoti, actu collatio fieri non potest, & est nulla si fiat: quia fundator talium beneficiorum fundationi addere potuit tale onus, quòd actu sint Sacerdotes talia beneficia recipientes. Ita Nauarr. *tom. 1. lib. 3. cit. consil. 8. n. 1.* Azor. *p. 1. instit. mor. lib. 6. c. 8. dub. 12.*

V. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

Ad rationem à principio positam, quæ militat directè contra primam nostram assertionem, patet quid dicendum ex eadem assertione; fatemur quidem Capellaniam non esse beneficium, quoties non est Episcopi auctoritate fundata, & in eius fundatione habet conditionem appositam, vt superior Ecclesiasticus in eius collatione non se ingerat: vt sic enim est potiùs quoddam officium temporale, cui est annexa obligatio Sacra faciendi. Cæterùm si est fundata auctoritate Episcopi, & eius collatio spectat ad Superiorem Ecclesiasticum, quamuis nominatio pertineat ad patronos laicos, est verè beneficium, vt suprà probatum est: videatur pro hac solutione Nauarr. *tom. 1. consil. lib. 3. de præbend. consil. 7. num. 1.*

## ARTICVLVS IV.

### An vbi beneficium simplex est sacerdotale, possit Episcopus cum consensu patroni, saltem pro vna vice dispensare, vt conferatur non Sacerdoti, nec actu, nec habitu, qualis est, qui nec Sacerdos est, nec in ætate, qua intra annum possit esse?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, & explicatur, an Episcopus possit mutare conditiones Capellaniæ de consensu patroni.*
3. *An possint aliquo modo mutari conditiones fundationis beneficij a beneficiario validè.*
4. *An liceat Capellano celebrare in sua Capella per alium; & An liceat illi semel, vel bis in hebdomada Sacrum relinquere, si ex institutione Capellania quotidie celebrare tenetur.*
5. *An Ordinarius possit minuere numerum Missarum Capellanis.*
6. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

Partem affirmatiuam tuetur Nauarr. *tom. 1. consil. lib. 3. de Clericis non resid. consil. 6. n. 4.* adducens Felinum *in cap. cum accessissent, de constit. num. 18. & seq.* Quia potest Episcopus de consensu patroni, inquit Nauarr. ex rationabili causa alterare aliqua super qualitate ad tenendum beneficium requisita, &c.

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

### DVBITATIO I.

*An Episcopus possit mutare conditiones Capellaniæ de consensu patroni?*

Dico primò, conditiones, quæ à patronis Episcoporum consensu in beneficiis apponuntur, tolli nequeunt ab alio, quàm à Romano Pontifice. Ita apertè colligitur ex *Clem. quia contingit, de religios. domibus*, & ex Concilio Trid. *sess. 24. cap. 5. de reform.* Et consequenter non poterit Episcopus conferre etiam de voluntate patroni pro vna vice beneficium sacerdotale non Sacerdoti, nec actu, nec habitu; quia non inuenitur ius, quòd Episcopus in vno casu dispensare possit super voluntate fundatoris, præcipuè si voluntas defuncti secundùm conditiones ab eo appositas impleri valeat. Ita docet Azor. *part. 2. instit. moral. lib. 6. cap. 24. dub. 1.* Filliucius *tom. 3. tract. 41. cap. 1. quaest. 4. num. 15.* Ex hoc dicto inferuntur multa circa conditiones solitas apponi in beneficiis: vnde

### DVBITATIO II.

III. *An possint aliquo modo mutari conditiones fundationis beneficij à beneficiario validè?*

Dico secundò, si fundatio, vel dotatio in beneficio sic habet, vt Capellanus, vel beneficiarius in certo loco sacro, aut in certo altari Sacrū faciat, debet beneficiatus eo in loco, vel altari sacrificare. Quia iusta est voluntas patroni, qui eum locum, vel altare delegit, vt frequentaretur, & coleretur. Ita Beia *part. 1. casuum, casu 12. §. Aduertat tamen, &c.* Quòd si legitimè Capellanus impediatur ne eo in loco, altariue sacrificet, non debet à re diuina facienda abstinere, sed alibi poterit, & debebit Sacris operari, quia verisimilius est hoc testatorem voluisse, quàm vt nuspiam sacrificaretur, ne debitis sibi suffragiis priuaretur. Azor *part. 2. lib. 6. cap. 24. dub. 7.*

Dico tertiò, si beneficiarius absque iusta, & legitima causa alibi sacrificet, non solùm peccat, sed etiam omissa Sacra nō celebrata in loco, altariue designato, compensare debet celebrando in loco, & altari in beneficij institutione constitutis, quia suo muneri, & officio non satisfecit. Azor. *loco nuper allegato.*

### DVBITATIO III.

IV. *An liceat Capellano celebrare in sua Capella per alium? & An liceat illi semel, vel bis in hebdomada Sacrum relinquere, si ex institutione Capellania quotidie celebrare tenetur?*

Dico quartò, si beneficiarius, vel Capellanus ter, vel quater ex institutione beneficij per se ipsum in

in hebdomada offerre, & immolare debet, & per ſe ipſum commodè in certa hebdomada præſtare non poteſt, in aliud tempus differre poterit Sacra illa facere, vel per alium in illa hebdomada, in qua tenetur ſacrificare: quia etſi tutius id foret, vt beneficiarius id per ſe ipſemet præſtatet, quamuis in aliud tempus reiectum ex alia parte fundator implicitè poſtulauit, vt quàm citiſſimè debita ſacrificia expediret, licèt per alium, quando extante rationabili cauſa ipſe non poteſt.

Dico quintò, beneficiarius, ſeu Capellanus Miſſam quotidie dicere ex fundatione Capellaniæ obligatus excuſatur, ſi omni hebdomada ex cauſa honeſtatis, vel deuotionis augendæ ſemel, & aliquando bis omittat ſacrificare, cùm talis obligatio intelligatur vt toties celebret, quoties honeſte, & deuotè poteſt: ita colligitur apertè ex *cap. ſignificatum, de præbend.* Non tamen ei licebit omittere Sacris operari, cauſa voluptatis, vel, vt alia Eccleſia celebret, ſic ex *eodem cap. ſignificatum*, & docet Nauarr. *tom. 1. conſil. lib. 3. de præbend. conſil. 6. num. 1. & conſil. 15. num. 2. eodem lib. & tit.* Hæc tamen intellige, ſi inſtituens talem Capellaniam refert ſe ad inſtitutum, puta dicendo, Volo quòd iſte quotidie celebret, vel ſic celebret.

Secus ſi referat ad Miſſam, puta dicendo, Volo quotidie in loco celebrari, vel ſic celebrari: quia tunc non eſt intentio obligandi Sacerdotem ad quotidie celebrandum, ſed quod ſi nolit, aut nequeat, ſuppleat per alium, nec deſi deratur induſtria perſonæ, ſed quotidiana Miſſa. Ita bene aduertit Syl. *verb. Miſſa. quæſt. 7. §. Quintum ſi inſtituatur, verſ. Hæc tamen intellige.*

## Dubitatio III.

### V. *An Ordinarius poſsit minuere numerum Miſſarum Capellanis?*

Dico ſextò, quando Capellania eſt nimis onerata Miſſis dicendis, & redditus ſunt tenues, poteſt Ordinarius minuere numerum Miſſarum. Idem dicendum, ſi proceſſu temporis ita beneficij prouentus decreſcant, tenuéſque fiant, vt beneficiarius ſuo muneri, & officio ſatisfacere commodè nequeat, quia tacita in hoc patroni voluntas ſubeſſe creditur, vt is numerus minuatur. Ita colligitur ex *cap. ex parte, de conſtitutionibus*, & ibi ex gloſſ. *verb. Diminuti*, & docet Azor. *lib. 6. part. 2. cap. 14. dub. 6.*

Sed contrà obſtat factum Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. de reformatione*, vbi reſtringit poteſtatem Epiſcopis vt id in Synodo faciant, & non tantùm per ſe ipſos. Reſpondetur cum Filliucio *tom. 3. tract. 41. cap. 1. quæſt. 4. num. 15. ad finem*, factum Concilium non loqui de Miſſis impoſitis Capellaniis in earum fundatione, ſed de Miſſis, & anniuerſariis relictis in aliqua Eccleſia per modum donationis, horum numerum non poteſt Epiſcopus per ſe diminuere, ſed in Synodo Diœceſana. Idem concedit Abbatibus, & Generalibus Ordinum in ſuis Capitulis Generalibus quòd re diligenter perſpecta poſſint circa hæc ſtatuere, quicquid magis ad Dei honorem, & cultum, atque Eccleſiarum vtilitatem viderint expedire.

### VI. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur.*

Nec officit contra noſtram primam aſſertionem, quod affert Nauarrus adducens pro ſe Felinum: nam poſt Concilium Tridentinum eius ſententia non videtur probabilis: quia *ſeſſ. 25. cap. 5. de reform.* ſtatuit ſancta Synodus quòd Epiſcopus non poſſit tollere qualitates appoſitas in qualitate beneficiorum, & ſic cenſuit ſacra Congregatio Concilij, & Rota, vt refert Gaezia *part. 7. cap. 1. §. 1. num. 124.* conſuetudine tamen potuit introduci, vt beneficium actu requirens ſacerdotium conferatur alicui, qui non actu, ſed habitu ſit Sacerdos, qui ſcilicet in ea ætate ſit conſtitutus, vt intra annum ſacerdotio initiari poſſit: quia ſicut longa, & rationabilis conſuetudo legi poteſt derogare, ſic etiam depoſitioni fundatoris, quæ eſt inſtar legis: vide Sà *verb. Beneficium, num. 27.* Leſſ. *lib. 2. de iuſtitia, cap. 34. dub. 19. num. 97.*

---

## Articvlvs V.

## An beneficiorum Eccleſiaſticorum ſummus Pontifex ſit Dominus?

### *Svmmarivm.*


1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Reſoluitur dubitatio quoad beneficia, quoad cætera immobilia bona Eccleſiæ, & quoad bona temporalia.*
3. *An ſummus Pontifex ſit diſpenſator vniuerſalis beneficiorum & bonorum temporalium Eccleſiæ, ita vt illa poſſit in alios vſus conuertere.*
4. *An cœtus Eccleſiaſticorum cuiuſcunque Eccleſiæ habeat dominium bonorum ſuæ Eccleſiæ, ita vt poſſit illa bona alienare.*
5. *An Chriſtus Dominus habeat dominium bonorum Eccleſiæ, & omnem ſuam facultatem ſummo Pontifici communicauerit? & explicatur poteſtas ſummi Pontificis ſupra bona Eccleſiaſtica.*
6. *An ſummus Pontifex poſſit Principibus ſæcularibus diſpenſare bona Eccleſiæ.*
7. *An poteſtas ſit quid ſuperius ad dominium, & ſummus Pontifex habens poteſtatem ſupra bona Eccleſiæ ius maius habeat, quàm ſi haberet dominium.*
8. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur.*
9. *An ſummus Pontifex poſſit auferre ius nominandi à patronis, & quomodo conferat ius conferendi beneficia Epiſcopis?*


### I. *Pars affirmatiua probatur.*

Nam ſummus Pontifex habet ſummam, & liberam poteſtatem in beneficialibus, vt eſt expreſſus textus *cap. 2. de præbendis 6. & in Clementina 1. vt lite pendente nihil innouetur, in fine eius Clementinæ.* ergo eſt dominus beneficiorum Eccleſiaſticorum, cùm habeat ius diſponendi de beneficiis Eccleſiaſticis pro libito ſuæ voluntatis: & ita hanc ſententiam tenent aliqui Canoniſtæ, ſpeciatim Gigas *de penſionibus, q. 6. n. 7.* vt refert Sanchez *lib. 7. operis mor. c. 29. num. 68.* Gonzales *ſuper regulam octauam Cancellariæ §. 1. Proœmio, n. 33.*

### II. *Reſoluitur dubitatio quoad beneficia, quoad cætera immobilia bona Eccleſiæ, & quoad bona temporalia.*

Dico primò, ſummus Pontifex non eſt dominus beneficiorum, & aliorum immobilium bonorum, quæ habent Eccleſiæ: quia ſi eſſet dominus beneficiorum Eccleſiaſticorum, & rerum immobilium Deo dicatarum, poſſet cuiuis etiam indigniſſimo beneficia, & res immobiles Deo dicatas conferre, nec eſſet acceptor perſonarum: ſed eſſet acceptor perſonarum ſi indignis, & non ſelectis perſonis beneficia Eccleſiaſtica,

ftica,& bona immobilia Deo dicata conferet. ergo, &c. vt docet D.Thom.2.2.q.63.art.2.ad 1.& Caiet. ibi § Nota 3. Et ita hanc sententiam docet D. Thom.2.2. quæst. 100. art 1. ad septimum. Sotus lib.3. de iustitia q.6. art.2. ad quintum. Vbi optimam aliam adducit rationem. nam si dominus esset summus Pontifex beneficiorum Ecclesiasticorum,sibi illa posset retinere,& in proprios vsus conuertere, ac pro libito eis vti, quod tamen nemo sanæ mentis admittet. At nullo opus est argumento, inquit Sotus, vbi Apostolica tuba canit, sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, 1. Corinth.14. Quin imò & Christus Dominus Luc. 12. *Quis, inquit, putas est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* hæc assertio est ferè communis inter Theologos.

Dico secundò, nec etiam Pontifex est dominus rerum temporalium Ecclesiæ, vt possit ad libitum de illis disponere: quia, etsi res temporales Ecclesiæ sint eius,vt principalis dispensatoris,non tamen sunt eius vt domini, & possessoris. Ita D.Thom.2.2 cit.q.100. art.1 ad septimum. Caiet.ibi §.Nota 2.& 2.2.q.63.art.2. ad 1.vers.Nota tertiò.

## DVBITATIO I.

III. *An summus Pontifex sit dispensator vniuersalis beneficiorum, & bonorum temporalium Ecclesiæ, ita vt illa possit in alios vsus conuertere?*

Dico tertiò, est tamen summus Pontifex vniuersalis dispensator beneficiorum, & bonorum temporalium Ecclesiæ: quia cùm sit caput vniuersalis Ecclesiæ,& ad caput pertinet dispensatio bonorum illius; ergo ad Papam pertinebit eorum dispensatio. Hinc infertur,quòd si sit necessarium, vel valdè expediens ad commune bonum Ecclesiæ, potest summus Pontifex bona Ecclesiastica ad alios vsus, & etiam ad alias diœceses transferre, & sic videmus interdum illa Principibus sæcularibus concedi ad Ecclesiæ vtilitatem: absque tamen iusta causa id facere non potest; quia non est dominus, sed administrator, iustissima autem causa est publica Ecclesiæ vtilitas: & sic hanc conclusionem ducent D.Th. Caiet. Sotus locis citatis, Less.lib.2.de iust.c.4.dub.7.num.51.

## DVBITATIO II.

IV. *An cœtus Ecclesiasticorum, cuiuscumque Ecclesiæ habeat dominium bonorum, itaut possit illa bona alienare?*

Dico quartò,cœtus Ecclesiasticorum,cuiuscumque Ecclesiæ, habet dominium bonorum suæ Ecclesiæ: sicut Conuentus Monachorum habet dominium bonorum Monasterij,& sic bonorum ad Ecclesiam Romanam pertinentium non est Papa dominus, sed cœtus Ecclesiasticus Romanus:bonorum Ecclesiæ Toletanæ, vel Moguntinæ, &c. dominium non est penes harum Ecclesiarum Præsides, sed penes Conuentum Ecclesiasticum Toletanum, Moguntinum, & c quia ista immobilia temporalia ipsis Ecclesiis sunt donata à fidelibus ad sacra ministeria, & ipsæ sunt capaces dominij illorum,nec illud transtulerunt in summum Pontificem,nec in alios Præsides Ecclesiasticos. ergo, &c.Ita tenet Turrecremata lib.2.summæ cap.113.propositione 6.quem sequitur Less.loc.cit. Filliuc. tom.3. de beneficijs,tract.41.c.1.q.2.n.6.

Dico quintò,Conuentus Ecclesiasticus cuiuscumque diœcesis tenetur ista bona posteris seruare, nec potest ea vendere,vel extinguere pro arbitrio,quia ita ex donatorum dispositione sancitum est, qui voluerunt, & perpetuò esse cultui diuino destinata:tum,quia ita sacri canones statuerunt, ne absque Romani Pontificis assensu distrahantur: qui solus iusta causa accedente potest huiusmodi bona vendere, donare, &c. inte tantùm vniuersalis administrationis, quam habet, non dominij. Videatur præter Doctores citatos præcedenti assertione, Adrianus in 4. de restitut. in quæst. quæ incipit, Proclariori.

## DVBITATIO III.

V. *An Christus Dominus habeat dominium bonorum Ecclesiæ, & omnem suam facultatem summo Pontifici communicauerit? & explicatur potestas summi Pontificis supra bona Ecclesiastica.*

Dico sextò,probabile est etiam asserere talium bonorum dominium esse penes Christum Dominum, quia in iure Canonico sæpè hæc bona dicuntur esse patrimonium Christi, & licèt omnia bona sint Dei: bona tamen Ecclesiastica sunt ipsius peculiari quadam ratione,cùm sint diuinis vsibus, non prophanis, addicta, & ita in nullius hominis, vel communitatis humanæ patrimoniu sunt, remota à dominio humano, & vsu prophano: alienantur tamen aliquando, venduntur, & permutantur in vtilitatem Ecclesiæ auctoritate summi Pontificis,non ratione dominij,quod habeat in illis, sed quia est vniuersalis quasi procurator,& administrator talium bonorum: & ita tenuit Nauarr.de redditibus Ecclesiasticis,num.30.quæst.1.Azor. part.2.lib.6.cap.1.dub.4.fine.

Sed contrà vrget argumentum,Christus Dominus habet tale dominium,ergo & summus Pontifex, quia ille tribuit Petro tanquam suo Vicario, & successoribus potestatem,& dominium, quod ipse habuit, nam Ioannis 20. post resurrectionem dixit Dominus, *sicut misit me Pater, & ego mitto vos*; sed Pater misit Christum cum potestate dominij temporalis super totum orbem, vt fatetur D. Thom. lib.3. de regimine Principum, cap. 13. statim vt ex patre natus est, inquit D. Thom. Augustus Imperator, cœpit gerere vices ipsius. ergo Christus eadem potestate, & dominio misit Apostolos,maximè Petrum, & eius successores. Respondetur cùm Magistro Bannes 2.2.quæst.62.dub.2. ad primum argumentum, fol. 92. mihi, negando consequentiam.Non enim omnem potestatem,quam Christus habuit, etiam in quantum homo communicauit summo Pontifici. Nam potestatem excellentiæ, quam habuit in condendis Sacramentis,non communicauit summo Pontifici,vt docet D.Thom.3.p.quæst.64.art.4. ad 1. licèt illam potuisset communicare, si voluisset, vt docet D.Thom.in eodem art. Videatur pro hac re Sotus in 4.dist.1.quæst.5.art 4.dub.vlt.

Dico septimò, pro maiori intelligentia præcedentium, licèt summus Pontifex non habeat dominium absolutum temporalium tum Ecclesiæ, tum totius orbis,quia ea nec sibi, nec suis potest applicare, nec suo arbitrio illa in dominium alterius transferre:habet tamen supremam potestatem super omnia temporalia totius orbis instrumentaliter, & indirectè, scilicet ad finem supernaturalem, puta ad defendendam, & conseruandam potestatem spiritualem, & fidem Catholicam tuendam, quæ potestas dicitur dominium temporale, & indirectum: ita Bannes 2. 2. super quæst. 62. quæst.4. dub.2. concl.2. fol. 41. col.2. mihi.

Probatur

Probatur hæc vltima pars nostræ assertionis, nam ea quæ sunt necessaria ad exercendum officium commissum, simul committuntur & conferuntur cum ipsomet officio, sed ad exercendam spiritualem potestatem datam summo Pontifici, vt Christi Vicario, necessarium est quòd habeat prædictam potestatem, seu dominium indirectum, & instrumentale supra totum orbem. ergo, &c. Maior patet ex *cap.* 1. *de officio, & potestate iudicis delegati.* Minor verò probatur. nam si non haberet prædictum dominium, non posset impedientibus suam potestatem & iurisdictionem resistere, nec posset etiam contradicentes temporaliter punire; quod tamen falsum est, immò est contra fidem. ergo, &c. Hanc assertionem docet Caiet. *tom.* 1. *opusc. tract.* 2. *cap.* 13. *ad octauum*, quo in loco asserit, quòd vtrumque potest dici de summo Pontifice, & quòd habeat supremam potestatem in temporalibus, & quòd non habeat supremam potestatem, quoniam vtrumque verum est, ad sanum intellectum, affirmatio namque est vera in ordine ad spiritualia; negatio verò est vera directè, seu secundum se ipsa temporalia. hæc formaliter Caietanus, quem sequuntur Sotus *in* 4. *dist.* 25 *q.* 5. *art.* 1. *concl.* 3. Bannes *loc.* nuper *allegato*, Azor. *part.* 2. *lib.* 4. *cap.* 19. *dub.* 3.

Obtinet tamen summus Pontifex supremam potestatem, & administrationem directè super vrbes, Prouincias, & bona temporalia immobilia, quæ Principes Christiani, vt Constantinus, & alij, contulerunt Ecclesiæ, quia in his temporalibus nullum in terris agnoscit superiorem, vt bene Sotus *in* 4. *dist.* 25. *q.* 5. *art.* 1. *concl.* 3. *in principio.* Bannes *loco adducto concl.* 1. *medio.* Non tamen horum omnium temporalium habet verum, & absolutum dominium, quia Principes Christiani horum temporalium donatores non transtulerunt iura sua in summos Pontifices, sed in Ecclesiam Christi sponsam. Ita clarè Caiet. 2. 2. *q.* 43. *art.* 8. Tum, quia suis hæc bona temporalia summus Pontifex retinere non potest, nec in dominium cuiusuis transferre, quod requiritur ad rationem dominij absoluti, vt docet Sotus *lib.* 3. *de iust. quæst.* 6. *art.* 2. *ad quintum argumentum.*

## Dubitatio IV.

VI. *An summus Pontifex possit Principibus sæcularibus dispensare bona Ecclesiæ?*

Hinc infert Caiet. a. 2. *cit.* quòd tenentur ad restitutionem, qui à Romano Pontifice bona temporalia immobilia pro libito Papæ habuerunt, vt ditentur, exaltentur & magnificentur: similiter, qui ab aliis Prælatis Ecclesiasticis huiusmodi bona Ecclesiæ receperunt. Potest nihilominus summus Pontifex, si sit necessarium, & valde expediens, ad commune bonum Ecclesiæ, bona temporalia eiusdem Principibus sæcularibus concedere, quia supremam habet horum bonorum administrationem, & concedendo illa Principibus sæcularibus ad Ecclesiæ vtilitatem, seruat leges fidelis dispensatoris: absque tamen iusta causa id facere non potest ad libitum, cùm illorum non habeat absolutum dominium: videatur Caiet. 2. 2. *q.* 43 *art.* 8. Less. *lib.* 2. *de iust. c.* 4. *dub.* 7. *n.* 51.

## Dubitatio V.

VII. *An potestas sit quid superius ad dominium, & summus Pontifex habens potestatem supra bona Ecclesiæ, magis habeat, quàm si haberet dominium?*

Ad maiorem eorum, quæ diximus, claritatem observandum quòd potestas est quid superius ad dominium absolutum, omne enim dominium est potestas, non autem omnis potestas est dominium. definitur enim dominium quòd sit potestas, seu ius habendi, possidendi, fruendi, vtendi, ac disponendi de re aliqua pro libito voluntatis, vbi potestas constituitur loco generis: vnde quicumque habet dominium rei, habet potestatem ea vtendi, dispensandi ad libitum, non verò, qui solùm habet potestatem alicuius rei, non autem eiusdem dominium absolutum, potest de illa disponere pro suo arbitrio. Sicut Rex temporalis habet quidem potestatem vniuersalem supra totum suum regnum, & supra omnia eius bona temporalia, non tamen habet Rex verum, & absolutum dominium bonorum particularium istius, vel illius personæ, nec potest pro suo libito ea sibi applicare, aut in dominium alterius transferre. Sic Romanus Pontifex habet quidem supremam potestatem super omnia bona temporalia immobilia Ecclesiæ directè, & indirectè supra vniuersum orbem, non tamen habet eorum absolutum, & verum dominium, cùm non possit ea pro libito suæ voluntatis in dominium alterius transferre. Saluo semper, &c.

VIII. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

Nec obstant textus à principio in contrarium adducti, quia, vt optimè explicat Sotus *lib.* 3. *de iustitia, quæst.* 6. *art.* 2. *ad quintum.* sensus est vt beneficiorum Ecclesiasticorum administratio Pontificis sit libera, id est, non adstricta canonibus, & legibus scriptis, quales habent, & seruare debent cæteri Præsules: at eam administrationem habet ipse Pontifex legibus iuris naturalis, & diuinis alligatam, sicut legibus Ecclesiasticis ipse solutus est, non autem naturalibus, vel diuinis.

## Dubitatio VI.

IX. *An summus Pontifex possit auferre ius nominandi à patronis, & quomodo conferat ius conferendi beneficia Episcopis?*

Habet etiam plenam facultatem summus Pontifex conferendi beneficia, quia habet eam amplissimam, cùm se extendat ad omnia genera beneficiorum. Et ad ea, quæ sunt de iure patronatus, quia potest auferre patronis ius nominandi, vt docet glossa communiter recepta *in Clement.* 2. *de præbendis, verbo Apostolicis*, quia ius patronatus Ecclesiæ auctoritate patronis conceditur. ergo eius auctoritate auferri potest, vt bene Azor. *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 23. *dub.* 1.

Item amplissimam habet facultatem summus Pontifex in beneficiis, quia etiam si inferioribus Prælatis concesserit potestatem conferendi beneficia in suis Prouinciis, diœcesibus, Ecclesiis, titulis, tamen eam contulit cumulatiuè, non priuatiuè, id est, ita contulit, vt non priuauerit se ea potestate, sed vt plures haberet secum collatores. *cap. dudum, de præbendis in* 6. *§. nos igitur*, &c. Vnde initio nascentis Ecclesiæ solus Papa beneficia conferebat. Fillineius *tom.* 3. *c.* 1. *tract.* 41. *quæst.* 1. *num.* 8.

Hine potest intelligi quo sensu à Canonistis dicatur quòd Papa solus sit dominus beneficiorum, quòd nullis legibus, aut regulis coarctetur, quòd videtur Deus in terris, quoad beneficia, quòd possit adæquare quadrata rotundis. hæc, & similia, quæ dicuntur à Canonistis, sunt intelligenda de amplissima eius potestate, quam habet super beneficia, non autem quòd

qoòd eorum sit dominus : videatur pro hac re Sotos *lib.3.de iust q.6.art.2.ad quintum argum.* Azor. *p.2.instit. moral lib.6.cap.12.dub.7.* Sanchez *lib.4.oper.mor.cap.19. n.96.* Filliucius *loc.cit. ad finem, n.8.* Hactenus de bonis immubilibus Ecclesiæ donatis, modò de redditibus ex beneficiis perceptis dicendum.

---

## Articvlvs VI.

## An beneficiarij sint veri domini fructuum, quos ex beneficio iusto titulo possesso capiunt?

### *Svmmarivm.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas patefit, explicando, quot genera bonorum possint habere beneficiarij.*
3. *An Clerici non Religiosi habeant verum dominium bonorum patrimonialium.*
4. *An liceat beneficiarijs licitè aliquid tribuere alijs, ex parte fructuum debita illorũ decenti sustentationi.*
5. *Quænam assignetur pars beneficij deseruiens sustentationi beneficiarij, & an possit superflua sustentationi donare.*
6. *Titulo dubitationis etiam probabiliter respondetur.*
7. *An liceat beneficiarijs donare partem fructuum beneficij superfluam consanguineis, vel alijs, an potiùs distribuere teneantur pauperibus.*
8. *Argumento in contrarium respondetur.*

### I. *Pars negatiua probatur.*

NAm Clerici beneficiarij non possunt de bonis Ecclesiasticis testari. ergo non sunt domini fructuũ, & bonorum, quæ ex beneficiis Ecclesiasticis recipiunt, cùm hæc facultas testandi non possit illis negari si essent integri domini redditũum Ecclesiasticorum, vt deducit Nauar. *q.1.de red.benef.Eccl n.27.* Antecedens verò patet ex *c.relatum 12. & c.ad hæc, de testam.*

### II. *Veritas aperitur, & explicatur*

## Dvbitatio I.

### *Quot genera bonorum possint habere beneficiarij?*

Dico primò, beneficiarij tria genera bonorum habere possunt, patrimonialia, qualia sunt, quæ ipsi hæreditate, vel alio modo, quo laici solent, sibi acquirunt: quasi patrimonialia, quæ ipsi acquirunt ministeriis Clericorum absque beneficio, vt celebrando, concionando, canendo, confessiones audiendo. Merè Ecclesiastica, vt sunt ea, quæ recipiuntur à Clericis titulo alicuius beneficij Ecclesiastici. Less. *lib.3. de iust.cap.4. dub.6.num.35.*

## Dvbitatio II.

### III. *An Clerici non religiosi habeant verum dominium bonorum patrimonialium?*

Dico secundò, Clerici non religiosi habent verum dominium bonorum patrimonialium, quia per Clericatum, & Ordinem non fiunt incapaces dominij, &c. Quasi patrimonialium habent etiam absolutum dominium : vnde si alicui Sacerdoti pro vno sacro dentur decem aurei, non minus fiet illius pecuniæ absolutus dominus, quàm is cui datur dumtaxat vnus Iulius: quia sicut pauper fit absolutè dominus eleemosynæ, etiamsi ea magna sit. ergo Clericus fit absolutè dominus stipendij, quod ei liberaliter pro aliquo ministerio Clericorum tribuitur, & ita docet Nauarr. *de redditibus Eccl.q.1.num.7.& 8.*

## Dvbitatio III.

### IV. *An liceat beneficiarijs licitè aliquid tribuere alijs, ex parte fructuum debita decenti illorum sustentationi?*

Dico tertiò, beneficiarij eius partis fructuum beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ congruæ eorum sustentationi est necessaria, ita fiunt domini, vt non magis teneantur ex ea erogare ad opera pietatis, quàm ex bonis patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus: quia hæc pars est iustissima merces eorum, qui Ecclesiæ seruiunt, sed vnusquisque est dominus propriæ mercedis; ergo pro sua voluntate possunt illam expendere. Ita bene Sotus *lib.10.de iust.q.4. art.3. concl.3.* Nauarr. *de reddit.benef.Eccl.q.1.num.82.*

Dico quartò, magis dilucidè beneficiarij si quid ex hac parte congruenti sustentationi necessaria percepta ex fructibus beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ possident, velint sibi detrahere, possunt de eo disponere, sicut de bonis sæcularibus, & sic ex eo ditare consanguineos, & exaltare affines, illis licebit; quia cùm liberè possint hanc partem decenti sustentationi necessariam in suos vsus conuertere, ergo si seipsos quasi defraudant, & parcius quàm deceat viuunt, poterunt quod sibi detrahunt ex parte congruæ sustentationi necessaria cuiuis donare, & impendere in vsus prophanos, licitos tamen, ditando, & magnificando propinquos. Couarr. *in c cùm in officijs, de testamentis n.2.* Nauarr. *de reddit.q.1.num.59.*

Sed contra. Nam Concilium Tridentinum *sess. 25. c.1.de Reform.* omnino interdicit ne Ecclesiastici ditare studeant consanguineus de redditibus Ecclesiasticis. Respondetur Sacrum Concilium non loqui de his, quæ quis beneficiarius sibi hoc modo subtraxit, vel quæ iusto labore promeritus acquisiuit, hæc enim non censentur fructus beneficij, sed propriæ industriæ; sed loquitur Concilium de his, quæ tantùm ratione beneficij obueniunt, & sustentationi congruenti redundant: videatur Sotus *loc.cit.lib.10.de iust.q.4.a.3.concl.3.*

## Dvbitatio IV.

### V. *Quænam assignetur pars beneficij deseruiens sustentationi beneficiarij; & an possit superflua sustentationi donare?*

Dico quintò, congrua pars ex fructibus beneficiorum, quæ est necessaria ad decentem sustentationem beneficiarij, non consistit in indiuisibili, sed habet latitudinem; sicut iustum pretium rerum non consistit in indiuisibili, sed habet latitudinem; infimum aliud, medium, & supremum : ita etiam congrua sustentatio habet suos gradus; poterit ergo beneficiarius illud, quod sibi subtrahit, à summo conuenientis sustentationis, cuiuis donare, & in quoscumque vsus, etiã prophanos, honestos tamen, impendere pro sua voluntate : quia sicut iustè potest quis vendere rem suam supremo pretio; ita beneficiarius ex fructibus beneficij potest sibi retinere summum necessarium ad decentẽ sustentationem. ergo totum illud, quod sibi subtrahit à summo congruentis sustentationis, poterit, &c. Vide pro hac re D.Th. *quodl 6.art.12.* vbi habet hæc verba, *Non peccat mortaliter beneficiarius, etiã si fortè aliquid plus in suos vsus conuertat, quam oporteat : talia enim, quia in singularibus*

*singularibus est eorum iudicium, non possunt per omnimodam certitudinem diffiniri.* hactenus D. Th. Less. *lib. 2. de iust. c. 4. dub. 6. n. 40.* Nauarr. *quæst. 2. de redd. Eccl. n. 20.* Beia *part. 2. casuum, casu 25. ad finem. §. Quod si,* &c.

Dico sextò, beneficiarij illius portionis fructuum, quæ non est vlli gradui conuenientis, & iustæ sustentationis necessaria, sed superflua, non sunt domini, sed solùm dispensatores, Ita vt ex iustitia teneantur illam expendere in pias causas; quòd si secus fecerint, obligantur ad restitutionem in opera pia ex aliis bonis, quæ pleno iure possident; imò ij, quibus dederunt ad vsus prophanos restituere pauperibus, vel Ecclesiæ, debent accepta, si ipsi beneficiarij reddere ex proprio patrimonio aut recusent, aut non possint; quia contra iustitiam facit, qui de re, quam possidet, disponit contra conditionem, quam donator apposuit; sed redditus Ecclesiastici sunt Ecclesiæ, & Ecclesiasticis beneficiariis donati, cum hac conditione, vt quod superest expendatur in pios vsus, aut pauperibus erogetur. ergo portionis superfluæ congruenti sustentationi beneficiarij non sunt domini, & contra iustitiam agunt, si in vsus prophanos expendunt, & consequenter tenentur ad restitutionem, & etiam donatarij, si à beneficiariis de hac parte superflua congruæ ipsorum sustentationi ad vsus prophanos receperint, si illi malè & iniustè conferentes non restituerint: ita acriter, & ribidè tenet Nauarrus *in toto tract. de redd. Ecclesiasticis.* Lodouicus Beia *part. 2. casuum, casu 25. 2 vers. Hac sententia,* adducens pro hac opinione alios, & quidem graues, & multos DD.

### VI. *Titulo dubitationis etiam probabiliter respondetur.*

Dico septimò; mitiùs tamen, & probabiliter dici potest post erecta beneficia, certósque prouentus singulis titulis assignatos beneficiarios non religiosos, esse absolutè dominos omnium suorum prouentuum: nam *cap. vnico, de Clericis non residentibus 6.* id satis apertè indicatur, *qui diuinis Officijs non intersunt,* ait Canon, *non sunt domini quotidianarum distributionum, neque faciunt eas suas, sed ad restitutionem sic receptarum obligantur* ergo supponit Canon quòd qui intersunt fiunt domini, quòd si isti beneficiarij fiunt domini quotidianarum distributionum, etiam erunt domini aliorum prouentuum, cùm omnes dentur propter diuinum Officium, siue publicè, siue priuatim dicendum. Idem statuit Concilium Tridentinum *sess. 22. cap. 3. de Reform.* dum ait, *Beneficiarij, siue Canonici, siue alij, qui quolibet statuto die seruitium in Ecclesijs non impleuerint, illius diei distributionem amittant, nec eius quoquo modo dominium acquirant.* Idem asserit *sess. 23. cap. 1. de Reform.* Episcopi, inquit sacrum Concil. *qui vltra tres menses (nisi vrgente necessitate) absunt a suis Ecclesijs, fructus non faciunt suos pro rata temporis absentia.* Supponit ergo sacrum Concilium beneficiarios, si præstant quod debent, fieri integrè dominos omnium suorum prouentuum.

Probatur modò hæc assertio ratione, quam adducit Sotus *lib. 10. de iustitia, quæst. 4. art. 3. concl. 3.* Nam sicut eleemosynarum, quæ pauperibus erogantur, dominium acquirunt pauperes, etiam si maximæ sint; ergo similiter beneficiarij erunt domini fructuum ex possessionibus, & prædiis Ecclesiæ dicatis sibi prouenientium, qui à piis restatoribus in eleemosynam conferantur ratione alicuius obsequij clericalis, saltem propter diuinum Officium, omnes enim beneficiarij tenentur ad horas canonicas. Neque enim, inquit Sotus, refert, temporales ne sint tales eleemosynæ, & quotidianæ, an verò perpetuæ, scilicet fructus prædiorum & possessionum, quæ pro talibus obsequiis & seruitiis ecclesiasticis mancipata sunt Clero. Et ita hanc sententiam docet Sotus *loco nuper allegato,* quem sequuntur Azor. *part. 2. instit. mor. lib. 7. cap. 8. dub. 2.* Less. *lib. 2. de iust. cap. 4. dub. 6. n. 43.* Filliucius *tom. 3. tract. 45. de spolijs Eccl. c. 4. quæst. 5. num. 7.*

Dico octauò, sequendo opinionem Soti, beneficiarij ita sunt domini partis superfluæ prouentuum ex beneficiis sibi prouenientium, vt quamuis prophanè illam expenderint, tamen ad restitutionem pauperibus, vel aliis piis causis non teneantur. Nec etiam recipientes talem portionem ab illis ad vsus prophanos, quia cùm sint domini etiam portionis redundantis congruæ sustentationi, vt probatum est, non peccant contra iustitiam pro libito suæ voluntatis, disponendo de illa etiam in prophanos vsus; nec etiam donatarij tenentur ad restitutionem cùm ab absolutis dominis illius partis superfluæ transferatur in illos dominium. Colligitur hæc Soti opinio apertè ex S. Thom. 2. 2. *quæst. 185. art. 7. in corp.* vbi cùm ex *cap. de redditibus Ecclesiasticis 12. quæst. 2.* ostendisset redditus Ecclesiæ & oblationes fidelium in quatuor portiones esse diuidendas, ex quibus prima danda sit Episcopo, secunda fabricæ, tertia pauperibus, quarta Clericis subdit, *de his autem, quæ sunt beneficiariorum vsui deputata, videtur esse eadem ratio, quæ est de proprijs bonis;* hactenus D. Thom. sed beneficiarij disponendo de bonis patrimonialibus ad libitum non peccant contra iustitiam; ergo nec etiam disponendo de illa parte superflua prouentuum ex beneficiis perceptorum post erecta beneficia, & post assignatam singulis suam portionem, hæc enim est deputata vsui beneficiariorum; & ita consequenter asserunt DD. pro præcedenti assertione allegati, Sayr. *lib. 1. Clauis Regiæ, c. 12. n. 10.*

Nec obstat ratio adducta *assertio 6.* pro sententia Nauarri. Nam, inquit ipse, contra iustitiam operatur, qui de re sibi donata contra conditionem, quam apposuit donator, disponit; sed redditus Ecclesiastici sunt donati à testatoribus cum hac conditione, vt quod superest, expendatur in vsus pios, aut pauperibus erogetur. ergo portionis superfluæ beneficiarij non sunt domini, & contra iustitiam faciunt, si in vsus prophanos expendunt, & consequenter tenentur ad restitutionem, &c.

Respondetur negando minorem, non enim constat quòd pij homines sua bona dederint Ecclesiis hac lege, & conditione, vt Clerici sibi ex eis necessaria caperent, & quæ supersunt, pauperibus largiantur, & quamuis virtualiter intenderint donantes huiusmodi bona quod superfluum in opera pietatis beneficiarij elargirentur, nec tamen voluntas, & intentio non ita obligat donatarium, vt si de re donata in alios vsus disponat, propriè contra iustitiam faciat; quia non est conditio cadens supra rem donatam, sed supra personas recipientes. est exemplum ad hoc explicandum; qui facit eleemosynam pauperi nudo, in eum finem facit, vt sibi pauper ad nuditatem tegendam prouideat, non tam obid pauper ille contra iustitiam facit, si loco subuculæ sibi perdicem emat ad gulam pascendam. Similiter redditus Ecclesiastici conferuntur beneficiariis causa pietatis, non tamen ipse contra iustitiam facit, si in vsus prophanos impendit: sed contra alias virtutes charitatem, fidelitatem, &c. Videatur pro hac solutione Sotus *loco citato.* Azor. Less. allegato, præcipuè Less. *num. 45.* Filliuc. *de spolijs Eccl. tract. 45. cap. 7. quæst. 6. num. 13.* Idem Sotus *lib. 10. de iust. q. 4. art. 4. concl. 1.*

### Dubitatio V.

**VII.** *An liceat beneficiarijs donare partem fructuum beneficij superfluam consanguineis, vel alijs? An potiùs distribuere teneantur pauperibus?*

Dico nonò, beneficiarij peccant mortiferè si partem fructuum beneficiorum congruæ sustentationi redundantem in vsus prophanos, vel ad ditandos consanguineos, & amicos impendant. probatur, quia hoc est contra districtum Ecclesiæ præceptum: nam Concilium Tridentinum *sess. 25. c. 1. de Reform.* sic ait, *Omnino interdicit Episcopis sancta Synodus ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere studeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint, eis vt pauperibus distribuant.*

Hæc conclusio est S. Th. 2. 2, *quæst. 185. art. 7. ad 2.* vbi asserit quòd si de eo, quod vsui Episcopi, vel alicuius Clerici est deputatum, velit aliquid sibi subtrahere, & consanguineis, vel aliis dare, non peccat, dummodo illud faciat moderatè, id est, vt non indigeant, non autem ditiores inde fiant, &c. Idem prorsus habetur *in Decreto dist. 86. can. 16. est probanda*, vbi habentur hæc verba: *Proximos seminis tui ne despicias si egere cognoscas, non tamen vt illos ditiores fieri velis ex eo, quod tu potes conferre inopibus.* vbi textus loquitur de beneficiariis, & est D. Ambrosij *lib. 1. officiorum cap* 30. ergo peccant mortaliter Ecclesiastici si partem redditüum beneficiorum redundantem congruæ sustentationi ditando consanguineos, & amicos, impendunt in vsus profanos, cùm in re graui iura, & præcepta Ecclesiæ transgrediantur. Videatur Sotus *lib. 10. de iustitia quæst. 4. art. 4. concl. 2.* Consanguineis, inquit, aliter prouidere quàm pauperibus non debent, loquens de beneficiariis, Less. *lib. 2. de iustitia cap. 4. dub. 6. num. 47.* & est communis sententia DD. vt fatetur Sarmiento citatus à Less. *loc. cit. num* 43.

Dico decimò, beneficiarij Ecclesiastici quicumque sint illi, lethaliter peccant si quod superest congruenti, & iustæ sustentationi, & ex fructibus beneficiorum in communes & solitas pauperum necessitates non impendant, etiam si nulla extrema, vel grauis necessitas egentium vrgeret, & in hoc differunt à laicis, quòd opulenti laici si nulla pauperum extrema, vel quasi extrema, aut grauis indigentia occurrat, possunt vtique superfluum licitè retinere ad augendam rem suam familiarem, & domesticam. Probatur nam Symmachus Papa *in VI. Synodo*, & refertur 12. *quæst. 2. can. Indignè*, ait, *Anathemate feriatur, qui à religiosis animabus ad substantiam pauperum derelicta contra fas sine aliqua pietatis consideratione dispergit.* ergo si bona Ecclesiastica, de quibus est sermo, sunt pauperum substantia, dicendum est quòd ea lege, & præcepto Ecclesiastici acceperunt, vt ex ipsis percipiant portionem congruam, & sufficientem, tanquam laboris mercedem sibi debitam, & reliquum in communes, & solitas pauperum necessitates, vel in alios pios vsus erogent. ergo lethaliter delinquunt, quia contra præceptum Ecclesiæ in re graui operantur, si portionem redundantem in solitas pauperum necessitates non elargiantur, cùm hæc sit ad substantiam pauperum derelicta. hæc assertio colligitur apertè ex doctrina D. Th. 2. 2. *quæst. 87. art. 3. ad 1.* vbi ait in noua lege decimas dari Clericis, non solùm propter sui sustentationem, sed etiam vt ex eis subueniatur pauperibus, & est ferè communis omnium DD. vt refert Nauar. *de redd. quæst. 2. num. 2.* citans Couarr. *in cap. cùm in officijs, de testam.* Sotum *lib. 10. de iustitia quæst 4. art 3* videatur etiam Beia *part. 2. casuum, casu 23. vers. partem negantem*; Azor. *part. 2. institut. mor. lib. 7 cap. 8. dub. 2. §. mihi itaque*, Less. *lib. 2. de iustitia cap. 4. dub. 6. num. 47. vers. tertiò Clerici*, &c.

**VIII.** *Argumento in contrarium respondetur.*

Nec obstat ratio à principio adducta contra septimam & octauam assertionem, respondemus enim negando consequentiam. Non enim infallibiliter infertur, non possunt beneficiarij de bonis Ecclesiasticis testari; ergo non sunt domini, dum viuunt, prouentuum ex beneficiis obuenientium: quia potuit Ecclesia in certis actionibus illis vsum dominij impedire, sicut de facto prohibet ne condant testamentum, & hoc iure optimo, par est enim vt quod illis superest, relinquatur Ecclesiæ, vt hac ratione etiam arceantur à studio accumulandi, & vt in vita, quod illis superest, in pauperes, & vsus pios erogent. Est exemplum ad hoc explicandum optimum, Hæres fit quidem dominus hæreditatis suæ fidei commissæ, sed ea lege, vt eam in morte alienare non possit, aut alteri relinquere, nisi ei, quem testator elegerit. *l. deducta, §. vlt. & l. quidam §. si quis, ff. ad SC. Trebellianum.* Ita, &c. Saluo semper meliori Iudicio.

Sed contra septimam, & octauam positas assertiones vrget adhuc argumentum. nam in variis Decretis sacrorum canonum habetur beneficiarios non esse dominos, sed dispensatores bonorum Ecclesiasticorum. vt 16. *quæst. 1. can. decima, & 23. quæst. 7. can. quod autem, & extra de donationibus, cap* 2. ergo, &c. Respondetur cum Valentia *tom. 3. disp. 10. quæst. 3. de statu Episcoporum, puncto 7. vers. quod item quartò*, &c. Ecclesiasticos in Decretis dici non dominos, sed dispensatores, id intelligendum est de bonis Ecclesiæ, aut immobilibus, in quibus numerantur beneficia Ecclesiastica, non autem de redditibus præbendarum, & de prouentibus sibi obuenientibus ex beneficiis; vel certè significant ij canones non ita Ecclesiasticos esse absolutè dominos, vt liberi sint à strictissima obligatione misericordiæ præcepto Ecclesiæ illis imposita erogandi superflua congruæ eorum sustentationi in vsus pauperum.

---

## Articvlvs VII.

### An sit peccatum mortale obtinere plura beneficia sine cura animarum, absque dispensatione summi Pontificis.

*Svmmarivm.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Resoluitur dubitatio.*
3. *An possint obtineri plura beneficia requirentia residentiam, etiam auctoritate Sum. Pontificis.*
4. *Declaratur, an Sum. Pontifex possit dispensare super his, quæ sunt de iure diuino.*
5. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, An consuetudo possit conualidare retentionem plurium beneficiorum cum cura.*

**I.** *Pars negatiua probatur.*

Qvia consuetudine iam est inducta pluralitas beneficiorum, cùm tantùm iure canonico sit prohibita; sed contra ius canonicum positiuum præualet aliquando

aliquando consuetudo. ergo nullum erit peccatum plura beneficia obtinere, si consuetudine sit iam introducta pluralitas beneficiorum: & ita hanc sententiam docet Innocentius *in cap. cùm ad monasterium, de statu Monachorum.* vbi ait, si Papa duo beneficia etiam curam animarum habentia solo nutu, & voluntate in vnum Clericum conferat, ratam, & firmam esse adeptionem: hoc autem sensit, quia pluralitatem beneficiorum putat tantùm esse canonico iure interdictam. Ita etiam refert Azor. *part. 2. instit. moral. lib. 6. cap. 12. dub. 7.*

## II. *Resoluitur dubitatio.*

Dico primò, iure communi Clerico non licet duo, aut plura beneficia simul obtinere, etiam simplicia, & quæ assiduam beneficiarij præsentiam non postulant, quando vnum beneficium illorum sufficit ad Clericum honestè, & commodè sustentandum. sic glossa *in cap. dudum el 2. de electione, verbo retinere*, vbi ait, *Qui habet plura beneficia, quorum alterum per se sufficit, non potest sine peccato mortali retinere aliud, sed dispensatio reddit licitum quod erat illicitum.* Glossam sequitur Syl. *verb. Beneficium 4. num. 2.* Beia *part. 1. casuum, casu 19. vers. Concludo igitur*, quo loco infert non posse Confessarium absoluere habentem plura beneficia simplicia, quorum vnum sufficit ad honestè, decentérque viuendum, nisi vel renunciet, vel postulet à summo Pontifice dispensationem: hanc conclusionem docet apertè sacrum Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 17. de Reform.* vbi absolutè prohibet plura beneficia etiam compatibilia vltra id, vel ea, quæ sufficiunt honestæ, ac decenti vitæ sustentationi.

Dico secundò, quamuis sacri canones antiqui, & nouissimi prohibeant, quo minus quis duo beneficia simplicia simul obtineat quando vnum vitæ sufficit, etiamsi assiduam beneficiarij præsentiam non postulent; consuetudine tamen eos canones esse abrogatos, & licere Clerico duo, vel plura beneficia simplicia assiduam beneficiarij residentiam non requirentia, etiamsi vnum illorum sufficiat ad eum commodè, & honestè sustentandum, fatentur multi DD. videndi apud Azor. *part. 2. instit. moral. lib. 6. c. 10. dub. 2.* quorum sententiam ipse censet esse probabilem. Ratio huius assertionis est, quam adducit Valentia sustinens hanc sententiam *tom. 3. disp. 5. quæst. 7. de assertione personarum, puncto 2. vers. Quartò quæritur, assertione 4. fol. 957. mihi.* Nam horum beneficiorum simplicium assiduam non requirentium præsentiam pluralitas solo iure humano videtur esse prohibita. ergo per consuetudinem contrariam potuit hoc ius humanum abrogari.

Et ita probabilissimè sentit Sotus *lib. 3. de iust. q. 6. art. 3. concl. 4.* Idem docet Salon. *2. 2. quæst. 63. art. 2. controuers. 5. concl. 3.* in huiusmodi beneficiis obtinendis non esse opus aliqua dispensatione, quia, inquit Sotus, vbi residentia non est requisita, ibi Ecclesia non læditur ob præbendarum pluralitatem, tum quia in istis beneficiis, quæ assiduam præsentiam beneficiarij non postulant, licèt, ait Sotus, sit habendus oculus ad iustitiam distributiuam, potissimum tamen ad commutatiuam, per quam Ecclesiis de ministris prouidendum est.

Et ad Concilium Tridentinum sustinentes hanc opinionem respondere possent, quòd consuetudo contraria contra ius humanum excusationem dat, videmus enim passim huiusmodi pluralitatem beneficiorum in vnam personam coaceruari etiam ab inferioribus Prælatis sine vlla dispensatione, licèt nulla interueniat ratio. ita Sotus *loco allegato ad finem 4. assertionis*, cui consentit Valentia nuper adductus *concl. 4.* Filliuc. *tom. 3. de beneficijs Eccl. tract. 41. cap. 7. quæst. 1. n. 4.* adducens multos DD. & inter alios Cardinalem *in cap. gratia, de rescriptis n. 12. in 6.* asserentem hanc consuetudinem summum Pontificem scire & tolerare, & aliter dicendo totus mundus damnaretur.

Dico tertiò, vbi verò ius hoc humanum viget plura beneficia simplicia non obtinendi, quorum vnum ad congruam vitæ sustentationem sufficit, dispensatio summi Pontificis est necessaria, non tamen sufficit Episcopi, cùm is non habeat facultatem dispensandi in his, quæ sunt de iure communi positiuo: quæ quidem securum redderet in conscientia eum, cui plura darentur, quamuis non subesset legitima causa; quia dispensans sine causa in iure humano, quod ipse condidit, non peccat, condentis enim ius est illud destruere; sic etiam dispensatus in tali iure redditur tutus in conscientia. Ita docet Syl. *verb. Dispensatio, quæst. 3. num. 5.* videatur etiam Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 18. num. 2.* citans multos DD. asserentes summum Pontificem dispensantem in propriis legibus non peccare, etiam causa legitima deficiente, neque vtentes tali dispensatione, culpam admittere, *num. 10. eiusdem disp.* licèt alij, & multi quidem asserant, quòd summus Pontifex peccet in suis legibus dispensando, non extante rationabili causa, & similiter vtentes tali dispensatione, vt videre est apud eundem Sanchez *num. 3. & 11. eiusdem disputationis.* vide Valentiam *loco* nuper *adducto post quartam conclusionem.*

## Dubitatio I.

### III. *An possint obtineri plura beneficia requirentia residentiam, etiam auctoritate summi Pontificis?*

Dico quartò, plura beneficia requirentia residentiam, etiam non habentia curam animarum, vt sunt Canonicatus, dignitates in Ecclesiis, &c. nullo modo possunt conferri, vel obtineri sine Pontificis dispensatione, & causa legitima, adeò, vt si desit iusta causa dispensationis, qui ea obtinet non sit tutus in conscientia. Probatur, quia summus Pontifex non habet potestatem conferendi huiusmodi beneficia, cum detrimento Ecclesiæ, sed in eius vtilitatem, cùm non sit dominus beneficiorum, sed dispensator. At si plura beneficia postulantia assiduam beneficiarij præsentiam conferrentur absque iusta causa vni & eidem, hoc fieret in maximum Ecclesiæ detrimentum, & contra ius naturale, priuaretur enim Ecclesia ministris sibi debitis. ergo Pontifex dispensando sine legitima causa grauiter delinquit, & obtinens pluralitatem talium beneficiorum non est tutus in conscientia. Ita bene Sotus *concl. 5. 6. & 7. lib. 3. de iust. q. 6. art. 3.* quem sequitur Valent. *loco adducto assertione 3.*

Dico quintò, beneficia similiter sacerdotalia, quę in animarum curam sunt instituta, vt Parœciæ, Episcopatus, &c. vsque adeò non possunt absque legitima dispensatione ab eadem persona obtineri, vt si legitima non fuerit, nequeant tutò in foro conscientiæ apud Deum possideri. Probatur, quia beneficia curam habentia animarum rectè nequeunt administrari sine præsentia, imò in istis residentia est de iure diuino; sed nemo potest simul residere in pluribus Ecclesiis. ergo sine vrgentissima causa, eadémque Ecclesiæ necessaria, non potest citra atrocem culpam super hoc dispensari, & sic malè dispensatus in foro exteriori, non est tutus in conscientia. Ita præclarè D. Thom. *quodl. 9. art. 15.* Sotus citatus, Caiet. *in summa verb. beneficium*, & alij communiter, paucis exceptis

exceptis cum Innocentio *in cap. cùm ad Monasterium, de statu Monachorum.*

Dico sextò, plura beneficia etiam curam animarum habentia possunt vni, & eidem conferri maxima,& vrgentissima causa existente, eadémque Ecclesiæ necessaria. Probatur, quia habere plura beneficia, non est ita malum, quin propter necessitatem vrgentem Ecclesiæ necessariam possit contingere, vt hoc expediat bono communi. ergo poterit esse licitum aliquando secundùm ordinem iustitiæ distributiuæ vt vni, & eidem plura beneficia etiam annexam curam animarum habentia conferantur. Ita optimè D.Thom. *quodlib. quæst. cit. art. 15.* videantur etiam DD. cit. Casus autem, in quibus hoc licebit, assignantur à Magistro Soto *lib. 3. de iustitia quæst. 6 art. 3.*

## DVBITATIO II.

IV. *An summus Pontifex possit dispensare super his, quæ sunt de iure diuino?*

Sed contrà, in beneficiis curam animarum habentibus residentia est de iure diuino: sed Papa non potest dispensare in his, quæ sunt de iure diuino, inferior enim non potest in his, quæ sunt superioris potestatis; ergo plura beneficia incompossibilia quo ad residentiam, qualia sunt curam animarum habentia, vni & eidem conferri non poterunt, cùm Papa in hoc dispensare non possit. Respondetur quòd licèt Papa non possit propriè vt agens principale dispensare in his, quæ sunt iuris diuini, tollendo sua auctoritate vinculum; impropriè tamen ministerialiter, & instrumentaliter, tanquam videlicet is, cui Christus Dominus tradidit facultatem declarandi illud cessare si subsit rationabilis, & legitima causa, potest hoc modo dispensare, sicut etiam dispensat in votis, & iuramentis, quorum obligatio est de iure diuino, declarando scil. illa cessare subsistente legitima causa: vide Valentiam *tom. 3. disp. 10. quæst. 3. de statu Episcoporum, puncto 5. fine ad 7. argumentum.*

V. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

## DVBITATIO III.

*An consuetudo possit conualidare retentionem plurium beneficiorum cum cura?*

Ad auctoritatem Innocentij à principio positam, respondetur cum Magistro Soto *lib. 3. de iustitia quæst. 6. art. 3. concl. 5.* numquam consuetudine fuisse introductum, vt vni, & eidem personæ absque dispensatione & legitima causa plura beneficia, quæ assiduam postulant beneficiatij præsentiam, conferantur, neque potest hæc consuetudo introduci, cùm hoc sit contra ius naturæ, & diuinum, quod nulla consuetudine potest abrogari, vt docet optimè D.Th. *quodlib. 9. cit. art. 15.* quod si præualeret, potiùs corruptelæ, & abusui esset tribuendum. Vnde Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 17. de Reformatione*, vocat pluralitatem beneficiorum requirentium maximè residentiam, peruersionem totius Ordinis Ecclesiastici, & antea Alexander III. dixerat pluralitatem beneficiorum certum continere animarum periculum, & Ioannes XXII. *in Extrauag. Execrabilis*, decem incommoda refert ex beneficiorum pluralitate, &c. Saluo semper meliori iudicio.

## ARTICVLVS VIII.

## An collator beneficiorum si conferat indigno, prætermisso digno, vel digniore, teneatur damnum quod intulit resarcire digno, vel digniori?

### SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Explicatur quid sit iustitia distributiua & cõmutatiua.*
3. *An conferens beneficium indigno peccet contra iustitiam distributiuam.*
4. *An peccet conferens beneficium digno, prætermisso digniore, si beneficia per concursum conferantur.*
5. *Ad quid teneatur indignus cui beneficium collatum est, & an ad aliquid teneatur dignus quando propter ipsum est relictus dignior.*
6. *Rationi in contrarium respondetur.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

QVia dignus, vel dignior prætermissus passus est aliquam iniuriam, quandoquidem debebat eligi ad beneficium ex iustitia distributiua, & est prætermissus; ergo debet ei hæc iniuria aliqua compensatione resarciri: & ita hanc sententiam tenuit Caiet. 2. 2. *quæst. 62. art. 2. ad 3. dubium, §. ad euidentiam*, Salon. 2. 2. *quæst. 63. art. 2. controuers. 3. concl. 3. tom. 1. fol. 370. mihi.*

## DVBITATIO I.

II. *Quid sit iustitia distributiua, & commutatiua?*

Dico primò, iustitia distributiua est virtus, per quã seruatur æqualitas inter proportionem meritorum,& proportionem præmij in distributione præmiorum, vel bonorum communium; iustitia verò commutatiua est virtus, per quam seruatur æqualitas inter rem, & inter personas priuatas. D. Th. 2. 2. *quæst. 61. art. 1.* videatur etiam Sayr. *in Claui lib. 10. cap. 1. num. 4. dub. 1.*

## DVBITATIO II.

III. *An conferens beneficium indigno peccet contra iustitiam distributiuam?*

Dico secundò, qui eligit indignum ad beneficium Ecclesiasticum, peccat contra iustitiam distributiuam, & restituere debet Ecclesiæ, cui eum præficit, tantum, quantum satis est ad resarciendum damnum, si quid Ecclesia incurrit ob indignitatem talis ministri. Probatur hæc assertio quo ad secundam partem; nam prima est manifesta, qui indignum Ecclesiæ præficit, eo ipso est causa damni Reipublicæ in hoc consistentis, quòd frustrà, & eâ inuita rationabiliter confert stipendium tali ministro, quia nec vult, nec velle tenetur date stipendia nisi digno ministro; ergo tenetur damnum ei resarcire, restituendo illi stipendium. Nam qui causam damni dat, damnum fecisse videtur, *c. vlt. de iniurijs.* Bannes 2. 2. q. 63. *art. 4. dub. 2. concl. 5.*

## DVBITATIO III.

IV. *An peccet conferens beneficium digno, prætermisso digniore, si beneficia per concursum conferantur?*

Dico tertiò, quando Prælatus confert beneficium digno, prætermisso digniore, non tenetur aliquid Ecclesiæ restituere: quia Ecclesia tantum digno tribuit

buit, quantum illi pro ministerio suo debetur; ergo tunc nihil ab Ecclesia aufertur. Valent. *tom. 3. disp. 5. q. 7. punct. 1. assert. 2. fol. 961. mihi.*

Dico quartò, in beneficiis, quæ debent dari in concursu per oppositionem, omittere digniorem est peccatum mortale, & conferens minus digno tenetur facere restitutionem digniori arbitrio prudentum, si tamen manifestè, & notabiliter dignior sit. nam si paruus tantummodo sit excessus, non induit obligationem. Quòd peccet mortaliter tunc conferens, probatur; quia apertè violat iustitiam distributiuam in re graui, cùm non respiciat merita in distributione bonorum communium, sed aliam personæ qualitatem: altera verò pars probatur, quia dignior examinatus, & magis idoneus aliis manifestè repertus habet ius strictum ad illud beneficium ex lege Concilij Tridentini *sess. 24. cap. 18. de Reform.* ergo fit ei propriè iniuria si reiiciatur; ergo collator tenetur ei ad damnum satisfaciendum. Bannes *loc. cit.* Salon. 2. 2. *q. 63. art. 2. controu. 3. concl. 4. fol. 370. mihi.* Nauar. *summ. cap. 17. n. 74.* Less. *lib. 2. de iust. c. 34. dub. 15. n. 75.* Fillius *tom. 3. de benef. Ecclesiasticis, c. 4. quæst. 10. n. 181.*

Dico quintò, in aliis verò beneficiis, quæ per oppositionem non conferuntur, si collator omisso digniori conferat beneficium idoneo, probabilius est quòd non teneatur ad restitutionem. Probatur, quia non Ecclesiæ, cùm non sit damno affecta, si electus ad beneficium sit dignus; neque digniori, quia tunc dignior non habet ius strictum ad tale beneficium, sed largum, quatenus aptior est, consequenter non fit ei propriè iniuria: tum, quia ista beneficia sunt instituta principaliter propter seruitium Ecclesiæ, & non propter eos, qui seruituri sunt; ergo dignior ad ista beneficia, quæ sine concursu conferuntur, nullum habet ius strictum, nisi largum, & remotum, &c. Ita bene Sotus *lib. 4. de iustitia, quæst. 6. art. 3. ad sextum.* Nauarr. *summa cap. 17. num. 71.* Confirmatur, quia dignus, vel dignior ex eo quòd beneficium sine concursu conferendum fuit collatum etiam indigno, non incurrit aliquod damnum amittendo aliquid suum, quia beneficium collatum indigno nunquam fuit digni, nec dignioris, vt patet, neque etiam quia prætermissus sit dignus, vel dignior amisit suæ personæ dignitatem. ergo collator conferens beneficium sine concursu conferendum, non tenetur aliquid digno, vel digniori restituere, sed Ecclesiæ, quæ damnum passa est: videatur præter auctores citatos pro hac conclusione Valentia allegatus *eodem loco assertione 3.* Less. *vbi suprà num. 72.* Nauarr. *tom. 2. consil. lib. 5. de simonia, consil. 8. num. 2.*

DVBITATIO IV. & V.

V. *Ad quid teneatur indignus cui beneficium collatum est? &, An ad aliquid teneatur dignus, quando propter ipsum est relictus dignior?*

Dico sextò, ne dum collator conferens beneficium Ecclesiasticum indigno, tenetur damnum Ecclesiæ compensare, quæ illud est passa, sed etiam indignus electus, vel dimittendo beneficium, vel adiutorem aliquem idoneum sibi adsciscendu, quod ni fecerit, ipse electus, primò qui sibi procurauit beneficium, cùm sciret se minus idoneum, damna, quibus est Ecclesia affecta, resarcire tenetur, secundò collator, tertiò cooperatores: videatur Azor. *p. 2. lib. 6. c. 15. dub. 15.*

Dico septimò, dignus in sui electione consentiens, cùm competitor magis idoneus omittitur, nó peccat, quoniam ipsius non est expendere, peccet ne electores eligendo, similiter dignus tuta conscientia in petitione beneficij cum digniore cócurrit, quia ipsius non est sua merita discutere, & diiudicare, sed electorum. Azor. *loc. cit. dub. 13. & 14.* Quamuis alij de hoc dubitent: quoniam petit, inquiunt, quod digniori debetur, & impedit ne beneficium dignior assequatur.

VI. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

Ad rationem in contrarium, quatenus militat contra nostram primam assertionem, respondetur negando consequentiam. Nam licèt prætermissus dignior patiatur aliquam iniuriam, ea tamen non est talis ex qua oriatur restituendi ei obligatio, cùm nihil quod suum erat amittat, est exemplum ad hoc explicandum: Pauper existens in graui necessitate, cui diues hic, & nunc debet ex misericordia conferre eleemosynam, patitur quidem aliquam iniuriam hoc ipso, quòd diues non confert ei aliquam eleemosynam, sed tamen non tenetur diues illi postea restituere quod non dedit, sed tantùm quando iterum tempus obligationis occurrit, tenebitur ex præcepto affirmatiuo ei eleemosynam erogare: sic in proposito superior, qui non contulit digniori beneficium sine concursu conferendum, non incurrit obligationem restituendi id, quod non est illi datum, cùm nullum ius ad beneficium strictum habuerit, vt suprà diximus; tenebitur tamen superior ex præcepto affirmatiuo institiç distributiuæ, ei præbendam præbere, quando iterum tempus distributionis occurret; si tamen dignior aliis ipse repertus fuerit. Saluo semper meliori iudicio.

## ARTICVLVS IX.

## An in distributione beneficiorum sit absolutè necessarium eligere digniorem; an verò satis sit eligere dignum?

*SVMMARIVM.*

1. *Probatur sufficere, vt eligatur dignus.*
2. *Veritas aperitur, explicando qui censeatur dignior ad beneficium.*
3. *Resoluitur dubitatio.*
4. *An liceat conferre beneficia simplicia dignis, relictis dignioribus.*
5. *An satis sit in electionibus ad officia Ecclesiastica eligere virum probum simpliciter, vel eligi debeat melior.*
6. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

I. *Probatur sufficere, vt eligatur dignus.*

NAm iura antiqua, & noua solùm requirunt, vt beneficia conferantur dignis: nam Concil. Trid. *sess. 7. c. 3. de Reform.* solùm requirit, vt beneficia curata dignis conferantur, & citat constitutionem Alexandri III. & Gregorij IX. in quibus id ipsum statuitur, &c. & ita hanc sententiam tenere videtur gloss. *c. licet ergo 8. q. 1. verbo, qui præstantior,* & Alexander Alens. *p. 2. q. 119. n. 2. 3.* sentit non peccare saltem lethaliter, qui dignum eligit, dimisso digniori, si beneficium, ad quod eligitur dignus, curã annexam animarum non habeat

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

DVBITATIO I.

*Qui censeatur dignior ad be-ficium?*

Dico primò, dignio- -teris ad beneficium ille diiudicandus est, -ratione habita præfecturæ, ad quam



assumi

assumitur, doctior, sanctior, vtilior, & aptior est, & quamuis absolutè alius eo peritior, & melior inueniatur; tamen si sit vtilior & aptior ad beneficium ad quod eligitur, dicitur dignior: quia hæc dignitas in ordine ad beneficium ad quod assumitur est attendenda. ergo ille reputabitur, & erit dignior, qui vtilior, & aptior erit ad munia exercenda officij, seu beneficij, ad quod assumitur. videatur D. Th. s. 2. *quæst.* 63. *art.* 5. *ad* 3. *& quodlib.* 6. *art.* 9.

### III. *Resoluitur dubitatio.*

Dico secundò, quod attinet ad Ius externum, vt sit valida electio, & collatio, id est, vt verè ius beneficij beneficiario conferatur, satis est eligere dignum: nam aliàs magna in Ecclesiis, & beneficiariis orietur perturbatio. ita D. Th. *loc. cit. ad* 3. *argumentum*; & est expressus textus *cap. cùm dilectus, de elect.*

Dico tertiò, in foro conscientiæ collatores semper tenentur quantum in ipsis est vt dignioribus beneficia conferantur, qui sunt in promptu, præcipuè si beneficia curam animarum habeant, etsi in concursu, & per oppositionem conferantur, vnde omittere digniores in talibus beneficiis, semper est peccatum mortale: hæc conclusio habetur expressè ex sacro Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 1. *de Reformatione.* Mortaliter peccare, inquit sacrum Concilium, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles ipsi iudicauerint, præfici diligenter curauerint. Ratione probatur, quia qui omittit digniorem in talibus beneficiis conferendis, facit in re graui contra fidelitatem Ecclesiæ, quam illi ex officio debet, iuxta illud Matth. 14. *Quis putas, est fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* Sed violare fidem in re graui est p. m. ergo, &c. Confirmatur. nam beneficia primariò sunt instituta ad cultum Dei, & Ecclesiæ vtilitatem: secundariò vt sint præmia virtutum, quibus digniores in Ecclesia honorentur, & inuentur; sed contra vtrumque finem est, si digniores, & Ecclesiæ vtiliores omittantur, & in his conferendis spectetur consanguinitas, priuata amicitia, aut commendatio potentium. ergo, &c. & ita hanc doctrinam docuit D. Th. 2. s. *cit. quæst.* 63. *art.* 2. *ad* 3. *& ad* 1. vbi assignat rationem, quia Prælatus Ecclesiasticus non est dominus beneficiorum, etiam summus Pontifex. addit ibi Caiet. *verbo Dispensator,* secundùm illud 1. Corinth. 4. *Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei.* ergo si in his conferendis minus dignos præfert dignioribus, committit in re graui peccatum acceptionis personarum, cùm dispensator ea conferre pro libito non possit, sed pro meritis dignioribus debeantur: facit pro hac assertione *cap. vnicum, tit. vt Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.* Vbi Innocentius III. inter cætera sic ait. *Non ex affectu carnali, sed discreto iudicio debuisti Ecclesiasticum officium in personam magis idoneam dispensare,* &c. Sotus idem tenet *lib.* 3. *de iustitia quæst.* 6. *concl.* 9. *art.* 2. Bannes s. 2. *quæst.* 63. *art.* 2. *dub.* 3. *concl.* 2.

## DVBITATIO II.

### IV. *An liceat conferre beneficia simplicia dignis, relictis dignioribus?*

Dico quartò, probabile est asserere in beneficiis simplicibus, vt in Canonicatibus, Capellaniis, &c. semel aut bis eligere dignum, prætermisso digniore, non esse peccatum mortiferum, semper tamen est falsem peccatum [illegible] digniores prætermittere; quia quod semel, vel ite[illegible] dignior prætermittatur in huiusmodi beneficiis, non [illegible] notabile incommodum, aut notabilis iniuria in [illegible]lesiam, sed leuis, vel modica. ergo, &c. & ita hanc sententiam tenuit Aragon. 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 5. Angelus *verb. electio, n.* 21. Gabriel *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 7. *art.* 3. *dub.* 1. Less. *lib.* 2. *de iustitia cap.* 34. *dub.* 14. *num.* 66.

Sed contrà vrget argumentum. nam etiam in his beneficiis conferendis fit iniuria dignioribus, si ipsis prætermissis dentur dignis contra legem iustitiæ distributiuæ, quod est peccatum mortale ex genere suo, vt docet D. Th. 2. 2. *quæst.* 59. *art.* 4. fit enim contra fidem Ecclesiæ, quam dispensator beneficiorum illi ex officio seruare debet, eligendo ad ea digniores. ergo, &c.

Respondetur quòd propriè non fit iniuria dignioribus, quando beneficium est simplex, neque confertur per oppositionem, & in concursu. non enim est ei debitum tale beneficium stricto iure, sed solùm largo, quod consistit in maiore aptitudine, & proportione ipsius dignioris ad beneficium. hoc autem ius violare non est per se peccatum mortiferum; neque violatio iustitiæ distributiuæ semper est peccatum lethale, nisi redundet in violationem iustitiæ commutatiuæ, neque grauiter læditur Ecclesia semel, vel iterum eligendo ad talia beneficia dignum, prætermisso digniore, quia Ecclesia non videtur damno affecta quando verè est dignus, & vtilis, qui eligitur ad beneficium; & quamuis collator faciat contra fidelitatem Ecclesiæ, non conferendo beneficia sua dignioribus, cùm tamen semel, vel iterum conferre talia beneficia dignis, prætermissis dignioribus, sit res leuis, & modicitas rei in quocumque præcepto excuset à peccato mortifero. sequitur quòd non delinquat lethaliter, &c. videatur Syl. *verb. electio* 1. *quæst.* 16. *n.* 19. Less. *lib.* 2. *de iustitia cap.* 34. *dub.* 14. *num.* 67. vbi etiam, adducit Sotum pro hac sententia.

Dico quintò, sententiam, quæ censet satis esse conferre dignis beneficia, quæ non dantur in concursu, & per oppositionem, vt sunt Cardinalatus, Episcopatus, Abbatiæ, &c. asserit esse probabilem Filliucius *tom.* 3. *de beneficiis Ecclesiasticis tract.* 41. *c.* 4. *quæst.* 9. *num.* 181. mihi verò improbabilis videtur, quia in beneficiis magni momenti, vti sunt Cardinalatus, Episcopatus, prætermittere digniores, qui in promptu sunt, est facere contra fidelitatem Ecclesiæ, quam eis ex officio collator seruare debet, idque in re maximi momenti. ergo, qui omittit digniores, qui in promptu sunt, siue Papa, siue Episcopus, siue alius quicumque sit, peccat lethaliter, non enim sunt domini beneficiorum, sed œconomi; œconomi verò tenentur rem domini sui quantum commodè possunt, promouere. Ita D. Th. *loc. cit.* Syl. *verb. electio* 1. *q.* 16. *n.* 19. Bannes 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *dub.* 3. *concl.* 2. Sotus *lib.* 3. *de iustitia quæst.* 6. *art.* 2. Caiet. s. 2. *quæst.* 63. *art.* 5. hos sequitur Azor. *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 15. *dub.* 1.

Nota quod Bannes 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 2. *dub.* 5. asserit quòd communis sententia Episcoporum & etiam vsus tenet, quòd in beneficiis simplicibus licet eligere dignum, prætermisso digniore; ipse verò tenet oppositum, &c. inquiens, communis Episcoporum sententia in hac re, quia repugnat rationi, est abusus.

## DVBITATIO III.

### V. *An satis sit in electionibus ad officia Ecclesiastica eligere probum simpliciter, vel eligi debeat melior?*

Dico sextò, licèt sit necessarium eligere ad prælationem, vel officium Ecclesiasticum bonum simpliciter, qui scilicet sit in charitate, peccatum enim mortiferum reddit hominem indignum ad quodlibet spirituale

tuale exequendum, non tamen oportet eligere simpliciter meliorem, cum scilicet, qui est perfectior in charitate, sed illum, qui sit melior ad illud officium, ad quod eligitur. nam ei, qui est simpliciter melior in charitate, scilicet perfectior, possunt multa deficere, quæ requiruntur ad hoc, quòd aliquis sit Prælatus idoneus, quæ in alio qui est minoris charitatis, inueniuntur, vt est scientia, industria, potentia, & alia. ergo, &c. Ita præclarè D.Thom. *quodl.8.art.6.*

VI. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

Ad auctoritatem sacri Concilij Tridentini adductam à principio, respondetur: Concilium, dum inquit, *beneficia curata dignis conferantur*, solum hoc requirit, non vt collatio sit sine peccato, sed vt non sit irritanda in foro externo, vt patet ex verbis sequentibus. *Alitèr*, ait Concilium, *facta collatio omnino irritatur.* Ita D. Thom. explicat alias antiquiores Decretales, dum habent, sufficere eligere bonum, nec requiritur, quòd dignior eligatur. Respondet D.Thom. *quodl. cit.8. art. 6. post solutionem ad quintum argumentum*, quòd non loquuntur quantum ad forum conscientiæ, sed quantum ad forum contentiosum, in quo non reprobatur electio ea hoc quòd potest aliquis alius magis idoneus inueniri, dummodo ille, qui eligitur, idoneus sit, aliàs omnis electio calumniam pateretur. hactenus D.Thom. Eodem modo intelligi possunt quidam Canonistæ, dum dicunt sufficere vt eligatur idoneus. Ita bene Sotus *lib. 5. de iustitia, quæst.6. art. 2. post nonam conclusionem.* Saluo semper meliori iudicio.

---

## ARTICVLVS X.

## An irregulares sint beneficiorum capaces?

### SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, & explicatur, An sint incapaces beneficiorum, fœminæ, hermaphroditi, Neophyti, infantes, amentes, & primam tonsuram non habentes, vel illam ab alieno Episcopo accipientes.*
3. *An beneficium possit conferri habentibus defectum natalium, vel legitimatis per subsequens matrimonium, vbi explicatur quomodo filius per subsequens matrimonium fiat legitimus.*
4. *An quando Pontifex dispensat vt celebretur matrimonium quod ante contractum fuit inualidum, per talem dispensationem filij efficiantur legitimi? & An nati post obtentam dispensationem sint legitimi, licèt dispensatio non fuerit ab Ordinario expedita.*
5. *An sint habiles ad Ordines, & beneficia filij nati ex matrimonio contracto cum impedimento dirimente, vel nati ex matrimonio clandestino, vbi explicatur quid sit matrimonium clandestinum.*
6. *An bigami sint capaces beneficiorum, & cum illis possit Episcopus dispensare, & an fiant idonei ad Ordines per professionem Religionis.*
7. *Deciditur dubitatio.*
8. *An irregularitas contracta post obtentum beneficium priuet beneficiarium beneficio, ipso iure.*
9. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

Nam is, cui abscissi sunt duo digiti, & pars manus, est irregularis ex defectu corporis; sed huic conferri potest beneficium saltem simplex, quamuis non curatum. ergo, &c. Maior patet; minor verò apertè colligitur ex *cap. Presbyterum, de Clerico ægrotante, vel debilitato*, & docet eam expressè Nauarr. *in summ. c.27. n.252.* & multi alij, vt statim dicemus.

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

### DVBITATIO I.

*Ad sint incapaces beneficiorum fœmina, hermaphroditi, Neophyti, infantes, amentes, & primam tonsuram non habentes, vel illam ab alieno Episcopo accipientes?*

Dico primò, fœmina non est capax beneficij Ecclesiastici, non quia est irregularis, quia non est subiectum capax irregularitatis, sed quia non est capax Ordinis: nam sexus virilis de necessitate Sacramenti ad susceptionem Ordinum requiritur, vnde si mulieri exhibeantur, quæ in Ordinibus fiunt, Ordinem non suscepit, vt docet D.Thom. *in addit. ad 3. part. quæst.39. art.1.* Sed beneficium datur propter officium clericale. *cap. vlt. de rescriptis in 6.* ergo cùm mulier non sit capax Ordinis, neque beneficij, quia inhabilis ad vnum, inhabilis etiam censetur ad ei necessarium annexum. arg. *cap. translato, de constitut.*

Dico secundò, hermaphroditi, in quibus fœmineus sexus præualet, vel est par, sunt iure diuino incapaces beneficiorum, quia tales sunt etiam incapaces Ordinum: in quibus verò præualet masculinus sexus, non sunt iure diuino incapaces, sed tantùm iure Canonico, quia tanquam infames habentur in iure. 3. *quæst.3. cap. si testes*, & sic non possunt ordinari, nec eis conferri beneficium propter monstruositatem, arg. 35. *dist cap. illiteratos*; si tamen ordinarentur, susciperent Ordinis characterem, si præualet sexus virilis. Syl. *verb. Hermaphroditus.* Azor. *part. 2. lib.6. cap.2. dub.3.*

Dico tertiò, Neophytus, id est, recèns conuersus ad fidem Christi, iure Canonico ineptus est ad Ordines, *cap. Neophytus dist.61.* & proinde ad beneficium promoueri non potest. Item amentes, similiter infantes, ad beneficium euehi non possunt, quia beneficium datur propter officium, *cap. vlt. de rescriptis 6.* Si tamen ordinarentur, characterem reciperent; quia vsus rationis non necessitate Sacramenti, sed præcepti requiritur. Sotus *in 4. dist.25. quæst.1. art.2.* etenim masculus baptizatus est subiectum capax Ordinis, quamuis sit infans carens vsu rationis, aut insanus, aut hæreticus: videatur *cap. vnicum, extrà de his qui per saltum ordinantur*, D.Thom. *in addit. ad 3. part quæst.39. art.2.* Nugnus *in 3. part. tom.2. q.39. a.2.* Nam vsus rationis videtur necessarius in suscipientibus Sacramenta, quæ consistunt in aliquo actu ipsius suscipientis, non tam est necessarius in suscipiente Sacramenta, per quæ datur aliqua potestas, quę est prior actu. Vide Bonacinam *tom.1. tract. de Sacramentis, disp.8. q vnica, puncto 1. n.1.* Similiter hi, qui nondum sunt prima tonsura donati, iure Canonico prohibentur à beneficiis, vt patet ex *cap. ex litteris, de transactionibus*; dispensatione tamen Pontificis posset non Clericus beneficium Ecclesiasticum recipere. Item non est rata & firma beneficij adeptio, & impetratio, si Titius hodie beneficium consequatur, si non sit prima tonsura donatus, etiamsi cras certò eam suscipiet. Azor. *part.2. lib.6. cap.2. dub.5.* Item suscipiens primam tonsuram, siue minores Ordines ab alieno Episcopo sine sui Episcopi consensu, est ineptus ad beneficia. Nauarr. *lib.1. de temporibus ordinat. tom.1. consiliorum, consil.29. ad finem.*

DVBITATIO II. & III.

III. *An beneficium possit conferre habentibus defectum natalium, & legitimatis per subsequens matrimonium, ubi explicatur, quomodo filius per subsequens matrimonium fiat legitimus?*

Dico quartò, qui patiuntur defectum natalium, prohibiti sunt habere beneficia, quia sunt irregulares, ex Concilio Tridentino *sess.* 23. *cap.* 5. *de Reform.* Per dispensationem tamen Episcopi illegitimi possunt recipere minores Ordines, & beneficium simplex, ex *cap.* 1. *de filijs Presbyterorum in* 6. Non tamen eo ipso, quòd ei per dispensationem Episcopi conceditur, vt possit initiari prima tonsura, & minoribus Ordinibus fit habilis ad beneficia simplicia, quia solutus vna lege, non videtur alia solui. *cap. personalis, de prebendis.*

Dico quintò, ad beneficium promoueri potest illegitimus, si tamen subsequens matrimonium legitimis natalibus fuerit testitutus, etsi matrimonium fuerit tantùm ratum: quia ratum est verum matrimonium, *cap. conquestus, qui filij sint legitimi.* requiritur autem quòd tempore conceptionis, vel natiuitatis parentes potuissent contrahere: quamuis alij dicant, solùm esse considerandum non tempus natiuitatis, sed conceptionis: vide Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 7. *n.* 19. Sayr. *lib.* 6 *de censcap.* 10. *n.* 29.

Dico sextò, filius illegitimus fit legitimus per subsequens matrimonium, etiamsi post filium conceptum pater contrahat matrimonium cum alia fœmina, vel è conuerso, qua mortua contrahat secundum matrimonium cum fœmina, ex qua filium habuit, quia fit filius legitimus per matrimonium subsequens, quia tempore conceptionis, vel natiuitatis parentes erant habiles ad contrahendum. ergo si tempore conceptionis parentes erant habiles ad matrimonium, licèt tempore natiuitatis sint impediti ad contrahendum, filius fiet legitimus si mortua prima vxore contrahat postea parens cum fœmina, ex qua illum procreauerat. Syl. *verb. Illegitimus, quæst.* 3. Sayr. *loco* nuper *allegato, num.* 19. & tunc erit habilis ad beneficia.

DVBITATIO IV. & V.

IV. *An quando Pontifex dispenset vt celebretur matrimonium, quod ante contractum fuit inualidum, per talem dispensationem filij, legitimi efficiantur? & An nati post obtentam dispensationem sint legitimi, licèt dispensatio non fuerit ab Ordinario expedita?*

Dico septimò, quando summus Pontifex dispensat, vt iterum celebretur matrimonium antè contractum, quod ob impedimentum dirimens fuit inualidum, filij nati ante dispensationem non efficiuntur legitimi post matrimonium subsequens celebratum post dispensationem pontificiam, nisi fiat mentio in dispensatione de legitimatione prolis, & consequenter hi erunt inhabiles ad Ordines, & beneficia, quia verè remanent illegitimi, tempore namque conceptionis, & natiuitatis ob impedimentum dirimens, non poterant horum parentes legitimum matrimonium contrahere. Tabiena *verb. filius, num.* 3. Sayr. *lib.* 6. *de censcap.* 10. Lopez 2. *part. instruct. cap.* 41. *col.* 2. *concl.* 8.

Dico octauò, si filius nascatur post dispensationem obtentam à Papa, filius erit naturalis, quamuis ab Ordinario dispensatio non fuisset expedita, & quamuis matrimonium non esset celebratum: quia ad hoc vt filij dicantur naturales, & efficiantur legitimi per subsequens matrimonium, satis est si tempore conceptionis, vel natiuitatis possit inter parentes celebrari matrimonium, iuxta *cap. tanta, qui filij sint legitimi.* tales igitur erunt habiles ad Ordines, & ad beneficia Ecclesiastica post subsequens matrimonium legitimi effecti: vide Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 7. *n.* 19.

Hic vnum obserua quòd iure Canonico omnes illi filij reputantur naturales, qui nati sunt ex parentibus, inter quos tempore conceptionis, vel natiuitatis nullum erat impedimentum dirimens. Videatur Less. *lib.* 2. *de iust. cap.* 19. *dub.* 6. *num.* 55.

DVBITATIO VI. & VII.

V. *An sint habiles ad Ordines & beneficia filij nati ex matrimonio contracto cum impedimento dirimente, vel nati ex matrimonio clandestino? vbi explicatur, Quod sit matrimonium clandestinum?*

Dico nonò, habilis ad Ordines, & beneficia Ecclesiastica, est filius progenitus ex matrimonio in facie Ecclesiæ celebrato bona fide, quamuis contrahentes essent inhabiles aliquo occulto impedimento dirimente ad contrahendum. *cap. peruenit, qui filij sint legitimi.* Imò filij sunt legitimi, si alter parentum bona fide contrahit, licèt alius sciat impedimentum. *cap. ex tenore, eod. tit.* & docet Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 42. *num.* 1.

Dico decimò, filius natus ex parentibus, qui in facie Ecclesiæ matrimonium contraxerunt, est reputandus legitimus, etsi postea declaretur matrimonium fuisse nullum, estque habilis ad recipiendos Ordines, & ad officia Ecclesiastica, & secularia. Quia in dubio non debet præsumi, quòd parentes contraxerint mala fide, & quòd saltim alter parens laborabat ignorata probabili. Suarez *tomo* 5. *de censuris, disp.* 50. *sect.* 4. *num.* 10.

Dico vndecimò, filij legitimi dicuntur, qui ex matrimonio clandestino procreantur post approbationem matrimonij, & consequenter habiles ad Ordines, & beneficia, quia approbatio retrotrahitur, & perinde est, ac si à principio matrimonium fuisset contractum in faciem Ecclesiæ. Armilla *verb. filius, num.* 14. Nomine autem matrimonij clandestini post Concilium Tridentinum intelligitur matrimonium, quod quamuis fuerit celebratum coram Parocho, & testibus, fuerunt tamen absque causa omissæ denuntiationes: non tamen dicitur matrimonium clandestinum, quando extante iusta causa ex Ordinarij licentia omittuntur, ex Concilio Tridentino *sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform. matrim.* vide Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 1. *n.* 7. & *disp.* 40. *num.* 70.

Dico duodecimò, si matrimonium clandestinum sit inualidum, bona fide tamen celebratum, si postea tale matrimonium ab Ecclesia approbetur, filij ante & post approbationem progeniti sunt habiles ad Ordines, & beneficia, quia filij ob matrimonium bona fide celebratum, & habitum vt legitimum, comparant sibi ius legitimationis, quamuis postea deregatur impedimentum dirimens. Syl. *verb. filius, quæst.* 8. *num.* 10.

Dico decimotertiò, filij verò procreati ex matrimonio clandestino bona fide inito, quod tamen propter impedimentum occultum sit inualidum, sunt

ſunt illegitimi, & inhabiles ad Ordines, & beneficia, niſi poſtea tale matrimonium ab Eccleſia approbetur. *cap. fin. de clandeſtina desponſatione*, §. *ſi quis verò*, quia omittentes diligentiam ad inquirendam veritatem, non ſunt in probabili ignorantia. Pro maiori harum trium vltimarum aſſertionum intelligentia,

Dico decimoquartò, matrimonium clandeſtinum tribus modis dici, vno modo cùm non habentur teſtes, *cap. quod nobis, de clandeſtina desponſatione*; ſecundò, cùm fit ſine ſolemnitate requiſita, 3. *quaſt.* 5. *can. aliter*; tertiò dicitur clandeſtinum ſi fit non præmiſſis in Eccleſia denunciationibus. *cap. cùm inhibitio, de clandeſtina desponſatione.* Ante Concilium Tridentinum matrimonia clandeſtina abſque Parocho, & teſtibus erant valida, quamuis prohibita: poſt verò Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de Reformatione matrimonÿ*, ſunt irrita, & ſola matrimonia coram legitimo & proprio Parocho, & duobus teſtibus celebrata, ſunt valida, licèt iſta ſi fiant abſque rationabili, & iuſta cauſa, omiſſis denunciationibus, dici poſſint clandeſtina, valida tamen, quia ſcilicet non fiunt publicè in conſpectu Eccleſiæ, imò clam, cùm denunciationes, & ſolemnitates ab Eccleſia requiſitæ, vt perfectè matrimonium publicetur, deſiderentur: vide pro hac re gloſſam *cap. vltimo, de clandeſtina deſponſatione, verb. Clandeſtina*, Sanchez *lib.* 3. *de matrim. diſp.* 1. *num.* 7. & 8. & *diſp.* 3. *num.* 2. *eodem lib.* 3.

## Dvbitatio VIII.

VI. *An bigami ſint capaces beneficiorum, & cum illis poßit Epiſcopus diſpenſare, & an fiant idonei ad Ordines per profeßionem Religionis?*

Dico decimoquintò, bigami beneficiorum capaces non ſunt, quoniam nequeunt ad Ordines promoueri, *cap.* 1. & 2. *de bigamis.* Epiſcopus tunc poteſt diſpenſare cum bigamis quantum ad Ordines minores. Syl. *verb. Bigamia, quaſt.* 7. & ſimiliter poterit idem Epiſcopus indulgere ex cauſa vt aliquod beneficium ſimplex habeant, vt docet Azor. *part.* 2 *inſtit moral. lib.* 6. *cap.* 4. *dub.* 11. Bigamus tamen per Religionis profeſſionem non fit aptus ad Ordines, cùm nullus ſit de hoc Canon in iure; quamuis aliqui affirment apud Azor. *dub.* 10. *loco* immediatè *citato.* Filliucius tamen *tom.* 3. *de beneficÿs Eccleſiaſticis, cap.* 5. *quaſ.* 2. *num.* 10. refert ſacram Concilij Tridentini Congregationem declaraſſe Epiſcopum non poſſe diſpenſare cum bigamo, neque ad Ordines minores; neque ad beneficium ſimplex, quòd ſi diſpenſet, peccat mortaliter, nec valet collatio.

VII. *Deciditur dubitatio.*

Dico decimoſextò, neque beneficium, neque penſionem clericalem conferri poſſe, & qui tempore collationis eſt irregularis; imò collatio ei facta eſt nulla, quia irregularis eſt ſuſpenſus ab officij, id eſt, Ordinis exequutione, cuius cauſa beneficium Eccleſiaſticum, & penſio clericalis datur. Lopez *part.* 2. *inſtruct. cap.* 22. *de irregul.* §. *igitur quia dictum eſt, fol.* 965. *col.* 1. *mihi.* Sayr *lib.* 2. *de cenſ. c.* 5. *num.* 3. & *lib.* 6. *c.* 2. *n.* 21. Nauar. *ſumm. c.* 27. *num.* 194. *verſ. ad quaſitum.* & *tom.* 2. *conſil. lib.* 5. *de ſimonia, conſil.* 40. *n.* 1. & *lib.* 5. *de homicidio, conſil.* 44. *num.* 3. vbi ſpeciatim aſſerit quòd de ſtylo curiæ irregularis eſt inhabilis ad penſionem clericalem. Azor. *lib.* 6. *cap.* 7. *dub.* 2. *part.* 2. *inſtit. mor.*

## Dvbitatio IX.

VIII. *An irregularitas contracta poſt obtentum beneficium priuet ipſo iure beneficio beneficiarium?*

Dico decimoſeptimò, nulla irregularitas, quæ contrahitur ex quocumque caſu, vel delicto, etiam enormi, poſt beneficium obtentum, vel penſionem clericalem, priuat beneficiarium beneficiu, vel penſionarium penſione ipſo iure, ſed eſt priuandus per ſententiam. Probatur, quia ſi quæ irregularitas hoc efficit, maximè illa, quæ promanat ex homicidio, cùm ea ſit maxima; ſed hæc non priuat ipſo iure beneficiarium ſuo beneficio iam poſſeſſo ante ſententiam, *cap. Clericis, ne Clerici, vel Monachi, in verbo priuetur.* ergo nulla irregularitas, &c. Nauarr. *tom.* 2. *conſil. lib.* 5. *de homicid. conſil.* 13. *num.* 2. Sayr. *lib.* 6. *cit. num.* 24.

Dico decimooctauò, in rigore iuris probabiliter etiam dici poteſt irregulares eſſe capaces beneficiorum Eccleſiaſticorum, & penſionis Eccleſiaſticæ: nam irregulares non ſunt inhabiles ad recitandum priuatim Officium diuinum: at multa beneficia non requirunt amplius, vel ſi quid amplius oneris habeant, v. g. aliquot Sacra, id poteſt præſtari per alium. ergo ſaltem talium beneficiorum non erunt incapaces; tum, quia etſi irregularis ſit ad Ordines inhabilis, non tamen collatio Ordinum illi facta eſt irrita. ergo ſimiliter, &c. & ita hanc opinionem tanquam probabilem tenuit Syl. *verb. excomm.* 4. *num.* 4. Leſſ. *lib.* 2. *de iuſtitia, cap.* 34. *dub.* 22. *n.* 120. adducens alios DD.

At ſententia negans communior, verior, & probabilior eſt; quia omnino conſentanea eſt praxi; & ſtylo Curiæ Romanæ: ſtylus autem, ſeu conſuetudo Curiæ facit ius: ita ſpeciatim Nauarr. *lib.* 5. *de homicidio, conſil.* 44. *cit.* Leſſ. *loc. cit.* Indigebit igitur irregularis obtinens beneficium diſpenſatione ſuper irregularitate, & noua collatione beneficij, vt in conſcientia faciat fructus ſuos à collatore, ad quem collatio beneficij pertinebat: vnde ſi per Epiſcopum, vel alium habentem facultatem, diſpenſetur cum illo ſuper irregularitate, idem non potuit titulum beneficij reualidare, ſi collatio beneficij ad Pontificem, ſiue ad alium ſpectabat. Nauarr. *ſumm. c.* 27. *num.* 194. *verſ. ad quaſitum, & c. fine.*

IX. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur.*

Nec obſtat ratio à principio adducta, fatemur enim quòd vitium corporis proueniens abſque culpa non reddit ex toto irregularem, quo ad Ordines ſuſceptos, ſed ſolùm quo ad illum, ad quem eſt inhabilis ob talem impotentiam, conſequenter poterit eſſe habilis ad beneficia, quæ non requirunt Ordinem, ad quem eſt inhabilis, & eſt textus expreſſus *cap. citato, Presbyterum, de Clerico ægrotante*; quo ad Ordines verò ſuſcipiendos vitium, quod reddit inhabilem ad ſuperiores, vt ad Sacros, etiam reddit inhabilem ad minores, & quod reddit inhabilem ad Sacerdotium, etiam reddit inhabilem ad Diaconatum, & Subdiaconatum, quia tam inferiores, quàm ſuperiores ordinantur ad Sacrum altaris, ad quod qui eſt inhabilis, non eſt quod eum eo diſpenſetur ad inferiores. Videatur Nauarr. *ſumma cap.* 27. *num.* 252. Sayr. *lib* 6. *de cenſuris, cap.* 2. *num.* 23. Leſſ. *lib.* 2. *de iuſtitia, cap.* 34. *dub.* 22. *n.* 120. §. *Notandum tamen primò.* Filliuc. *tom.* 3. *de benef. Eccl. cap.* 5. *quaſ.* 2. *num.* 11. *verſ. Notandum ſecundò.* Saluo ſemper meliori iudicio.

## Articvlvs XI.

### An ſint beneficiorum capaces, filij coniugatorum, qui poſt parentum mutuum caſtitatis votum, aut mutuam alterius profeſſionem, aut Ordinem ſacrum alterius, generantur?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Reſoluitur dubitatio.*
3. *An filij ſint legitimi, & habiles ad beneficia, ſi geniti ſint, poſtquam alter coniunx ingreſſus eſt Religionem, & ibi profeſſus, vel ſacris Ordinibus initiatus.*
4. *An dentur filij legitimi quidem, irregulares tamen.*
5. *An coniunx concedens alteri coniugi licentiam ingrediendi ac profitendi Religionem, poſſit illum reuocare, & reuocatus teneatur reddere debitum, vel licitè petere poſſit.*
6. *An ſola licentia coniugis ſufficiat ad valorem profeſſionis alterius.*
7. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & ſuperiùs dicta, quoad prolem legitimam, vel illegitimam, magis explicantur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

QVia illorum matrimonium, quo ad vſum actus coniugalis, non eſt amplius matrimonium, & reputatur idem ac ſi à ſolutis filij eſſent progeniti. ergo filij progeniti eſſent illegitimi, & conſequenter incapaces beneficiorum, & ita hanc ſententiam tenere videtur Angelus *matrimonium 3. impedimento 5. n. 5.* ſupplementum Gabrielis *in 4. diſt. 31. quæſt. vnica, art. 2. poſt ſeptimam concluſionem.*

II. *Dubitatio reſoluitur.*

Dico primò, filij procreati ex parentibus, qui votum ſimplicis caſtitatis ex mutuo conſenſu emiſerunt, ſunt legitimi, & habiles ad obtinenda beneficia, quia oriuntur à parentibus valido matrimonio inter ſe coniunctis; & vel maximè, quòd culpa parentum minimè liberis officit, præter caſus in iure expreſſos; ſed in iure non eſt expreſſum quòd filij progeniti ex parentibus voto caſtitatis mutuo conſenſu aſtrictis ſint illegitimi, & beneficiorum incapaces, vt percurrenti ſacros canones patebit. ergo, &c. Ita Sanchez *lib. 9. diſp. 38. num. 3. in tractatu de matrimonio.*

## Dvbitatio I.

III. *An filij ſint legitimi, & habiles ad beneficia, ſi geniti ſint poſtquam alter coniunx ingreſſus eſt Religionem, & ibi profeſſus, vel ſacris Ordinibus initiatus?*

Dico ſecundò, filij geniti ab his, qui poſt ratum, & non conſummatum matrimonium in aliqua Religione approbata profeſſionem emiſerunt, ſiue altero coniuge relicto in ſæculo in profeſſionem conſentiente, ſiue reclamante, illegitimi ſunt ſi poſt profeſſionem emiſſam concepti, vel nati ſunt, quia per profeſſionis emiſſionem dirimitur matrimonium ratum. ergo proles extra matrimonium poſtea nata erit illegitima, & inhabilis ad beneficia obtinenda. Sayr. *lib. 6. de cenſuris, cap. 10. num. 41.*

Dico tertiò, ſi filij generentur ab his, qui poſt ratum & non conſummatum matrimonium Ordines ſacros extra Religionem ſuſceperunt, ſi inſcia, & inuita vxore alter promotus ſit, ſunt legitimi, & capaces beneficiorum, quia matrimonium in hoc caſu non dirimitur, imò poteſt vxor cogere virum ſuum Subdiaconum, Diaconum, vel Presbyterum ad conſummationem matrimonij, vt eſt expreſſum à Ioanne XXII. *Extrauag quæ incipit, Antiquæ, &c de voto*; quod docet etiam D. Thom. *in addit. ad 3. part. quæſt. 53. art. 3.* Tum, quia licèt Ordo ſacer validè ſit ſuſceptus: at quia illegitimè contra iuris diſpoſitionem, non poteſt matrimonio, & ſoboli officere, vt bene Sanchez *lib. 9. de matrim. diſp. 38. num. 5.*

Dico quartò, ſi poſt conſummatum matrimonium alter coniux altero ignaro, aut ſciente, contradicente tamen, in aliqua Religione approbata profiteatur, & mox copulam habeat cum ſuo coniuge, proles omnino, & quoad omnes effectus eſt legitima, quia conſtante legitimo matrimonio fuit ſuſcepta, & profeſſio non fuit valida, vt colligitur ex *cap. quidam, & cap. placet, de conuerſ. coniug.* & docet Sanchez adducens multos alios *lib. 7. de matrim. diſp. 34 num. 1.* Suarez *tom. 5. diſp. 50. ſect. 2. n. 3.*

## Dvbitatio II.

IV. *An dentur filij legitimi quidem, irregulares tamen?*

Dico quintò, filij progeniti ex coniuge ad ſacros Ordines iam promoto altero coniuge ſciente, & conſentiente, aut non contradicente, ſed tacente, ſunt legitimi quoad ſucceſſionem, hæreditatem, & alios ſeculares honores, quia matrimonij vinculum inter iſtos coniuges perſeuerat; canonicè tamen eſſent illegitimi, vel irregulares. Ita textus *cap literas, de filijs presbyterorum*, quoad Ordines, dignitates Eccleſiaſticas, & quæcumque alia beneficia. Sanchez *lib. 9. de matrim diſp. 38. num 7.* Syl. verò *verb. Illegitimus q. 4. num 6.* & *ibi* Armilla *fine*, appellant taliter procreatos abſolutè illegitimos, ſed fortaſſis loquuntur de illegitimatione canonica. Notandum tamen quòd tunc filij erunt canonicè illegitimi, vel irregulares, ſi vxor conſenſit in ordinationem mariti, legitimè ſcilicet eo modo, quo exigitur *in cap. coniugatus, de conuerſione coniug.* perpetuam verò continentiam vouendo, quòd ſi non legitimè conſenſit caſtitatem perpetuam promittendo, vt ius cap. cit. præſcribit, ſi poſtea ius ſuum petat, cogetur maritus non obſtante voto, & ordinatione reddere debitum, & filij exinde procreati erunt canonicè, & ciuiliter legitimi, quia cùm talis aſſenſus ſit illegitimus, non debet obeſſe filiis, quo minus ſint legitimi, &c. Videatur Suarez *lib. 5. de cenſuris, diſp. 50. ſect. 2. num. 3.*

Dico ſextò, ſi ambo coniuges ex mutuo conſenſu emiſerunt ſolemnem profeſſionem in aliqua approbata Religione, ſi poſtea procrearent filios, hi filij eſſent legitimi, ſi conſtante matrimonio, conſummato ſcilicet, ingreſſi ſunt Religionem, & in ea profeſſionem emiſerunt, quia ſunt nati ex valido matrimonio; eſſent tamen hi irregulares quoad ſuſceptionem Ordinum, & conſequutionem beneficiorum Eccleſiaſticorum. Nam ideo filij Presbyterorum ſunt irregulares, & canonicè non legitimi, per *cap. literas, de filijs Presbyterorum*, quia oriuntur ex Presbyteris habentibus votum ſolemne caſtitatis, ratione cuius impeditur vxor à reddendo debitum Presbytero coniugi, ſi ipſa conniuente fuit promotus ad ſacros Ordines; ſed hæc ratio militat etiamſi ambo

ſolemnem

solemnem professionem emiserunt. ergo, &c. Sayr. *lib.6. de censuris, c.10. num.41. vers. Respondeo 3.*

## Dvbitatio III.

V. *An coniunx concedens alteri coniugi licentiam ingrediendi ac profitendi Religionem, possit illum reuocare; & reuocatus teneatur reddere debitum, vel licitè petere possit?*

Dico septimò, vno coniugum profitente in aliqua approbata Religione, etiam de licentia alterius post consummationem matrimonij, si relictus in sæculo perpetuò castitatem seruare non vouit, & est iuuenis suspectúsque de incontinentia, potest professum de monasterio repetere, & vti matrimoniali copula, & sic reuocatus tenetur reddere debitum. Ita statutum est *in cap.1. de conuersione coniugator.* ab Alexandro III. Ratio huius est, quia quamuis coniux relictus in sæculo voluntariè iuri suo renuntiauerit, tamen Ecclesia nón vult illam renuntiationem acceptare, nisi sub ea conditione, vt ipse etiam conuertatur emittendo votum solemne in aliqua approbata Religione, vel emittat votum perpetuæ continentiæ: videatur Suarez *lib.6. de professione religiosa, cap.7. n.11. 12. & 15. fol.298. mihi*, vnde filij ex his geniti erunt legitimi ciuiliter, & canonicè, habiles que ad beneficia Ecclesiastica. Sayr. *lib.6. de censuris, cap.10. num.41. vers. Respondeo tertio*, id etiam tenet Sanchez *lib. 9. de matrim. disp.38. num.6.* Maiolus *lib.1. de irregular. cap.4. num.6.7. & 9.*

Dico octauò, coniux, qui licentiam alteri dedit ingrediendi Religionem, ibique profitendi, si ipse similiter non ingrediatur Religionem, vel votum castitatis perpetuæ non emittit, potest ex se in foro conscientiæ professum è Monasterio reuocare, ab eóque petere cohabitationem, & debitum: quia cùm licentia ab eo concessa non fuerit legitima, non videtur ipsi ius reuocandi adeptum. Suarez *loc. cit. num.15. ad finem.* legitima autem esset licentia, si vel ipse ingrediatur Religionem, ibique profiteatur, si sit iuuenis, & periculum adsit incontinentiæ, vel si sit senex, remanendo in seculo emittat votum perpetuæ continentiæ: videatur Syl. *verb. matrim. 8. quæst.12. dicto 4.* Bonacina *tom.1. tract. de matrim. quæst.3. puncto 9. num.18. vers. secundò quando*, &c. Cæterùm verius, & probabilius est non posse tunc ex se reuocare professum è monasterio, sed auctoritate Ecclesiastici iudicis competentis, cuius est consulere periculo incontinentiæ coniugis in sæculo relicti, quia præstando consensum renunciauit iuri, quod habebat in altero, & consequenter ex se non habet actionem, sed iudex ex officio suo, ne committatur adulterium, educet professum è Monasterio. Ita bene Syl. *loco nuper allegato, vers. aut sextò consensit*, &c. quem sequitur Sanchez *lib. 7. de matrim. disp.33. num.18.*

Dico nonò ad maiorem horum claritatem, valida tamen est coniugis professio de licentia alterius emissa, manentis in sæculo cùm voto castitatis, vel absque illo, quia non est de substantia professionis coniugis professio alterius, sed tantùm desideratur, quando hic est iuuenis, vel si sit senex, votum perpetuæ continentiæ, vt professio alterius licitè fiat: & ideo si fuit professus reuocatus è Monasterio ex officio iudicis, ne vxor cùm sit iuuenis, in sæculo manens committat adulteria, mortua vxore ad Monasterium redire iure compellitur, nec potest aliam vxorem ducere, quòd si duxerit matrimonium est irritum. Ita bene Sotus *in 4. dist.27. quæst.1. art.4. vers. casus autem*; &c. *ad finem.* Rodriquez *tom.3. qq. Reg. quæst. 13. art. 3.* Azor *lib.12. cap.1. dub.6. § Si quæras, part.1. institutionum moralium.* Quamuis dum reuocatus manet in sæculo cum vxore, si ipsa petat, teneatur reddere debitum, quia aliàs frustrà esset reuocatio, cùm fiat ad euitandam incontinentiam alterius coniugis; non tamen professus posset petere, quia astringitur voto castitatis, ac proinde tenetur ex parte continere. Palud. *in 4. dist.27. quæst.3. art.2. num.19.* Sanchez *lib. 7. de matrim. disp.33. num.6.*

Hìc tamen vnum obserua, quòd si coniux manens in sæculo, de cuius licentia alter emisit professionem, voto se castitatis astrinxit, non debet professus reuocari, sed cogendus est alter manens in sæculo ad proprij voti obseruantiam. Ita bene Syl. *verb. matrim. 8. quæst.12. dicto 4. vers. aut septimò*, quem sequitur Sanchez *loco nouissimè adducto num. 9. lib. 7. de matrim. disp. 32. num. 3.* addens, quamuis Episcopi licentia defuerit.

## Dvbitatio IV.

VI. *An sola licentia coniugis sufficiat ad valorem professionis alterius?*

Ex dictis infertur quòd sola coniugis licentia ad valorem professionis alterius coniugis post matrimonium consummatum sufficit, quod asserunt Sotus, Rodriquez, Azor, *assertione 9.* citati, & Suarez *lib. 6. de professione religiosa, cap.7. num.9. fol.198. mihi.* licentia verò Episcopi non est necessaria tanquam de substantia ad talem professionem, vt bene docet Sotus *in 4. dist.27. quæst.1. art.4. vers. At verò citra mortem*, &c. sed secundùm quamdam honestatem desideratur, vt ait Sanchez *lib.7. de matrim. disp.32. num.3.* Sed verius Bonacina *tomo 1. tract. de matrim. quæst.3. puncto 4. num.12. vers. tertia*, &c. censet consensum Episcopi non esse quidem de necessitate professionis; sed de præcepto obligante, sub mortali, quia agitur de re graui, & suadetur ex *cap. si vir, & vxor 27. q.2.* videatur.

Coniux tamen professus ex licentia alterius non ingredientis Religionem si sit iuuenis, & suspectus incontinentiæ, nec vouentis continuam continentiam, si sit senex, potest è Monasterio reuocari, quamuis ex Episcopi licentia id effectum sit; si verò alterutrum fecit, non poterit auocari, licèt Episcopi licentia defuerit, vt bene Syl. *matrim. 8. quæst. 12. dicto 4. vers. Aut septimò*, hunc addocet, & sequitur Sanchez nuper allegatus, *eod. num.3.* &c. Hæc dixerim ne aliquid subobscurum relinqueretur ad intelligentiam præsentis difficultatis.

VII. *Rationi à principio respondetur, & superiùs dicta quoad prolem legitimam, vel illegitimam, magis explicantur.*

Et per hæc patet ad rationem à principio positam, fatemur enim quòd quando vterque parens emisit simplex votum castitatis, sacrilegè conueniunt: ea tamen copula, cùm non sit fornicaria, qualis est inter solutos, id efficit ne proles sit illegitima, eo vel maximè quòd culpa parentum non obest proli præter casus in iure expressos. Item in casu in quo alter coniux sacris Ordinibus initiatur contra voluntatem viuentis vxoris, si postea auctoritate sui Ordinarij cohabitare cum illa compellitur, & generat non tantùm reddendo, sed etiam petendo debitum (in quo sacrilegus est, cùm ius petendi ob emissum votum solemne, sit illi interdictum) non essent filij ex istis progeniti illegitimi; quia temeraria susceptio sacrorum Ordinum non obest matrimonio, neque

proli

proli quo ad legitimationem; vt bene Suarez *tom. 5. de censuris, disp. 50. sect. 2. num. 4.*

Item quando alter coniux promouetur ad sacros Ordines, vel profitetur in aliqua approbata Religione de licentia alterius coniugis; non tamen legitimè concessa, vt iura præscribunt, *cap. præterea, & cap. coniugatus, de conuersione coniug.* vt præbens assensum ingrediatur Religionem, si sit iuuenis, & suspectus incontinentiæ, vel perpetuam voueat castitatem, si sit senex: si postea coniux, qui talem licentiam non legitimam alteri concessit, ex officio iudicis Ecclesiastici ad cohabitationem & copulam repetat promotum coniugem ad sacros Ordines, vel professum in aliqua approbata Religione, potest eum reuocare, vt statutum est *in cap. 1. de conuersione coniugat.* ab Alexandro III. si post talem reuocationem generent, filij procreati non erunt illegitimi: quia cùm talis assensus sit illegitimus, non debet officere prolibus, quominus sint legitimæ: vt bene Sayr. *lib. 6. de censuris, cap. 10. num. 41. vers. Respondeo tertiò.* Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 38. num. 6.* Maiolus *lib. 1. de irregul. cap. 4. num. 6. 7. & 9.*

Proles verò suscepta ex coniuge post legitimam promotionem alterius coniugis ad sacros Ordines est irregularis, ex *c. litteras, de filijs Presbyterorum*; idem dicendum de prole habita ex parentibus post matrimonium consummatum professis. Quamuis enim textus *cap. litteras,* cit. non loquatur de filiis susceptis ex coniugibus, qui professionem fecerunt matrimonio iam consummato. At ratio in illo expressa paternæ incontinentiæ fortius militat in hoc casu, vt docent Sayr. *lib. 6. de censuris, cap. 10. num. 41. vers. Respondeo tertiò,* &c. Sanchez *lib 9. de matrim. disp. 38. num. 7.* Suarez *tomo 5. de censuris, disp. 50. sect. 2. n. 6.* &c. Saluo semper meliori iudicio.

## ARTICVLVS XII.

## An beneficiarij incidentes in hæresim sint ipso iure priuati beneficiis?

### SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur quoad omnes hæreticos, & quoad fautores, receptores, &c.*
3. *An filij hæreticorum sint incapaces beneficiorum, & filij filiorum, & an ad hoc requiratur quod crimen parentum sit notorium, & in eorum morte non sint reconciliati Ecclesiæ.*
4. *An filij hæreticorum, qui mortui sunt absque hæresis infamia, inficiantur pœna de qua supra.*
5. *An eadem pœna afficiantur filij relapsorum pœnitentium.*
6. *An hanc pœnam incurrant filij hæreticorum orti ante hæresim parentum.*
7. *Dubium deciditur, & insuper explicatur, An faciant fructus suos.*
8. *Rationi à principio respondetur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

QVia *in cap. vt commissi, vers. priuandi, de hæreticis in 6.* vbi hæc pœna contra beneficiarios hæreticos assignatur, sic dicitur, priuandi, vel priuatos nunciandi dignitatibus, & aliis beneficiis Ecclesiasticis. ergo non sunt ipso iure priuati beneficiis hæretici in hæresim incidentes, sed priuandi per sententiam iudicis, declarantis saltem crimen esse commissum. Atque ita docent Castro *lib. 2. de iusta hæret. punit. cap. 9.* Vasquez *1. 2. quæst. 96. art. 3. disp. 172. cap. 2. num. 11.*

II. *Veritas aperitur quoad omnes hæreticos, & fautores, receptores, &c.*

Dico primò, hæretici occulti, licèt non incurrant infamiam facti cùm crimen notorium requiratur, vt quis dicatur infamis infamia facti, neque infamiam iuris; nam infamia iuris nunquam contrahitur, nisi per sententiam iudicis declaretur crimen esse commissum, vt colligitur ex *l. 1. de his qui notantur infamia,* & obseruat etiam Azor *lib. 8. instit. moral. cap.* [illegible] *vers. Sed verius,* &c. tamen, quia sunt excommunicati, & irregulares ratione criminis hæresis, ita vt neque dum in hæresi permanent, neque post illius detestationem, veramque pœnitentiam, & absolutionem possit ordinari absque dispensatione, si semel in hæresim lapsi sunt, vt docet Syl. *verb. Irregularitas, quæst. 3. num. 7.*, Suarez *tomo 5. de censuris, disp. 43. sect. 1. num. 4.* consequenter etiam erunt inhabiles ad benefic[illegible] Ecclesiastica, tum quia excommunicati, tum quia irregulares: & sunt textus expressi *cap. quicunque, §. Hæretici. & cap. statutum el 2. de hæreticis in 6.*

Item eædem receptores, defensores, & fautores hæreticorum, sunt incapaces beneficiorum E[illegible]sticorum ipsorúmque filij, & nepotes per lineam masculinam. Item qui ad preces huiusmodi pest[illegible] Ecclesiasticum beneficium scienter obtinuerunt, sunt inhabiles ad illud, & ad alia omnia, vt habetur *dicto cap. quicunque, §. Ad hæc.*

## DVBITATIO I.

III. *An filij hæreticorum sint incapaces beneficiorum, & filij filiorum? & an ad hoc requiratur quòd crimen patratum sit notorium, & in eorum morte non sint reconciliati Ecclesiæ?*

Dico secundò, quando pater est hæreticus, tunc filij, & filiorum filij sunt inhabiles ad beneficia Ecclesiastica, per *cap. quicunque, & cap. statutum, de hæreticis in 6.* non autem filij filiarum. Similiter quando mater est hæretica, filij tantùm sunt inhabiles ad beneficia, non autem filij filiorum. Sanchez *lib. 2. oper. moral. cap. 28 num. 2. & 4* Tol. *lib. 1. summa, cap. 69 num. 4.* Azor. *part. 1. instit. moral. cap 13. dub. 7. lib. 8. vers. quod autem.*

Dico tertiò, non tantùm filij legitimi comprehensi sunt hac pœna, sed etiam quocumque modo illegitimi, siue naturales, siue spurij, siue Manzeres, quo[illegible] certum est esse verè illorum filios. Azor. *loc. cit. vltima pœna,* & Tolet. nuper adductus.

Dico quartò, vt filij & nepotes hæreticorum incurrant hanc pœnam inhabilitatis ad beneficia, desideratur quòd sit manifestum eorum parentes in hæresi decessisse, siue per sententiam iudicis, siue per euidentiam facti, siue per propriam in iudicio confessionem, quia textus *cap. statutum el 2. de hæreticis in 6* loquens de criminis qualitate in parentibus requisita, sic ait, *qui tales esse, vel tales, etiam decessisse probantur.* videatur Sayr *lib. 6. de censuris, cap. 10. n. 40.*

Dico quintò, si postea parentes emendati sint, & Ecclesiæ vnitati reincorporati, cessat prædicta pœna filiorum; ius enim infligit hanc pœnam filiis, & filiis filiorum propter hæresim parentum. ergo si constet parentes esse emendatos, & esse catholicos, vel euidentia facti, vel per sententiam iudicis, cessabit etiam in filiis hæc pœna, & sic dispensatione non indigent post parentum reconciliationem, vt ad bene[illegible]

promoueantur. Parentes verò, qui fuerunt hæretici, quamuis Ecclesiæ reconcilientur, indigent dispensatione, vt diximus *assertione* 1. in hac difficultate, cum Syl. *loco ibi adducto*, & docet etiam Sanchez *lib. 2. oper. moral. cap. 27. num.* 8.

### DVBITATIO II.

**IV.** *An filij hæreticorum, qui mortui sunt absque hæresis infamia, inficiantur pœna, de qua suprà?*

Dico sextò, filij tamen parentum hæreticorum, qui tales publicè decesserunt in natione hæresibus infecta, vbi nota infamiæ non incurritur propter hæresim, non afficiuntur hac pœna inhabilitatis ad beneficia Ecclesiastica, quia filij incurrunt hanc pœnam, vel quia parentes sunt damnati, & traditi brachio seculari, vt puniantur, vel ratione infamiæ facti, quia obiere in hæresi; sed in prædictis locis cessat vtrumque, neque enim damnantur hæretici, neque sunt infames. ergo, &c. Ita Sà *summa verb. hæresis, n.* 4. quem sequitur Sanchez *lib. 2. cit. c. 27. n. 28. ad finem.*

### DVBITATIO III.

**V.** *An eadem pœna afficiantur filij relapsorum pœnitentium?*

Dico septimò, filij relapsorum pœnitentium, sed propter relapsum morte damnatorum, non afficiuntur hac pœna, quia non damnantur propter hæresim, sed propter relapsum. Ita Toletus *summa c. 69. num.* 4. & hanc opinionem putat esse probabilem Suarez *tomo* 5. *de cens. disp.* 43. *sect.* 3. *n.* 4. & sequuntur multi alij videndi apud Sanchez *lib. 2. oper. mor. cap.* 27. *n.* 22. Alij verò, & quidem probabiliùs, tenent oppositum, quia relaxatus brachio sæculari, quamuis conuertatur, præsumitur in hæresi decedens. Ita Sanchez, & Suarez *locis* nuper *allegatis*; sed prior benignior, posterior in rigore iuris verior mihi videtur, vt patet ex textu *cap. statutum el 2. de hæreticis in 6.*

### DVBITATIO IV.

**VI.** *An hanc pœnam incurrant filij hæreticorum orti ante hæresim parentum?*

Dico octauò, filij, qui nati sunt ante parentum hæresim, non incurrunt hanc pœnam, vt censet Sanchez *lib. 2. oper. moral. c.* 27. *num.* 14. Quia qui sunt iam progeniti, non censentur per hæresim parentum superuenientem inquinari, quod etiam docet Less. *lib. 2. de inst. c.* 34. *n.* 121. *dub.* 22. Hæc sententia est satis probabilis; sed tutior ea est, quæ affirmat, cui adstipulatur praxis sacræ Pœnitentiariæ, & ratio deducta ex odio hæresis, vt annotauit Filliuc. *tom. 3. de benef. Eccl. tract.* 41. *c.* 5. *q.* 3. *n.* 13. *vers. Notandum tertiò.*

**VII.** *Dubium deciditur, & insuper explicatur*

### DVBITATIO V.

*An faciant fructus suos?*

Dico nonò, ob crimen hæresis Clerici sunt ipso iure priuati beneficiis ante delictum adeptis, exigitur tamen sententia iudicis declaratoria criminis commissi, vt hæreticus beneficium adeptum ante hæresim dimittere teneatur: quia etsi à die commissi criminis iure, & titulo beneficij careat, possessione tamen, & vsu non priuatur ante sententiam declaratoriam; ergo ratione possessionis licitè potest illud retinere, & facere fructus suos: lata verò sententia declaratoria, non-



dum tenetur beneficium dimittere, sed etiam fructus à die hæresis admissæ perceptos restituere: videatur *c. vt commissi, de hæret. in 6.* & quidam Motus proprius Pij V. incipiens, *Cùm ex Apostolatus*, &c. quem affert Pegna *in fine Directorij Inquisitorum*, inter litteras Apostolicas ipsorum: & ita hanc sententiam docent Rodriq. *p. 1. summ. c.* 130. *n.* 3. Azor *p. 1. instit. mor. lib.* 8. *c.* 13. *dub.* 8. Sanchez *lib. 2. oper. mor. cap.* 26. *num.* 5. 6. 7. & 10. Suarez *tom.* 5. *de cens. disp.* 43. *sect.* 1. *num.* 4.

Sed contrà; id, quod dictum est, hæreticum, etsi sit ipso facto, iure, & titulo beneficij priuatus, facere tamen fructus suos: nam sine iure, & iusto titulo fructus beneficij non acquiruntur. ergo si est priuatus ipso iure titulo, fructus licitè percipere non potest. Azor propter hoc argumentum fatetur hæreticum, qui ipso iure priuatur beneficio iam adepto ante hæresim, non facere fructus suos. Respondetur tamen mitiùs, & meliùs cum Sanchez *lib. 2. oper. mor. cap.* 26. *n.* 10. *ad finem*, quòd si ab initio titulus fuit nullus, vtique verum est quòd non habens titulum beneficij, non facit fructus suos, quia tunc nec titulus, nec possessio, cùm non sit legitima, iuuat ad fructus beneficij ritè percipiendos. Cæterùm si titulus ab initio fuit validus, & postea per crimen deperditur, legitima possessionis retentio vsque ad sententiam criminis declatoriam excusat à restitutione fructuum perceptorum.

**VIII.** *Rationi à principio respondetur.*

Ad rationem à principio positam deductam ex textu *c. vt commissi*, quæ militare videtur contra nostram nonam assertionem; respondetur quòd in illis verbis dictum *cap vt commissi, vers. priuandi, vel priuatos nunciandi*, non sumitur disiunctiuè, sed expositiuè, ita vt sensus sit *priuandi*, id est, priuatos denunciandi: & sic ipso iure priuatur Clericus hæreticus beneficiis ante hæresim adeptis; exigitur tamen sententia declaratoria criminis commissi, vt illa dimittere teneatur, & vt fructus tempore hæresis ante sententiā perceptos, lata postea sententia criminis declaratoria restituat: videatur pro hac solutione Sanchez *lib. 2. oper. mor. c.* 16. *n.* 6.

---

## ARTICVLVS XIII.

### An filij hæreticorum ante parentum hæresim acquisiti similiter sint ipso iure priuati, aut saltem per sententiam priuandi beneficiis?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur.*
3. *An filij, vel nepotes hæreticorum sint ipso iure priuati beneficijs obtentis post hæresim parentum, & ad alia beneficia inhabiles reddantur, & an possint permutare obtenta.*
4. *An filij hæreticorum, quorum statuæ combustæ sunt, incurrant pœnas illorum, quorum parentes verè comburendi essent.*
5. *An filij deferentes in iudicium hæresim parentum, à pœnis immunes euadant.*
6. *An filij hæreticorum inhabiles ad beneficia, sint etiam inhabiles ad pensiones.*
7. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

**I.** *Pars affirmatiua probatur.*

QVòd scilicet filij hæreticorum non tantùm sint inhabiles ad beneficia obtinenda, sed etiam quòd ipso iure priuantur beneficiis obtentis. Probatur ex

*felicis record. vers. quòd si quis*, &c. *de pœnis in 6.* vbi decernitur filios,& nepotes percutientis hostiliter Cardinalem esse ipso iure beneficiis antè obtentis priuatos. ergo à fortiori est idem dicendum de filiis,& nepotibus hæreticorum, cùm hæresis sit crimen longè deterius,& ita hanc sententiam tenuit Ioannes Monachus *cap. vt commissi, ante numerum 1 de hæreticis in 6.* & alij videndi apud Sanchez *lib.2.oper.mor. c.28.n.27.*

II. *Veritas aperitur.*

Dico primò, filij & nepotes hæreticorum ipso iure non priuantur beneficiis obtentis, ante parentum delictum, quia nusquam iure cautum reperitur, & cùm hoc sit pœnale, extendi non debet, sed restringi. Ita bene Pegna *in 3. part. Directorij scholio 156. vers. Ego verò.* Rodriquez *part.1.summa cap.130. num.5.* Syl.*verb. beneficium 3.num.21.*

Dico secundò, hæreticorum filij, & nepotes non sunt priuandi per sententiam beneficiis obtentis ante parentum hæresim, quia per iura ad sola obtinenda redduntur inhabiles. Suarez *tom.5.de cens. disp.43.sect. 3.num.2.ad finem.* quod verum habet non solùm quando filij, & nepotes acquisierunt ius beneficij ante delictum parentum in re ipsa commissum, sed etiam si fuit acquisitum ante sententiam declaratoriam criminis,vel ante notorietatem facti.

DVBITATIO I.

III. *An filij,vel nepotes hæreticorum sint ipso iure priuati beneficijs obtentis post hæresim parentum,& ad alia beneficia inhabiles reddantur? & an possint permutare obtenta?*

Dico tertiò, filij,& nepotes hæreticorum non sunt priuati ipso iure beneficiis obtentis post hæresim parentum, nec ad alia beneficia obtinenda redduntur inhabiles antequam de hæresi parentes condemnentur, vel nisi crimen illorum per euidentiam facti sit notorium,quia ideo priuantur beneficiis obtentis post hæresim parentum, & inhabiles ad ea obtinenda redduntur, quia sunt infames: at antequam parentes de hæresi condemnentur,vel crimen illorum per euidentiam sit notorium, non sunt tales. ergo, &c. Ita bene Sanchez *lib.2. oper. mor. cap. 28. num. 32.* Sayr. *lib.6. de cens. cap.10.num.40.*

Dico quartò, filij hæreticorum, & nepotes per lineam paternam, & filij tantùm descendentes per lineam fœmineam,cùm fiat inhabiles ad beneficia obtinenda, non possunt permutare ante parentum hæresim obtenta, quia in permutatione beneficiorum acquiritur aliquod beneficium de nouo,cum alterius resignatione, sed sunt inhabiles ad acquirendum de nouo; ergo ad permutandum. Ita apertè colligitur ex glossa *in Clementina 1. de pœnis, verb. obtinenda.* Quod quidem intelligendum est,si parentes eorum sint hæretici per euidentiam facti, vel tales decessisse probatur, non autem si sint tales occultè, vel tales occultè decesserunt; Azor.*lib.8 part.1.inst.mor.cap.13.dub.8. Octaua pœna hæreticorum,vers.deinde.*

Dico quintò,filij hæreticorum pœnitentium, & ad fidem redeuntium non priuantur beneficiis, nec ad alia obtinenda redduntur inhabiles: priuantur tamen beneficiis si parentes catholici quidem mortui sunt, fuerunt tamen combusti tanquam relapsi in hæresim, quia præsumitur istos decedere in hæresi, & solùm negare, ne viui comburantur.

Idem dicendum de filiis, & nepotibus eorum, qui quamuis relapsi non sint, & ad fidem redeant, traduntur tamen brachio sæculari comburendi,eo quòd hæresiarchæ fuerint, vel quia conuicti de hæresi illam negant. Sanchez *lib.2.oper.mor. cap.27. num.24.*

DVBITATIO II.

IV. *An filij hæreticorum, quorum statuæ combustæ sunt, incurrant pœnas illorum, quorum parentes verè comburendi essent?*

Dico sextò, filij eorum, quorum statuæ combustæ sunt, quia ab Inquisitoribus vocati ad se defendendos ab hæresi, de qua sunt suspecti, non comparuerunt, incurrunt omnes pœnas quas incurrunt filij hæreticorum, qui ob veram hæresim combusti sunt, nam isti reputantur tanquã de hæresi conuicti: ita laudatissimus Pegna *in 3.part.Directorij, scholio 157. vers. at in casu,* &c.

DVBITATIO III.

V. *An filij deferentes in iudicium hæresim parentum, à pœnis immunes euadant?*

Dico septimò, filij deferentes hæresim parentum apud Inquisitores, euadunt omnes pœnas sibi in iuribus statutas: filij enim non sunt puniendi, sed potiùs honorandi tanquam fidei Catholicæ defensores. idem doctissimus Pegna *in 2 partem Directorij, vers. Hoc addiderim, scholio 12.*

DVBITATIO IV.

VI. *An filij hæreticorum inhabiles ad beneficia, sint etiam inhabiles ad pensiones?*

Dico octauò, filij, & nepotes hæreticorum, sicuti sunt inhabiles ad beneficia in posterum obtinenda, & priuantur his, quæ post parentum condemnationem, vel notorietatem facti criminis hæresis à parentibus commissi, sic etiam sunt inhabiles ad pensiones acquirendas, & priuantur obtentis post eandem parentum condemnationem, vel notorietatẽ facti criminis commissi,&c. Quia incapax beneficij, incapax est quoque pensionis clericalis, secundùm stylum curiæ, vt docet Nauar. *tom.1.consil.de temporibus ordin. cons.11.n.2.* stylus autem curiæ tanquam lex est obseruandus. *cap. quàm graui,de crimine falsi.* ergo,&c.

VII. *Rationi à principio respondetur.*

Nec efficit ratio à principio posita, quæ militat directè contra nostram primã assertionem. Respõdemus enim cum laudatissimo Pegna, olim factæ Rotæ Decano dignissimo, *scholio 156. in 3.part. Directorij, vers. non obstat,* negando consequentiam. Nam Respublica minora crimina aliquando variis ex causis, maioribus pœnis insequitur, neque in pœnalibus ex maioritate rationis debet fieri extensio, tum quia pœna iuris non est imponenda, nisi in iure sit expressa. *cap. is, qui, de sententia excomm. in 6.*

## ARTICVLVS XIV.

## An irretitus aliqua censura sit inhabilis ad beneficia Ecclesiastica?

SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, explicando, An collatio beneficij facta excommunicato, sit valida.*
3. *An sit valida collatio beneficij facta excommunicato excommunicatione minori.*
4. *An collatio beneficij facta alicui antequam excommunicatione*

*nicatione ligetur, sit valida, si postea illam acceptet dum est excommunicatus.*

5. *An collatio beneficij facta excommunitato sit valida si antequam acceptet absoluatur.*

6. *An collatio beneficij sit valida facta nescienti se esse excommunicatum.*

7. *An suspensi ab officio, vel interdicti personaliter, sint inhabiles ad beneficia Ecclesiastica.*

8. *Rationi à principio respondetur, & magis explicantur dicta in hac vltima assertione.*

### I. *Pars negatiua probatur.*

NAm suspensus ab officio est verè, & propriè censura suspensionis irretitus, sed collatio beneficij Ecclesiastici ei facta non est ipso iure irrita, sed irritanda, sicut excommunicatus excommunicatione minori non potest eligi ad beneficia Ecclesiastica, tamen si eligatur, electio non est ipso iure irrita, sed irritanda, quia licèt sit persona prohibita ad beneficia, tamen non est inhabilis, vt patet per textum *cap. si celebrat. de Clerico excommunicato ministrante*; ergo idem dicendum de suspenso ab officio, & ita hanc sententiam tenet Suarez *de suspenso ab officio, tomo 5. de cens. disp. 26. sect. 3. num. 7.*

### II. *Veritas aperitur, & explicatur*

## DVBITATIO I.

*An collatio beneficij facta excommunicato, sit valida?*

Dico primò, collatio beneficij facta excommonicato, est nulla. *cap. postulastis, de Clerico excommunicato ministrante.* quia beneficium datur propter officium, cuius executione carent excommunicati. Lopez. *p. 2. instit. cap. 17. de Clauibus.* Item pensio super beneficio Ecclesiastico facta excommunicato est irrita. Quia post Pium V. pensio videtur titulus Ecclesiasticus, & pensione fruens clericali tenetur ad horas B. Mariæ recitandas, vt habetur *in Extrauag. Pij V.* quæ incipit, *Ex proximo*, &c. & matrimonium contrahens amittit pensiones, sicut beneficia, quia pensiones licèt beneficia non sint, redditus tamen sunt Ecclesiastici. Ita Sayr. *lib. 2. de cens. cap. 5. num. 15.*

Dico secundò, clausula, quæ solet apponi in literis collationis beneficij, *téque absoluentes*, &c. nullum aliud impedimentum quod obstet collationi, aufert, nisi solum id, quod producunt solæ censuræ, scilicet excommunicatio, suspensio, & interdictum, quia solæ censuræ pro illo effectu consequendo suspenduntur. Vnde si esset irregularis is, cui confertur aliquod beneficium, non esset valida collatio, quia per illam clausulam solum id impedimentum aufertur, quod producunt censuræ. Nauarr. *tom. 1. consil. lib. 5. de sentent. excomm consil. 44. num. 21.*

## DVBITATIO II.

III. *An sit valida collatio beneficij facta excommunicato excommunicatione minori?*

Dico tertiò, fas non est beneficium conferre ei, qui excommunicationis minoris vinculo est obstrictus, ex *c. si celebrat. de Clerico excommunicato ministrante*; beneficij tamen adeptio valet, ibi enim dicitur, quòd si eligatur, electio eius est irritanda. ergo non est irrita, quia in pœnis mitior interpretatio est facienda. Less. *lib. 2. de iustitia, cap. 34. dub. 22. num. 116.* quidquid alij contrà sentiant, inter quos est Azor. *part. 2. inst. moral. lib. 6. cap. 7. dub. 7.*



## DVBITATIO III.

IV. *An collatio beneficij facta alicui antequam excommunicatione ligetur, sit valida, si postea illam acceptet dum est excommunicatus?*

Dico quartò, si fiat collatio beneficij tempore, quo Clericus non est innodatus maioris excommunicationis vinculo, est valida, etiamsi postea excommunicatione maiore adstrictus collationem acceptet. Quia assensum præbere non est ius acquirere, sed ius antè iam datum, & acquisitum ratum & acceptum habere. Nec sic acceptans in excommunicatione peccat, nisi animum habeat exercendi munia acquisiti beneficij absque excommunicationis absolutione. Caiet. *verb. excomm. ad finem.* Sayr. *lib. 2. de cens. c. 5. n. 11.*

## DVBITATIO IV.

V. *An collatio beneficij facta excommunicato sit valida si antequam acceptet absoluatur?*

Dico quintò, collatio beneficij facta existenti in excommunicatione maiore, nulla est, etiamsi acceptatio fiat post absolutionem à censura, quia collatio, quæ ab initio nulla fuit, non validatur ex absolutione sequuta. Ita Less. *cap. 34. lib. 2. de inst. dub. 119.* Quamuis alij videndi apud eundem contrarium teneant.

## DVBITATIO V.

VI. *An collatio beneficij sit valida facta nescienti se esse excommunicatum?*

Dico sextò, prouisus de beneficio si ignoret se esse obstrictum excommunicatione maiori, adhuc collatio eidem facta est irrita, quia licèt ignorantia excommunicationis si sit probabilis excuset ad effugiendas pœnas iuris statutas contra excommunicatos aliquid prohibitum agentes, non tamen excusat quoad valorem actus ipsius. Suarez *tom. 5. de cens. disp. 13. n. 3. sect. 1.*

Dico septimò, collatio facta excommunicato excommunicatione maiori, est irrita, etiamsi tempore collationis non sit denunciatus, vel publicus Clericorum percussor. Quia in his, quæ sunt in fauorem excommunicati, nulla est differentia inter excommunicatum occultum, & manifestum, vt constat ex constitutione Concilij Constant. *Ad euitanda scandala*, & annotauit etiam Sayr. *loc. cit. num. 9.*

## DVBITATIO VI.

VII. *An suspensi ab officio, vel interdicti personaliter, sint inhabiles ad beneficia Ecclesiastica?*

Dico octauò, suspensi ab officio sunt inhabiles ad beneficia Ecclesiastica, *c. cùm dilectus, de consuetudinibus.* Idem dicendum de interdictis personaliter, *c. 1. de postulatione Prælatorum.* Quia cùm hi sint inhabiles ad officium sacrum exequendum, cùm beneficium Ecclesiasticū ordinetur ad alicuius officij, vel muneris Ecclesiastici administrationem. *cap. vlt. de rescriptis in 6.* & ita tenet Nauarr. *tom. 1. consil. lib. 1. de temporibus ordinat. consil. 10. n. 1.* Azor. *p. 2. instit. mor. lib. 6. c. 7. dub. 2.* Filliuc. *tom. 3. de benef. Eccl. tract. 41. c. 5. q. 4. n. 15.*

VIII. *Rationi à principio respondetur, & magis explicantur dicta in hac vltima assertione.*

Ad id, quod obiicitur à principio, respondetur quòd Less. *lib. 2. de inst. cap. 34. dub. 22. n. 116. vers. Nota tertiò*, &

Suarez *loco ibi allegato*, loquentes de suspensis & interdictis, tenent quòd collatio beneficiorum istis facta non sit ipso iure irrita, vt hi teneantur beneficia, in suspeosione, & interdicto obtenta, sponte dimittere, etiam post oblatam suspensionem, & censuram interdicti, sed quòd sit irritanda, & ipsi per sententiam beneficiis priuandi: suspensi igitur, & interdicti non sunt personæ inhabiles ad beneficia, sed prohibitæ, quod colligit Suarez ex *cap. si celebrat, de Clerico excomm. ministr.* & quidem satis probabiliter. At sustinendo sententiam Nauarri, Azor. & Filliuc. quæ est communior, dicendum est, ne dum collationem factam suspensis & interdictis esse irritandam, sed ipso iure irritam, eo quòd tales non sunt solùm prohibiti, sed etiam inhabiles ad beneficia, & consequenter teneantur beneficia in tali statu obtenta, sponte dimittere, &c. & quoniam vsus sacræ Pœnitentiariæ habet collationem factam suspenso ab officio esse ipso iure irritam, vt docet Filliuc. *n. 17. loco allegato*, qui per multos annos functus est officio Pœnitentiarij Domini Papæ apud D. Petrum; ideo sententiam Nauar. & aliorum omnino esse tenendã existimo. Saluo semper, &c.

---

## ARTICVLVS XV.

### An beneficiarius excommunicatus manens in excommunicatione, sit ipso facto priuatus fructibus ex beneficio perceptis?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas explicatur, inquirendo, An fructus patrimonij in titulum alicui Clerico assignati amittantur per excommunicationem.*
3. *Titulo dubitationis respondetur, explicando, An iustè excommunicatus faciat fructus suos, si per ipsum non stet quin absoluat.*
4. *An iustè excommunicatus possit recipere distributiones, si per ipsum non stet quin absoluatur, & choro intersit.*
5. *In quid impendendi sint fructus, quibus excommunicati in contumacia existentes priuantur, præsertim si sint distributiones quotidianæ.*
6. *Rationi à principio respondetur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm est regula generalis quòd pœnæ, quæ in exequutione requirunt actionem rei delinquentis, neminem obligant ad eas exequendas ante sententiam iudicis saltẽ declaratoriam criminis commissi, vt bene docet Caiet. 2. 2. q. 62. art. 3. *vers. Ad hoc dicitur*, & Syl. *verb. Pœna q. 25.* propter quod hæreticus non tenetur se spoliare bonis suis donec per Ecclesiã condemnetur. *c. cùm secundum leges, de hæreticis in 6.* ergo similiter beneficiarij excõmunicati non sunt ipso iure priuati fructibus Ecclesiasticis ante sententiã iudicis declaratoriã.

II. *Veritas explicatur, & inquiritur*

### DVBITATIO I.

*An fructus patrimonij in titulum alicui, Clerico assignati amittantur per excommunicationem?*

Dico primò, fructus patrimonij in titulum alicui Clerico assignati non amittuntur per excommunicationem: quia *cap. Pastoralis, §. nos itaque, de appellationibus.* vbi dicitur, illi prouentus Ecclesiastico meritò subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur, &c. sed fructus patrimonij non sunt prouentus Ecclesiastici, nam non percipiuntur ex rebus Deo dicatis, cuius rei argumentum est, nam post adeptionem beneficij Ecclesiastici patrimonium potest alienari, vt colligitur ex Concil. Tridentino *sess. 21. c. 1. de Reformatione*, quod fieri non posset, si patrimonium spirituale aliquid haberet annexum. Vnde quamuis Clericus qui elapsis sex mensibus post beneficium Ecclesiasticum, vel pensionem clericalem habitã officium non recitauerit, ad restitutionem fructuum sit obligatus, ex Concilio Later. *sess. 9.* & ex constitut. Pij V. quæ incipit, *Ex proximo*, quam refert Nauar. *summa c. 25. n. 122.* Qui tamen ad titulum patrimonij est ordinatus, ad id non obligatur; quia patrimonium non est beneficium; vt docet Syl. *verb. decima, quæst. 7. n. 54.* Azor. *part. 2. inst. mor. lib. 3. c. 2. dub. 2.* Suarez *tom. 5. de cens. disp. 13. sect. 2. n. 21.*

III. *Titulo dubitationis respondetur, & explicatur*

### DVBITATIO II.

*An iustè excommunicatus faciat fructus suos si per ipsum non stet quin absoluat?*

Dico secundò, si quis iustè fuerit excommunicatus, & iam pœnituit, nec per eum stat, quominus absoluatur, tunc licèt in foro exteriori priuetur fructibus beneficij Ecclesiastici quod ante excõmunicationem obtinuit, in conscientia tamen ex pia matris Ecclesiæ intentione fructus beneficij facit suos, quia per *c. cit. Pastoralis, de appellationibus*, beneficiarius priuatur fructibus beneficij in pœnam contumaciæ; ergo cessante contumacia per actum interiorem, cessabit etiam in foro conscientiæ effectus iste pœnalis: tum, quia excommunicatus etiam denunciatus iniustè, vel iustè, contritus tamen, antequam absoluatur, gaudet Ecclesiæ suffragiis propter communicantiam in charitate, licèt Ecclesia speciatim ex animo, & Intentione non oret pro illo, quia non præsumit ei inesse charitatem, vt docet præclarè D. Th. *in additio. ad 3. part. quæst. 7. art. 1. in fine, & suprà q. 21. art. 1. ad 2.* Nauar. *in Iubileo not. 31. n. 48. ad finem*; ergo similiter Clericus beneficiarius excommunicatus, quem iam pœnituit contumaciæ, ob quam in excommunicationem incidit, & per ipsum non stat quominus ab excommunicatione absoluatur, in foro saltem conscientiæ gaudebit fructibus sui beneficij, suos illos faciens, & ita hanc sententiam docuit Syl. *verb. Clericus 4. n. 17. quæst. 15.* citans alios Sayr. *lib. 2. de cens. c. 5. n. 19.* Conradus *tom. 1. casuum quæst. 36. in principio additionis.* Imò glossa super *c. Pastoralis, de appellationibus, verb. subtrahuntur*, sustinet, quòd excommunicato non subtrahuntur prouentus sui beneficij quod ante excommunicationem obtinuit, nisi hoc in sententia excommunicationis fuerit expressum, quod etiam docet summa Rosella apud Syl. *loc. nuper allegato quæst. 24.*

Dico tertiò, beneficiarius, qui lapsus est in excommunicationem post beneficij consequutionem, non est priuatus fructibus, vel redditibus, vel distributionibus beneficij, consequenter neque tenetur eos à se sponte abdicare, modò exequatur onera, & officia beneficij; siue excõmunicatus sit curator animarum, siue sit Canonicus, siue habeat beneficium simplex. Ratio est, quia nullo iure expressè probari potest beneficiarium, qui obtento beneficio lapsus est in excommunicationẽ, ipso iure priuatum esse fructibus beneficij. Nam *c. Pastoralis, de appellationibus, §. verum*, &c. habetur verbum *subtrahuntur*, quod non significat priuationem

nem ipso facto, & ante iudicis sententiam, sed pœnæ non incurruntur nisi clarè, & expressè sit in iure expressum. *cap. is, qui, de sententia excomm. in 6.* ergo cùm *cap. Pastoralis* subobscurè loquatur quantum ad priuationem fructuum beneficiarij excommunicati; hanc pœnam in conscientia beneficiarij excommunicati non incurrunt ante iudicis sententiam declarantis, saltem tales esse beneficij fructibus priuatos, tum quia versantur in materia odiosa, & pœnali, quæ mitiùs interpretanda est, quantum fieri potest; tum, quia licèt, quo ad Deum, beneficiatius excommunicatus non rectè præstet officium suum, tamen quo ad Ecclesiam facit, quod ab ipsa præcipitur, vt iustè recipiantur fructus: & ita hanc sententiam tenet apertè Nauarr. *tom. 2. consil. lib. 5. de sententia excomm. consil. 30. num.* 2. Bonacina *tom. 1 tract. de censuris, disp. 2. quæst. 2. puncto* 4. §. 2. *num.* 2. *propos.* 1. allegans multos alios. Sanchez *lib. 3. de matrim. disp.* 51. *num.* 12. & 6. *tandem probatur*, &c. & *lib. 2. oper. moral. c. 26. num.* 11. Filliuc. *tom. 3. de benef. Eccl. tract.* 41. *cap.* 5. *quæs.* 4. *n.* 16. quamuis ipse contrarium sentiat, appellat hanc opinionem probabilem.

## Dvbitatio III.

IV. *An iustè excommunicatus possit recipere distributiones, si per ipsum non stet quin absoluatur, & choro intersit?*

Dico quartò, beneficiarius iustè excommunicatus, qui non assistit diuinis Officiis, qui tamen consueuit adesse choro, potest recipere distributiones, quæ dantur assistentibus choro, si per ipsum non stet, quominus absoluatur, & ne intersit diuinis Officiis; quia cùm per ipsum non stet ne absoluatur, videtur legitimè impeditus; at legitimè impeditus potest distributiones, & fructus percipere. ergo, &c. & multo magis, si iniustè, & per iniuriam ei denegetur absolutio: vt fatetur Bonacina *loco nuper adducto num.* 7. *vers. Sed mihi probabilius dicendum.* hanc assertionem videtur tenere Nauarr. *consilio* 50. *cit. num.* 1. Sayr. *lib. 2. de censuris, cap.* 1. *num.* 29. Sà *verb. benef. num.* 50. contra Suarez *tom.* 5. *de cens. disp.* 13. *sect.* 2. *num.* 21.

Dico quintò, probabiliter etiam alij DD. & quidem non pœnitendi, asserunt excommunicatum non facere proprij beneficij fructus suos, si sententia excommunicationis sit valida, licèt sit iniusta propter valorem, & efficaciam eius, recuperari tamen possunt propter iniustitiam illius post absolutionem. Ita Sayr. *lib. 1. de censuris, cap.* 5. *num.* 25. Imò quantumuis excommunicatus sit occultus, tenetur, per se loquendo, fructus perceptos beneficij Ecclesiastici restituere: quia quòd excommunicatio lateat, vel ab aliis ignoretur, non impedit effectum excommunicationis quantum ad ipsum excommunicatum, sic Filliuc. *tom. 3. de benef. Eccl. tract.* 41. *cap.* 5. *q.* 4. *num.* 16. Item, etiamsi excommunicatus vera, & efficaci voluntate recesserit à contumacia, si non est absolutus, non facit fructus suos, quia totam hanc pœnam meritus est propter priorem contumaciam, ob quam est excommunicatus: quòd si iniustè petenti absolutionem ab excommunicatione, ea denegetur, amittuntur quidem fructus beneficij pro tempore, quo durat excommunicatio, recuperari tamen possunt post absolutionem ob iniustam dilationem absolutionis, Suarez *tomo* 5. *de cens. disp.* 13. *sect.* 2. *n.* 19. & 20. Si verò excommunicatio sit omnino nulla, & inualida, beneficij fructus non amittuntur; quia per excommunicationem nullam beneficiarius non est verè excommunicatus.

## Dvbitatio IV.

V. *In quid impendendi sint fructus, quibus excommunicati in contumacia existentes priuantur, præsertim si sint distributiones quotidianæ?*

Dico sextò, fructus beneficij, quibus excommunicati in contumacia existentes priuantur, sunt expendendi in vtilitatem Ecclesiæ, ad quam beneficium spectat. Nomine Ecclesiæ comprehenditur etiam subuentio pauperum, & egenorum. Pars verò fructuum, qui pensionario adiudicata est, semper manet reseruata ex fructibus beneficij, vt illi soluatur, cuius est pensio: quia excommunicatus non est cogendus ad soluendam pensionem ex propriis bonis, pensio enim non est imposita super personam, sed super beneficium; ergo ex fructibus beneficij est soluenda: videatur idem Suarez *loc. cit. n.* 24. 25.

Dico septimò, distributiones verò quotidianæ, quæ in consuetudine, vel statuto, accrescunt interessentibus choro, ipsis Canonicis assistentibus horariis precibus sunt restituendæ quando quis non recitauit Officium diuinum, vel ob excommunicationem, aut ob aliam quamcumque causam illas amittit. Ita Nauarr. *summa cap.* 25. *num.* 123. quòd si res est occulta, & restituendo distributiones, vel alios, fructus interessentibus choro, suum peccatum proderet, potest in alios vsus pios expendere, vel pauperibus, siue illius loci, vbi beneficium suum est, siue alterius, vt benè annotauit Less. *lib. 2. de iustitia, cap.* 34. *dub.* 32. *num.* 177.

Dico octauò, ad maiorem intelligentiam præsentis difficultatis, quòd quamuis sententiam, quam explicuimus *assertione* 5. sit probabilis de rigore iuris, propter *cap. pastoralis, de appellationibus*, tamen ex recepta consuetudine asserunt aliqui non solere excommunicatum priuari fructibus beneficij, vt videre est apud Rebuffum *in repetition. cap. postulastis, n.* 84. *de Clerico excommunicato ministr.* Et quidem cùm hoc sit ius positiuum, non est dubium, quin per contrariam consuetudinem potuerit illi derogari, vt ipsemet Suarez fatetur *loc. cit. num.* 25.

VI. *Rationi à principio respondetur.*

Ad rationem positam à principio respondetur quòd probat nostram tertiam assertionem: tenentes autem sententiam affirmatiuam, quam in quinta assertione diximus esse probabilem, sic poterunt respondere, negando consequentiam. nam magnum est discrimen inter hanc pœnam, quam incurrit excommunicatus, & illam, qua quis aliqua lege priuatur suis propriis bonis. Nam in isto casu vt de hæretico, & similibus supponitur, reum habuisse verum dominium talium bonorum, & consequenter legitimam eorum possessionem, & vsum, & ideo licèt ex rigore legis à tempore delicti priuetur dominio directo talium bonorum, tamen ex benignitate legis non cogitur seipsum possessione & vsu talium bonorum priuare, donec per sententiam de crimine condemnetur. Cæterùm excommunicatus nunquam habuit dominium eorum fructuum, qui post incursam excommunicationem ex beneficio prouenerit, quia neque ante excommunicationem tale dominium habuit, non enim habuit actè ius in illis, sed ad illos, & hoc ius fuit impeditū per excommunicationem, & ideò post eam contractā non acquisiuit tale dominiū lege illud impediente: excōmunicatus igitur nullo tēpore habuit dominiū talium fructuū, neque legitimā possessionē, aut vsum eorū, & ideo in cōscientia illos restituere tenetur: videatur pro hac solutione Suar. *loc. adducto n.* 9.

## ARTICVLVS XVI.

## An beneficiarius suspensus ab officio fructibus beneficij priuetur?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas explicatur, quærendo, An suspensus ab officio possit interesse Diuinis, & an idem dicendum de suspenso à Diuinis, & quid sit esse suspensum ab officio.*
3. *Dubitatio resoluitur, ne dum quoad fructus beneficij, sed etiam quoad distributiones, quæ sunt annexa officio.*
4. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, quomodo intelligatur accessorium sequi suum principale.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm suspensus ab officio, est suspensus etiam à beneficio; sed suspensus à beneficio, priuatur fructibus beneficij. ergo, &c. Maior verò probatur, nam beneficium est accessorium ad officium, & propter officium tribuitur beneficium. *cap. fin. de rescripſ.* 6. sed suspensus à principali, suspenditur etiam ab accessorio, arg. *Accessorium, de reg. iur.* 6. ergo suspensus ab officio, quod est principale, suspenditur etiam ab accessorio, quod est beneficium, & ita hanc sententiam tenet glossa *cap. Latrones, de Clerico excomm. ministrante, verb. ab officio.*

### DVBITATIO I.

II. *An suspensus ab officio possit interesse Diuinis? & an idem dicendum de suspenso à Diuinis? & quid sit esse suspensum ab officio?*

Dico primò, suspensus ab officio potest interesse Diuinis, dummodo tanquam hebdomadarius non officiet, aut actum Ordinis exerceat, licèt tanquam laicus in choro cum aliis possit canere. Tolet. *in summa lib.* 1. *cap.* 43. *n.* 6. Idem prorsus dicendum de suspenso à Diuinis, qui potest interesse Diuinis, non tamen ex officio officiare, aut actum Ordinis exercere. Nauar. *tomo* 2. *consiliorum lib.* 5. *de Cleric. excomm. consil.* 1. *n.* 4. contra Tol. *loc. cit.* negantem suspensum à Diuinis, posse interesse Diuinis, & Sayr. *lib.* 4. *de cens. cap.* 5. *n.* 26.

Dico secundò, suspensus ab officio ille dicitur, cui prohibetur exercitium Ordinis Ecclesiastici, vel iurisdictionis Ecclesiasticæ: suspensus à toto officio ille est, qui priuatur vsu cuiuscumque Ordinis, & simul vsu iurisdictionis. Nam per officium vtrumque intelligitur, tam officium Ordinis, quàm iurisdictionis Ecclesiasticæ: suspensus à parte officij multipliciter dicitur, nam aliquando est à toto Ordine, tamen solo; aliquando à parte, vt sacerdotio, aut Diaconatu, aut alio inferiori; suspensus verò à beneficio dicitur qui priuatur iure percipiendi fructus Ecclesiasticos, vel in totum, vel in partem, &c. his positis,

III. *Dubitatio resoluitur, ne dum quoad fructus beneficij, sed etiam quoad distributiones, quæ sunt annexæ officio.*

Dico tertiò, suspensus ab officio præcisè, siue à iure, siue ab homine, per se non est suspensus à beneficio, & consequenter, sic suspensus non priuatur fructibus beneficij. Probatur, quia suspensus ab officio tenetur & potest saltem officium canonicum priuatim recitare, quæ præcipua pars oneris est, quod imponitur, vt quis fructus beneficij iustè percipere possit. tum, quia licèt ratio institutionis beneficij sit officium, tamen non semper est necessarium, vt is, qui habet beneficium penes, exerceat aliquod Ecclesiasticum, ac publicum officium ad percipiendus licitè fructus beneficij. ergo, &c. & ita hanc sententiam docet Nauar. *summa cap.* 27. *num.* 160. Saytus *lib.* 4. *de cens. cap.* 5. *num.* 15.

Dico quartò, suspensus ab officio priuatur distributionibus quæ consequuntur ratione beneficij, cui aliquis Ordo est annexus his, qui per se assistunt, & ex officio ministrant in diuinis Officiis, vt sunt distributiones quotidianæ Cathedralium Ecclesiarum, iuxta *c. licèt, de prebendis.* Nam hi fructus ita sunt annexi personali ministerio alicuius Ordinis, & officij, vt absque illo non dentur. ergo suspensus ab officio Ordinis cùm non possit ministrare ex officio in Diuinis, priuatur his distributionibus, quæ non dantur nisi ministrantibus, & præsentibus, propter ministerium personale. Ita bene Nauar. & Sayr. *locis cit.* Suarez *tom.* 5. *de cens. disp.* 16. *sect.* 3. *num.* 4. Bonacina *tom.* 1. *tract. de cens. disp.* 2. *quæst.* 5. *punct.* 2. §. 3. *num.* 2.

IV. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

### DVBITATIO II.

*Quomodo intelligatur accessorium sequi suum principale?*

Nec officit contra nostram tertiam assertionem ratio in contrarium à principio adducta, negamus enim suspensum præcisè ab officio esse similiter à beneficio suspensum, quia verba strictè sunt intelligenda in his quæ odium, seu pœnam continent; & ad probationem respondetur, accessorium sequi suum principale, quando ista duo necessariò se consequuntur: officium, & beneficium non ita se habent, quandoquidem officium Ordinis sæpiùs sine beneficio habetur, vt experientia testatur, multi enim Clerici beneficio carent: sicut igitur non necessariò sequitur, vt qui officium habet, beneficium habeat; ita neque necesse est, vt qui ab officio suspenditur, à beneficio etiam sit suspensus: tum, quia, vt diximus eadem assertione tertia, non est necessarium, vt qui habet beneficium, per se exerceat actum Ordinis ex officio, videatur Sayr. pro hac solutione *num.* 19.

## ARTICVLVS XVII.

## An suspensus à beneficio lucretur distributiones quotidianas, quæ tribui solent illis qui diuinis Officiis intersunt?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, explicando, quid sint beneficiorum fructus annui, & quid sint distributiones quotidianæ.*
3. *Dubitatio resoluitur.*
4. *Rationi in contrarium respondetur, & explicatur, an interesse diuino Officio sufficiat ad recipiendas distributiones quotidianas?*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm distributiones quotidianæ non dantur intuitu beneficij, sed intuitu officij illis, qui diuinis

nis Officiis intersunt, sed suspensi à beneficiis possunt interesse Officiis diuinis, & agere omnia spiritualia, vt fatentur omnes, & speciatim Sayr. *lib. 4. de censuris, cap. 6. num. 3.* ergo suspensi à beneficiis poterunt lucrari distributiones quotidianas interessendo diuinis Officiis.

### II. *Veritas aperitur, & explicatur*

### Dvbitatio I.

*Quid sint beneficiorum fructus annui? & quid sint distributiones quotidianæ?*

Dico primò, beneficij fructus sunt annui quidam redditus, qui ex certis bonis Ecclesiæ percipi solent; distributiones verò quotidianæ sunt portiones dari solitæ beneficiatiis eo, quòd diuinis Officiis statuto tempore intersunt, conflatæ quidem ex prouentibus beneficij, conferendæ tamen assistentibus diuinis Officiis iuxta quantitatem assistentiæ, & seruitij præstiti: videatur Azor. *part. 2. instit. moral. lib. 7. c. 7. dub. 2.*

### III. *Dubitatio resoluitur.*

Dico secundò, suspensus à beneficio priuatur iure percipiendi fructus, & distributiones, quæ beneficiatiis intuitu beneficij conferuntur, vt sunt distributiones quotidianæ, quæ conferuntur Canonicis choro interessentibus. Probatur, nam suspensio à beneficio importat priuationem omnium emolomentorum, & redditnum, quæ intuitu beneficij percipiuntur; sed distributiones quotidianæ, quæ conferuntur Canonicis choro assistentibus, dantur illis intuitu Canonicatus, & beneficij, quia solis ipsis beneficiatiis conferuntur. ergo, &c. Sayr. *lib. 4. de cens. c. 6. n. 11.*

Dico tertiò, suspensus à beneficio non priuatur stipendiis, & distributionibus, quæ extraordinariè à fidelibus tanquam eleemosynæ ratione Missæ, vel alterius diuini Officij, vel ob mortuaria, vel anniuersaria offeruntur: quia hæc non pertinent per se ad fructus beneficij, nec dantur propter ordinarium ministerium eius, sed ratione operæ personalis lucrifiunt: Sayr. *loco cit.* Bonacina *tom. 1. tract. de horis Canonicis, disp. 2. quæst. 5. puncto 2. § tertiò, num. 3.*

Secus autem, si huiusmodi stipendia essent ordinariè annexa, & per se coniuncta beneficio: quia tunc comparantur tanquam fructus beneficij, & ex illius titulo promanarent, vt bene annotauit Suarez *tom. 5. de censuris, disp. 27. sect. 1. n. 30.*

### IV. *Rationi in contrarium respondetur, & explicatur*

### Dvbitatio II.

*An interesse diuino Officio sufficiat ad recipiendas distributiones quotidianas?*

Ad rationem in contrarium quatenus militat contra nostram assertionem secundam, respondetur negando maiorem. Nam distributiones quotidianæ, quæ ordinariè dantur assistentibus choro, conferuntur ratione beneficij, & ita sub effectu suspensionis à beneficio comprehenduntur, vt sentit gloss. *in Clem. 1. de vita, & honest. Clericorum, verb. suspensus,* &c. etenim licèt distributiones quotidianæ dentur immediatè propter assistentiam, vel ministerium ad aliquod diuinum Officium, tamen hoc non est propter rationem beneficij, quod ex institutione sua propter officium datur; & præterea illud officium non esset sufficiens ratio ad lucrandas illas, ac tam pingues distributiones, nisi ex titulo beneficij lucrifierent: sunt ergo illæ distributiones, veluti pars quædam beneficij; suspensus igitur à toto beneficio, erit etiam suspensus ab his distributionibus. Saluo semper meliori iudicio.

---

## Articvlvs XVIII.

## An beneficiarij curam habentes, vel prouisi de Canonicatibus, vel dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus, si fidei professionem non fecerint iuxta decretum Concilij Tridentini *sess. 24. cap. 12. de Reformatione,* possint sibi fructus beneficij in conscientia retinere?

### *Svmmarivm.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, inquirendo, an possint retinere sibi fructus si id ignorent.*
3. *An beneficiarij si intra duos menses ab adepta possessione beneficij fidei professionem non emiserint, teneantur postea illam emittere.*
4. *An culpabiliter non facientes professionem fidei, in foro conscientiæ statim amittant fructus, & quid de illis fructibus faciendum sit.*
5. *An fidei professio facta post duos menses iuuet ad licitè quærendos fructus amissos.*
6. *An qui non emisit fidei professionem infra duos menses, possit recipere distributiones quotidianas, si diuino intersit Officio.*
7. *An beneficium dimittens, & aliud acquirens, teneatur denuo professionem fidei emittere.*
8. *An Prælati Regularium teneantur infra duos menses ab adepta possessione præfecturæ emittere fidei professionem.*
9. *Ad rationem à principio respondetur, explicando, an pœna, aliquam hominis actionem requirens, sit subeunda ante vllam iudicis sententiam.*

### I. *Pars affirmatiua probatur.*

Nam pœna, quæ consistit in aliqua actione, & passione, iuxta glossam *in cap. fraternitas 12. q. 2.* ante iudiciariam criminis condemnationem non debetur. ergo, hæc pœna non faciendi fructus suos, quæ imponitur beneficiariis, qui intra duos menses non fecerint fidei professionem, non est in conscientia soluenda ante iudicis sententiam, saltem declaratoriam criminis commissi.

### II. *Veritas aperitur, & inquiritur*

### Dvbitatio I.

*An possint retinere sibi fructus si id ignorent?*

Dico primò, beneficiarij curam animarum habentes, & prouisi de Canonicatibus, & dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus, qui per iustam ignorantiam, vel obliuionem intra duos menses publicam fidei professionem non fecerint, quoad forum conscientiæ fructus beneficij lucrifaciunt: quia qui bona fide & per ignorantiam inuincibilem, vel obliuionem, transgreditur legem humanam, sicut culpam, ita etiam & pœnam in conscientia non contrahit. ergo, &c. Ita bene Nauarr. *tom. 1. lib. 2. de interimanda consil. 12. num. 2.*

## Dubitatio II.

III. *An beneficiarij, si intra duos menses ab adepta possessione beneficij, fidei professionem non emiserint, teneantur postea illam emittere?*

Dico secundò, tales beneficiarij, qui lege Concilij Tridentini obstringuntur intra duos menses ab adepta possessione beneficij publicè emittere professionem fidei, si illam non fecerint intra tempus signatum, illo elapso debent eam emittere; quia qui iubetur facere aliquid intra certum tempus, ad duo videtur obligari, videlicet ad faciendum illud intra signatum tempus, si potest, & ad faciendum illud post lapsum temporis præstituti, quàm citò commodè facere poterit, etiamsi non potuit illud antea facere, Ita decernitur *in cap. cum dilecti, de dolo, & contumacia.*

## Dubitatio III.

IV. *An culpabiliter non facientes professionem fidei, in foro conscientiæ statim amittant fructus? & quid de illis fructibus faciendum sit?*

Dico tertiò, ob professionem fidei prætermissam mala fide, vel ob ignorantiam vincibilem, & damnabilem, pœna in Concilio Tridentino irrogata in foro conscientiæ, ante vllam iudicis sententiam contrahitur, quia Concilium ait fructus non facere suos. ergo fructuum ius, & dominium acquirere iure non possunt. Azor. *part. 2. instit. mor. lib. 7. c. 2, dub. 1.* Less. *lib. 2. de iust. c. 34. dub. 39 n. 165.*

Huiusmodi fructus, quibus priuantur beneficiarij non emittentes fidei professionem intra duos menses, in vsus pauperum, vel in fabricam Ecclesiæ sunt impendendi, sicut fructus eorum, qui non resident, *c. 1. vers. si quis autem, sess. 23. Lateranensis Concilij.*

## Dubitatio IV.

V. *An fidei professio facta post duos menses iuuet ad licitè quærendos fructus amissos?*

Dico quartò, fidei professio facta post duos menses non prodest quo ad quærendos præteriti temporis amissos fructus, sed sic ad quærendos temporis futuri, quia regolariter semel ipso iure perdita, non quæruntur ipso iure, ex *cap. quam periculosum, 7. quæst. 1.* vt docet Nauarr. *loc. cit. consil. 11. n. 3.*

Excusaret tamen, vt diximus *assertione* 1. ignorantia huios legis, incogitantia, inaduertentia, vel obliuio inculpata in foro conscientiæ ad restituendos fructus præteriti temporis, quia lex pœnalis humana sine culpa in conscientia non obligat: in foro tamen exteriori non admittitur ignorantia iuris, nisi probetur, præsertim in his, quæ quis tenetur scire iuxta statum suum. Vide Filliuc. *tom. 3. de benef. Eccl. cap. 6. tract. 41. quæst. 2. num. 11.*

## Dubitatio V.

VI. *An qui non emisit fidei professionem infra duos menses, possit recipere distributiones quotidianas, si diuino intersit Officio?*

Dico quintò, quando beneficium fructus reddit à distributionibus quotidianis separatos, beneficiarius fidei professione non facta quotidianas distributiones interessendo diuinis Officiis lucrifacit. Quia Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 12. de Reformatione*, solùm priuat facere omittentes fidei professionem intra duos menses, fructibus beneficij, sed in fructibus beneficij distributiones quotidianæ minimè computantur quando beneficium fructus reddit à distributionibus separatos. ergo, &c. secus autem quando beneficij fructus non nisi in distributionibus quotidianis consistunt. Ita censuit sacra Concilij Tridentini Congregatio, ex Filliucio *loco* nuper *adducto n. 13.*

Dico sextò, fidei professionem omittentes, non iuuat regula Cancellariæ de triennali pacifico, & quieto beneficij possessore non molestando, cuius auctor fuisse fertur Calixtus III. quem posteriores Pontifices deinde sunt imitati, non iuuat, inquam, quo ad lucrandos fructus contra dispositionem Concilij Tridentini *sess. 24. cap. 12. de Reform.* quia regula illa ius in fructibus non tribuit, sed solùm in proprietate, & titulo beneficij. Nauarr. *tom. 1. consil. lib. 2. de iureiurando, consil. 7. num. 1.*

## Dubitatio VI.

VII. *An beneficium dimittens, & aliud acquirens, teneatur denuo professionem fidei emittere?*

Dico septimò, Canonicus, vel Parochus facta semel professione fidei, si dimisso priori Canonicatu, vel parochia posteriorem obtinet in alia Ecclesia, debet secundùm aliquos semel, & iterum fidem publicè profiteri; alij verò negant, maximè si secundum beneficium in eadem diœcesi, in qua erat primum, accipit. Sed prima opinio probabilior mihi videtur, quia sacrum Concilium vniuersim loquitur, quòd hi quibus prædicta beneficia conferuntur, fidei professionem faciant: tum, quia sicut publica professio fidei ratione Doctoratus non sufficit ad suscipiendum Canonicatum, vel parochiam, vt beneficiarius faciat fructus suos, sed de nouo est facienda in adeptione beneficij, vt fatetur Nauarr. *consil. 12. cit.*

## Dubitatio VII.

VIII. *An Prælati Regularium teneantur infra duos menses ab adepta possessione præfectura emittere fidei professionem?*

Dico octauò, hanc fidei professionem Prælati, & Superiores Regularium emittere tenentur intra duos menses ab adepta possessione præfecturæ per extensionem Pij IV. in sua constitutione incipiente, *Iniunctum*, quæ est 89. & docet etiam Nauarr. *consil.* 10. *loco citato*, non tamen extenditur ad Canonicatus & dignitates Collegiatarum, nec ad pensionarios in Cathedralibus: personatus autem, & habentes Officia in Cathedralibus, tenentur fidei professionem emittere, quia æquiparantur in iure dignitatibus. videatur Filliuc. *loco adducto q. 2. num. 7.*

Dico nonò, per procuratorem autem hæc professio fieri non potest. Ita decreuit sacra Congregatio, vt refertur *in fine consilij* 11. apud Nauarr. *loco cit.* quia hæc professio videtur actus personalis, facienda per ipsum beneficiarium: quidquid contrà sentiat Azor. *part. 2. instit. moral. lib. 7. cap. 2. dub. 6.*

IX. *Ad rationem à principio respondetur, & explicatur*

### Dvbitatio VIII.

*An pœna, aliquam hominis actionem requirens, sit subeunda ante vllam iudicis sententiam?*

Ad rationem in contrarium, quæ directè militat contra nostram tertiam assertionem, respondetur quòd etiam pœna quæ ad sui exequutionem aliquam hominis actionem requirit, est subeunda ante vllam iudicis sententiam, quoties ex verbis legis constat legis latorem velle obligare ad eam subeundam ante vllam sententiam, vt bene annotauit Bonacina *tom. 2. de lege pœnali, disp. 1. quæst. 1. puncto 7. §. 2. num. 15.* & quoniam Concilium Tridentinum *loc. cit.* manifestè impedit acquisitionem fructuum beneficiariis curam animarum habentibus, & prouisis de Canonicatibus, & dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus professionem fidei non emittentibus intra duos menses ab adepta possessione beneficiorum, ideóque in conscientia fructus non faciunt suos, & absque vlla declaratione ad eorum restitutionem tenentur, vt adnotarunt Azor. *part. 2. instit. moral. lib. 7. cap. 2. dub. 2.* Less. *lib. 2. de iustitia, cap. 34. dub. 39. num. 165.* Filliuc. *tomo 3. de benef. Eccl. tract. 41. cap. 6. quæst. 2. num. 12.* Nisi obliuio inculpabilis, ignorantia, incogitantia, inaduertentia probabilis excusaret: nam lex pœnalis humana nullatenus ad memoriam reducta in conscientia non obligat, vt diximus ex Nauarr. *consil. 12. cit. num. 2.*

---

## Articvlvs XIX.

## An qui ad beneficium parochiale promouetur, si non habet animum clericandi, nec intra annum ad Sacerdotium ascendendi, in conscientia fructus perceptos restituere teneatur?

*Svmmarivm.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur, quænam ætas requiratur ad habendum beneficium parochiale.*
3. *Dubitatio resoluitur, explicando insuper, An si infra annum voluntatem mutaret, possit sibi fructus retinere.*
4. *An recipiens beneficium parochiale, animo dubio ascendendi ad sacerdotium, lucretur fructus beneficij.*
5. *An peccet mortaliter suscipiens beneficium parochiale animo non ascendendi ad sacerdotium, & quid requiratur ad hoc, vt faciat fructus suos.*
6. *An recipiens beneficium parochiale animo permutandi, faciat fructus suos, & an peccet.*
7. *An recipiens beneficium parochiale, si infra annum non fiat Sacerdos, sit absque monitione priuatus beneficio, & fructibus.*
8. *An recipiens beneficium animo non ascendendi ad sacerdotium, peccet mortaliter, & teneatur mutare voluntatem, &, An acquirat verũ titulum beneficij.*
9. *Rationi à principio respondetur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

Nam leges humanæ positiuæ non habent ius & potestatem in actus mentis internos, Ecclesia enim non iudicat de internis; ergo non potest præcipere, vt qui parochialem Ecclesiam assequitur, in animo habeat intra annum fieri Sacerdos, & consequenter, nec habet facultatem imponendi hanc pœnam amissionis fructuum, si beneficiarius curam habens animarum, non habet animum clericandi, & ascendendi intra annum ad sacerdotium.

### Dvbitatio I.

II. *Quænam ætas requiratur ad habendum beneficium parochiale?*

Dico primò, vt parochiale beneficium quis suscipiat, sufficit ea ætas, in qua intra annum ad sacerdotium prouehi queat, ab eo tempore computandum, quo pacatam beneficij possessionem est nactus. *cap. licèt canon, de electione, in 6.* Azor. *part. 2. instit. moral. lib. 6. cap. 24. dub. 4.* Quòd si legitimo impedimento detentus fuisset, vt sit ægrotasset, vel abfuisset Episcopus, vel dimissorias dare non potuisset, vel recusasset promouere ad sacerdotium, posset vltra annum differri. gloss. *in c. commissa, de elect. in 6, verb. iusto impedimento.*

III. *Dubitatio resoluitur, & explicatur insuper,*

### Dvbitatio II.

*An si infra annum voluntatem mutaret, possit sibi fructus retinere?*

Dico secundò, qui beneficium parochiale acquirit absque vlla voluntate ad sacerdotium ascendendi, debet omnes fructus perceptos restituere. Ita *in c. commissa, §. cæterùm, de elect. in 6.* quòd si mutata voluntate intra annum promoueatur, potest retinere fructus omnes, quia fraus initio concepta purgatur per promotionem secutam intra annum, glossa *in cap. commissa, verbo mutata.* Nauarr. *summa cap. 25. num. 118. vers. Decimò peccet*, &c.

Dico tertiò. accipiens beneficium parochiale, si ab initio habuit animum recipiendi sacerdotium intra annum, sed postea voluntatem mutauit, fructus receptos prima voluntate manente non tenetur restituere: quia pro illo tempore fuit in possessione legitima beneficij. ergo pro illo tempore facit fructus suos: tenetur tamen perceptos fructus post voluntatem mutatam restituere, quia eadem est ratio de eo, qui ab initio habuit in animo promoueri ad sacerdotium, & postea mutata voluntate non suscipit illud intra annum, pro illo tempore, quo mutauit voluntatem, atque de eo, qui ab initio accepit beneficium parochiale habens in animo non capessendi sacerdotium, sed hic si de facto intra annum sacerdotio non insignitur, omnes fructus perceptos restituere tenetur, ergo & ille pro tempore, quo mutauit voluntatem ad sacerdotium non promoueri, non faciet fructus suos, & illos in conscientia restituere tenebitur, & ita hanc sententiam tenet Sotus *lib. 10. de iust. q. 5. art. 6. concl. 1,* contra Less. *lib. 2. de iust. c. 34. dub. 26. n. 134.*

### Dvbitatio III.

IV. *An recipiens beneficium parochiale animo dubio ascendendi ad sacerdotium, lucretur fructus beneficij?*

Dico quartò, qui dubio animo, & voluntate ascendendi ad sacerdotium suscipit parochiale beneficium, non lucratur fructus beneficij, quia qui hæsitat ad sacerdotium promoueri, non intendit illud suscipere; sed

ſed textus *cap.commiſſa, de elect.in 6.* aſſerit,non intendens ſuſcipere ſacerdotium, nun facit fructus ſuos. ergo,&c.Ita bene annotauit Sotus *loco cit.verſ.& nota,* &c.quòd ſi poſtea hæſitans ab initio,intra annum factus eſt Presbyter,tuta conſcientia totius anni fructus poteſt ſibi retinere, quia ambiguitatem ſuo facto intra annum purgauit,ſic Azor. ſequens Sotum *part. 2. inſtit.mor.lib.6.cap.9.dub.3.*

## Dvbitatio IV.

V. *An peccet mortaliter ſuſcipiens beneficium parochiale animo non aſcendendi ad ſacerdotium; & quid requiratur ad hoc vt faciat fructus ſuos?*

Dico quintò, qui firmato animo nunquam ſacerdotalem Ordinem ſuſcipiendi parochialem Eccleſiam poſſidet,præterquam quòd fructus,vt ait textus, non facit ſuos, non eſt immunis à delicto mortali, niſi illam dereliquerit, quia Eccleſiam occupat, cui ſeruire non cogitat. Sotus *loco* nuper *adducto, verſ. Porrò verò*, &c.poſt primam concluſionem, quem ſequitur Leſſ.alleg *num.132.*

Dico ſextò, vt accipiens beneficium parochiale faciat fructus ſuos,ſatis eſt vt ſincerè,& bona fide proponat aſcendere intra annum ad ſacerdotium, nec velit ab eo propoſito reſilire, niſi cauſa aliqua iuſta inciderit, v.g. niſi frater primogenitus moriatur, vel niſi optimum matrimonium ad conſeruandam magnam familiam,vel ad lites extinguendas neceſſarium oblatum fuerit. Nam conditionalis intentio eſt vera intentio; ergo hæc ſufficit ab initio, &c. vnde ſi poſtea voluntate mutata nolit ad ſacerdotium promoueri,poteſt retinere ſibi fructus perceptos,ante illam mutatam, quia per illam mutationem non amittit beneficium antè legitimè acceptatum, & conſequenter lucratur iuſtè fructus perceptos vſque ad illam animi mutationem.Ita bene Leſſ *lib.2.de iuſt.c.34. dub.26. num.133.*

Dico ſeptimò, ſatis etiam probabiliter dici poteſt cum Magiſtro Soto *loco cit.§.& nota,* &c. *verſ.ſi autem intentionem*, &c. hanc Intentionem conditionalem aſcendendi ad ſacerdotium non ſufficere, vt quis tuta conſcientia faciat fructus ſuos: quia textus *cap. commiſſa,de elect. in 6.* abſolutam intentionem aſcendendi ad presbyteratum videtur expoſcere in beneficiatio; & ratio etiam ſuffragatur. Nam qui abſolutè percipit fructus, abſolutam etiam habere debet intentionem ſacerdotium ſuſcipiendi.

## Dvbitatio V.

VI. *An recipiens beneficium parochiale animo permutandi, faciat fructus ſuos, & an peccet?*

Dico octauò,ſi quis recipiat beneficium parochiale habens quidem animum aſcendendi ad ſacerdotium,cum voluntate tamen illud permutandi, vel reſignandi, accepta penſione, ſi interim per idoneum Vicarium ſuo muneri ſatisfacit, facit quidem fructus ſuos,quia cùm talis non ſit,ipſo iure priuatus beneficio, non apparet cur debeat fructus reſtituere. Nauarr.*tomo 1. conſil.lib.3.de Clerico non reſidente,conſil. 16. num. 2.*

Dico nonò,peccaret tamen iſte,quia decipit Eccleſiam,quæ ſi putaret hunc habere talem animum,nullo modo vellet ei conferre beneficium; non tamen peccatum eſſet mortiferum, quia Eccleſiæ non infertur notabile detrimentum,cùm ei inſeruiat per alium,recitando horas Canonicas, & alia neceſſaria faciendo. Leſſ.*loc.adducto num.136.*Sed aduertendum, quòd modò Romæ exigitur iuramentum à petente ſimilia beneficia, quòd illa accipiant animo non relinquendi; vide Nauarr. *loco* nuper *allegato in appendice*, Filliuc. *tom.3.de Eccl.benef.tract.41.c.5.q.10.n.47.*

## Dvbitatio VI.

VII. *An recipiens beneficium parochiale,ſi infra annum non fiat Sacerdos, ſit abſque monitione priuatus beneficio,& fructibus?*

Dico decimò,recipiens beneficium curatum, ſi infra annum ab adepta pacifica poſſeſſione Sacerdos non fit, nulla præmiſſa monitione in conſcientia beneficio priuatus exiſtit. Ita diffinitum eſt *in cap. licèt canon, de elect.in 6.* Similiter in conſcientia debet reſtituere fructus perceptos ante vllam iudicis ſententiam,quia reſtitutio fructuum, *in cap. commiſſa,de elect. in 6.*præcepta non tam pœnæ rationem habet, quàm pactionis, & conuentionis cuiuſdam contractæ inter Eccleſiam conferentem parochiale beneficium, & Clericum ipſam Eccleſiam accipientem. ergo,&c. Ita bene Sotus allegatus *lib. 10. de iuſtitia, quæſt. 5. art. 6. concl.1.verſ.Percontaris.*Nauarr *ſumma cap.25.num.118. §.Nonò peccat*, &c.

## Dvbitatio VII.

VIII. *An recipiens beneficium animo non aſcendendi ad ſacerdotium, peccet mortaliter,& teneatur mutare voluntatem? & An acquirat verum titulum beneficij?*

Dico vndecimò, recipiens beneficium curatum non intendens promoueri ad ſacerdotium, peccat lethaliter,quia contrauenit præcepto Concilij Lugdunenſis *cap. licèt canon, de elect. 6.* & docet Tol. *ſumma lib.5. cap. 5. num.2.* Quare tenetur hic aut mutare voluntatem,aut dimittere id beneficium cum fructibus, aut continuò erit in peccato mortali, quia in priſtina voluntate iniqua perſeuerat. Sotus *ibidem, verſ.Sed eſt præterea*, &c.

Dico duodecimò,licèt recipiens beneficium parochiale non intenderit aſcendere ad Presbyteratum, ſed propoſitum habuerit ducendi vxorem, acquirit tamen verum beneficij titulum, & ſic ſi mutata voluntate voluerit intra annum Presbyter fieri, poteſt abſque noua prouiſione ſibi beneficium retinere.quia *cap.licèt canon,de elect.in 6.* tantùm priuat hunc beneficio,quando intra annum non promouetur, at non irritat titulum. ergo, &c. ita bene Sotus *loco* nouiſſimè *adducto*, quem ſequitur Sanchez *lib. 7. de matrimonio, diſp. 45. num.4.*

IX. *Rationi à principio reſpondetur.*

Nec officit ratio à principio adducta militans directè contra noſtram decimam aſſertionem. Nam reſpondetur quòd reſtitutio fructuum præcepta *in cap.commiſſa, de elect. in 6.* & dimiſſio beneficij ſtatuta *in cap. licèt canon, eod. tit. & lib.* non imponitur propriè vt pœna,ſed vt quædam conditio, vel modus rei traditæ, vt cùm teſtator relinquit aliquid alicui, vt quippiam faciat, aliàs perdat legatum, ſi legatarius non exequitur, quod præcipitur à teſtatore, amittit legatum; ita poteſt Eccleſia ſuum beneficium ſibi conferre,ita tamen vt voluntatem habeas aſcendendi ad ſacerdotium, intra annum, quòd ſi non habueris talem

talem animum fructus in conscientia non lucreris, & nisi intra annum promouearis, amittas ipso iure beneficium. Ita bene Sotus sæpè adductus *eodem loco vers. Respondetur nihilominus*, cuius doctrinam sequitur Azor *part. 2. inst. mor. lib. 6. c. 9. dub. 6. ad finem*.

## ARTICVLVS XX.

## An teneatur ad restitutionem fructuum qui simplex beneficium accipit, nisi habet intentionem determinatam status Ecclesiastici, & ordinem suo muneri necessarium suscipiendi?

### *SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur.*
3. *An beneficium simplex habeat annexum Ordinem sacrum, & an recipiens beneficium habens annexum Ordinem sacrum peccet illud suscipiendo, vel retinendo, intentione non ascendendi ad illum Ordinem.*
4. *An peccet suscipiens, vel retinens beneficium simplex animo non clericandi.*
5. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

### I. *Pars affirmatiua probatur.*

QVia licèt *cap. commissa, vers. cæterùm, de elect. in 6.* præcipiens ad restitutionem, loquatur de beneficio parochiali, tamen ratio in textu tradita, nempè, fraudulenter recepi fructus, non habita intentione recipiendi Ordines, procedit etiam in beneficio simplici. ergo, &c. & ita hanc sententiam tenuit Gabriel *in 4. dist. 15. quæst. 8. art. 3. dub. 2.*

### II. *Veritas aperitur.*

Dico primò; qui beneficium simplex accipit, eo tantùm animo, vt eius fructibus alatur, donec studia absoluerit, vt opulentiam postea ducat vxorem, non tenetur ad restitutionem fructuum, si interim suo muneri satisfacit, siue per se, siue per alium: quia nusquam id iure statutum est, nec pœna *c. commissa*, extra suum casum extendi debet. Ita Lopez noster *part. 1. instit. cap. 256. vers. Porrò alia quæstio.*

## DVBITATIO I.

### III. *An beneficium simplex habeat Ordinem sacrum annexum? &, An recipiens beneficium habens annexum Ordinem sacrum, peccet illud suscipiendo, vel retinendo, intentione non ascendendi ad illum Ordinem?*

Dico secundò, beneficium simplex nullum Ordinem sacrum annexum habens, non requirit in recipiente intentionem aliquem Ordinem sacrum recipiendi, sed tantùm perseuerandi in statu clericali, ac satisfaciendi omnibus, ad quæ beneficium obligat, & sic vacat prorsus culpa illud recipere, cum intentione ad sacros Ordines non ascendendi. Quia cùm nullum ius obliget hunc ad suscipiendos Ordines sacros, nec beneficium eos petat, nullius præcepti reus est, carens eo animo; ergo nec venialiter peccat Lopez noster *loco nuper allegato, vers. Iam & alia*, &c. hunc sequitur Rodriquez *part. 1. summa cap. 30. num. 6.*

Dico tertiò, peccat lethaliter recipiens beneficium, cui est annexus Ordo sacer, absque animo saltem conditionali ascendendi ad illum Ordinem sacrum, qui beneficio est annexus, & sic recipiens Capellaniam, aut retinens absque voluntate saltem conditionali ascendendi ad sacerdotium, si institutor suam mentem explicauit, non posse per substitutum illi deseruiri, peccat mortaliter; nec illam retinere potest, nisi mutata voluntate velit promoueri ad Presbyteratum, quia assumens munus aliquod, debet curare esse habilis ad illud obeundum; ergo si beneficium obligat ad obsequium aliquod clericale, quod absque Ordine sacro exerceri nequit, tenetur recipiens tale beneficium, habere intentionem suscipiendi Ordinem sacrum requisitum ad illud obsequium exequendum, vt bene adnotauit Sotus *lib. 10. de iust. q. 5. art. 6. concl. 1. vers. At verò neque*, &c.

## DVBITATIO II.

### IV. *An peccet suscipiens, vel retinens beneficium simplex animo non clericandi?*

Dico quartò, reus est culpæ lethalis accipiens, aut retinens beneficium simplex animo vxoris ducendæ, vel non clericandi. Ita Less. *lib. 2. de iust. cap. 34. dub. 26. num. 132.* Toletus *summa lib. 4. cap. 18. num. 5.* vbi addit hunc absoluendum non esse, donec animum mutet, aut beneficium dimittat: non tamen est ipso iure priuatus beneficio, nec tenetur ad restitutionem fructuum perceptorum; quia nusquam in iure id statutum inuenitur, vt diximus *assertione prima*, cum Lopez, &c.

Dico quintò, probabiliter etiam dici potest non peccare lethaliter recipientem, aut retinentem beneficium simplex, cui sacer Ordo annexus non est, animo ad tempus illud retinendi, & eius fructibus fruendi, & postea eo deserto ad secularem vitam, aut coniugalem transeundi, dummodo eo animo accipiat, & retineat, vt velit ei sufficienter inseruire, donec illud mutato statu relinquat. quia nullo iure probari potest hunc teneri, sub culpa mortali perseuerandi in statu clericali. imò liberum ei transitum sacri Canones concedunt ad nuptias, modò beneficium relinquat, vt patet *in cap. Ioannes. & cap. diuersis, de cleric. coniug.* & ita hanc sententiam tenet Sanchez *lib. 7. de matrim disp. 45. num. 19.*

Dico sextò, est tamen in opinione omnium saltem culpa venialis animo non clericandi accipere beneficium simplex non habens Ordinem sacrum annexum, præsertim si causa studij, vel simili fine honesto, quis illud recipiat & retineat. quia hic adhuc aliquo modo decipit Ecclesiam, quæ putat eum bona fide statum Ecclesiasticum proposuisse; hæc tamen deceptio non videtur grauis, quod docet Less. *lib. 2. cit. de iust. c. 34. dub. 26. n. 132. ad finem* Idem tenet de Clerico recipiente & retinente pensionem clericalem, Sanchez *loco nouissimè adducto num. 20.*

Et quidem hæ duæ assertiones probabiles mihi videntur, peccare scilicet tantùm venialiter Clericos si animo non perseuerandi in statu Clericorum, recipiant & retineant pensionem clericalem, vel beneficium simplex, cui sacer Ordo non sit annexus, si tamen ad hoc aliquo fine honesto moueantur: secus autem si vt splendidè viuant, illud recipiant. quia tunc deceptio Ecclesiæ esset grauior, & peccarent mortaliter, sic beneficium recipientes, quod adnotauit bene Less. *loco allegato.*

### V. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

Nec obstat ratio à principio adducta, præcipuè

contra

contra nostram primam assertionem, quia quantum ad restitutionem fructuum, solum constitutum est *dicto cap commissa, vers caterum*, &c. de habentibus beneficium parochiale: quare cùm multo lenius delictum sit recipere simplicia absque intentione assumendi Ordines sacros, & cum voluntate relinquendi statuo clericalem, non est cur decretum illud pœnale, & odiosum sit extendendum ad obtinentes beneficia simplicia, præsertim sine rationis identitate, vel maioritate, qualis in casu nostro non reperitur, *cap. pæna, de pæn tentia dist.* 1. Ita bene Sotus *lib.* 10. *de iust. quæst.* 5. *art.* 6. *concl.* 1. *vers de alijs autem.* Lopez noster *loc. cit. in prima assertione.* Saluo semper meliori iudicio.

---

## Articvlvs XXI.

### An Clericus in Sacris, vel in minoribus constitutus, eo ipso beneficia obtenta amittat, quando validum init matrimonium?

*Svmmarivm.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas demonstratur, explicando, an beneficium simplex amittatur per sponsalia de futuro.*
3. *Titulo dubitationis respondetur.*
4. *An idem, de quo in titulo, dicendum sit de matrimonio non consummato.*
5. *An impetrans rescriptum beneficij vacaturi, si postea ineat matrimonium, antequam vacet, & vxor moriatur, & postea vacet, possit illud obtinere; & an idem dicendum in simili casu de inhabili impetrante dispensationem ad obtinendum beneficium.*
6. *An Episcopus possit dispensare cum coniugato vt retineat, vel obtineat beneficium.*
7. *Rationi à principio respondetur, & explicatur, quomodo vacent beneficia in casu proposito in dubitatione.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NOn vacare, scilicet ipso iure, donec priuetur per sententiam. Probatur, nam obtinens beneficium ante irregularitatem, non id deperdit ipso iure illa superueniente, & reddente inhabilem ad tunc obtinendum, sed irregularis, si sua culpa incurrit irregularitatem, est priuandus beneficio per sententiam iudicis. ergo similiter Clericus cùm fuerit habilis tempore, quo obtinuit beneficium, ratione coniugij initi, quod inhabilem illum effecit ad tunc obtinendum, non est ipso iure beneficiis iam obtentis priuatus, sed per sententiam priuandus: quia inhabilitas superueniens non nocet, si habilitas à principio adfuit. *l. si in conditione § solemnis, ff. de hæred. instit.* & ita hanc sententiam videtur tenere Rodriquez *p.* 1. *summæ c.* 224. *n.* 1. glossa *cap. coniugatus, de conuers. coniug. verb. ad sacros.*

II. *Veritas demonstratur, & explicatur*

### Dvbitatio I.

*An beneficium simplex amittatur per sponsalia de futuro?*

Dico primò, beneficia Ecclesiastica nequaquam amittuntur per sponsalia de futuro, quia sponsalia statum plenè incompatibilem cum statu Clericorum non inducunt, sed solùm via sunt ad illum comparandum. Syl. *beneficium* 4. *quæst.* 22. *num.* 23.

Beneficiarius in Sacris constitutus, si contrahat per verba de præsenti, non est priuatus ipso facto beneficiis, secundùm DD. *in cap. sanè el* 1. *de Cler. coniug.* quia matrimonium non tenet, ideo vxorem dimittere compellitur, & est excommunicatus, & beneficio priuandus. Armill. *verb. beneficium num.* 20.

III. *Titulo dubitationis respondetur.*

Dico secundò, Clericus minoribus Ordinibus constitutus validè contrahens de præsenti, statim ipso iure amittit beneficia, quia vinculum incompatibile cum ipso beneficio contraxit: tum, quia id minimè statutum est in pœnam delicti, vt sic desideretur iudicis sententia, nullum enim delictum est, præcipuè si aliqua rationabili causa ad hoc ducatur, sed consurgit eo quòd vinculo incompatibili cum beneficio sponte sua se obstrinxit. Conradus *tomo* 1. *respons. quæst.* 34. *ad finem.* Lopez 2. *part. instruct.* vbi de matrimonio *cap.* 48. *vers. Sed & nunc*, &c.

### Dvbitatio II.

IV. *An idem de quo in titulo, dicendum sit de matrimonio non consummato?*

Dico tertiò, licèt matrimonium nondum consummatum sit, statim vacant beneficia, quia per matrimonium ratum, licèt non consummatum, verè est assumptus status incompatibilis cum beneficio. imò nec Clericus iniens matrimonium per verba de præsenti, quamuis sponsa nondum cognita decedat, aut ad Religionem transeat, recuperat beneficium nondum alteri collatum; quia ius semel extinctum, non reuiuiscit, licèt cesset causa extinctionis. 7. *q.* 1. *can. quam periculosum* Ita bene Syl. *verb Clericus* 2. *n* 2. *vers. secus vero in istis*, Lopez noster 2 *p. instr. c.* 256. §. *Insuper*, &c.

### Dvbitatio III.

V. *An impetrans rescriptum beneficij vacaturi, si postea ineat matrimonium antequam vacet, & vxor moriatur, & postea vacet, possit illud obtinere? & an idem dicendum in simili casu de inhabili impetrante dispensationem ad obtinendum beneficium?*

Dico quartò, si quisquam impetrauit rescriptum ad beneficium vacaturum, & antequam vacaret iniit matrimonium, & postea defuncta vxore vacauit, non potest illud obtinere, quia per matrimonium non solùm beneficia, sed etiam omnia iura ad illa tanquam derelicta habentur. Lopez noster *p.* 2. *instruct. c.* 49. *cit. vers. Secundo ex prædictis*, &c. *fol.* 1134. *col.* 1. *mihi.*

Dico quintò, inhabiles tamen, puta illegitimus, aut quilibet alius, si impetraret dispensationem ad obtinendum beneficium, eàque impetrata iniret matrimonium per verba de præsenti, dissoluto postea matrimoniu potest beneficium obtinere, quia per matrimonium de præsenti solum ius perfectum, vel imperfectum in beneficio, vel ad beneficium deperditur, sed per dispensationem nullum ius acquiritur nec in re, nec ad rem. ergo soluto matrimonio antea dispensatus remanet capax, & habilis ad beneficia, aliàs nullus coniugatus esset capax beneficij vxore mortua. Ita Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 42. *n.* 9.

Dico sextò, Clericus igitur contrahens matrimonium retinendo beneficium peccat mortaliter, quia est iniustus retentor rei alienæ in re grauissima. Syl. *verb. Apostata q.* 3. *n.* 8. *fine*; & tenetur ad restituendos omnes fructus à se post matrimonium initum perceptos, quia iniustè occupat beneficium quod non est suum. Azor. *part.* 1. *inst. mor. lib.* 5. *cap* 8. *dub.* 3.

Dico septimò, licèt aliqui inhabiles ad beneficia, vt excommunicatus, irregularis, obtinentes beneficia ioventur per regulam de triennali, vt non possint molestari, si sint quieti & pacifici triennales possessores super beneficio pacificè possesso; tamen coniugatus retinens beneficium obtentum ante initum matrimonium non iuuatur ex regula: quia est in statu incompatibili cum beneficio, & illud in conscientia dimittere tenetur durante tali statu, & illo cessante indiget noua collatione. Sanchez *lib. 7. cit. num. 15.*

## DVBITATIO IV.

VI. *An Episcopus possit dispensare cum coniugato vt retineat; vel obtineat beneficium?*

Dico octauò, cùm Clerico coniugato Episcopus non potest dispensare vt possit beneficium retinere, vel de nouo obtinere, quia hoc est contra ius commune positiuum: at Episcopus non dispensat contra canones, nisi sibi expressè concedatur, vt communiter notatur *cap. at si Clerici. §. de adulterijs, de iudic.* ergo cùm hoc Episcopo non concedatur, non poterit, &c. bene tamen summus Pontifex cùm sit auctor Canonum, &c. Armil. *verb. Beneficium, num. 19.*

Sed contra hanc assertionem vrget argumentum, nam Episcopus potest dispensare cum homicida, & cum irregulari ad retinendum beneficium etiam curatum iam obtentum, vt docet Nauarr. *summa c. 27. n. 140. vers. quartò nota.* & dispensat cum homicida, & cum irregulari ad obtinendum beneficium simplex, *cap. Henricus, de cleric. pugnant. in duello*, qui casus sunt grauiores. ergo poterit cum Clerico coniugato dispensare. Respondetur negando consequentiam. nam in materia dispensationis, quæ est odiosa, & exorbitans, non valet argumentum à casibus permissis ad non permissos, etiamsi permissi maiores sint.

VII. *Rationi à principio respondetur, & explicatur*

## DVBITATIO V.

*Quomodo vacent beneficia in casu dubitationis?*

Nec obstat ratio à principio adducta, fatemur quidem beneficia iam quæsita, etiam curata, non vacare ipso facto per inhabilitatem, & irregularitatem incursam etiam per homicidium voluntarium, donec illis per sententiam iudicis irregularis priuetur, vt docet Nau. *tom. 2. consil. lib. 5. de homicidio, consil. 13. n. 2.* Vacant tamen ipso iure per contractum matrimonij de præsenti Clerici in minoribus constituti, non tantùm ob inhabilitatem, sed ob tacitam quamdam renunciationem, eo ipso, quòd Clericus in minoribus constitutus assumit statum matrimonij incompatibilem cum beneficio. Vnde non est simile, &c.

## ARTICVLVS XXII.

## An beneficia Ecclesiastica ipso iure amittantur si Clericus irritè per verba de præsenti contrahit?

### SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Dubitatio resoluitur, si Clericus in Sacris constitutus sit.*



3. *An amittat beneficia constitutus in minoribus si contrahat matrimonium irritum ob impedimentum aliquod.*
4. *An vacent beneficia Clerici contrahentis quando matrimonium est irritum defectu ætatis, vel consensus, vel si sit clandestinum.*
5. *Ad rationem in contrarium à principio respondetur, explicando, An sola attentatio facti sufficiat in contractu matrimonij, vt beneficia vacent.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

Quia iustè iniens matrimonium amittit eo ipso beneficia. ergo à fortiori illud amittet inuasor, qui iniustè, & irritè illud iniuit, cùm quantum in se statum incompatibilem cum beneficio assumere voluerit. Hæc consequentia videtur clara. nam inuasor non debet esse melioris conditionis, & priuilegio gaudere potiori eo, qui iustè ingreditur, & est text. *c. cum qui, &c. de prabend. in 6.* sed iustè iniens matrimonium ipso iure priuatur beneficiis iam adeptis. ergo, &c.

## DVBITATIO I.

II. *Si Clericus in Sacris constitutus sit?*

Dico primò, quando matrimonium est irritum eo, quòd contrahens est in Sacris constitutus, beneficiatus sic irritè iniens matrimonium, non est ipso iure beneficio priuatus absque alia sententia, sed priuandus in pœnam delicti. Probatur ex *c. 1. de Cleric. coniug.* vbi de Clericis in minoribus constitutis, ducentibus vxores, deciditur vxores retinendas, beneficia autem dimittenda, & statim sit de initiatis sacris Ordinibus transeuntibus ad nuptias, & solùm dicitur vxores dimittendas; ergo in Sacris constituti transeuntes ad matrimonium non sunt ipso facto beneficiis priuati, cù hæc pœna expressè in iure nõ habeatur. & ita tenet Lopez noster *p. 2. instr. c. 49.* vbi de matrimonio immediatè ante titulum de impedimento consanguinitatis. Armil. *verb. beneficium n. 10.* Nauarr. *summ. c. 25. n. 120.*

## DVBITATIO II.

III. *An amittat beneficia constitutus in minoribus, si contrahat matrimonium irritum ob impedimentum aliquod?*

Dico secundò, qui solis minoribus Ordinibus est initiatus, si contrahit matrimonium irritum ob consanguinitatem, vel impedimentum dirimens, nulla expectata iudicis sententia vacant ipso iure beneficia, quia cùm iste sit habilis ad contrahendum, videtur efficaciter mutare vitam, ac subinde beneficia dimittere. Syl. *verb. Clericus 2. n. 2. vers. peccat verò in istis.* Nauarr. *loc. cit. n. 120.* & Armill. *vbi suprà.* Quamuis alij contrarium; quia voluntas assumendi statum incompatibilem cum beneficio, quantum in se est non sufficit, vt Clericus minoribus Ordinibus insignitus ipso iure priuetur beneficio, nisi verè, & de facto validè contrahendo talem statum assumat. ergo, &c. ita docet, & quidem satis probabiliter, Sanchez *lib. 7. de matrimonio disp. 43. num. 5. ad finem.*

## DVBITATIO III.

IV. *An vacent beneficia Clerici contrahentis quando matrimonium est irritum defectu ætatis, vel consensus, vel si sit clandestinum?*

Dico tertiò, quando matrimonium est irritum defectu ætatis, quòd vterque contrahens, aut alter sit impubes, non vacant beneficia Clerici contraheotis, siue ipse sit pubes, & fœmina impubes, vel è conuerso,

Q quia

quia id matrimonium habet tantùm vim ſponſalium, *cap. vnico, de deſponſat. impub. in* 6. & docet etiam Nauar. *tomo* 2. *conſil. lib.* 4. *de deſponſat. impuberum, conſil.* 2. *n.* 1. at per matrimonium de futuro non vacant beneficia, vt docet Syl. *verb. benef.* 3. *quæſt.* 22. *n.* 23. & communiter alij: ergo, &c.

Dico quartò, matrimonio exiſtente irrito defectu conſenſus, vel quia alter contrahens non eſt mentis compos, vel quia metu viri conſtantis conſenſit, vel quia fictè conſenſum præbuit, ſi talis defectus fuit in vtroque contrahente, aut in ſolo Clerico, non vacant beneficia. Ita Lopez noſter 2. *part. Inſtruct.* vbi de matrimonio, *cap.* 49. *fol.* 1134. *col.* 1. *mihi*, Nauar. *cap.* 25. *ſumma n.* 120. Vacant autem ſi talis defectus ſolùm fuit in fœmina, quæ metu compulſa contraxit, aut non erat ſanæ mentis. quia in hoc ſecundo caſu Clericus beneficiarius minoribus Ordinibus initiatus, fecit quod potuit, & quantùm in ſe habuit beneficia pro derelictis, ſic Bernardus Diaz *practica canonica cap.* 80. *n.* 5.

At ſuſtinendo ſententiam Sanchez, quæ, vt diximus *aſſertione* 2. eſt ſatis probabilis, dicendum eſt ex parte vtriuſuis deficiente legitimo conſenſu ad valorem matrimonij requiſito, non vacare beneficia; quia ex quacumque cauſa matrimonium eſt nullum; Clericus verò non aſſumit ſtatum incompatibilem cum beneficio: ergo exiſtente inualido matrimonio ex parte vtriuſuis, non vacabunt beneficia, ex quo deducitur non vacare beneficia ſi matrimonium eſt irritum, eo quòd eſt clandeſtinum, nempe non celebratum coram Parocho, & teſtibus. Ita Rodriquez *ſumma part.* 1. *cap.* 30. *concl.* 7. *num.* 7.

V. *Ad rationem in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur*

DVBITATIO IV.

*An ſola attentatio facti ſufficiat in contractu matrimonij, vt beneficia vacent?*

Ad rationem in contrarium reſpondetur, probare primam partem ſecundæ aſſertionis; quatenus verò militat contra ſecundam partem eiuſdem ſecundæ aſſertionis, & contra quartam, dicimus quòd cùm nullus ſit textus expreſſus diſponens ſolam attentationem facti, ſufficere in contractu matrimonij, vt beneficia vacent, ideo negamus conſequentiam, non enim ſufficit quòd iniuſtè, & irritè contrahens voluerit, quantum in ſe eſt, aſſumere ſtatum incompatibilem cum beneficio, vt priuetur ipſo iure beneficiis, ſed requiritur quòd de facto validè contrahendo aſſumat talem ſtatum; & quando dicitur, Nam iuſtè, & validè contrahens non debet eſſe peioris conditionis, quàm iniuſtè, & irritè iniens matrimonium; ergo ſi iuſtè & validè contrahens ipſo iure priuatur beneficiis, à fortiori iniuſtè, & irritè, &c.

Reſpondetur negando conſequentiam. nam hæ pœnalia ex maioritate rationis extra caſus in iure expreſſos non debent extendi, *cap. ii, qui, de ſententia excomm. in* 6. &c, videatur pro hac re doctiſſimus Pegna, olim ſacræ Rotæ Decanus digniſſimus *in* 3. *part. Directory ſcholio* 156. *verſ. Non obſtat.*

---

ARTICVLVS XXIII.

An per matrimonium amittantur penſiones, ſicut beneficia Eccleſiaſtica?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, & explicatur, quid ſit penſio, & quotuplex.*
3. *An habens penſionem teneatur ad officium Beatæ Virginis.*
4. *An Clericus in Sacris recitans diuinum Officium, vel miles Sancti Ioannis recitans orationes Dominicas, & Angelicas præſcriptas à Religione, ſi habeant penſiones, teneantur recitare Officiū Beatæ Virginis.*
5. *Reſoluitur dubitatio.*
6. *An Clerici coniugati ſint capaces penſionum quæ ſolent conferri titulo clericali.*
7. *Ad rationem in contrarium à principio reſpondetur.*
8. *An coniugatus legitimè ad primam tonſuram promotus, ſit capax penſionis clericalis, vel beneficij Eccleſiaſtici.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm aliquando penſiones ſuper beneficia Eccleſiaſtica conceduntur à ſummo Pontifice laicis pro re in defenſionem Eccleſiæ geſta, aut gerenda, vt ſæpe vſu euenit, & fatetur Azor. *part.* 1. *lib.* 13. *inſt. mor. cap.* 13. *dub.* 8. ergo ſicut ſtatus laici non eſt cum penſionibus incompatibilis, ita nec ſtatus coniugati: ergo per matrimonium non vacant.

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

DVBITATIO I.

*Quid ſit penſio, & quotuplex?*

Dico primò, penſio eſt ius percipiendi fructus ex alieno beneficio. Alia eſt laicalis, alia clericalis. Laicalis eſt, quæ ob temporale ſeruitium Eccleſiæ exhibitum, aut exhibendū datur; clericalis verò, quæ ad clericalem ſtatum ſuſtentandum, vel exercendum conceditur. Leſſ. *lib.* 2. *de iuſtitia c.* 34. *dub.* 37. *n.* 201. tunc igitur aliquis dicitur penſionē percipere vt Clericus quando prima tonſura, ſeu ſtatus clericalis requiritur in eo, cui penſio confertur; ita verò dicitur recipere penſionem vt laicus, quando confertur penſio abſque præuia conditione ſtatus clericalis, pro miniſterio merè temporali, imò penſio quæ datur Clerico tanquam laico pro re merè temporali, vt quia eſt Aduocatus Eccleſiæ, Sacriſta, pulſat organo, dicitur laicalis, non enim hæc ſupponit per ſe ſtatum clericalem, ſed caſu, & per accidens: vide Sanchez *lib.* 7. *de matrimonio diſp.* 44. *n.* 4. Bonac. *tom.* 1. *tract. de horis can. diſp.* 1. *q.* 2. *punct.* 4. *n.* 81.

DVBITATIO II.

III. *An habens penſionem teneatur ad Officium Beatæ Virginis?*

Dico ſecundò, penſio clericalis, quæ confertur Clerico initiato ſaltem prima tonſura, inducit obligationem perſoluendi paruum B. V. Officium, ex conſtitutione Pij V. cuius initium eſt, *Ex proximo Lateran.* illam adducit Nauar. *ſumma cap.* 25 *num.* 122. imò Clericus penſionarius non recitans precarias horas Beatiſſimæ Virginis, tenetur pro rata ad reſtitutionem fructuum ex penſione perceptorum. Rodriquez *ſumma p.* 1. *cap.* 141. *n.* 6. Penſionarij verò, qui non tanquam Clerici, ſed titulo ſæculari penſionem recipiunt, non tenentur ad horas precarias B. V. videatur Nauar. *loc. citat.* Valentia *tomo* 3. *diſp.* 6. *quæſt.* 2. *de oratione, puncto* 10. §. *eſt etiam hæc ſententia, fol.* 1288. *colum.* 2. *mihi.* Azor *part.* 1. *inſtitut. moral. lib.* 10. *cap.* 4. *dub.* 3. & *cap.* 14. *eiuſdem libri dub.* 10. & ita ſi confertur penſio abſque præuia conditione ſtatus clericalis, etiamſi fortè detur perſonæ regulari,

vt

vt militi sancti Ioannis, licèt illi conferatur vt Regulari, non inducit obligationem recitandi paruum B. V. Officium, quia hæc non esset pensio clericalis, cùm nō supponat statum clericalem; Regularis enim, propriè & strictè loquendo, non est Clericus. Rodriquez *loco nouissimè allegato*. Bonacina *tom. 1. tract. de horis Canonicis, disp. 1. quæst. 2. puncto 4. num. 9.*

### Dvbitatio III.

IV. *An Clericus in Sacris recitans diuinum Officium, vel miles sancti Ioannis recitans orationes Dominicas, & Angelicas, præscriptas à Religione, si habeant pensiones, teneantur recitare Officium B. V.*

Dico tertiò, Clericus Sacris initiatus habens beneficium Ecclesiasticum, simúlque pensionem, satisfacit suæ obligationi vnica magni Officij recitatione, etiamsi paruum B. V. Officium non recitet, sicut obtinens plura beneficia, aut plures pensiones vnica diuini Officij recitatione oneri suo satisfacit, recitando magnum si sit beneficiarius, persoluendo paruum B. V. si sit pensionarius, & tantùm in minoribus constitutus.

Imò pensionarius si efficiatur miles alicuius Religionis militaris cum indulto retinendi pensionem, nōn tenetur ad horas B. V. sed sufficit quòd recitet orationes Dominicas & Angelicas à Religione præscriptas, quæ sunt loco horarum; quia ratio prædictæ legis videtur fuisse ne fruentes fructibus ex beneficio Ecclesiastico perceptis omnino essent immunes ab onere dicendarum precum, ad quas beneficiarij tenentur. ergo si ad multas preces pensionarius effectus miles alicuius militaris Religionis à sua Religione statutas tenetur, non erit obstrictus ad persoluendum onus parui Officij B. V. Ita bene Nauarr. *tom. 1. consil. lib. 3. de celebrat. Missarum, consil. 22. n. 2.* Rodriquez *summa part. 1. cap. 141. num. 6.*

V. *Resoluitur dubitatio.*

Dico quartò, directè respondens quæsito, pensio, quæ titulo sæculari alicui confertur, non vacat per matrimonium, quia sicut status laici non est cum pensionibus sic constitutis incompatibilis, ita nec status coniugati: similiter pensio constituta Clerico minoribus initiato pro ministerio merè temporali, vt quia pulsat organa, &c. non vacat: quia talis pensio datur illi, tanquam laico pro re merè temporali. Lopez noster *vbi suprà de matrim. 2. p. instr. c. 49. fol. 134. col. 1.*

Dico quintò, pensio verò alicui collata titulo clericali per matrimonium vacat, sicut de beneficio diximus *duobus dubijs præcedentibus*. nam stylus Curiæ, qui facit ius, *cap. quam graui, de crimine falsi*, habet eiusmodi pensiones per matrimonium vacare. Ita Lopez *loco nuper adducto*. Sayr. *lib. 2. de censu. c. 5. n. 15.* Sanchez *lib. 7. de matr. disp. 44. num. 6.*

### Dvbitatio IV.

VI. *An Clerici coniugati sint capaces pensionum, quæ solent conferri titulo clericali?*

Dico sextò, Clericus coniugatus iure communi incapax, & inhabilis est pensionis, quæ titulo clericali conferri solet, quia incapax beneficij, est etiam inhabilis pensionis clericalis, vt est stylus Curiæ, & docet Nauarr. *tom. 1. consil. lib. 1. de temp. ordin. consil. 11. num. 2.* At Clericus coniugatus est incapax beneficij. ergo, &c ex dispensatione tamen summi Pontificis poterit illam obtinere, vt bene Lopez noster *p. 1. instr. cap. 256. vers. Porrò dubitari*. Imò & beneficium simplex de nouo sibi collatum ex eiusdem dispensatione licitè possidere poterit, vt eruditè Syl. *verb. beneficium 3. q. 4. n. 8. ad finem.* videatur etiam Nauarr. *summ. c. 25. n. 119.*

VII. *Ad rationem in contrarium à principio respondetur.*

Quòd probat nostram quartam assertionem, concedente enim Pontifice pensionem laicalem alicui pro re in defensionem Ecclesiæ vtiliter gesta, aut gerenda, fatemur eam non vacare per matrimonium: secus autem de pensionibus titulo clericali concessis, vacant enim hæ per matrimonium, & est stylus Curiæ. Ita Lopez noster *p. 2. instruct.* allegata, Sayr. *lib. 2. de cens. cit.* Azor. *p. 1. instit. mor. lib. 13. cap. 13. dub. 8.* Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 44. num. 5.*

### Dvbitatio V.

VIII. *An coniugatus legitimè ad primam tonsuram promotus sit capax pensionis clericalis, vel beneficij Ecclesiastici?*

Sed quæres, an coniugatus legitimè ad primam tonsuram promotus sit capax pensionis clericalis, & similiter beneficij Ecclesiastici. Respondetur quòd sic. legitimè autem promouetur ad Ordines si obtenta licentia vxoris promittentis continentiam si sit senex, vel profitentis Religionē si sit iuuenis. Imò si ob vxoris adulterium prima tonsura initiatur beneficij Ecclesiastici, & pensionis clericalis, est habilis, vt docet Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 42. num. 16. ad finem.* Quia cùm coniugatus non possit ad primam tonsuram promoueri, etiam de legitima vxoris licentia, nisi emittat votum continentiæ, sic glossa *cap. Episcopus dist. 77. verb. sequestrato*, & nisi velit quoque ad Ordines sacros ascendere, vt constat ex *cap. fin. de tempor. ordin. in 6.* & obseruauit Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 38. num. 8. & 9.* quare cùm iam cesset vsus matrimonij, & non sit recursus ad vxorem propter vtrumque votum continentiæ, poterit tunc coniugatus liberè Deo vacare, & erit capax beneficij, & pensionis clericalis. Imò si esset suspectus de incontinentia, non posset licitè cum vxore in eadem domo cohabitare: videatur Sanch. *lib. 7. de matrim. disp. 39. num. 7.*

---

## Articvlvs XXIV.

## An beneficiarij non recitantes preces canonicas teneantur ad restitutionem fructuum?

### *Svmmarivm.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, & explicatur, An beneficiarij inculpabiliter Officiū omittentes, teneantur ad restitutionē.*
3. *An infirmitas sit impedimentum excusans à recitatione Officij?*
4. *An grauis occupatio excuset à recitatione Officij.*
5. *An beneficiarius teneatur adhibere socium quando solus non potest Officium recitare, & cum alio potest, & idem inquiritur de Clerico in Sacris, non habente beneficium.*
6. *Dubitatio resoluitur, & insuper explicatur, quomodo facienda sit hæc restitutio, tam à beneficiario, quàm à pensionario.*
7. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, an isti teneantur ad restitutionem quando adimplent alia Officia, beneficio annexa, & quibus facienda sit restitutio.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm quod datum est ob causam, ea non secuta tunc potest repeti, quando est causa totalis, vel saltem principalis dandi; non autem si sit causa secundaria, & minus principalis, vt docet Syl. *verb. Clericus 4. num. 16. ad finem*, sed beneficium parochiale Sacerdoti non confertur principaliter ob horas canonicas recitandas, sed vt celebret, absoluat, ac cætera faciat Ordinis sacerdotalis. ergo cùm beneficium detur propter officium, *cap. vltimo, de rescriptis in 6.* & officium principale Parochi sit absoluere, celebrare, & cætera administrare Ordinis sacerdotalis, non tenebitur saltem beneficiarius habens curam animarum, si horas canonicas non recitat, ad restitutionem fructuum; si aliàs suo muneri, & officio principali satisfacit.

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

DVBITATIO I.

*An beneficiarij inculpabiliter Officium omittentes teneantur ad restitutionem?*

Dico primò, beneficiarij, qui diuinum Officium ex ignorantia inuincibili, vel ex naturali obliuione, aut bona fide, vel ex legitimo impedimento non recitarunt, non tenentur ad fructuum restitutionem; quia in foro conscientiæ pœna non debetur, vbi culpa non est: at restitutio fructuum inducta est in pœnam culpę admissæ in recitatione diuini Officij. ergo, &c. tom, quia id colligitur apertè ex Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess. 9.* vbi statuitur hæc obligatio restituendi fructus, & ex constitutione sanctissimi Pij V. quam adducit Nauar. *summa cap. 25. num. 122.* ibi, *legitimo cessante impedimento*, &c. & ita hanc opinionem tenet Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 14. quæst. 7.* Bonacina *tom. 1. tract. de horis Canonicis, disp. 1. quæst. 5. punct. 2. n. 4.* Less. *lib. 2. de iustitia cap. 34. dub. 32. num. 183.*

DVBITATIO II.

III. *An infirmitas sit impedimentum excusans à recitatione Officij?*

Dico secundò, legitimum impedimentum excusans ab Officio diuino dicendo, & consequenter à restitutione, est infirmitas grauis, quæ corporis valetudini grauiter nocet. Quando verò dubitatur sitne infirmitas grauis, consulendus est Medicus, cuius consilio & iudicio de morbi grauitate standum est, quia in quacumque re iudicio periti in arte standum est, vt docet glossa *in cap. fraternitatis, de frigidis, & malef.* verbo *matronas*; tum etiam, cùm ambigimus an ieiunium seruare debeamus, satis est Medici consilium de grauitate morbi iudicantis, ita enim est vsu receptum: hinc quartana febris inueterata, aut leuis tertiana non multum vexans, iustam excusationem non affert quo minus suo tempore preces horarias beneficiarij recitent. Vnde si ante, vel post impedimentum sic ægrotans potest commodè totum Officium persoluere, id præstare debet, secus non item. Nauarrus verò tradit documentum *cap. 25. num. 100.* ad discernendum quando infirmitas excuset necnè, videlicet illam non censeri excusare, quæ non impedit, quo minus alia negotia grauia & molesta tractentur: videantur pro hac re Syl. *verb. hora num. 18.* Sotus *lib. 10. de iustitia quæst. 5. art. 3. post 2. conclusionem, vers. infirmitas autem*, Azor. *part. 1. inst. mor. cap. 13. lib. 10. dub. primo*, Valent. *tom. 3. disp. 6. quæst. 2. de orat. puncto 10. vers. circa septimum.*

Dico tertiò, quando Medicus ipse dubitat an morbus ipse grauis sit, vel leuis, seu an recitatio nocitura sit, probabiliter dici potest ægrotum ad horas recitandas non teneri: quia non tenetur se periculo grauis damni exponere, vt in simili casu de ieiunio docent DD. si verò periculum sit tantummodò leuis damni, ægrotus tenetur recitare, quia possessio stat pro præcepto, quod obligat saltem cum leui incommodo, & sic non recitans tenebitur ad restitutionem. Ita Bonacina *tomo 1. de horis Canonicis disp. 1. quæst. 6. puncto 1. n. 5.*

DVBITATIO III.

IV. *An grauis occupatio excuset à recitatione Officij?*

Dico quartò, grauis occupatio honesta, & necessaria, quæ in aliud tempus differri non potest absque scandalo, aut graui detrimento sui, vel proximi, excusat ab onere diuini Officij. Ratio desumitur ex benigna Ecclesiæ intentione, quæ non præsumitur cum tanto grauamine obligare. Syl. *verb. hora, quæst. vlt.* & sic occupatus beneficiarius non recitans preces canonicas, non obligatur ad fructuum restitutionem, quia par non est vt pœnam subeat, qui culpam non admisit: Bonacina nuper allegatus *puncto 2. vers. ex dictis*, &c.

DVBITATIO IV.

V. *An beneficiarius teneatur adhibere socium, quando solus non potest Officium recitare, & cum alio potest? & idem inquiritur, de Clerico in Sacris, non habente beneficium?*

Dico quintò, beneficiarius, qui non potest diuinum Officium absque auxilio socij, modò commodè adhibere possit, tenetur adhibere socium, si non sit surdus, vel surdaster, qui nequeat audire sine magna vociferatione. Probatur, quia qui tenetur ad aliquid, tenetur etiam ad media ad illud ordinata; sed beneficiarius tenetur ad diuinum Officium. ergo tenetur etiam ad media, sine quibus illud recitare non potest: hoc autem medium in proposito est adhibitio socij, quem commodè potest adhibere. ergo. Azor *part. 1. inst. mor. lib. 10. cap. 13. dub. 6.*

Dico sextò, beneficiarius si ex beneficio recipit fructus pingues, & sufficientes, tenetur conducere socium, vt adimpleat onus diuini Officij, dum illud per se ipsum non potest adimplere. Clericus verò in Sacris constitutus non tenetur propriis expensis conducere socium, vt cum eo diuinum Officium recitet si non habet beneficium. Quia primus tenetur nedum ex religione ad Officium diuinum persoluendum, sed etiam ex iustitia. Alter autem ex sola religione, vel obedientia: at religio non ita strictè obligat, sicut iustitia. ergo, &c. videatur Filliuc. *tomo 2. tract. 23. cap. 9. quæst. 4. num. 289.*

VI. *Dubitatio resoluitur, & insuper explicatur, Quomodo facienda sit hæc restitutio, tam à beneficiario, quàm à pensionario?*

Dico septimò beneficiarius legitimo impedimento non impeditus, qui primis sex mensibus post acceptam beneficij possessionem, omisit Officium, quamuis non obligetur ad restitutionem, tamen damnatur peccati mortalis, Sotus *lib. 10. de iustitia quæst. 5. art. 3. concl. 2.* si verò post sex mēses elapsos non recitauit preces horarias, tenetur etiam in conscientia ad restitutionem fructuum ante condemnationem iudicis, quia id, cuius quis non est dominus, tenetur in conscientia reddere cui debetur; sed beneficiarius nō soluens onus
diuini

diuini Officij vl constitutionis Pij V. fructus beneficij non facit suos. ergo in conscientia, &c. Sotus *lib. 10. de iust. quæst. 5. art. 6. concl. 3.*

Dico octauò, hæc restitotio facienda est pro rata omissionis Officij, & temporis: vnde qui per vnum diem Officium omisit, tenetur restituere omnes fructus illius diei, qui Matutinum tantùm non recitauit, dimidiam partem, si cæteras horas item dimidiam, si singulas horas sextam partem; & similiter si tantùm Laudes. Idem dicendum de pensionario, qui tanquam Clericus recipit fructus, & paruum Beatissimæ V. Officium omisit, teneri scilicet ad restitutionem, eo modo, quo tenetur beneficiarius, vt patet ex Bulla Pij V. in qua sanctione summus Pontifex eandem ei obligationem imponit, & docent Lopez noster *part. 1. instruct. cap. 245.* Less. 2. *lib. de iustitia, cap. 34. dub. 32. n. 176.* & communiter DD.

VII. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

## DVBITATIO V.

*An isti teneantur ad restitutionem quando adimplent alia Officia beneficio annexa: & quibus facienda sit restitutio?*

Ad rationem in contrarium, respondetur quòd licèt concedamus beneficia curata non esse instituta ad preces horarias; vt ad finem præcipuum, sed ad alias functiones, vt ad offerendum sacrificium, ad ministranda Sacra, prædicandum Verbum Dei, & sic illa obtinentes, si hæc munia præstiterint iure naturæ, non tenentur quicquam restituere, vel saltem non nisi parum, etiamsi horas Canonicas omiserint. Iure tamen Canonico Concilij Lateranensis, & ex sanctione Pij V. cuius initium est, *Ex proximo*, &c. omnes beneficiarij obstringuntur in conscientia ad restitutionem pro rata omissionis Officij, quamuis aliis muneribus beneficia annexis satisfecerint. Vnde argumentum tantùm probat, quòd iure naturæ ad nihil, vel ad parum restituendum sint obstricti, non tamen probat quòd non teneantur iure Ecclesiastico: videatur pro hac solùtione Less. *lib. 1. de iust. c. 34 dub. 32. n. 179.*

Quæ restitutio facienda est fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus, siue illius loci vbi beneficium situm est, siue alterius. Nam Concilium Lateranense, & sanctio Sanctissimi Pij V. in genere, & vniuersim loquuntur. Vnde si beneficiarius est pauper, potest ipsi illa restitutio applicari, si verè talis est, & etiam pauperibus consangnineis: vt bene Lopez noster *part. 1. instruct. c. 245.* Nauarr. *summa cap. 25. num. 123.*

---

## ARTICVLVS XXV.

## An beneficiarius omittens preces horarias teneatur ad restitutionem omnium fructuum ex beneficio perceptorum, an verò tantùm ad partem correspondentem oneri recitandi diuinum Officium?

*SVMMARIVM.*

1. *Quòd teneatur ad restitutionem, probatur.*
2. *Veritas aperitur, explicando, An qui omiserit dimidium alicuius horæ Canonicæ, teneatur ad restitutionem.*
3. *An beneficiarius mente distracta recitans Officium teneatur ad restitutionem distributionum quotidianarum.*
4. *An habens beneficium simplex teneatur ad fructuum restitutionem si non recitet Officium.*
5. *An beneficiarij habentes curam animarum teneantur ad integram restitutionem fructuum in eodem casu.*
6. *An Capellanus Sacra faciens in sua Capella, si Officium prætermittat, teneatur ad restitutionem.*
7. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & magis explicatur modus restitutionis faciendæ à beneficiarijs non recitantibus diuinum Officium.*

I. *Quòd teneatur ad restitutionem, probatur.*

PRobatur ex constitutione Sanctissimi Pij V. cuius initium est, *Ex proximo*, quam adducit Nauarr. *summa c. 15. num. 122.* vbi absolutè, & sine exceptione Sanctissimus Pontifex beneficiariis omnibus non recitantibus preces canonicas prohibet fructus facere suos. ergo, &c. & ita hanc sententiam tenet Valentia *tomo 3. disp. 6. quæst. 5. de oratione, puncto 10. vers. circa octauum, &c. concl. 3.* Azor. *part. 1. instit. mor. lib. 10. c. 13. dubio 5.*

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

## DVBITATIO I.

*An qui omiserit dimidium alicuius horæ Canonicæ, teneatur ad restitutionem?*

Dico primò, pro omissione minori quàm vnius horæ integræ, probabile est beneficiarios non debere aliquid restituere, quia constitutio Pij V. definite taxat pro emissione singularum horarum faciendam esse talem, & tantam restitutionem. ergo lex ista pœnalis non est extendenda ad minorem omissionem; ergo licèt aliquando beneficiarius peccet lethaliter in recitatione diuini Officij, vt si dimittat dimidiam horam, non tamen obligatur ad restitutionem nisi integram horam omittat. In Matutino verò emissio sextæ partis inducit obligationem restituendi sextam partem fructuum: quia totum, & integrum Matutinum adæquatur omnibus aliis horis; si verò sit minor sexta parte, nulla est obligatio restitutionis. Ita colligitur ex Toleto *lib. 2. summa cap. 12. num. 6.* & apertè docet Filliue. *tom. 2. tract. 23. cap. 10. quæst. 7. n. 319.* Quamuis Bonacina *tom. 1. tract. de horis Canonicis*, teneat contrarium, *disp. 1. quæst. 5. puncto 2. num. 13.* Quia, inquit, sic omittens agit contra præceptum Ecclesiasticum, & violat iustitiam commutatiuam.

## DVBITATIO II.

III. *An beneficiarius mente distracta recitans Officium teneatur ad restitutionem distributionum quotidianarum?*

Dico secundò, beneficiarius, qui vltrò mente distractus prosoluit diuinum Officium, si nihil omittat quoad prolationem externam, probabile est non teneri restituere fructus beneficij: nam qui animo sponte distracto persoluit preces horarias, illas minimè prætermittit; quamuis malè recitet, & ita hanc opinionem refert vt probabilem Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 14. dub. 8.* quam tenet Tol. *loco* nuper *allegato num. 6.* Sed probabilius mihi videtur beneficiarios recitantes sine attentione teneri ad restitutionem, quia talis recitatio non est oratio, nec per eam impletur præceptum, præceptum enim est vt deuotè recitent. Ita Less. *lib. 1. de iustitia, cap. 37. dub. 11. num. 67.* Bonacina nuper cit. *num. 17.*

DVBITATIO III.

IV. *An habens beneficium simplex teneatur ad fructuum restitutionem, nisi recitet Officium?*

Dico tertiò, habens beneficium simplex, qui tantùm tenetur ad horas canonicas, ad integram restitutionem fructuum omnium pro rata Officij prætermissi, quos ex beneficio, vel beneficiis percipit, est obligandus: quia iniquè tunc huiusmodi fructus sibi vsurpatet, cùm sine iusto titulo illos sibi retineret preces canonicas non persoluêdo. Ita benè Lopez *part. 1. instr. c. 245. § caeterùm quia*, &c. *verf. Primò quod si benef.* &c.

DVBITATIO IV.

V. *An beneficiarij habentes curam animarum, teneantur ad integram restitutionem fructuum in eodem casu?*

Dico quartò, beneficiarius curatus curam animarum getens, vt Episcopus, Parochus diuersa Officia in Ecclesia administrans, si suo muneri satisfecerit, solúmque preces horarias non restituerit, si per integrum annum illas omisit, quartam partem fructuum restituat; quòd si per dimidium anni prætermiserit, satis est dimidiam illius quartæ partis restituere, & sic pro rata omissionis proportionabiliter; reliquas verò fructuum partes pro potissimis ministeriis ratione tituli, & oneris sibi retinere poterit. Quia huiusmodi beneficia curata non conferuntur principaliter ob pensum diuini Officij, sed vt alia principaliora munera à beneficiario exerceantur. ergo cùm beneficium detur propter officium, *cap. vltimo, de rescriptis in 6.* & officium principale Episcopi, & Parochi sit administrare munia præcipua Ordinis sacerdotalis, poterunt tales beneficiarij ratione tituli, & oneris maiorem partem fructuumsibi retinere, etiamsi non recitauerint diuinum Officium, & solùm partem correspondentem Officio recitandi restituere. Ita Lopez nouissimè adductus citans Medinam, & alios, Lessius *lib. 2. de iustitia cap. 14. dub. 32. num. 178.* asserens talem esse praxim cum sapientum consilio.

DVBITATIO V.

VI. *An Capellanus celebrans in sua Capella, si Officium prætermittat, teneatur ad restitutionem?*

Dico quintò, beneficiatius habens Capellaniam, qui ter, vel quater singulis hebdomadis rem diuinam facere tenetur, quod re vera præstat, sed Officium diuinum prætermittit, non in integrum est cogendus fructus ex capellania perceptos restituere, sed sufficit tertiam partem pro rata omissionis Officij restituere: quia habenda est ratio celebrationis Missarum, & sufficit, quòd restituat partem stipendij respondentem Officio prætermisso. Videatur Lopez citatus.

Hæc iuxta praxim receptam, & consilium sapientum. In rigore tamen iuris Concilij Lateranensis, & sanctionis sanctiss. Pij V. beneficiatius quicumque debet fructus omnes restituere pro rata Officij prætermissi, quia hæc restitutio integra fructuum est iure canonico constituta in eos, qui diuinum Officium omittunt, vt aduertit Azor. *part. 1. inst. mor. lib. 10. cap. 14. quæst. 5.*

Obseruandum hîc quòd beneficiarius, qui debet restituere eleemosynas, quas fecit ex fructibus beneficij tempore, quo non recitauit, potest computare in partem restitutionis, quia eos fructus nunquam fecit suos, hoc est, non expendit in vtilitatem, & commoditatem suam, consequenter non manet respectu eorum obligatus ad restitutionem. Ita benè Filliuc. *tom. 2. tract. 23. cap. 10. quæst. 9. num. 316.*

VII. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & magis explicatur modus restitutionis faciendæ à beneficiarijs non recitantibus diuinum Officium?*

Ad rationem in contrarium respondetur, Concilium Lateranense & sanctionem sanctiss. Pij V. posse intelligi, vt de his beneficiariis tantùm loquantur aliis obligationibus non deuinctis, præter obligationem preces horarias recitandi, & hi tenentur pro rata omissionis Officij, & temporis ad omnes fructus restituendos: secus autem si loquamur de beneficiariis curam animarum habentibus, & aliis, qui in aliis muneribus beneficio annexis occupantur, hi enim obligantur secundùm praxim, & consilium sapientum solùm ad restituendam partem correspondentem oneri recitandi diuinum Officium, si illud prætermiserint, & non ad omnes beneficij fructus: ita aduertit & respondet Lopez noster *loco sæpe allegato, §. ad Extrauagantem*, &c. *verf. secundò respondere potest*, &c. adducens Medinam *in sua instruct. Confess. fol. 15. pag. 2.* videatur etiam Sotus pro hac solutione *lib. 10. de iustitia quæst. 5. art. 6. concl. 3.* Tolet. *lib. 2. summæ cap. 12. num. 4.* Beia *p. 1. casuum, casu 55 fine.*

Secundò respondetur quòd licèt in rigore iuris Concilij Lateranensis, & sanctionis sanctiss. Pij V. beneficiarij quicumque pro rata omissionis officij, & temporis teneantur ad restitutionem omnium fructuum, quia generatim hæc integra fructuum restitutio omnibus beneficiariis tanquam pœna irrogatur, qui diuinum omittunt Officium, & vbi iura non distinguit, nec nos distinguere debemus: tamen praxi recepta, & consilio sapientum, temperatus videtur talis rigor iuxta quartam, & quintam nostram assertionem; quia redditus beneficiorum dantur aliquibus beneficiatiis, non tantùm pro officio, sed etiam pro aliis ministeriis Ecclesiasticis, & pro sacrificiis. Ita Sotus, & Tolet. nouissimè adducti. Filliuc. *tom. 2. tract. 23. cap. 10. quæst. 5. num. 314. 355.* Less. *lib. 2. de iustitia cap. 34. dub. 32. num. 177. verf. quartò*, &c. citans Henriquez *cap. 13. de excommunicatione*, asserentem constitutionem Pij V. cum hac moderatione in Hispania esse receptam, vt Episcopus, vel Parochus quintam, vel quartam partem redditaum pro rata omissionis officij, & temporis restituant, reliquas trea, vel quatuor ratione tituli, & onerum sibi retineant; Capellanus verò tertiam partem, & reliquas duas pro celebratione Missarum faciat suas. Videatur Lopez noster *loc. cit.* &c. Saluo semper meliori iudicio.

## ARTICVLVS XXVI.

## An beneficiarij ad chorum, & cantum deputati, vt sunt Canonici Cathedralium, non canentes in choro Officium diuinum, teneantur ad restitutionem distributionum?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, & explicatur, an Canonici modo incompe*

*incomposito choro assistentes possint tuta conscientia recipere distributiones quotidianas.*

3. *An Canonici in choro non canentes, possint distributiones quotidianas recipere si adsint Mansionarij.*

4. *An Canonicus in choro submissè canens, & alios audiens, satisfaciat obligationi Officij diuini, debito Ecclesiæ seruitio, ac faciat suas omnes distributiones.*

5. *Ad rationem in contrarium à principio respondetur, & magis explicantur dicta in dubitatione.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm extat constitotio Sanctissimi Pij V. quæ incipit, *Ex proximo Lateranensi Concilio*: vbi decrait Pontifex, vt Canonicus, qui non psallit in choro, licèt præsens adsit, fructus amittat, quos alioquin lucrifecisset, si cantasset. & docet eam Nauarr. *tomo 1. consil. lib. 3. de celebratione Missarum, consil. 13.* Azor. *p. 1. inst. mor. lib. 10. c. 31. dub. 5.*

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

DVBITATIO I.

*An Canonici modo incomposito choro assistentes possint tuta conscientia recipere distributiones quotidianas?*

Dico primò, Canonicus Cathedralis, seu Collegiatæ Ecclesiæ addictus ad canendum in choro, si solùm assistat cum aliis, tamen non psallit, licèt nequeat integras distributiones capere, potest nihilominus dimidiam partem recipere. quia distributiones non solùm conferuntur pro cantu, verùm etiam pro assistentia in choro. Ita bene Medina *in sua instruct. Confess. in exposit. Præcept. §. 1: sub fine*, quem adducit Bonacina *tom. 1. tract. de horis Canonicis, disp. 1. quæst. 3. puncto 2. §. Primò, num. 17. vers. Immò nonnulli.* Beia *part. 1. casuum, casu 55. ad finem, vers. tum quia fructus Canonicatus.*

Hæc assertio cum limitatione est accipienda, vt intelligatur de Canonicis, & choro addictis, qui grauiter, & deuotè more orantium sua præsentia diuinis Officiis decorem & authoritatem adiungunt. hi namque etiamsi cum aliis non canant, si tamen extra chorum priuatim preces horarias recitarunt, probabile est quòd dimidiam partem distributionum tuta conscientia percipere possint; si verò in choro non canentes suis garrulis loquutionibus potius diuinum Officium perturbant, & dehonestant, nullam partem distributionum, etiam si domi priuatim recitauerint, tuta conscientia sibi lucrantur. Quia hæ quotidianæ distributiones sunt institutæ pro recitantibus, & interessentibus canonicis horis, non assistentia tantùm corporali diuino cultui repugnanti, sed illi congrua & accommoda. Ita eruditè Lopez noster *p. 1. instruct. cap. 246. §. Quare tertiò*, &c.

DVBITATIO II.

III. *An Canonici in choro non canentes, possint recipere distributiones quotidianas si adsint Mansionarij?*

Dico secundò, vbi est consuetudo vt Canonici, & beneficiarij choro addicti per Vicarios, Assisios, vel Mansionarios officium peragant, probabile est eos posse distributiones omnes lucrifacere si in choro non canunt, priuatim tamen preces horarias recitent: modò temporibus constitutis præsentes sint; quia etsi Canonici, & tales beneficiarij choro addicti non canunt, sunt tamen Capellani, Mansionarij, & Cantores, recitantes, quibus è redditibus communibus dantur stipendia, quæ alioquin lucrifecissent Canonici, & beneficiarij choro addicti si per seipsos recitarent. Sufficiet ergo vt ipsi tanquam maiores Clerici sua præsentia omnia moderentur, vel reuerenter assistant. Ita præclarè Caiet. *summa verb. Hora Canonica*, quem sequuntur Filliuc. *tom. 2. tract. 23. c. 6. q. 5. n. 197.* Bonacina *loco cit. num. 18.*

Dico tertiò, vbi verò viget consuetudo, vt ipsi Canonici canant in choro, qui non canunt, non merentur omnes distributiones, sed dimidiam saltem illarum partem non faciunt suam, etiam si domi priuatim recitent: quia distributiones non sunt constitutæ ob nudam præsentiam, sed vt cum aliis psallant, & diuinum Officium decantent. Ita bene Sotus *lib. 10. de iustitia, quæst. 5. art. 4. vers. Quod iam in aliqua Ecclesia*, quem sequitur Less. *lib. 2. de iustitia, cap. 34. dub. 32. n. 184.* Beia *loco vbi suprà.*

DVBITATIO III.

IV. *An Canonicus in choro submissè canens, & alios audiens, satisfaciat obligationi Officij diuini, & debitos Ecclesiæ seruitio, & faciat suas omnes distributiones?*

Dico quartò, Canonicus, qui submissa voce in choro recitat suos versiculos, & audit socios canentes suas partes, satisfacit obligationi diuini Officij: quia ipse recitat suam partem, & communicat in parte sociorum. Tabiena *verb. Hora, §. vltimo n. 33.* Rodriquez *part. 1 summæ cap. 143. num. 2.*

Dico quintò, licet addicti choro, si suos versiculos submissè recitent, & alios attentè audiant, obligationi diuini Officij recitandi satisfaciant, non tamen satisfaciunt debito seruitio chori, nec omnes distributiones sibi faciunt suas. Quia redditus Ecclesiastici dantur Canonicis choro addictis, vt inseruiant, & cantent cum aliis. Ita Sotus *lib. 10. de iust q. 5. art. 4* Bonacina *tom. 1. tract. de horis Canonicis, disp. 1. q. 3. punct. 2, §. 1 n. 17.* Azor. *p. 1. lib. 10. c. 21. dub. 5.*

V. *Ad rationem in contrarium à principio respondetur, & magis dicta in dubitatione explicantur.*

Respondetor quòd ex verbis constitotionis Pij V. non clarè colligitur, quòd Canonici, & beneficiarij choro addicti priuatim domi preces horarias recitantes si grauiter, & deuotè more orantium statutis temporibus diuino Officio assistunt, licèt ibi cum aliis non canunt, teneantur, vbi præcipuè consuetudo viget non recitandi, & canendi in choro per se ipsos, sed per Vicarios, & Cantores ad integrè distributiones perceptas restituendas. quia ibi Sanctissimus Pontifex ait, *Tamen si aliquis choro addictus non recitans omnibus horis Canonicis cùm aliis præsens adsit, fructus & distributiones sola præsentia sibi lucrifecisse prætendat.* Ad quæ verba rectè dici potest vt intelligantur de Canonicis, & choro addictis, qui rùm omnino preces horarias prætermittunt, neque etiam priuatim eas recitantes sibi persuadent, solam personalem assistentiam sufficere vt distributiones omnes faciant suas: quòd si priuatim recitent, & choro assistant assistentia diuino cultui cõgrua, & accommoda, probabile est hos sic assistentes etiamsi non recitent cum aliis, dimidiam partem distributionum posse sibi lucrifacere. Ita bene annotauit Lopez noster *p. 1. instruct. c. 246.* Igitur, &c.

## ARTICVLVS XXVII.

### An beneficiarij curam habentes, iure diuino residere teneantur?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Dubitatio resoluitur, & explicatur illud axioma,* Qui per alium facit, per seipsum, *&c.*
3. *An summus Pontifex possit dispensare huiusmodi residentiam; & , An dispensans sine causa peccet?*
4. *Ad rationem in contrarium respondetur, explicando, quomodo summus Pontifex conferat iurisdictionem Episcopis, & quomodo intelligatur quòd regimen Ecclesiæ sit Monarchicum.*

I. *Pars negatiua probatur.*

EPiscopi immediatè recipiunt suam potestatem à Rom. Pontifice, & non à Deo; ergo præceptum, quo obstringuntur vt Ecclesiæ inseruiant, eique assistant, à solo Pontifice accipiunt. Antecedens patet. nam regimen Ecclesiæ est Monarchicum in vno, & ab vno Rom. Pontifice, in omnes alios manans, vt Turrecremata *summa lib. 2. cap. 54.* Azot. *part. 2. instit. moral. lib. 3. cap. 30. dub. 13. §. secunda sententia,* &c. Consequentia probatur. nam eiusdem est potestatem conferre, & etiam per imperium mouere ad executionem eius potestatis; ergo cùm Pontifex præficiat Episcopos Ecclesiis, ipse etiam præcipit vt resideant in Ecclesiis quas illis assignauit: & ita hanc sententiam tenuit Catherinus *in tract. de residentia,* Albinianus *eodem tractatu,* Thomas Campegius *de residentia Episcoporum,* vt refert Sanctarellus, *tom. 1 variarum resolutionum, q. 1. n. 4.* & Azor. *p. 2. lib. 7. c. 4. dub. 1.*

II. *Dubitatio resoluitur, & explicatur illud axioma,* Qui per alium facit, per se ipsum, *&c.*

Dico primò, beneficiarij, quibus incumbit cura animarum, iure diuino residere tenentur, & per se suum Officium administrare. Probatur ex Concilio Trid. *sess. 23. c. 1. de Reform.* Præcepto diuino, inquit Concilium, mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, quod præstari non potest ab eo, qui gregi non inuigilat & assistit. ergo, &c.

Sed contrà est illud axioma, *Quod per alios facimus, per nos ipsos facere dicimur, c. qui per alium, de reg. iur. in 6.* Respondetur hoc axioma verum esse in his, quæ specialem industriam, & ministerium personæ non requirunt. At cura animarum requirit personale debitum, non potest igitur huic obligationi per alium satisfieri, sicut beneficiarius non satisfaceret oneri precum canonicarum, si illas per alium recitaret, & sic hanc opinionem docuit Caiet. 2. 2. *q. 185. art. 5. §. Ad hoc dicitur.* Sotus *lib. 10. de iust. q. 3. art. 1.* vbi præclara, & erudita pro hac re adducit.

### DVBITATIO I.

III. *An summus Pontifex possit dispensare huiusmodi residentiam, ita vt dispensans sine causa peccet?*

Dico secundò, Pontifex sine iusta causa dispensans cum Episcopis, & beneficiariis aliis curam habentibus animarum ad non residendum, isti adhuc non sunt tuti in conscientia, sed peccant grauiter si non resideant: nam dispensatio in his, quæ sunt de iure diuino, sine iusta causa non est valida, ita perdoctè Sotus *lib. 3. de iust. q. 6. art. 3. vers. Itaque & Papa;* vbi ait Papam sine legitima causa dispensantem grauiter delinquere, & eius delictum non liberare ambientem, obtinentem, & retinentem, à culpa; Sotum sequitur Valent. *tom. 3. disp. 10. q. 3. puncto 5. vers. & hactenus.* Azor. *p. 2. inst. mor. lib. 7. c. 4. dub. 1. ad finem, vers. nos verò,* &c.

IV. *Ad rationem in contrarium respondetur, & explicatur*

### DVBITATIO II.

*Quomodo summus Pontifex conferat iurisdictionem Episcopis? & quomodo intelligatur quod regimen Ecclesiæ sit Monarchicum?*

Ad rationem in contrarium respondetur, duobus modis posse intelligi quòd Pontifex conferat potestatem Episcopalem; primo, tanquam eius institutor & causa principalis, sicut Rex, v.g. confert potestatem Prætori, hoc modo nequaquam Pontifex, sed Deus solos potestatem Episcopalem confert, vt constat ad Ephes. 4. *& ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem Sanctorum,* &c. & Actor. 20. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Secundo modo ministerialiter, & instrumentaliter, quatenus à Deo summus Pontifex recipit potestatem assignandi vnicuique Ecclesiæ Pastorem, qui sit à Deo, veluti à causa principali, potestatem iurisdictionis recepturus; & in hoc sensu saluatur quòd regimen Ecclesiæ sit Monarchicum in vno, & ab vno Romano Pontifice, quia omnis iurisdictio & potestas Episcopalis ministerialiter manat à Rom. Pontifice, principaliter verò à Deo Episcopalem Ordinem, gradum & dignitatem instituente: quare sicut Episcopi & beneficiarij curam animarum habentes à Deo recipiunt principaliter potestatem iurisdictionis, ita etiam principaliter à Deo accipiunt præceptum, quo obstringuntur ad residendum in Ecclesiis sibi commissis: hanc solutionem & doctrinam docet eruditè Magister Sotus *lib. 10. de iust. q. 1. art. 4.* quem sequitur Valentia *tom. 3. disp. 10. q. 3. punct. 5 solutione ad quartum.*

## ARTICVLVS XXVIII.

### An habentes beneficia, quibus cura est annexa, si non resideant, teneantur in conscientia fructus ex beneficiis perceptos restituere?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur an Episcopi possint absque licentia, & absque causa non residere duobus, vel tribus mensibus, & an per maius tempus teneantur petere licentiam.*
3. *Titulo dubitationis respondetur quoad Episcopos.*
4. *Dubitatio resoluitur quoad residentiam Parochorum, & explicatur, An Episcopi vltra duos menses possint cum illis dispensare.*
5. *An Parochus obtinens licentiam absentiæ fingendo causam*

*causam iustam, peccet, & teneatur ad restitutionem fructuum, & an Parochus ruralis accedens frequenter ad vrbem peccet.*

6. *An existante vrgenti necessitate possit Parochus abesse absque licentia? & an Episcopus possit illum retinere ad sui seruitium.*

7. *Ad rationem in contrarium respondetur, explicando, an Parochus studendi causa possit de licentia Episcopi non residere.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm Parochi per septennium causa studiorum non residentes fructus faciunt suos, dummodo septennio prædicto durante per bonos, & sufficientes Vicarios animarum cura diligenter exerceatur, vt patet *cap. cum ex eo, de elect. in 6.* ergo beneficiarij curam habentes animarum non residentes, si per idoneos ministros muneribus suis in Ecclesiis obtentis satisfecerint, ad nullam tenentur restitutionem.

DVBITATIO I.

II. *An Episcopi possint absque licentia & absque causa non residere duobus, vel tribus mensibus, & an per maius tempus debeant petere licentiam?*

Dico primò, Episcopi possunt à suis Ecclesiis abesse ad summum singulis annis per tres menses, siue continuè, siue interruptè, sine alia Superioris approbatione, nec tunc amittunt fructus, quia in Concilio Trid. *sess. 23. c. 1. de Reform.* vbi statuitur pœna restitutionis contra non residentes, dicitur qui aliquantisper tantùm absunt, ex veterum canonum sententia non videntur abesse, qui statim reuersuri sunt. Vbi etiam declaratur breue hoc temporis spatium, quo ita abesse licet, non debere excedere duos, aut ad summum tres menses singulis annis, siue continuum, siue interruptum: videatur Concilium Tridentinum *loc. cit.* Valentia *tom. 3. disp. 10. quæst. 3. puncto 5. vers. Secundò certum est.*

Dico secundò, debet esse iusta causa, cur tribus illis mensibus absint, tametsi non maximi momenti, & præterea debent abesse sine vllo gregis detrimento, alioqui peccabunt grauiter: quia Concilium Tridentinum nuper adductum onerat eorum conscientias ea in re proposito Dei timore, vt aduotauit Less. *lib. 2. de iust. c. 34. dub. 19. n. 155.* Hoc spatium absentiæ ad summum trium mensium, licitè Episcopis conceditur causa animum relaxandi; videatur Azor. *part. 2. instit. mor. lib. 7. cap. 4. dub. 9.*

Dico tertiò, si necesse fuerit, vt Episcopi absint à suis Ecclesiis amplius tribus mensibus ob aliquas iustas causas, tunc legitimæ absentiæ causæ approbandæ sunt in scriptis à Romano Pontifice, aut à Metropolitano, vel eo absente ab antiquiori suffraganeo Episcopo residente, qui Metropolitani absentiam probare debebit. Ita Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 1. de Reform.* excipit tamen non requiri hanc approbationem, quando necesse est, vt Episcopi absint propter aliquod munus, & Reipublicæ officium Episcopatibus adiunctum, vt quando vocantur ad Concilia, vel ad Comitia, si fuerint Electores.

III. *Titulo dubitationis respondetur quoad Episcopos.*

Dico quartò, si præter tres menses aliquandò Episcopi à suis Ecclesiis abfuerint, fructus pro rata temporis absentiæ non faciunt suos, sed tenentur in conscientia eos vel fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus loci, seu Episcopatus erogare. Ita decernitur *in eodem cap.* Concilij Tridentini, si causæ absentiæ non fuerint in scriptis à Metropolitano approbatæ: quòd si fuerint approbatæ, sed non in scriptis, in foro conscientiæ fructus non amittuntur, quia concessio iure gentium, & naturæ valida est; in foro tamen exteriori posset condemnari. Less. *lib. 2. de iust. c. 34. dub. 19. n. 158.*

IV. *Dubitatio resoluitur quoad residentiam Parochorum, & explicatur*

DVBITATIO II.

*An Episcopus vltra duos menses possit cum illis dispensare?*

Dico quintò, Parochi si vltra duos menses absque legitima causa per Episcopum cognita, & approbata, absint, præter culpam mortalem, quam incurrunt, etiam fructus in conscientia pro tempore absentiæ amittunt, ex eodem Concil. *sess. 23. cap. 1.* sine tali licentia, & approbatione poterunt vt Episcopi continuè, vel diuisim abesse cum causa, quæ videbitur eis iusta, & legitima, quia absentia ad duos menses est modica: at leges pro nihilo reputant, quod modicum est. Ita Nauarr. *in summa cap. 25. num. 121. vers. & quamuis.* Dummodo interim idoneus Vicarius cum debita mercede instituatur.

Dico sextò, probabilius tamen est Parochos non posse abesse primo bimestri sine Episcopi facultate, quia Concilium ait, quandocumque eos abesse contigerit, debere causam esse priùs cognitam, & probatam per Episcopum, sicque fuisse declaratum à sacra Congregatione Concilij, asserit Garzias *p. 3. de beneficiis cap. 2. n. 26.* & refert Sanctarellus *p. 1. variarum resolutionum, quæst. 4. num. 13.*

Dico septimò, hodie ex declaratione Congregationis sacri Concilij Parochus, qui à sua Ecclesia per vnum, vel duos menses abfuit absque Ordinarij licentia in scriptis, pro rata absentiæ non facit fructus suos, sed teneturre eos applicare fabricæ suæ Ecclesiæ, vel pauperibus loci. Filliuc. *tom. 3. de beneficiis tract. 4. cap 6. quæst. 6. num. 26.*

DVBITATIO III.

V. *An Parochus obtinens licentiam absentandi fingendo causam iustam, peccet, & teneatur ad restitutionem fructuum? & an Parochus ruralis accedens frequenter ad vrbem peccet?*

Dico octauò, quòd si petat licentiam fingendo causam iustam, quæ re vera non est legitima, peccat mortaliter, & tenetur pro rata absentiæ restituere fructus. Sanctarellus nuper allegatus *num. 15.* Parochus verò ruralis si semel in hebdomada ad vrbem reuertit causa videndi suos, ibique per vnum diem moratur, non peccat mortaliter; nec tenetur restituere fructus: quia qui aliquantisper tantùm abest, ex veterum canonum sententia, & Concilij Tridentini *sess. 23. cap. 1. de Reform.* non videtur abesse, cùm statim reuersurus sit. Ludouicus Beia *part. 4. casuum, casu 21.* dummodo Sacerdotem aliquem propter casus occurrentes ibi relinquat: Parochus enim proprietarius, qui scilicet habet beneficium parochiale, ad breue tempus alteri Sacerdoti exposito curam animarum sibi commissam demandare potest, licèt non in perpetuum, & inconsulto Episcopo: videatur Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 31. num. 11.*

### Dubitatio IV.

VI. *An extante vrgenti necessitate possit Parochus abesse absque licentia, & an Episcopus possit illum retinere ad sui seruitium?*

Dico nonò, si aliqua necessitas se offerret, quæ non pateretur dilationem, potest Parochus abesse non petita licentia, sed quamprimum debet facere certiorem Episcopum. Ita declarauit sacra Concilij Congregatio. Episcopus verò non potest Parochum occupare in suo seruitio vltra bimestre, ex eadem Congregatione refert Filliuc. *loc. cit. num.* 26. Nec potest Ordinarius dare licentiam obtinenti curatum, vt absit ad hoc vt alterius Episcopi sit Vicarius generalis. Ita censuit sacra Congregatio: vide adnotationem *consilij* 15. apud Nauarr. *tomo* 1. *lib.* 3. *de Clericis non resident.*

VII. *Ad rationem in contrarium respondetur, & explicatur*

### Dubitatio V.

*An Parochus studendi causa possit non residere de licentia Episcopi?*

Ad rationem in contrarium respondetur, quòd quamuis olim Parochus studiorum causa per septennium ex consensu, & licentia Episcopi potuerit abesse, vt habetur *in cap. cum ex eo, de elect.* 6. tamen post Concilium Tridentinum obtinentes Ecclesias parochiales non possunt studiorum causa abesse, & si absunt, non faciunt fructus suos, nec Ordinarij possunt talem licentiam concedere. Gonzalez *in reg.* 8. *Cancellaria glossa* 6. *n.* 251. vbi dicit ita fuisse declaratum à sacra Concilij Tridentini Congregatione. Ratio huius est. nam cùm Ecclesiæ parochiales conferantur per concursum, vt præcipitur in Concilio Trident. *sess.* 24. *cap.* 18. *de Reform.* supponitur eum, cui confertur beneficium parochiale, esse idoneum, & iam studuisse, & consequenter necessarium non esse, vt studiorum causa absit à sua Ecclesia.

Neque sufficit vt per Vicarios, & ministros idoneos muneribus sibi commissis in Ecclesiis obtentis satisfaciant: nam fideles, qui instituerunt Episcopatus, & beneficia curata, & qui redditus præbent Episcopis, & curatis, non instituerunt vt Episcopi, & curati satisfacerent officio suo per alios, sed per se ipsos, vt veri Pastores, & non mercenarij haberent curam gregis sibi commissi: hinc meritò sacrum Concilium Trident. *sess.* 23. *cit. c.* 1. *de Reform.* in absentes absque legitima, & iusta licentia Ordinarij ab Ecclesiis parochialibus pœnam amissionis fructuum pro absentia irrogauit.

---

## Articvlvs XXIX.

## An beneficiarij habentes dignitates in Cathedralibus, vel Collegiatis, Canonicatus, præbendas, vel portiones, si non residcant, in conscientia faciant fructus suos?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas explicatur, declarando quid intelligatur nomine portionis, & an portionarij non residentes faciant fructus suos.*
3. *Resoluitur dubitatio.*
4. *An beneficiarij, de quibus in titulo, faciant distributiones quotidianas suas nisi resideant, licet habeant priuilegium recipiendi fructus in absentia.*
5. *An beneficiarij, de quibus in titulo, incurrant pœnam de qua supra, & peccent, si adsint eodem loco, vbi est Ecclesia, & absint ab Ecclesia?*
6. *An beneficiarij, de quibus in titulo, possint per tres menses absque licentia abesse, & vlterius possit Episcopus illis prorogare terminum ad alium mensem.*
7. *Rationi in contrarium respondetur, explicando, An consuetudo reprobata vt iniqua possit denuo induci, ita vt faciat legem, & quomodo intelligatur illa regula,* Lex non recepta non obligat.

I. *Pars affirmatiua probatur.*

Nam consuetudo honesta potest excusare, vt habentes dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones possint abesse à suis Ecclesiis, & interim percipere fructus, vt docet Nauarr. *summa cap.* 25. *n.* 118. *vers. Dixi principaliter.* ergo potest induci consuetudo vt prædicti possint tuta conscientia abesse à suis Ecclesiis, & præterea percipere fructus.

II. *Veritas explicatur, & declaratur*

### Dubitatio I. & II.

*Quid intelligatur nomine portionis? &. An portionarij non residentes faciant fructus suos?*

Dico primò, appellatione portionis intelligitur beneficium simplex in Ecclesiis, quæ Cathedrales, & Collegiatæ vocantur, quod possident hi, qui dicuntur beneficiati, seu portionarij, qui infra Canonicos in choro diuinas laudes persoluunt, & altaris ministerio deseruiunt, hi tenentur ad residentiam in Ecclesia, cui inseruiunt. patet ex officio recitandi horas canonicas in choro, ad quod obligati tenentur. Videatur Azor. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 10. *instit. moral. dub.* 1.

III. *Dubitatio resoluitur.*

Dico secundò, obtinentes in Ecclesiis Cathedralibus, aut Collegiatis, dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones, non possunt vltra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse; alioquin primo anno debent priuari dimidia parte fructuum, quos ratione præbendæ suos fecerunt; secundo anno omnibus fructibus. Ita disponit Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.*

Dico tertiò, tales beneficiarij, de quibus est sermo, si amplius tribus mensibus absque iusta causa absint à suis Ecclesiis, non tenentur in conscientia ad fructuum restitutionem, si officio satisfecerint, nisi ad eam condemnentur. Quia leges, & statuta, seu decreta, quando vtuntur verbis futuri temporis, imponendo aliquam pœnam non intelliguntur ipso iure, & in conscientia illam imponere, sed requiritur iudicis sententia ad illam incurrendam: vt si dicant, qui hoc fecerit, priuetur, mulctetur, excommunicetur, &c. vt bene tradit glossa *in cap. quisquis, de elect. verb. fiat, & in verb. suspendantur.* At Concilium Tridentinum *dicta sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* imponendo pœnam prædictis non residentibus, vtitur verbo futuri temporis, cùm ait, *alioquin primo anno priuentur*; ergo cùm hæc pœna non sit latæ, sed ferendæ sententiæ, non incurritur in conscientia ante

ante indicis sententiam: vt benè aduertit Less. *lib. 2. de iust. c. 34. dub. 29. num. 163.* Nauarr. *summ. c. 25. n. 121.*

### Dvbitatio III.

IV. *An beneficiarij, de quibus in titulo, faciant distributiones quotidianas suas nisi resideant, licèt habeant priuilegium recipiendi fructus in absentia?*

Dico quartò, quamuis hi beneficiarij absentes possint sibi in conscientia retinere fructus beneficiorum, donec condemnentur, non tamen quotidianas distributiones faciunt suas: quia nomine distributionum intelliguntur portiones, quæ debentur Clericis quotidie, eo quòd diuinis Officiis intersunt: neque nomine distributionum comprehenduntur fructus beneficij, quando beneficium, vel canonicatus, &c. habet alios fructus, quàm distributiones. Ita bene Nauarr. *tom. 1. consiliorum lib. 3. de Clericis non resid. consil. 2. num. 2.* Azor. *part. 2. lib. 7. cap. 7. dub. 1.*

Ex hoc infertur, quòd qui habet priuilegium vt in absentia possint percipere fructus beneficiorum, non propterea possunt percipere quotidianas distributiones, & sic glossa *in cap. vnico, de Clerico non resident. in 6. verb. adfuerint*, ait his, qui Bononiæ in litterario iuris studio operam collocant, quamuis priuilegium sit donatum vt absentes beneficij fructus acquirant, non tamen eo ipso est eis concessum vt distributiones lucrifaciant.

### Dvbitatio IV.

V. *An beneficiarij, de quibus in titulo, incurrant pœnam, de qua suprà, & peccent, si adsint eodem loco vbi est Ecclesia, & absint ab Ecclesia?*

Dico quintò, obtinentes dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones, incidunt in pœnas si absint à suis Ecclesiis, quamuis sint præsentes in loco, vbi est Ecclesia, cuius sunt beneficiarij, & peccant mortaliter si vltra tempus trium mensium à Concilio permissum notabiliter absint. quia transgrediuntur præceptum impositum à Concilio in materia grauissima: at leges & præcepta circa materiam grauem obligant sub mortali, vt docent Medina 1. 2. *quæst. 96. art. 4. dub. 1. vers. Regula 2.* Sotus *lib. 1. de iust. q. 6. art. 4. post medium, vers. Quocirca fidissima regula est.* ergo, &c. Videatur Azor. *p. 2. inst. mor. lib. 7. c. 7. dub. 5.*

### Dvbitatio V.

VI. *An beneficiarij, de quibus in titulo, possint per tres menses absque licentia abesse, & vlteriùs possit illis Episcopus prorogare terminum ad alium mensem?*

Dico sextò, hi beneficiarij existente rationabili causa possunt per tres menses absque alia licentia Superioris à suis Ecclesiis abesse. Videatur Aloysius Riccius *in praxi fori Ecclesiastici, resolutione 392. num. 5.* Sanctarellus *tomo 1. variarum resolutionum, q. 4. num. 26.* quòd si iusta causa absit, peccant mortiferè non residendo per tres menses in suis Ecclesiis, quia hi beneficiarij iure canonico tenentur ad residentiam, quod non est contraria consuetudine reuocatum: videatur Less. *lib. 2. de iust. c. 39. dub. 29. n. 163. vers. Sexta honesta consuetudo.*

Dico septimò, potest tamen Episcopus legitimam ob causam dare facultatem his beneficiariis, vt possint abesse per quatuor menses, qui quatuor menses sunt distincti ab illis tribus mensibus, quos sacrum Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 12. de Reformatione*, illis concedit, vt possint à suis Ecclesiis abesse. Ita Garzia *de beneficijs, part. 3. cap. 2. num. 408.* Sanctarellus *loc. cit. num. 26.*

VII. *Rationi in contrarium respondetur, & explicatur*

### Dvbitatio VI. & VII.

*An consuetudo reprobata vt iniqua possit denuo induci ita vt faciat legem? &, Quomodo intelligatur illa regula,* Lex non recepta non obligat?

Ad rationem in contrarium positam à principio respondetur, quòd quando consuetudo reprobatur tanquam iniqua & irrationabilis, non potest de nouo induci consuetudo contra legem, quæ huiusmodi consuetudini deroget. At consuetudo vt habentes dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones, possint abesse vltra tres menses, reprobatur à Concilio tanquam iniqua, & irrationabilis: vnde consuetudo rationabilis introduci non potest vt bi tuta conscientia à suis Ecclesiis abesse possint, sed erit potiùs abusus, & corruptela: videatur Abbas *in cap. vltim. de consuetudine, num. 22.*

Si dicatur. nam lex non recepta non obligat, vt habetur *in can. in istis, §. leges, dist. 4.* ergo potuit hæc constitutio Concilij Tridentini non recipi; ergo vbi lex ista non est recepta, poterunt hi beneficiarij abesse à suis Ecclesiis vltra trimestre. Respondetur quòd regula illa, *Lex non recepta non obligat*, non valet quando lex aliquid prohibet tanquam malum, & irrationabile, & quando tollit consuetudinem, illam damnando, & reprobando: at lex lata in Concilio Tridentino *dicta sess. 24. cap. 12. de Reform.* tollens consuetudinem relinquendi suas Ecclesias vltra tres menses, tollit illam tanquam malam, & irrationabilem; non poterit ergo contra talem legem consuetudo de nouo introducta præualere, sed potiùs erit corruptela, & abusus. Saluo semper meliori iudicio.

---

## Articvlvs XXX.

## An beneficiarij docentes, & Scholastici studentes in Vniuersitatibus, in absentia possint licitè percipere fructus beneficiorum?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, explicando, An beneficiarij indigeant licentiâ Episcopi ad legendum Theologiam, vel Philosophiam.*
3. *Titulo dubitationis respondetur, insuper explicando, An Episcopi possint licentiam concedere beneficiarijs legendi.*
4. *An non residentes studiorum causa faciant fructus suos; &, An debeant petere licentiam, & pro quo tempore licentia concedi possit, & pro quibus scientijs.*
5. *An Clerici Sacerdotes, vel personatum habentes, possint studere Physicæ, & iuri ciuili.*
6. *An beneficiarij non Parochi faciant fructus suos, si*

non

*non resideant, vt Grammaticæ studeant, vel alijs scientijs, & ad hoc indigeant licentia Episcopi.*

7. *An absentes studiorum causa possint percipere distributiones quotidianas, vel fructus, si studijs cum diligentia non incumbunt.*

8. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, An beneficiarijs possit concedi priuilegium perpetuum ad non residendum; & an priuilegium non residendi causa studiorum sit reuocatum, & quid requiratur ad reuocationem priuilegij.*

I. *Pars negatiua probatur.*

EX sacro Concilio Tridentino *sess. 6. cap. 2. de Reformatione*, vbi dicitur Episcopis inferiores, quæcunque beneficia Ecclesiastica personalem residentiam de iure, siue consuetudine exigentia in titulum obtinentes, ab eorum Ordinariis opportunis iuris remediis residere cogantur, nulliqoe priuilegia, seu indulta perpetua de non residendo, aut de fructibus in absentia percipiendis suffragentur. hæc sacrum Concilium. quibus verbis sacrum Concilium derogare videtur priuilegiis concessis Vniuersitatibus studiorum, vt beneficiarij docentes, vel studentes in illis non possint cogi ad residendum: poterunt igitur cogi post Concilium Tridentinum, & non faciunt fructus suos si non resideant.

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

DVBITATIO I.

*An beneficiarij indigeant licentia Episcopi ad legendum Theologiam, vel Philosophiam?*

Dico primò, beneficiarij curam animarum non habentes, docentes sacram Scripturam, Theologiam, vel ius canonicum, quantumuis longo tempore excusentur à residentia, suos faciunt beneficiorum fructus, si in loco studiis generalibus publicè destinato legerint, vt *in cap. super specula, de Magistris.* Nec ad hoc requiritur licentia Episcopi, vt docet Nauarr. *summa cap. 25. num. 121.* & declarauit sacra Concilij Congregatio, teste Garzia *de beneficijs part. 3. c. 2. n. 87.* Sanctarellus *part. 1. variarum resolutionum, quæst. 3. n. 24.* Ad docendas autem litteras humaniores, & Philosophiam, requiritur licentia Episcopi. Nauarr. *vbi supra*, Less. *lib. 2. de iust. c. 34. dub. 29. num. 163.* Filliuc. *tomo 3. tract. 4. de beneficijs, c. 6. q. 6. n. 29. §. 3.*

III. *Titulo dubitationis respondetur, & explicatur*

DVBITATIO II.

*An Episcopi possint licentiam concedere beneficiarijs legendi?*

Dico secundò, post Concilium Tridentinum obtinentes Ecclesias parochiales non possunt studiorum causa abesse à suis Ecclesiis, & si absunt, non possunt percipere fructus, nec Ordinarij possunt talem concedere licentiam: quia ex sacro Concilio Tridentino *sess. 23. cap. 1. de Reform.* Parochi vltra bimestre tempus non possunt abesse à suis Ecclesiis, nisi causâ per Episcopum priùs cognita, & probata, & hanc Episcopus concedere non potest, nisi ex graui causa. At declaratum est à sacra Congregatione, studium non esse grauem causam, vt obtinentes beneficia curata à suis Ecclesiis possint abesse. ergo post Concilium Tridentinum non poterit licentiam concedere Episcopus beneficiariis curam animarum habentibus, vt ad docendum alios à suis Ecclesiis se absentent: præsertim cùm hodie sint alij, qui docere possunt Theologiam: & ius canonicum; videatur Sanctarellus *part. 1. variarum resolutionum, quæst. 3. num. 26. ad finem.*

DVBITATIO III.

IV. *An non residentes, studiorum causa faciant fructus suos? &, An debeant petere licentiam? & pro quo tempore concedi possit? & pro quibus scientijs?*

Dico tertiò, Clerici habentes Canonicatus, & alia beneficia non curata, abesse possunt à suis Ecclesiis, vt dent operam Theologiæ, vel iuri canonico in aliqua Vniuersitate, seu studio generali, in loco videlicet, in quo patet omnibus aditus ad studia, vt explicat Bonacina *tom. 1. tract. de horis Canonicis, disp. 2. quæst. 5. puncto 3. §. 9. num. 7.* & percipere fructus beneficiorum in absentia toto tempore, quo studuerint, vt constat ex *cap. finali, de Magistris.*

Dico quartò, Clericus beneficiarius ad hoc, vt possit à sua Ecclesia abesse causa studiorum, debet petere licentiam ab Ordinario, ne inepti ad studia se conferant, & ne multi ab Ecclesia absint in detrimentum seruitij Ecclesiæ: vt habetur in constitutione Pij IV. cuius initium est, *Sanctissimus*, edita 1564. die 24. Nouembris, quæ refertur ad finem Concilij Tridentini.

Dico quintò, licentia, quæ conceditur, vt causa studiorum possint beneficiarij abesse à suis Ecclesiis, non extenditur vltra quinquennium à die, quo beneficiarius cœpit studere, vt constat ex *cap. super specula, de Magistris*, quod intelligendum est de discentibus, non autem de docentibus. nam hi poterunt percipere fructus beneficiorum in absentia toto tempore, quo docuerint, vt patet ex Concilio Trident. *sess. 5. cap. 1. de Reformatione*, & docet Less. *lib. 2. de iust. cap. 34. dub. 29. num. 163. vers. Secundò docere.*

Dico sextò, Clericus dans operam iuri ciuili percipit etiam fructus sui beneficij in absentia, vt colligitur ex *cap. 2. de priuilegijs in 6.* vbi ei, qui studet Romæ iuri ciuili & canonico, conceditur vt gaudeat priuilegiis, quibus gauderet si alibi incumberet.

DVBITATIO IV.

V. *An Clerici Sacerdotes, vel personatum habentes possint studere Physicæ, & iuri ciuili?*

Hoc verò intelligendum est de Clerico dummodo non sit Sacerdos, Archidiaconus, Decanus, Præpositus, Cantor, vel personatum habens, vt constat ex *cap. super specula, ne Clerici, vel Monachi.* Nam his est prohibitum sub pœna excommunicationis ipso facto leges, & Physicam audire *cap. cit. super specula*, & docet Caiet. *summa verb. excommunicatio, cap. 50.* limitat tamen Tolet. *lib. 1. summæ cap. 37. num. 4.* non esse scilicet excommunicatos Presbyteros, seu habentes tales dignitates, docentes tales scientias, nec habentes priuatim in Camera lectores legum. Nec etiam eos, qui student legibus in quantum conducunt, & possunt conducere ad notitiam Canonum, quamuis in foro fori præsumptio esset contra eos.

DVBI.

### DVBITATIO V.

VI. *An beneficiarij non Parochi faciant fructus suos si non resideant vt Grammmtica studeant, vel alijs scientijs, & ad hoc indigeant licentia Episcopi?*

Dico septimò, excusantur à residentia, & faciunt beneficiorum fructus suos beneficiarij curam animarum non habentes, qui in alia qualibet scientia etiam Grammatica, vt glossa annotauit *in c. cùm ex eo, de elect. in 6. in verb. Litterarum,* suum studium, & operam ponunt, idque in loco studiis generalibus destinato, vt in prædicto *cap. cùm ex eo.* Ad hoc tamen studium litterarum necesse est, vt docentes, & discentes à suo Episcopo, in cuius diœcesi beneficium habent, facultatem impetrent, per notata *in cap. tua, de Clericis non resident.* & docet Nauarr. *summa cap. 25. n. 131.* Azor. *part. 2. lib. 7. instit. mor. cap. 4. dub. 3. vers. quarta.* Bonacina *tom. 1. tract. de horis Canonicis, disp. 2. q. 5. punct. 3. §. 9. num. 3. vers. ex his, & num. 4.*

### DVBITATIO VI.

VII. *An absentes studiorum causa possint percipere distributiones quotidianas, vel fructus si studijs cum diligentia non incumbunt?*

Dico octauò, absens beneficiarius causa studendi, vel docendi, non lucratur distributiones quotidianas, quia non dicitur abesse in euidentem Ecclesiæ suæ vtilitatem. Less. *lib. 2. de iust. cap. 34. dub. 29. n. 164.* Quòd si beneficium in solis consistat distributionibus, probabile est beneficiarium causa studij absentem lucrari posse distributiones, nisi aliud per consuetudinem receptum sit, quia distributiones subrogantur, & succedunt in locum fructuum, cùm beneficium nullos alios habet redditus præter distributiones, vt docet Azor. *part. 2. lib. 7. cap. 7. quæst. 2. instit. moral.* At fructus beneficij causa studij absentibus ex priuilegio conceduntur, vt patet ex *cap. tua fraternitatis, de Clericis non resident. & cap. cùm de diuersis, de priuilegiis in 6.* & ex Concilio Tridentino *sess. 5. cap. 1. de reformatione, ad finem.* ergo absentes causa studij possunt percipere distributiones, quoties hæ à fructibus separatæ non sunt: videatur Bonacina *loco nouissimè adducto, n. 1. & 2.*

Dico nonò, beneficiarij, qui causa studij absunt, non possunt iustè percipere fructus si scholas non frequentant, vel si magna cum negligentia litteris dant operam. nam priuilegium cessat cessante causa priuilegij, vt docet Syl. *verb. Priuilegium, quæst. 10. vers. quarto.* Ita Rodriquez *tom. 1. regul. qq. quæst. 9. art. 10.* si tamen maiori anni parte studeant, licèt non semper studeant, tuta conscientia in absentia possunt percipere fructus. Ita Abbas *in cap. finali, de Magistris n. 6.*

VIII. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

### DVBITATIO VII.

*An beneficiarijs possit concedi priuilegium perpetuum ad non residendum? &, An priuilegium non residendi causa studiorum sit reuocatum? & quid requiritur ad reuocationem priuilegij?*

Ad textum sacri Concilij Tridentini à principio positum, quatenus militat contra præcedentes assertiones, respondetur à Concilio *dicta sess. 6. cap. 2. de Reform.* tolli priuilegia perpetua de non residendo, & de fructibus in absentia percipiendis, vt apertè indicatur illis verbis: *Nullique priuilegia, seu indulta perpetua, de non residendo, aut de fructibus in absentia percipiendis suffragentur.* hæc Concilium. At priuilegium, quod conceditur Vniuersitatibus, non est perpetuum, sed temporale, quandiu scilicet scholasticus, vel Magister studet, vel docet in illis: ideoque respondetur, per Concilium non tolli priuilegium concessum studentibus, & docentibus in studio generali, de fructibus in absentia percipiendis causa studij. Respondetur secundò quòd ad hoc, vt dicatur priuilegia esse reuocata, requiritur, vt expressè de huiusmodi reuocatione constet, & vt exactè talis reuocatio probetur, vt bene asserit Rota *decis. 468. num. 1. part. 1. diuers.* Vnde quando dubitatur an priuilegia sint reuocata, præsumendum est non esse reuocata, vt aduertit Alciat. *responso 19. n. 4.* Sanctarellus *p. 1. variarum resolutionum, q. 16. n. 11.* Cùm ergo per dictam dispositionem Concilij Tridentini *sess. 6. cap 2. de Reform.* non expressè constet de reuocatione facta circa priuilegia concessa Vniuersitatibus studiorum, & in illis docentibus, & studentibus: nam exponi potest, quòd loquatur Concilium de perpetuis priuilegiis, non autem de temporalibus, imò hoc expressè habetur in Concilio *loco adducto.* præsumendum est ergo talia priuilegia non esse reuocata.



---

## ARTICVLVS XXXI.

### An beneficiarij Canonici, qui sunt in seruitio Episcopi, lucrentur fructus præbendarum suarum, & distributiones quotidianas?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, explicando, an Episcopi non residentes possint retinere Canonicos in proprium seruitium, qui faciant fructus suos, etiam post Concilium Tridentinum.*
3. *An beneficiarij qui sunt ad seruitium summi Pontificis, vel Legati, lucrentur distributiones quotidianas, & similiter illi, qui per substitutum inseruiunt.*
4. *An beneficiarius absens propter vtilitatem, vel necessitatem Ecclesiæ lucretur distributiones quotidianas.*
5. *An beneficiarij absentes propter seruitium Episcopi, vel causa studiorum, faciant suas distributiones quotidianas, si beneficiorum fructus in his tantùm consistant.*
6. *An habens priuilegium à summo Pontifice percipiendi fructus & distributiones, dum non residet, possit vi huius priuilegij percipere anniuersariorum & mortuariorum emolumenta.*
7. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, quot sint distributiones quotidianæ.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm *in cap. ad audientiam, de Clericis non residentibus,* dicitur huiusmodi Canonicos posse integrè percipere fructus; ergo poterunt etiam percipere quotidianas distributiones. non enim, inquit Canon, huiusmodi absentes dici debent, sed præsentes, qui cum Episcopo pro suo, & ipsius Ecclesiæ seruitio commorantur.

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

## DVBITATIO I.

*An Episcopi non residentes possint retinere duos Canonicos in proprium seruitium, qui faciant fructus suos, etiam post Concilium Tridentinum?*

Dico primò, Episcopi in sui seruitium possunt habere duos Canonicos Ecclesiæ suæ, qui in absentia fructus præbendarum faciunt suos, vt dicitur *in cap. de cætero, & in dicto cap. ad audientiam, de Clericis non resident.* Non tamen hi percipere possunt victualia, quæ non consueuerunt absentibus exhiberi, vt patet *dicto cap. de cætero*, & docet Nauar. *tom. 1. consil. lib. 3. de Clericis non resident. consil. 2. num. 2.* Nomine verò victualium intelliguntur distributiones quotidianæ, vt omnes scribentes ibi notant, & *in cap. vnico, de Clericis non resid.* quotidianæ distributiones appellantur *victualia.*

Dico secundò, etiam post Concilium Tridentinum Episcopi possunt in sui seruitium assumere duos Canonicos: quia lex posterior vniuersaliter loquens, & indistinctè, per legem priorem specialem limitatur, & iuxta illam intelligitur, nisi expresè illi contradicat, vt constat ex *l. sed & posteriores, ff. de legibus.* ergo lex noua indistinctè loquens lata in Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 12. de Reform.* ne Canonici vigore cuiuslibet statuti, & consuetudinis possint vltra tres menses abesse à suis Ecclesiis, non loquitur de casibus specialibus legis antiquæ, qua conceditur Canonicis, vt in seruitium Episcopi possint abesse vltra tres menses; quia cùm casus specialis *dicti cap. de cætero, & cap. ad audientiam*, non sit correctus per Concilium, remanet intactus, & in sua iuridica obseruantia: videatur Nauarrus *loco nouissimè adducto.*

## DVBITATIO II.

III. *An beneficiarij qui sunt ad seruitium Sum. Pontificis, vel Legati, lucrentur distributiones quotidianas? & similiter illi, qui per substitutum inseruiunt?*

Dico tertiò, beneficiarij absentes in seruitio Papæ de iure communi non lucrantur distributiones quotidianas, & multo minus has lucrabuntur absentes in seruitio Cardinalis Legati, nec debent hæ dari etiam præsentibus, qui diuinis non intersunt Officiis, nec valet consuetudo in contrarium, & qui non interessendo diuinis Officiis percipiunt, tenentur ad restitutionem, quia hæ iure communi solis interessentibus diuinis Officiis debentur. ita gloss. *in cap. fin. de rescriptis in 6. verb. exceptis.*

Dico quartò, habens Canonicatum, vel aliquam dignitatem, non potest si absit percipere distributiones, quamuis per substitutum inseruiat Ecclesiæ, nisi habeat de hoc priuilegium, nec valet statutum, quo datur facultas Canonicis seruiendi per substitutum, vel alternatim vnus pro alio: ita Garzias *de beneficijs part. 3. cap. 2. num. 498.* qui tradit sic fuisse decisum à sacra Concilij Congregatione, quòd si alicubi esset consuetudo immemorabilis, quòd quis per alium posset Ecclesiæ inseruire, posset percipere distributiones: sic Cenedo *lib. quæst. pract. quæst. 1. num. 77.* Nam consuetudo quando cum iusta causa est introducta, debet seruari, Couar. *lib. 3. variar. cap. 13. num. 5. vers. tertiò eadem ratione.*

## DVBITATIO III.

IV. *An beneficiarius absens propter vtilitatem, vel necessitatem Ecclesiæ, lucretur distributiones quotidianas?*

Dico quintò, absens verò ob euidentem Ecclesiæ suæ necessitatem, vel vtilitatem potest percipere distributiones quotidianas, ac si personaliter diuinis Officiis interesset. patet hoc ex *c. vnico, de Clericis non resident.* vbi dicitur, *qui vero aliter de distributionibus ipsis quidquam receperit, exceptis illis, quos infirmitas, seu iusta & rationabilis corporalis necessitas, aut euidens Ecclesiæ vtilitas excusaret, rerum sic acceptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas.* Videatur pro hac assertione Nauar *tom. 1. consil. lib. 3. de Cleric. non resident. consil. 8. num. 4.*

Sed obiicies *cap. cùm non deceat, de elect. in 6.* vbi dicitur, eos qui absunt à suis Ecclesiis, & ad curiam accedunt pro vtilitate Ecclesiarum, posse quidem percipere fructus suorum beneficiorum integrè, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis; ergo falsum est eum, qui abest ob vtilitatem Ecclesiæ, posse percipere distributiones.

Respondetur, dictum *c. cùm non deceat*, intelligendum esse de eo, qui abest, non propter vtilitatem illius Ecclesiæ, cuius est Canonicus, vel præbendatus, & à quo solet recipere distributiones, sed de eo, qui abest, vel propter vtilitatem Ecclesiæ vniuersalis, vel specialis alicuius ciuitatis, quia tunc non abest inseruiendo suæ Ecclesiæ directè, sed indirectè; quare à sua Ecclesia non debet habere illud stipendium, quod est destinatum ad eos, qui inseruiunt choro recitando diuina Officia; sicut etiam qui inseruiunt Papæ, vel Legato à latere, inseruiunt Ecclesiæ vniuersali, non tamen lucrantur distributiones quotidianas, vt docet glossa *in cap. cùm dilectus, de Clericis non residentibus, verbo fructus.* sicut etiam qui absunt in seruitio Episcopi, non lucrantur distributiones. *cap. ad audientiam, de Clericis non resident.*

## DVBITATIO IV.

V. *An beneficiarij absentes propter seruitium Episcopi, vel causa studiorum, faciant suas distributiones quotidianas, si beneficiorum fructus in his tantùm consistant?*

Dico sextò, quando fructus Canonicatus omnes consistunt in quotidianis distributionibus, absens Canonicus in seruitio Episcopi lucratur illas, excipitur tamen ex his tertia pars quæ de seruientibus Ecclesiæ accrescit. Similiter absentes causa studiorum omnes distributiones percipere possunt, quando fructus beneficij solùm sunt quotidianæ distributiones, nec in isto casu est eximenda tertia pars, quia hæc absentia videtur magis pia, & vtilis Ecclesiæ, quàm absentia propter comitatum Episcopi, vt notat Garzias *de beneficijs 3. part. cap. 2. num. 353.* Sanctarellus *part. 1. variarum resolutionum, quæst. 11 n. 17. ad finem.*

## DVBITATIO V.

VI. *An habens priuilegium à Sum. Pontif. percipiendi fructus, & distributiones, dum non residet possit vi huius priuilegij percipere anniuersariorum & mortuariorum emolumenta?*

Dico septimò, habens priuilegium à Papa, vt in absentia possit percipere fructus, prouentus, obuentiones, & distributiones, non potest vi huius priuilegij

percipere

percipere anniuersaria & mortuaria. Nam nomine fructuum, & distributionum non veniunt mortuaria, & anniuersaria, quæ non dantur nisi his, qui intersunt exequiis, & aliis diuinis Officiis, quæ solent fieri pro defunctis: videatur Azor. *p.2. instit. mor. lib.7. c.7. dub.4.* Bonacina *tom.1. tract. de horis Canonicis, disp.2. quæst.2. puncto 2. num.3.* Portiones, inquiunt DD. citati, funerales, non sunt propriè distributiones, & interessentibus solùm exequiis, & diuinis Officiis, quæ pro defunctis celebrantur, conferuntur. Videatur etiam glossa *cap. consuetudinem, de Cleric. non resident. 6. ad finem.* Nauarr. *tom.1. consil. lib.3. de Cleric. non resident. consilio 13.*

VII. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

## DVBITATIO V.

### *Quot sint distributiones quotidianæ?*

Ad textum *cap. Ad audientiam, de Cleric. non resident.* respondetur loqui de fructibus præbendarum, non autem de distributionibus quotidianis, vt notat ibi glossa *verbo integrè*, cùm ait tales Canonicos non percipere victu alia, quæ tantùm præsentibus, & inseruientibus dantur. Tum, quia appellatione fructuum præbendæ, & beneficij, non veniunt distributiones quotidianæ, vt bene docet Azor. *p.2. instit. mor. lib.7. cap.7. dub.1.* Cùm ergo in dicto textu solùm conceditur talibus Canonicis, vt in absentia possint percipere fructus præbendarum, distributiones accipere non conceditur: hæ namque dantur tanquam merces ratione seruitij, operæ, & laboris personalis, quem Clerici in Ecclesia quotidie impendunt. Respondetur secundò prædictum textum *cap. ad audientiam*, dum inquit Canonicos, qui cum Episcopo pro suo, & ipsius Ecclesiæ seruitio commorantur, posse integrè percipere fructus, loqui de fructibus, & distributionibus grossis, quæ in aliquibus Ecclesiis succedunt loco præbendarum, & dantur in fine anni, semestris, vel mensis pro residentia. Pro cuius intelligentia obseruandum cum Rodriquez *tom.3. qq. reg. quæst.74. art.4. in principio*, distributiones quotidianas versari in duplici differentia, quædam enim dantur beneficiariis præbendatis residentibus in ciuitate, etiamsi personaliter horis Canonicis non assistant, & hæ vocantur distributiones grossæ. Aliæ autem distributiones sunt, quæ nunquam conferuntur nisi illis, qui Officio diuino personaliter intersunt, & hæ appellantur minutæ distributiones. Capitulum *ad audientiam*, intelligi potest de distributionibus primi generis, non autem secundi generis: videatur Rodriquez *ibi.* Sanctarellus *part.1. variarum resolutionum, quæst.6. num.3. & quæst.7. num.25. ad finem.*

## ARTICVLVS XXXII.

## An beneficiarius obtinens solum titulum, absque possessione, & receptione fructuum, diuinum Officium persoluere teneatur?

### *SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, & explicatur, an obligatio diuini Officij maneat apud resignantem.*
3. *An habens beneficium ex quo nullum recipit fructum, teneatur ad horas Canonicas.*
4. *An beneficiarius consentiens in pensionem æquiualentem fructibus, teneatur ad preces horarias.*
5. *An duo litigantes de beneficio, non habentes illius possessionem, teneantur ad preces horarias? & an teneatur quis habens possessionem, sed sub lite.*
6. *An pueri dispensati ad beneficium obtinendum, teneantur illi inseruire, & preces horarias recitare per substitutum.*
7. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, An peccet intitulatus beneficio, ex quo nullum accipit fructum, non recitando Officium.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

QVia is verum habet beneficij titulum, qui vacabit ipsius obitu, & per ipsum stetit quo minus possessionem, & fructus recipiat, ergo tenetur ad pensum diuini Officij. Consequentia probatur. Nam certi iuris est, quoties per beneficiarium stat, quo minus fructus ex suo beneficio percipiat, eum iure obstringi ad preces horarias recitandas, vt docet Azor. *p.1. inst. mor. lib.10. c.4. dub.6.* Antecedens autem patet: quia voluntariè beneficium cum hoc onere acceptauit; ergo sibi imputet quòd solum beneficij titulum habeat; ergo tenebitur ad recitationem diuini Officij, & ita hanc sententiam tenet Bonacina *tom.1. tract. de horis Canonicis, disp.1. q.2. puncto 4. num.11. vers. Adde* Vbi ait resignatarium teneri ad pensum diuini Officij, etiamsi fructus reseruati sint cum seruitio, & tota beneficij administratione ipsi resignanti.

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

## DVBITATIO I.

### *An obligatio diuini Officij maneat apud resignantem?*

Dico primò, beneficiarius, qui nudum beneficij habet titulum, & ex concessione Papæ omnes redditus alteri dantur simul cum seruitio, & tota beneficij administratione, non tenetur ad recitandas horas Canonicas, sed obligatio persoluendi pensum diuini Officij manet apud pensionarium, seu resignantem: quia qui commodum reportat, portare quoque debet & onus. Tum, quia obligatio recitandi horas Canonicas in beneficiario emergit ex perceptione mercedis, vt bene docet Sotus *lib.10. de inst. q.5. a.3. post secundam concl. vers. Pari modo.* ergo habens nudum titulum, non tenetur, &c. & ita hanc sententiam tenent Lopez noster *p.1. instr. c.244. §. Non ineptè. vers. Concordia resolutióque.* Tolet. *summa lib.2. cap.14. num.5.* Nauarr. *summa cap.25. num.104.* Filliuc. *tom.2. tract.23. cap.4. q.5. n.163.* contra Bonacinam *vbi suprà.*

## DVBITATIO II.

III. *An habens beneficium ex quo nullum recipit fructum, teneatur ad horas Canonicas?*

Dico, secundò, qui habet beneficium, tamen non recipit vllos fructus, nec per se, nec per alium, nec per ipsum stat, quominus recipiat, quod accidere potest inter hæreticos occupantes bona Ecclesiæ; talis similiter non tenetur horas Canonicas recitare. quia beneficiarius solùm tenetur Officium recitare, vt populo referat gratiam spiritualem pro fructibus beneficij; ergo si eos non recipit, nec potest recipere, cessat obligatio. Caiet. *verb. hora Canonica in summa*, quem sequitur Valentia *tom.3. disp.6. quæst.2. de oratione, puncto 10. vers. quinta causa, fol. 1295. mihi.* Azor. *part.1. lib.10. instit. mor. cap.4. quæst.6.*

### DVBITATIO III.

IV. *An beneficiarius consentiens in pensionem aequiualentem fructibus, teneatur ad preces horarias?*

Dico tertiò, si beneficiarius voluntariè in pensionem omnium fructuum consentiat ei, qui in suum fauorem beneficium renunciauit, recipiat tamen ipse seruitium, & administrationem beneficij, tenetur ad preces horarias, quia iste verè est beneficiarius, & habet possessionem, seruitium, & administrationem beneficij, & nunquam priuatur aliquo emolumento, & honore, vt distributionibus quotidianis si sit Canonicus, oblationibus ad altare, si sit Parochus, & similibus, imò cogere potest eum, cui omnes fructus sunt reseruati, ad mercedem sui laboris. Ita bene Lopez noster *loco cit. p.1. instruct. cap. 144. §. non ineptè, vers. at verò secunda.* Nauar. *vbi suprà,* Filliuc. *tomo 2. tract. 23. cap. 5. quaest. 5. num. 161. vers. secundum autem.*

### DVBITATIO IV.

V. *An duo litigantes de beneficio, non habentes illius possessionem, teneantur ad preces horarias? & an teneatur quis habens possessionem, sed sub lite?*

Dico quartò, qui de certo aliquo beneficio litigant, & neuter illius possessionem nactus est, vterque manens dubius de iure, lite, & causa, neuter preces horarias persoluere tenetur: quia in iure non censetur quis habere beneficium, nisi perfectè illud habeat; non habet illud perfectè nisi habeat eius pacificam possessionem, vel saltem per illum non stet, quominus habeat. At qui non habet possessionem beneficij, non tenetur ad pensum diuini Officij, vt docet Flaminius Parisius *lib. 1. de resignatione beneficiorum quaest. 91. num. 15.* & probabiliter tenet Azor. *par. 1. inst. mor. lib. 10. cap. 4. dub. 7.* Less. *lib. 2. de iustitia cap. 34. dub. 30. num. 167.* quod intelligi debet de his, per quos non stat, quo minus possessionem accipiant, non autem de his, qui per industriam eam differunt, quia fraus, & dolus nemini debet patrocinari; ergo si neuter litigantium habet possessionem beneficij, & vterque est dubius de eiusdem lite, & causa, neuter tenebitur ad preces horarias. Ita bene Azor. *loco* nuper *adducto dub. 9.*

Dico quintò, qui sunt in possessione beneficij, à precibus horariis non excusantur, ex eo quòd beneficium sit litigiosum, aut quòd fructus sint sequestrati, vel ab alio percipiantur: si tamen certò sperant recepturos se fructus etiam illius temporis praesentis; quia fructus percepti saltem post litem contestatam debentur vero beneficiario. ergo qui certò sperat tanquam verus beneficiarius hos fructus se percepturum, ex tunc tenetur recitare preces horarias. Ita Lopez noster *vbi suprà, vers. sequitur quartum corollarium,* Nauar. & Toletus citati.

Dico sextò, beneficiarius, qui non sperat se pro illo tempore quidquam habiturum, neque distributiones quotidianas, neque oblationes, neque quid simile, nec est in eius potestate vt aliquid ex beneficio recipiat, probabile est non obstringi ad pensum diuini Officij; quia neque ex sua, neque ex Ecclesiae intentione se obligat ad officium, nisi persoluatur ei stipendium sustentationis, propter quod illam obligationem suscepit; ergo si pro illo tempore cessat omnimodè stipendium ministri, neque sit spes probabilis illud recipiendi, cessabit etiam obligatio ministerij, persoluendi scilicet diuinum Officium: ita colligitur ex doctrina Soti *lib. 10. de iustitia quaest. 5. art. 3. vers. Pari modo, post 2. conclusionem;* & apertè docet Less. *lib. 2. de iustitia cap. 34. dub. 31. num. 171. & 173.*

### DVBITATIO V.

VI. *An pueri dispensati ad beneficium obtinendum teneantur illi inseruire, & preces horarias recitare per substitutum?*

Dico septimò, pueri si ex dispensatione summi Pontificis obtineant beneficia requirentia ministerium, & seruitium, si per aetatem ad recitandas horas canonicas sunt inhabiles, tenentur saltem per substitutum inseruire beneficio, ita etiam persoluere diuinum Officium: quia tunc tota administratio beneficij committeretur vicario loco sui subrogato. ergo & pensum etiam diuini Officij. Ita Lopez noster *part. 1. Instruct. loco citato cap. 244. vers. hinc sequuntur notabilia,* Filliuc. *tom. 2. tract. 23. cap. 5. quaest. sexto, num. 166.*

VII. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

### DVBITATIO VI.

*An peccet intitulatus beneficio, ex quo nullum accipit fructum non recitando Officium?*

Ad rationem in contrarium à principio positam respondetur, quòd intitulatus beneficio, etiamsi habeat illius possessionem, non teneatur ad horas canonicas, si nullos fructus per se, neque per alium percipit, neque est in culpa, quòd pro tunc non percipiat, neque imposterum eosdem fructus est percepturus tanquam debitos pro eo tempore, quo sibi debentur, quia obligatio recitandi horas canonicas in beneficiario in minoribus constituto oritur ex perceptione fructuum. Ita Lopez citatus *vers. & quia.* Nauar. *summa cap. 25. num. 103.* neque obstat contra hanc solutionem obiectio, videlicet illi esse imputandum, qui voluntariè beneficium accepit, sic vt omnes fructus, seruitium, & administratio resignanti essent reseruata: quia cùm hoc fiat auctoritate Papae, alteri non impugnatur. Cùm ergo resignatarium habentem nudum titulum Pontifex priuati fructibus beneficij, seruitio, & eiusdem administratione, videtur talem beneficiarium ab obligatione dicendi horas Canonicas absoluere, cùm tale diuini Officij pensum tunc apud resignantem, vel pensionarium remaneat: vt diximus *assertione 1. in hoc dubio.* ita optimè Sotus *lib. 10. de iustitia quaest. 5. art. 3. vers. neque in contrarium.*

---

## ARTICVLVS XXXIII.

### An consuetudine induci possit, vt beneficiarius ad canendum in choro deputatus, possit alium in sui locum substituere, & distributiones capere?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, explicando quantum temporis requiratur ad inducendam consuetudinem.*

3. Ad

3. *Ad rationem in contrarium à principio respondetur; & explicatur, an beneficiarius possit inseruire sua Ecclesia per alium alterius Ecclesia Ministrum.*

## I. *Pars negatiua probatur.*

NAm in Concilio Trid. *sess. 24. c. 12. de Reform.* tollitur, & reprobatur quælibet consuetudo inseruiendi per alios, & conferendi distributiones absentibus. Nam qui per alium inseruit, non dicitur interesse, quia interessentia includit præsentiam realem personalem, non verò fictam, & per alium. ergo, &c. Et ita hanc sententiam videtur tenere Azor. *p. 2. instit. mor. lib. 7. cap. 7. dub. 6.*

## II. *Veritas aperitur, & explicatur*

### DVBITATIO I.

### *Quantum temporis requiratur ad inducendam consuetudinem?*

Dico primò, Canonicus aliúsve beneficiarius ad canendum choro addictus, non potest alium in sui locum substituere saltem præcisa consuetudine, vel priuilegio; quia *in cap. vnico, de Clericis non residentib. in 6.* reprobatur consuetudo conferendi distributiones absentibus, & in Concilio Tridentino eis simúlque additur, & præscribitur, vt omnes compellantur diuina per se, & non per substitutos obire Officia. ergo, &c.

Dico secundò, consuetudine tamen legitimè introducta, quæ sit quadragenaria, introduci potest, vt quis per alium choro assistat, & distributiones quotidianas faciat suas; quia illud per consuetudinem, regulariter loquendo, introduci potest, quod potest per priuilegium concedi; sed priuilegio summi Pontificis concedi potest, vt quis alium in sui locum subroget, & substituat. ergo, &c. Ita Moneta *de distributionibus p. 2. q. 5. n. 20. & q. 12. num. 47. vers. limitatur quintò,* Bonacina *tom. 1. tract. de horis Canonicis, disp. 2. q. 1. puncto 5. num. 1.* Sanctarellus *part. 1. variarum resol. quæst. 7. num. 35.* Tum, quia sic vsu receptum esse accepi, & vidi in nonnullis almæ Vrbis Ecclesiis, vt vnus Canonicus assistat per alium Canonicum, qui aliàs non tenetur ea die, vel hebdomada ex onere sui Canonicatus. Ita etiam refert Bonacina se accepisse à nonnullis Vrbis Canonicis, *loc. cit. disp. 2. q. 5. punct. 6. n. 17.*

## III. *Ad rationem in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

### DVBITATIO II.

### *An beneficiarius possit inseruire sua Ecclesia per alium alterius Ecclesia Ministrum.*

Ad textum sacri Concilij Tridentini, quatenus militat contra secundam assertionem, respondetur, præfatum Concilium non loqui de consuetudine immemorabili, & quadragenaria, iusta aliqua de causa introducta, quæ non censetur reprobari nisi exprimatur, sed de consuetudine irrationabili, & de consuetudine inseruiendi per alium alterius Ecclesiæ ministrum: vsu tamen, & consuetudine rationabili receptum est, vt ministri eiusdem Ecclesiæ substituantur; quia multa incommoda, & perturbationes exoriri possent substituto extraneo, cùm facilè fieri possit, vt his qualitatibus excultus minimè sit, quæ in Canonicis, & beneficiariis prærequirantur: nullum tamen damnum, nec perturbatio in Ecclesia sequitur interessente eo, qui aliàs interesse consueuit: videatur Bonacina *vbi supra.*



---

## ARTICVLVS XXXIV.

## An beneficiarius ratione litterarij studij liber sit à lege, & præcepto precum canonicarum, si per substitutum beneficio inseruiat?

### *SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, explicando, An Capellanus teneatur ad horas Canonicas, dum maiorem fructuum partem substituto tradit.*
3. *Titulo dubitationis satisfit.*
4. *An beneficiarius Concionator possit omittere Officium habendi conciones causà, absque eo quod teneatur ad fructuum restitutionem.*
5. *Rationi in contrarium respondetur, & explicatur, An studium sit causa sufficiens ad omittendum diuinum Officium.*

## I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm iusta, & rationabili causa extante licet pensum Officij diuini prætermittere, vt docent communiter DD. Syl. *verb. Hora num. 18.* Sotus *lib. 10. de iustitia q. 5. art. 3. post secundam conclusionem.* Nauarr. *cap. 25. num. 100.* Less. *lib. 2. de iustitia, cap. 37. dub. 9. num. 54.* Sed studium litterarium censetur rationabilis causa, vt habentes beneficium curatum per septennium à suis Ecclesiis abesse possint, vt habetur *cap. cùm ex eo, de electione, & electi potestate 6.* ergo erit etiam sufficiens, & rationabilis causa, vt beneficiarij inseruientes beneficiis per aliös sint immunes à recitandis precibus canonicis, vt possint studiis operam nauare; & ita hanc sententiam, vt refert Syl. *verb. Hora num 3. vers. Tertiam,* tenuerunt quidam, Laurentius, Petrus, & Abbas, Clericum scilicet beneficiarium, qui legitimè abest ab Ecclesia ratione studij litterarij, si substituat alium, qui Officium faciat nomine ipsius in Ecclesia, non cogi preces horarias recitare.

## II. *Veritas aperitur, & explicatur*

### DVBITATIO I.

### *An Capellanus teneatur ad horas Canonicas dum maiorem fructuum partem substituto tradit?*

Dico primò, beneficiarius Capellanus habens Capellaniam collatiuam, seu Ecclesiasticam auctoritate Episcopi, vel Sedis Apostolicæ erectam, quæ sic est beneficium, non eximitur ab onere diuini Officij recitandi, etiamsi maiorem fructuum, & redditutum partem, imò si omnes fructus Sacerdoti substituto tradit ad peragenda, & sustinenda beneficij onera, quia talis beneficiarius sua culpa, vel sua voluntate non recipit fructus; licèt enim aliquando sit incapax seruitij, ipsi tamen tribuitur, qui voluit accipiendo beneficium iam obligationem recitandi diuinum Officium subire: cùm ergo per ipsum stetit, quòd nullos percipiat fructus, tenebitur nihilominus ad persoluendas preces Canonicas. Ita bene Lopez noster *p. 1. instruct. cap. 244. ad finem,* Bonacina *tom. 1. tract. de horis Canonicis, disp. 1. quæst. 2. puncto 4. num. 18.*

*verſ. quæres tertiò*, Filliuc. *tom. 2. tract. 23. cap. 5. quæſ. 6. num. 164.*

Dico ſecundò, ſi Capellania ſit profana, non ſacra, ſcilicet abſque Diœceſani, vel Papæ auctoritate inſtituta, & erecta à teſtatoribus, & patronis laicis, & ab eiſdem concedatur ſine collatione Epiſcopi, vel Papæ, non cogit ad horas Canonicas, ſed ſolùm ad explendum per ſe, vel per alium Miſſarum opus, & numerum, vbi Capellania eſt erecta; quòd ſi aliquid huius muneris prætermiſſum fuerit, illam accipiens ad reſarciendum tenebitur, & ad nihil vltrà; quia in ea nullum eſt ius percipiendi Eccleſiaſticus fructus ex bonis Deo, & Eccleſiæ dicatis, ſed ex laicorum bonis, & profanis. Ita Lopez noſter *p. 1. inſtr. cap. 243. in princ.* Azor. *p. 1. inſtit. mor. lib. 10. c. 3. dub. 5.*

### III. *Titulo dubitationis ſatisfit.*

Dico tertiò, directè reſpondens quæſito ratione ſtudij litterarij, vel iuſta alia de cauſa, beneficiarius abſens à ſua Eccleſia, etiamſi eidem Eccleſiæ commodè per alium in ſui locum ſuffectum inſeruiat, liber non eſt à lege, & præcepto precum canonicarum. quia hoc eſt onus perſonale, & ſtudium litterarium, & abſentia ab Eccleſia non cenſetur iuſta cauſa prætermittendi penſum diuini Officij. ergo etiamſi per alium inſeruiat Eccleſiæ, non erit liber ſcholaſticus abſens ab onere precum canonicarum. Ita Sotus *lib. 10. de iuſt. quæſt. 5. art. 3. poſt ſecundam concl. verſ. Quocirca*, Syl. *verb. Hora n. 18. verſ. ſi autem*, Nauarr. *ſumm. cap. 25. n. 102.* Azor. *p. 1. inſtit. mor. lib. 10. c. 4. dub. 11.*

## DVBITATIO II.

### IV. *An beneficiarius Concionator poſſit omittere Officium habendi conciones causâ, abſque eo quòd teneatur ad fructuum reſtitutionem?*

Dico quartò, beneficiarius ſolemnis Concionator, ſi eius prædicatio eſſet neceſſaria ex carentia prædicantiũ cum magna populorum vtilitate, ſi non poſſet conciones habere, niſi omittendo diuinum Officium, iuſtè poſſet preces canonicas prætermittere, & conciones ad populum habere: nam tunc adeſſet rationabilis cauſa, & legitimum impedimentum omiſſionis precum canonicarum, magna ſcilicet populorum ſpiritualis vtilitas. Ita colligitur ex Syl. *verb. Hora num. 18. verſ. cauſa autem.* Nec teneretur hic ad reſtitutionem fructuum ex beneficio perceptorum, quia in foro conſcientiæ pœna non debetur, vbi culpa non eſt, & reſtitutio fructuum eſt indocta in pœnam culpæ admiſſæ in omiſſione diuini Officij. ergo ſi ſine culpa ſolemnis hic beneficiarius Concionator prætermitteret horas canonicas, non teneretur ad reſtitutionem.

Secus autem ſi non ex neceſſitate, ſed voluntariè prædicaret; & eius conciones non multum vtiles eſſent populo, quia eſſent alij qui æquè benè, & fortè meliùs poſſent ſupplere. Ita in ſimili caſu de obligatione, & præcepto ieiunij, docet Syl. *verb. Ieiunium, num. 26.*

### V. *Rationi in contrarium reſpondetur, & explicatur*

## DVBITATIO III.

### *An ſtudium ſit cauſa ſufficiens ad omittendum diuinum Officium?*

Ad rationem in contrarium quatenus directè pugnat cum noſtra tertia aſſertione, reſpondetur concedendo maiorem, & minorem, negando tamen conſequentiam, non enim ſtudium litterarium, ſecundùm ſe præcisè eſt rationabilis cauſa, & legitimum impedimentum omittendi diuinum Officium, vt docent DD citati *aſſertione 3.* Poſſet tamen Eccleſia, vt adnotauit Ioannes Andreas *in cap. Eleutherius, diſt. 91.* & refert Azor. *p. 1. lib. 10. c. 4. inſtit. mor. dub. 11.* decernere vt beneficiarij ſacris Ordinibus non initiati, nec animarum curæ præfecti tantùm recitarent Officium B. V. ratione ſtudij litterarij, & per Vicarium aliquem ſuis Eccleſiis inſeruirent: ſed cùm hoc Eccleſia non decreuerit, & lex de recitandis precibus canonicis in beneficiariis ſuo robore perſeueret, nullus beneficiarius etiam minoribus tantùm Ordinibus inſignitus ratione ſtudij litterarij à canonicis horis perſoluendis, eſt liber, & abſolutus.

---

## ARTICVLVS XXXV.

## An beneficij renunciatio per metum extorta ſit ipſo iure irrita?

### *SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Explicatur quid ſit renunciatio beneficij, & an renunciatio Epiſcopatus facta ab Epiſcopo ſine licentia ſummi Pontificis ſit valida, & quotuplex ſit renunciatio.*
3. *Reſoluitur dubitatio, & inſuper explicatur, an collatio facta ab Epiſcopo ex metu ſit valida.*
4. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicantur hæc duo poſtrema dicta.*

### I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm *in Clem. multorum, de pœnis*, Pontifex aſſerit ſanè reſignationes beneficiorum modo ſupradicto extortas licèt à reſignantium ipſorum Prælatis receptæ, aut ratæ habitæ fuerint, nullius omninò decernimus eſſe firmitatis: at in dicta Clementina *Multorum*, fit ſermo de reſignationibus, quæ vi metuque fiunt. ergo, &c & ita hanc ſententiam tenuit Hoſtienſis, vt refert Azor. *part. 2. inſtit. mor. lib. 7. c. 26. dub. 2.*

## DVBITATIO I.

### II. *Quid ſit renunciatio beneficij? & an renunciatio Epiſcopatus facta ab Epiſcopo ſine licentia ſummi Pontificis ſit valida? & quotuplex ſit renunciatio?*

Dico primò, renunciatio, reſignatio, ſeu ceſſio beneficij eſt voluntaria beneficij dimiſſio, ſeu refutatio coram Ordinario legitimè facta in manibus eius, à quo habetur inſtitutio. videatur Syl. *verb. Renunciatio num. 1. & 3.* Vnde renunciatio Epiſcopatus ab Epiſcopo facta in manibus ſui Capituli, etiamſi ad illud pertineret ius eligendi, non valet ſi fiat abſque licentia Papæ, per *cap. licèt, de Regul.* ſimiliter electio facta à Capitulo ad Epiſcopatum renunciatum per ſuum Epiſcopum ſine licentia Papæ, nihil valet: quia talis electio eſt facta ad Epiſcopatum non vacantem, & Capitulum ſic eligens, quamuis non ſit ipſo iure priuatum, eſſet tamen priuandum iure eligendi. Ita bene Nauarr. *tom. 1. conſiliorum lib. 1. de renunciatione, conſil. 2. num. 1. & 3.*

Sed contrà. nam Romanus Pontifex poteſt ſe abdicare Pontificato, ex conſtitutione Bonifacij VIII. *cap. 1. de renunciatione in 6.* At Romanus Pontifex non habet

habet Superiorem. ergo renonciatio non debet fieri in manibus Superioris, à quo habetur beneficij institutio. Respondetur renunciationem fieri oportere in manibus Superioris, vt docet *cap. admonet, de renunciatione*; hoc verum esse quando is, qui renunciat, Superiorem habet: at Romanus Pontifex Superiorem in terris nullum agnoscit, ac proinde satis est si liberè se se Pontificia abdicet dignitate. Ita benè Azor. *part. 2. inst. mor. lib. 4. cap. 6. dub. 2.*

Dico secundò, renunciatio beneficij potest esse duplex, tacita scilicet, & expressa. tacita est quæ fit absque vllis verbis expressis, fit tamen per actus contrarios retentioni beneficij; vt cùm beneficiarius minoribus tantummodò Ordinibus initiatus vxorem ducit, aut Religionem solemni more profitetur, tunc enim vacant ipso iure beneficia: expressa verò fit cùm quis sponte suum beneficium expressis verbis coram Ordinario legitimè dimittit. *cap. admonet, de renunciatione, & cap. 1. eod. tit. in 6.* Rursus renunciatio expressa est duplex, quædam simplex, & puta, vt cùm quis suum beneficium sine vlla conditione coram Ordinario deponit: altera verò conditionalis, vt cùm quis beneficio se abdicat conditione apposita, vt beneficium, v. g. nepoti conferatur, vel aliis adiectis conditionibus: de qua re videatur Syl. *verb. renunciatio, num. 6. vers. secundum si quis.* Azor. *part. 2. inst. mor. lib. 7. cap. 19. dub. 3.*

### III. *Resoluitur dubitatio, & insuper explicatur*

### DVBITATIO II.

*An collatio facta ab Episcopo ex metu sit valida?*

Dico tertiò, directè respondens quæsito, renunciatio beneficij metu facta est valida, sed tamen rescindi potest; quia sic resignans amittit titulum, teste Innocentio *in cap. quod in dubijs, de renunc.* nec potest ratione, & iure beneficij per metum dimissi ad Ordines promoueri, nec ex eo tuta conscientia fructus percipere, nec cogitur diuini Officij pensum persoluere. Habet tamen ius vt per iudicem in beneficium metu dimissum restituatur, nisi fuerit alteri collatum. Ita ex sententia Nauarr. Flamm. *de resignat. benef. lib. 13. quæst. 2. num. 19.* Azor. *part 2. inst. mor. lib. 7 cap. 26 dub. 2.* videatur *cap Abbas, de ijs quæ vi metusvè, &c.*

Dico quartò, etiam collatio metu facta ab Episcopo est valida, quia Ecclesia sanxit, vt beneficia conferantur in Clericos idoneos, vt dignè inseruiatur eidem; ergo si Episcopus conferat beneficium Clerico alioqui idoneo, etiamsi per metum, collatio erit valida. Ita Speculum Confessariorum *de contractibus in genere, disp. 5. quæst. 52.* Azor. *part. 3. institut. moral. lib. 6. cap. 7. dubio 1. vers. quid si Episcopus.*

### IV. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & magis explicantur hæc duo postrema dicta.*

Ad textum ex *Clement. multorum, de pœnis*, respondetur quòd ibi non statuitur simpliciter eiusmodi resignationem, quam metus extorsit, esse ipso iure nullam, & irritam, sed esse dissoluendam, & rescindendam, ibi enim dicitur talem resignationem nullius esse firmitatis, & momenti, quia is, qui per metum resignauit beneficium, agere potest coram iudice Ecclesiastico, vt reintegretur in illud: verum tamen est quòd si beneficiarius sit captus à domino sæculari, & detentus in custodia renunciet beneficium, renunciationem huiusmodi ipso iure esse nullam & irritam, ita apertè colligitur ex *dicta Clement. Multorum, §. sanè, de pœnis*, & annotauit etiam Azor. *part. 2. inst. mor. lib. 7. cap. 26. dub. 2.*

---

## ARTICVLVS XXXVI.

## An beneficiarij permutantes beneficia authoritate priuata sine licentia Ordinarij traditione sequuta sint ipso iure excommunicati, & vtriusque beneficij ipso facto priuationem incurrant.

### SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Explicatur quid sit permutatio beneficiorum, & an sit licita personis priuatis: & quisnam sit Superior, auctoritate cuius potest beneficium permutari.*
3. *An Capitulum mortuo Episcopo possit recipere resignationes beneficiorum, vel beneficia conferre.*
4. *An beneficium habens ius patronatus possit permutari ab Episcopo absque consensu patroni.*
5. *An permutantes beneficia possint pertractare de permutationibus, pactis, vel conditionibus, & an Episcopus possit conferre alteri, præter intentionem permutantis.*
6. *An in permutatione beneficiorum possint dari pecunia, vel pensiones propter excessum fructuum, vel dignitatum.*
7. *An resignationes beneficiorum possint fieri in gratiam alterius in manibus Episcopi, vel Pontificis: & idem inquiritur de resignatione præbendæ.*
8. *Titulo dubitationis respondetur.*
9. *An commutantes beneficia pacto pensionis recipiendæ sint simoniaci, & horum pœnas incurrant.*
10. *An aliquo modo pensio clericalis possit vendi.*
11. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

### I. *Pars affirmatiua probatur.*

QVia simoniam realem committentes in beneficiis Ecclesiasticis sunt ipso iure excommunicati, & ipsis beneficiis priuati, per Extrauagantem Pauli II. cuius initium est, *Cùm detestabile, de simonia,* sed permutare beneficia sine Superioris facultate, simonia est in beneficiis, vt patet per *cap. quæsitum, de rerum permutatione.* ergo beneficiarij priuata auctoritate beneficia commutantes sunt ipso iure excommunicati, & beneficiis priuati.

### DVBITATIO I.

### II. *Quid sit permutatio beneficiorum, & an sit licita personis priuatis, & quisnam sit Superior, auctoritate cuius potest beneficium permutari?*

Dico primò, permutatio beneficiorum est reciproca quædam resignatio, quæ ad inuicem inter permutantes fit auctoritate legitimi Superioris, cui beneficium subest. *cap. vnico, de rerum permut. in 6.* priuatis personis est prohibita huiusmodi permutatio. *cap. cùm vniuersorum, de rerum permut.* Ratio huius est, ne Clerici de beneficiis tanquam de rebus suis profanis statuere videantur. Azor. *part. 2. inst. moral. lib. 7. cap. 19. dub. 2.*

Dico secundò, iure tantùm canonico est interdictum quo minus quis auctoritate priuata suum beneficium cum alio beneficio commutet, non autem iure

 naturali,

naturali, & diuino hoc est prohibitum: quia in beneficiorum permutatione non datur res spiritualis pro re aliqua temporali, sed unum ius spirituale, aut quasi spirituale, pro alio simili iure confertur. Sotus *lib. 9. de iust. q. 7. art. 2. post secundam conclusionem.*

Dico tertiò, Superioris appellatione hîc intelligitur Episcopus, & eo Superior, omnis item Prælatus, qui ius habet conferendi, & à beneficio amouendi Clericos, cuiusmodi sunt Abbates, & alij Prælati Episcopis inferiores, qui Episcopalem iurisdictionem consuetudine, vel priuilegio habent, & nulli sunt Episcopo subiecti. sic Panormitanus *in cap. quæsitum, de rerum permut.* Vicarius tamen Episcopi non potest renunciationem approbare, quia nequit ipse beneficia conferre, *cap. vlt. de officio Vicarij in 6.* ergo neque renunciationem acceptare.

## Dubitatio II.

III. *An Capitulum mortuo Episcopo possit recipere resignationes beneficiorum, vel beneficia conferre?*

Dico quartò, Collegium Canonicorum, seu Capitulum mortuo Episcopo potest quidem admittere resignationes simpliciter factas, vel ex causa permutationis, sed non potest beneficia permutata conferre nisi ius conferendi ad ipsum pertineat: illi igitur conferent huiusmodi beneficia, qui ius habent conferendi: sicuti possunt Episcopi recipere resignationes beneficiorum, quorum conferendorum ius Romano Pontifici est reseruatum: videatur Azor *p. 2. inst. moral. lib. 3. c. 38. dub. 3. & 4.* Potest etiam Capitulum præsentatos Clericos à patronis admittere, atque instituere, & electos legitimè, & canonicè à Clericis confirmare, *cap. cùm olim, de maiorit. & obed.* & glossa *ibidem.*

## Dubitatio III.

IV. *An beneficium habens ius patronatus possit permutari ab Episcopo absque consensu patroni?*

Dico quintò, beneficium iure patronatus affectum nequit citra patroni consensum permutari, ita communiter DD. *in cap. 1. de rerum permut.* non tamen est ipso iure irrita permutatio, si auctoritate Episcopi inscio, inconsultóque patrono beneficium permutetur, sed venit rescindenda si patronus id voluerit; quia eo inscio fuit facta. Azor. *part. 2. lib. 7. instit. mor. cap. 29. dub. 6.* si tamen patronus requisitus nolit consentire, potest Episcopus si iudicat permutationem expedientem Ecclesiæ, sua approbatione supplere consensum patroni, & valebit permutatio. Ita Less. *lib. 2. de iust. c. 34. dub. 36. num. 198.*

## Dubitatio IV.

V. *An permutantes beneficia possint pertractare de permutationibus, pactis, vel conditionibus? &, An Episcopus possit conferre alteri præter intentionem permutantis?*

Dico sextò, permutantes beneficia coram Episcopo pertractare possunt de permutationibus, absque tamē aliquo pacto, sed liberè, ponendo totum in arbitrio Episcopi; vnde non licet renuncianti beneficium petere ab eo, cum quo permutat tantam pecuniam, aut sibi reseruare tot fructus, vel tantam pensionem, quanti æstimari posset illud plus, quod beneficium valet pro recompensatione, reducendo beneficia ad æqualitatem, quia hoc minimè permittitur coram Episcopo, sed tantùm iura permittunt permutationem tituli, loci, & iurisdictionis: in manibus verò Pontificis pacta, & conuentiones possunt fieri, dummodo apud ipsum exponantur. Conradus *tomo 1. respons. quæst. 42. in addit. §. Verùm si dicta beneficia.* Azor. *p. 2. inst. mor. lib. 7. c. 29. dub. 16. vers. Quarto beneficium, &c.* Sotus *lib. 10. de iust. q. 7. art. 2. concl. 2.*

Dico septimò, beneficium coram Episcopo causa permutationis resignatum, non potest conferri nisi compermutanti, vnde si alteri collatum fuerit, inanis & irrita est collatio, quia Ordinarius admittens beneficiorum permutationes, ipsis compermutantibus astringitur conferre, ita expresse habetur *Clement. vnica, de rerum permutatione,* & docet Conradus noster *loco nouissimè adducto, vers. Item nec alia beneficia.* Less. *lib. 2. de iust. cap. 34. dub. 36. num. 197.*

## Dubitatio V.

VI. *An in permutatione beneficiorum possint dari pecunia, vel pensiones propter excessum fructuum, vel dignitatum?*

Dico octauò, in permutatione beneficiorum inæqualium æstimari & aliquo modo compensari potest auctoritate summi Pontificis quantitas fructuum, vel aliorum temporalium emolumentorum ex beneficiis prouenientium, non autem ratio, & conditio dignitatis, potestatis, iurisdictionis, vel alterius iuris spiritualis cum beneficio coniuncti. Sit exemplum, si Archidiaconatus permutetur cum Canonicatu, vel alio simplici beneficio, si paritas sit redituum, est simonia iuris diuini, si pecunia, vel pensione excessus ille dignitatis compensetur; quia illa dignitas est omninò spiritualis: si verò beneficia, quæ permutantur, habent prouentus inæquales, possunt auctoritate Pontificis inter se commutari excessu prouentuum alterius pensione, vel pecunia compensato; quia talis recompensatio non est pro aliquo spirituali, sed pro incommodo temporali, quod subest dimittens beneficium locupletius, & tenuius in commutatione acquirens, vt se ipsum seruet indemnem, & ita hanc assertionem docet Syl. *verb. Permutatio 2 quæst. 6.* Sotus *lib. 9. de iust. q. 7. art. 2. post tertiam conclusionem, vers. & primo de commutationibus.* Azor. *p. 2. lib. 7. c. 29. dub. 15.* Less. *lib. 2. de iust. c. 35. dub. 17. num. 101.*

## Dubitatio VI.

VII. *An resignationes beneficiorum possint fieri in gratiam alterius in manibus Episcopi, vel Pontificis? & idem inquiritur de resignatione præbendæ.*

Dico nonò, resignatio beneficij in gratiam, & in fauorem tertij, non est licita, nec validè fieri potest coram Ordinario, coram quo resignationes puræ & liberæ esse debent, iuxta commune ius. *cap. cùm pridem, & cap. final. de pactis,* & si Episcopus virtute talis resignationis de beneficio alicui prouideret, prouisio esset inanis & irrita, quia iure communi prohibita; in manibus tamen summi Pontificis iuxta stylum Curiæ fieri possunt; quia est conditor Canonum, & supra omne ius commune. Ita Conradus noster *tom. 1. respons. quæst. 42. in additionibus, vers. Quantum ad renunciat.* Rodriquez *part. 2 summa cap. 62. num. 1.* Less. *lib. 2. de iustitia, cap. 35. dub. 14. num. 87.* Filliuc. *tom. 3. de benefic. tract. 41. cap. 10. quæst. 7. num. 32.*

Nauarr.

Nauarr. *in summa cap.23. num. 106. vers. Ad decimum dico primò.*

Dico decimò, resignatio præbendæ in manus legitimi Antistitis in fauorem alterius designatæ personæ,& non aliàs, iure diuino nullam habet speciem simoniæ; quia qui ita renunciat, nihil temporale dat, vel accipit pro spirituali, sed solùm indicat se renunciare si collator velit conferre tertiæ designatæ personæ, quòd si noluerit, aliter ille, qui iure possidet, non renunciat: tum, quia aliàs huiusmodi resignationes, neque licitè fierent in manibus Pontificis. Ita bene Sotus *lib. 9. de iust. q.7.art.2.concl.*1. Iure tamen canonico sunt prohibitæ huiusmodi resignationes coram Ordinariis, quia qui ita resignat, conditionem apponit, vt beneficium, v.g. Caio detur, aliter non resignaturus, & conditio in spiritualibus iure communi positiuo vetatur, & talis est stylus Curiæ qui facit ius, iuxta *cap. quàm graue, de crimine falsi*, & extat constitutio 58. Pij V. cuius initium est, *Quanta Ecclesia*, & ita inualidè erunt huiusmodi resignationes in fauorem alterius designatæ personæ, quia contra stylum Curiæ & constitutionem Sanctissimi Pij V. Videatur pro hac Conradus noster *tom.1.q.42.in add.vers. Quantum ad renunciationem.* Syl. *verb. Renunciatio, num. 6. vers. Secundum si quis.* Tabiena *eodem verbo, num.3.* Azor *part.3.lib.12.c.8. dub.3.* §. *At multò verius.* Less. *lib.2. de iustitia, cap.35. dub.14. num.*87.

VIII. *Titulo dubitationis respondetur.*

Dico vndecimò, directè respondens quæsito: propria auctoritate commutantes beneficia, actum vicissim transferendi faciunt planè nullum, quia agunt contra dispositionem canonum, *cap. cùm vniuersorum, de rerum permut. & cap. vnico, eod. tit. in 6.* ac proinde sicut propria auctoritate sua beneficia alienant, ita sua auctoritate possunt ad ea redire. Possunt tamen à Superiore per sententiā priuari beneficiis in pœnam illius criminis, vt patet per *cap. cùm olim, de rerum permutat.* Non tamen amittunt ea ipso facto, nec ipso iure incurrunt censuras, nec fructus receptos ex beneficiis commutatis in conscientia restituere tenentur; quia has pœnas ipso iure solùm contrahunt committentes simoniam propriè, & strictè acceptam, quæ est quando temporale pro spirituali accipitur, sed quando cōmutatur præbenda pro præbenda, beneficium pro beneficio, non recipitur temporale pro spirituali, sed vnum ius spirituale, aut quasi spirituale pro alio simili iure; ergo, &c. Et ita hanc sententiam docuit Conradus noster *loco* nouissimè *adducto, in principio additionis*, quem sequuntur Rodriquez *part.2. summ.c.66.concl.5. num.6.* Less. *lib.2. de iust. cap.35. dub.17. num.* 100. Quamuis contrarium sustineat Filliuc. *tom.3. tract.45. de vitio simonia cap.13. quæst.3. num.*7. permutantes scilicet beneficia vicissim absque legitima Prælati auctoritate incurrere pœnas latas contra simoniacos in beneficiis, & quidem satis probabiliter, ait enim ita seruari communi praxi in sacra Pœnitentiaria.

Dubitatio VII.

IX. *An commutantes beneficia pacto pensionis recipiendæ sint simoniaci, & horum pœnas incurrant?*

Dico duodecimò, commutantes tamen beneficium cum pacto recipiendæ pensionis ex eodem beneficio commutato, si id pactum lateat summum Pontificem, incurrunt pœnas contra simoniacos, sunt enim excommunicati, & ipso iure beneficiis priuati: nam cùm pensio in beneficiis statui non possit nisi à Papa, ea quæ ponitur à priuata persona, ignorante summo Pontifice, non erit habenda pro pensione, sed pro pretio collato propter resignatum beneficium. Ita bene adnotauit Conradus *vbi suprà, vers. Resignare, vel commutare.* Filliucius *loco allegato n.8. vers. non ita.*

Quid si secus habens pensionem clericalem impositam auctoritate Pontificis super beneficium Caij, commutet suam pensionem auctoritate priuata cum beneficio Titij, incurret ne pœnas contra simoniacos excōmunicationis, & priuationis ipso iure beneficij; respondetur consequenter *negatiue*, iuxta opinionem Conradi, Lessij & Rodriquez *vbi suprà*; quia tunc non datur temporale pro spirituali, sed vnum ius spirituale, aut quasi spirituale pro alio simili iure; pensio enim clericalis est ius spirituale dependenter & consequenter. Cæterùm iuxta sententiam Filliucij & praxim, vt ipse ait, sacræ Pœnitentiariæ, ex consequenti affirmatiuè est respondendum.

Dico decimotertiò, permutantes priuata auctoritate pensiones Ecclesiasticas cum rebus temporalibus, grauissimè peccant, quia simoniacè agunt; tamen sic commutantes non sunt ipso facto excommunicati, solùm enim simoniaci in beneficiis sunt ipso iure excommunicati si sit simonia realis, & beneficiis acquisitis per simoniam priuati: at pensio clericalis non est beneficium, cùm non sit perpetuum, extinguitur enim cum pensionario: videatur Less. *lib.2. de iust cap. 35. dub. 10. num.* 168. Tales tamen venditiones, & permutationes pretio accepto factæ à personis priuatis sine assensu Papæ sunt nullæ, & inualidæ; quia in permutatione, & venditione requiritur translatio rei commutatæ, & venditæ in emptorem; sed personæ priuatæ non habent facultatem transferendi pensiones clericales; ergo tales permutationes pretio accepto, & tales venditiones, sunt nullæ, & inualidæ. Ita Nauarrus *summa cap.23. num.* 111. Filliuc. *tom.3. tract.42. cap. 9. quæst.7. num.* 11.

Dubitatio VIII.

X. *An aliquo modo pensio clericalis possit vendi?*

Dico decimoquartò, in pensione clericali duo considerari possunt. Primum est ius exigendi fructus ex beneficio. Secundum est commoditas, quod ex isto iure prouenit. Quoad primum, pensionarius non potest illam vendere, nec permutare accepto pretio; quia ius exigendi fructus in pensione est quid spirituale, est enim annexum statui Clericali, imò de stylo Curiæ requiritur quòd sit legitimus, & Clericus obtinens tale ius, & per constitutionem Sanctissimi Pij V. obligatur pensionarios ad horas saltem Beatissimæ V. M. Quoad secundum verò, scilicet quoad commoditatem exigendi fructus, potest pensio vendi, & deduci in commercium, & pactum, quia hæc commoditas non est spiritualis, nec pensio, nec beneficium, sed quid temporale, nempè fructus pensionis, sicut fructus beneficij & vendi, & locari possunt, non autem beneficium; videatur pro prima parte huius assertionis Nauarrus *tomo 1. consil. lib.3. de simonia, consilio 61. num.3.* Pro secunda verò parte vide Filliuc. *loco* nouissimè *adducto quæst.8. num.*14.

XI. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

Ad rationem in contrarium à principio positam, quatenus militat contra primam partem vndecimæ nostræ assertionis, respondetur quòd committentes simoniam realem in beneficiis sunt ipso iure excommunicati, & ipso facto beneficiis priuati, per

*Extrauag.*

*Extrauag.* 1. *de simonia*; verum est hoc, si simonia sit propriè, & strictè simonia, quæ est quando accipitur temporale pro spirituali, & est iure naturali, & diuino prohibita: hæc tamen simonia non inuenitur in permutatione beneficiorum, neque in permutatione beneficij cum clericali pensione, cùm in his commutationibus non recipiatur quid temporale pro spirituali, sed vnum ius spirituale, aut quasi spirituale pro alio simili iure: & sic propria auctoritate priuata permutantes beneficium cum beneficio, vel beneficium cum pensione clericali, licèt grauissimè peccent, & permutationes sint nullæ, non tamen incurrunt pœnas contra simoniacos illatas, excommunicationis scilicet, & priuationis beneficiorum, sumus enim in materia pœnarum, quæ est restringenda ad simoniam propriam & strictam, quæ est emptio, & venditio rei spiritualis pro temporali iure naturali, & diuino prohibitam, non autem ad simoniam iure tantùm canonico inductam: videatur pro hac solutione Conradus noster, Rodriquez, & Lessius, *assertione vndecima* adducti. Saluo semper meliori iudicio.

---

## ARTICVLVS XXXVII.

### An liceat ad remouenda impedimenta, quæ iniustè opponuntur ob redimendas vexationes, aliquid temporale pro beneficiis assequendis elargiri?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Explicatur an idem sit habere ius ad beneficium, & in beneficio.*
3. *Veritas aperitur, & explicatur, An qui non habet ius in beneficio possit redimere vexationem ab eo, qui nedum potest obesse, sed etiam prodesse.*
4. *An non habens ius in beneficio, possit pecunia redimere vexationem ab his, qui possunt obesse apud collatorem, vel confirmatorem.*
5. *An habens ius in beneficio possit pretio redimere vexationem, qua impeditur sibi adeptio possessionis.*
6. *Rationi à principio respondetur, & explicatur an sit simoniacus, qui pecuniam tribuit ad redimendam vexationem modo explicato.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

QVia si quis post adeptam confirmationem beneficij patitur vexationem à Prælato circa adeptionem possessionis, & gratia vexationem redimendi aliquid temporale impendit Prælato, non est verè simoniacus, vt insinuat D. Thomas 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 2. *solutione ad quintum.* ergo neque qui ante assequutionem, & confirmationem beneficij per aliquam largitionem pecuniæ remouet iniusta impedimenta, simoniacus est iudicandus. Probatur consequentia, quia nedum adeptio, & confirmatio in beneficio, sed etiam possessio beneficij est quid spirituale. Nam sicut committitur simonia ante beneficij acquisitionem, ita ante possessionis adeptionem, vt docet Nauarr. *tom.* 1. *consil. lib.* 5. *de simonia*, *consil.* 81. *num.* 1. ergo si redemptio vexationis excusat à simonia circa adeptionem possessionis, excusabit etiam circa confirmationem beneficij, & sic causa redimendæ vexationis ante, & post ius acquisitum, licebit aliquid temporale elargiri.

## DVBITATIO I.

II. *An idem sit habere ius ad beneficium, & in beneficio?*

Dico primò, aliud est habere ius ad beneficium, aliud est ius in beneficio: ius remotum, seu largum ad beneficium habere dicitur dignus in præsentia minus digni, vel dignior in præsentia digni, nondum tamen electus. Propinquum, seu strictum ius ad beneficium dicitur habere electus ad beneficium præsentatus, vel postulatus; ius verò in beneficio dicitur habere, qui iam est confirmatus, institutus, vel collationem factam acceptauit, quamuis nondum possessionem cœperit: videatur Nauarr. *summa c.* 17. *num.* 73. Less. *lib.* 2. *de inst. cap.* 35. *dub.* 18. *n.* 105.

III. *Veritas aperitur, & explicatur*

## DVBITATIO II.

*An qui non habet ius in beneficio, possit redimere vexationem ab eo qui nedum potest obesse, sed etiam prodesse?*

Dico secundò, qui nondum habet ius in beneficio, non potest remenso pretio vexationem redimere ab eo, qui non tantùm potest obesse, sed etiam prodesse: vt si præsentatus, vel electus ad beneficium reiicitur ab Episcopo, qui deberet illum confirmare; vel instituere, tunc non est licitum dare pecuniam, vt Episcopus confirmator, & institutor cesset ab hac iniuria; quia tunc hæc pecunia censeretur dari pro ipsa institutione, & confirmatione, quæ cùm sint quid spirituale, ex consequenti simoniacum esset tunc dare, vel offerre pecuniam. Hæc assertio colligitur apertè ex *cap. Matthæus, de simonia*, & eam docet D. Thom. 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *ad quintum.*

Dico tertiò, si verò elector, vel confirmator, qui prodesse potest, modis apertè iniquis conatetur impedire dignum à consequutione beneficij, v. g. elector inducendo malitiosè alios electores pecunia, vi, vel fraude ne illum eligant, vel confirmator infamando eumdem ne confirmetur, non videtur in foro conscientiæ simoniacum si eligendos dignus aliàs, vel electus confirmandus per se, vel per alium pecuniam offerat ei, qui prodesse potest tantummodo, vt ab hac iniqua vexatione desistat: quia omnis manifesta vexatio, qua parte manifestè iniusta est, redimi potest à quocumque inferatur. Ita bene Less. *lib.* 2. *de iustitia, cap* 35. *dubio* 18. *num.* 107. Filliucius *tomo* 3. *de beneficijs, tract.* 45. *cap.* 11. *quæst.* 3. *num.* 7. *ad finem.* ante hos DD. docuit hanc assertionem Lopez noster *part.* 1. *instruct. cap.* 302. *fol.* 930. *vers. Pro expeditione.*

Dico quartò, si tamen ante ius quæsitum in beneficio esset suspicio, vel dubium de iniqua vexatione, nemini, quamuis dignissimo, liceret ad suam redimendam vexationem his qui prodesse possunt electoribus, vel Antistiti, cuius est confirmare, quidpiam temporale offerre, vt eligatur, vel vt electus confirmetur: quia tunc esset apertè simonia, directè enim hic pararet sibi viam ad obtinendum beneficium, cùm non sit certus de iniqua vexatione. Ita bene Sotus *lib.* 9. *de iustitia*, *quæst.* 6. *art.* 1. post solutionem primi atq. *vers. Caue tamen prudens*, quem sequitur Less. proximè allegatus *num.* 107. *vers. Dixi modis apertè iniquis.*

DVAS

## Dvbitatio III.

IV. *An non habens ius in beneficio, poßit pecunia redimere vexationem ab his, qui poßunt obeße apud collatorem, vel confirmatorem?*

Dico quintò, qui nondum habet ius in beneficio, potest remensa pecunia redimere vexationem ab his, qui solùm possunt obesse, siue vi, & fraude, siue muneribus, & precibus obsint apud electores, vel collatorem, qui prodesse possunt; quia hoc est directè iniquam machinationem alterius contra se impedire, quod omnibus licet; tum quia faciliùs tunc creditur hoc esse dumtaxat redemptionem vexationis, non autem emptionem beneficij: & sic sentit Paludanus *in 4. dist. 25. quæst. 5.* Conradus noster *tom. 1. quæst. 43.* hos sequitur Valent. *tom 3. disp. 6. quæst. 16. puncto 3. quæstiunc. 3. post secundam conclusionem, vers. Secunda circumstantia, fol. 1531. mihi.*

Dico sextò, ab eo, qui obesse, sed non prodesse potest, in beneficio acquirendo non licet redimere vexationem si iustè vexet: hinc si electus petens confirmationem daret pecuniam alicui, qui non posset ei dare ius, sed potest aliquam iustam exceptionem opponere coram confirmatore, vel coram electoribus, ne illum eligant, simoniam committeret. Ita bene obseruauit Nauarr. *tom. 1. consil. lib. 5. de simonia, consil. 41. num. 2.* Quia etsi liceat redimere vexationem ab eo, qui obesse, & non prodesse potest; hoc tamen est intelligendum de nocumento iniusto, non autem iusto.

## Dvbitatio IV.

V. *An habens ius in beneficio poßit pretio redimere vexationem, qua impeditur sibi adeptio poßeßionis?*

Dico septimò, qui habet ius in beneficio per confirmationem, institutionem, vel liberam collationem, quòd ius licitè quidem acquisiuit, potest pretio redimere vexationem si fortè alius illum à possessione capienda impediat: quia illator vexationis in hoc casu nihil spirituale vendit, sed tantùm est in facto iniustus, non autem est simoniacus ergo redemptor vexationis cùm nihil emat spirituale, sed tantùm tollat impedimentum executionis, quod per se non est spirituale quid distinctum à re spirituali iam acquisita, poterit saltem in foro conscientiæ repenso pretio tollere hoc obstaculum, & in foro poli non erit simoniacus: hæc assertio colligitur ex doctrina S. Thom. *tit. 2. 2 quæst. 100. art. 2. solutione ad quintum.* & eam docet apertè Lopez *part. 1. instruct. cap. 302. vers. Ad secundum argumentum respondetur, fol. 931. col. 1. mihi.* Less. *lib. 2. de iust. cap. 35. dub. 18. num. 110.*

VI. *Rationi à principio respondetur, & explicatur*

## Dvbitatio V.

*An sit simoniacus, qui pecuniam tribuit ad redimendam vexationem modo explicato?*

Nec officit ratio à principio posita. fatemur enim quòd si quis modis apertè iniquis impediatur à consequutione beneficij, quòd possit remenso pretio iniquam redimere vexationem, vt diximus *assertione secunda, & tertia*; nam dans pecuniam sic iniquè vexatus, si aliàs esset dignus, nihil iuris spiritualis intendit emere, neque eius dationis causa principalis, & immediata est iuris spiritualis acquisitio, sed est vitatio impedimenti iniustè illati ad beneficium consequendum, & ideò hæc iniqua vexatio absque vitio simoniæ licitè potest redimi à quocumque inferatur: & multo magis licebit illam propulsare post ius acquisitum in beneficio per confirmationem, vel liberam collationem, si postea quis impediatur à possessione capienda, etiam ab eo, cuius est in possessionem mittere: possessio enim beneficij secundùm se non est quid spirituale, sed id habet ex titulo, cuius vi capitur, quem titulum cùm ille iniustè vexatus iam teneat, accedente possessione non accedit noua ratio spiritualis, sed possessio ipsa per se adiaphora fit spiritualis ex coniunctione cum titulo. Vnde non daretur tunc pretium pro re secundùm se spirituali, & ex consequenti vitio simoniæ non esset damnandus, sic pretium conferens, cùm non detur immediatè pro re spirituali, sed pro redimēda vexatione, neque mediatè pro re spirituali secundùm se, sed ex coniunctione ad titulum beneficij iam antè quæsitum per confirmationem, vel liberam collationem: videantur pro hac solutione Lopez, & Lessius *locis nouissimè allegatis.* Rodriquez *summa part. 2. cap. 64. num. 2.* vbi apertè fatetur esse alienum à labe simoniæ post confirmationem pecuniam dare pro obtinenda beneficij possessione. Sed contra hanc solutionem videtur esse Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 14. de Reform.* damnat enim Concilium solutiones, quæ fiunt etiam pro admissione ad possessionem alicuius beneficij Ecclesiastici, & simoniacis pœnis tanquam simoniacæ labis suspicionem habentes obnoxias decreuit. ergo, &c.

Respondetur quòd si confirmatus, vel institutus in beneficio pecuniam largiatur immediatè pro iuris possessionis adeptione, tanquam simoniacus pœnis simoniacis censeretur obnoxius: quia cùm nondum totaliter, & perfectè ius habeat acquisitum in beneficio, tunc conferre pretium immediatè pro acquirenda possessione præsumitur simoniacum: sic *cap. cùm in Ecclesia corpore, de simon.* Cæterùm si finis bonus interueniat, qui hanc præsumptionem tollat, vt si confirmatus in beneficio modis apertè iniquis à possessione capienda impediretur principaliter, & immediatè ad redimendam vexationem pretium daret; tunc datio pecuniæ ob vexationis redemptionem à labe, & suspicione simoniæ omninò esset immunis: videatur Lopez nuper adductus *vers. Et quia ius Canonicum.* Nauarr. *summa c. 23. n. 101. vers. Octauò quòd nempè, &c.*

---

## Articvlvs XXXVIII.

### An si quis expensas fecerit in obtinendo beneficio litigioso, possit eas repetere si beneficium velit resignare?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Quid sit simonia conuentionalis, & quomodo fiat realis, explicatur.*
3. *Titulo dubitationis respondetur.*
4. *An litigantes de beneficio si auctoritate Superioris, vel boni viri concordentur, possit vnus ab altero pecuniam accipere, vt à lite cesset absque simonia.*
5. *Quidnam sit transactio.*
6. *An habens ius acquisitum in beneficium, committat simoniam dando alteri pecuniam: vt illi litem super beneficium non moueat.*

7. *Rationi*

7. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur quod pactum in materia beneficiali reputetur simoniacum.*
8. *An auctoritate summi Pontificis possint à resignatario recompensari expensæ factæ à resignante, in perceptione beneficij.*
9. *An resignans possit à resignatario repetere expensas factas in vtilitatem beneficij.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

Licet vnicuique in quocumque negotio se indemnem seruare, sed si quis expensas fecit in obtinendo beneficio litigioso, si illud postea resignando petit expensas à resignatario, nihil aliud agit, quàm se indemnem seruare. ergo, &c. sic quidam recentiores censentes posse resignantem expensas repetere, non quidem pro ipso beneficio, sed pro expensis litis, vt se indemnem seruet. Ita refert Less. *lib. 2. de iustitia, c. 35. dub. 15 num. 94.*

## Dvbitatio I.

II. *Quid sit simonia conuentionalis, & quomodo fiat realis?*

Dico primò, simonia conuentionalis est resignare beneficium litigiosum cum pacto vt resignatarius consentiat constitutioni pensionis in fauorem resignantis, nulla facta mentione in ipsa resignatione coram R.P. de pactione prædicta, etsi postea prouisus de beneficio dictæ assignationi, & constitutioni pensionis consentiat, etiam quòd pensionem non soluat, simonia fit realis; quia pactio ex vtraque parte completur. Ita Rodriquez *part. 2. summa cap. 62. n. 3.* Nauarr. *tom. 2. consil. lib. 5. de simonia, consil. 35. num. 2.*

Dico secundò, si verò resignatio beneficij & pactio de consensu in pensionem imponendam à R P. vno, & eodem contextu coram Papa exprimatur: tunc conuentio illa, quæ aliàs esset simoniaca, purgatur auctoritate Papæ, & licitè potest beneficiũ sic resignari coram R.P. quia pactio explicita, & expressa coram R.P. vim, & locum pacti amplius non habet; nam liberum est ipsi Pontifici talem resignationem excludere, & beneficium alteri conferre, & pensionem in beneficio non imponere. Quod si facit, hoc est quia vult, non autem vi pacti, & conuentionis: & ita hanc assertionem docet Nauarr. *tom. 2. consil lib 5. de simonia, consil. 57. n. 2.* Azor. *p. 3. inst. mor. lib. 12. c. 8. dub. 4. §. Quare si talis.*

III. *Titulo dubitationis respondetur.*

Dico tertiò, qui obtinuit beneficium litigiosum, & in eo obtinendo multas fecit expensas, si postea renunciet cum pacto vt prouisus soluat expensas, simoniam committit: quia pactum, & onus soluendi tales sumptus, non est adnexum beneficio, sed extrinsecum, & accidentarium; ergo non exigitur, nisi quia datur beneficium. ergo cùm exigatur temporale pro spirituali, erit hoc simoniacum; sic bene Syl. *verb. Renunciatio, quæst. 6. vers. Quartum non potest.* Conradus *tom. 1. respons. q. 43.* Filliuc. *tom. 3. de benef. tract. 45. de vitio simoniæ cap. 8. quæs. 13. num 35.*

## Dvbitatio II.

IV. *An litigantes de beneficio si auctoritate Superioris, vel boni viri concordentur, possit vnus ab altero pecuniam accipere, vt à lite cesset absque simonia?*

Dico quartò, si P. & N. inter se litigantes de beneficio litigioso auctoritate Superioris, vel boni, & honesti viri arbitri, in quem ob bonum pacis compromissum faciunt, litem componunt, vt vnus eorum, qui non est certus de iure sibi cõpetenti liti motæ & agitatæ de beneficio aliqua pecunia accepta renunciet, excusantur à simonia, si postea alter litigans pacificè beneficium obtinet: quia pecunia tunc non videtur dari pro iure aliquo acquisito in beneficio, sed pro temporali, scilicet pro expensis in lite factis: secus autem si daretur pecunia habenti ius in beneficio, vt desistat à lite; quia tunc videtur data pecunia pro illo iure spirituali. Syl. nouissimè adductus, Nauarr. *tom. 2. consil. lib. 5. de simonia, consil. 44. num. 2. & ibi* eiusdem consilij Additionator: facit pro hac assertione *cap. nisi, de præbendis.*

Dico quintò, si concordia super beneficio in litigium deducto fiat auctoritate partium, litémque inter se litigantes componant, vt vnus liti motæ cedat aliquo sibi dato, vel retento, vel promisso, hoc est simoniacum: quia tunc lis non dissoluitur ob bonum pacis auctoritate Superioris iudicis, vel boni viri arbitri, in quem à litigantibus est compromissum, quod est iure concessum ob bonum pacis. *cap. nisi, de præbendis, & dignitatibus.* sed transactione, quæ in beneficiis est lege prohibita, *cap. super eo, de transact.* sic Syl. allegatus, & *verb. transactio, vers. si vero Clericus.* Azor. *p. 3. inst. mor. lib. 12. c. 8. dub. 8. vers. secus verò*, &c.

## Dvbitatio III.

V. *Quidnam sit transactio.*

Ad huius rei intelligentiam obseruandum, quòd transactio est quasi transactio actionis, eo quòd transigens ab actione desistit, seu compositio, vel permutatio de re dubia, & lite incerta, & nondum finita, non gratuita pactio, sed aliquo dato, vel retento, vel promisso. *l. 1. ff. de transact.* Syluester *verb. transactio.*

## Dvbitatio IV.

VI. *An habens ius acquisitum in beneficium, committat simoniam dando alteri pecuniam vt illi litem super beneficium non moueat?*

Dico sextò, habens ius acquisitum in beneficio, & quidem certum, simoniam non committit si pecuniam dat tertiæ personæ ne litem moueat, & excitet; quia hoc est pretio redimere vexationem iniustam, idque licitum post acquisitum ius, & docet D. Thom. 2. 2. *quæst. 100. art. 2. ad quintum.* Quòd si ius quæsitum est dubium, & litigiosum, tunc est simoniacum litem pecunia euitare: quia sic est viam sibi ad beneficium parare, quod est labe simoniæ infectum: vt bene Syl. *verb. Renunciatio, n. 6. vers. Quintum potest*; quem sequitur Azor. *vbi supra. §. si roges.*

VII. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

## Dvbitatio V.

*Quod pactum in materia beneficiali reputetur simoniacum?*

Ad rationem à principio positam, quæ directè pugnat contra nostrum tertium pronunciatum, respondetur quòd nullo pacto licet indemnem se seruare, & aliquod temporale commodum ab eo recipere, qui causa damni non fuit, & quia in obtinendo beneficio litigioso expensarum, quas fecit beneficiarius, nullo modo fuit causa is, cui postea beneficium resignari intenditur,

intenditur; iniuſtè igitur exigerentur tales expenſæ à reſignatario, qui damnum earum non fecit, nec in eius gratiam factæ, ſed potiùs in vtilitatem, & commodum ipſius obtinentis tunc beneficium: & quoniam omne pactum in materia beneficiali de onere temporali, quod iure non eſt annexum, ſi abſque auctoritate Superioris fiat, reputatur tanquam ſimoniacum, etiamſi petatur nomine expenſarum. *cap. cùm pridem, de pactis.* Ideircò in reſignatione beneficiorum pactio de exigendo commodo temporali eſt iniuſta, & ſimoniaca, ſi fiat abſque ſummi Pontificis auctoritate. ſic benè Syl. *verb. Renunciatio, num. 6. § Quartum.* Leſſ. *lib. 2. de iuſt. cap. 35. dub. 15. num. 94.*

## Dvbitatio VI.

VIII. *An auctoritate ſummi Pontificis poßint à reſignatario compenſari expenſa facta à reſignante, in perceptione beneficij?*

Dixi, *ſi fiat abſque auctoritate ſummi Pontificis*, quia nullus inferior Papa abſque ſimonia contra ius diuinum poteſt admittere talem reſignationem, cum eo pacto, ſoluendi ſcilicet expenſas: Papa verò poteſt non quidem ex eo capite, quia ſcilicet beneficium in fauorem tertij dimittitur, ſed quia reſignans pauper cùm ſit, aliquid temporale in eius ſuſtentationem poteſt dari: vel quia cùm patiatur reſignando ſuum beneficium aliquod incommodum temporale, priuando ſe fructibus beneficij, hoc incommodum auctoritate Papæ aliquo pretio poteſt recompenſari: videatur Syl. in ſimili caſu *verb. Permutatio 2. q. 6.* Filliuc. *tom. 3. de benef. tract. 45. c. 8 q. 13. n. 35. ad finem.*

IX. *An reſignans poßit à reſignatario repetere expenſas factas in vtilitatem beneficij?*

Quòd ſi obtinens beneficium litigioſum aliquas expenſas feciſſet in beneficij bonum, quia ſcilicet beneficium nomine Eccleſiæ ab hæreticis, vel Paganis ſuis ſumptibus recuperauit, ſeu pretio redemit: poterit tunc reſignando beneficium in fauorem tertiæ perſonæ, non ob renunciationem, ſed in recompenſationem ſumptuum, quos fecit nomine Eccleſiæ ab hæreticis recuperando beneficium aliquid temporale recipere, vt ſe indemnem ſeruet; quia tunc expenſæ erogatæ fuere non in cómodum, & vtilitatem ipſius redimentis beneficium ab hæreticis, ſeu Paganis, ſed in vtilitatem Eccleſiæ, cuius eſt beneficium: videatur Azor *p. 3. cit. lib. 12. c. 8. dub. 8. § Quid ſi exigat, fine §.*

---

## Articvlvs XXXIX.

### An traditio beneficij, & receptio alicuius temporalis pro ea, animo ex vtraque parte ſimoniacè deprauato, ſine pacto tamen, obliget in conſcientia ad reſtitutionem pretij, & dimiſſionem beneficij?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Explicatur quid, & quotuplex ſit ſimonia mentalis, & quid ſit pactum.*
3. *Titulo dubitationis reſpondetur.*
4. *Rationi à principio reſpondetur, & dicta magis dilucidè probantur, & explicatur an liceat pro ſpiritualibus aliquid accipere.*
5. *An conferens beneficia aliquo munere accepto peccet ne dum contra virtutem Religionis, ſed etiam contra iuſtitiam commutatiuam.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

QVia ſic vſurarius ſibi intus in mente perſuadeat, quòd id, quod ſibi impenditur ratione mutui, & non gratis ſibi tribuitur, citra dubium ad reſtitutionem illius tenetur; ergo ſimiliter ſimoniacus, qui interiùs in animo deprehendit aliquid ratione pretij, & non gratis pro traditione beneficij ſibi dari, illius pretij accepti reſtitutioni erit obnoxius, & recipiens beneficium tradendo pretium etiamſi non pacto expreſſum, illud dimittere in conſciétia tenebitur. huius ſententiæ fuit Maior *in 4. diſt. 15. q. 7. § Sed de ſimonia.*

## Dvbitatio I.

II. *Quid, & quotuplex ſit ſimonia mentalis, & quid ſit pactum?*

Dico primò, ſimonia mentalis, quæ mente tantùm concipitur citra omnem conuentionem expreſſam, vel tacitam, eſt duplex. Altera quę neque peruenit ad conuentionem, neque ad dationem: altera quæ peruenit ad dationem citra omnem conuentionem. Item hæc aliquando eſt tantùm ex parte dantis ſpirituale, aliquando tantùm ex parte recipientis, aliquando vtraque pars illam committit, ſine pacto tamen tacito, vel expreſſo. Ita Nauarr *ſumma cap. 23. n. 103.* Pactum verò eſt duorum pluriúmve in idem placitum, ſeu conſenſus ad aliquid faciendum, vel dandum. *l. 1. ff. de pactis.* Syl. *verb. Pactum, principio.* hoc poſito,

III. *Titulo dubitationis reſpondetur.*

Dico ſecundò, pecuniam, vel quodcumque temporale datum, vel acceptum in collatione, vel renunciatione beneficij per ſimoniam animo tantùm, & voluntate conceptam, etiam ex vtraque parte commiſſam, non eſt ſecundùm conſcientiam reſtituendum, neque beneficium ſic acceptum eſt dimittendum. Probatur apertè ex *c. mandato fin. de ſimonia*, vbi Pontifex Gregorius IX. à ſuo Legato cóſultus, vtrùm Monachi ſimoniacè recepti, qui pretium dederant, & Abbates qui receperant, teneantur ad reſtitutionem, & reſignationé ſic acceptorum? Reſpondet: ad reſignationes ſpiritualium, & temporaliũ, quæ nullo pacto, ſed affectu animi vtrimque taliter acquirũtur, eos pro ſimonia eiuſmodi non teneri; hæc Pontifex *d. c.* ergo ſimoniaci interni non tenentur ad reſtitutionem, nec temporaliũ acceptorum pro ſpiritualibus, nec ſpiritualium acceptorum pro temporalibus; ergo in caſu noſtro ſimoniaci interni in materia beneficiali nõ tenentur in conſcientia pretium acceptum in renũciatione, vel collatione beneficiorũ, neque ſic prouiſi illa dimittere ſecundùm conſcientiam erunt obſtricti: hæc aſſertio apertè habetur ex D.Th. *2. 2. q. 100. art. 6. ad 6.* vbi hæc formaliter ait: *Quoad Deum, ſola voluntas facit ſimoniacum, ſed quoad pœnam Eccleſiaſticam exteriorem non punitur vt ſimoniacus, vt abrenunciare teneatur, ſed debet de mala intentione pœnitere.* D.Thom. ſequitur Caiet. *loc. cit.* Lopez *p. 1. inſtruct. cap. 306. § Igitur.* Syl. *verb ſimonia quæſt. 20.* Armilla *ibi num. 58.* & hi duo expreſsè aſſerunt in ſimonia mentali ſiue ſit de iure diuino, ſiue de iure poſitiuo, non cadit aliqua reſtitutio: hos ſequitur Nauarr. *vbi ſuprà.*

Dico tertiò, licèt ſimoniaci mentales ſine omni cõuentione non teneantur in foro conſcientiæ ad reſtitutionem eorum, quæ ex mente affectu ſimoniaco acquiruntur, ſiue ſint ſpiritualia, ſiue tẽporalia, peccant tamen mortaliter peccato ſimoniæ, & ſunt in ſtatu

damnationis quamdiu perseuerant in tali animo depranato. Probatur, quia hi agunt contra virtutem Religionis, contra reuerentiam debitam rebus spiritualibus mente simoniaca illa emendo, & vendendo: non tamen peccant contra iustitiam commutatiuam inducentem restitutionem iure diuino, & naturali, & ex consequenti conferens spiritualia pretio temporali, licèt grauissimè peccet, non tamen tenetur ad illud restituendum, neque recipiens ad resignandum spirituale pecunia acceptum: quia qui recipit huiusmodi bona spiritualia, non habet ius vt sibi gratis dentur, & dispensator, quamuis vt non peccet teneatur gratis dispensare, non tamen tenetur ad restitutionem pretij accepti, si iure diuino, & naturali, si gratis non contulerit: videatur Caiet. 2.2. *quæst.*100. *art.*6. §. *sed hac responsio. versic. quia igitur*. Less. *lib.*2. *de iustitia c.*35. *dub.*18. *num.*161.

IV. *Rationi à principio respondetur, & dicta magis dilucidè probantur, & explicatur*

DVBITATIO II.

*An liceat pro spiritualibus aliquid accipere?*

Nec officit ratio adducta à principio; respondetur enim concedendo antecedens, ita enim est definitum ab Vrbano III. *cap. consuluit, de vsuris.* negamus tamen consequentiam, iuxta tradita ex *cap. mandato, de simonia*, & ratio negationis est subtilis, & apta, quam adducit Caiet. 2.2. *quæst.*100. *art.*6. §. *Ad tertiam obiectionem*, & sequitur Nauar. *summa cap.* 23. *num.* 103. *vers. Quinto.* quia vsurarius vltra sortem principalem aliquid accipiendo ratione mutui, iniuriam infert mutuatario contra iustitiam commutatiuam inducentem obligationem restituendi; mutuatarius enim non spontè, sed quasi inuoluntariè soluit vsuras, velut redimendo iniquam vexationem, quam patitur ab vsurario. est igitur hic in vsuris soluendis voluntarium, mixtum tamen inuoluntario. quod autem datur pro simonia, spontè & voluntariè datur, quoniam confertur animo emendi, vel vendendi; constat autem, quòd tam emere, quàm vendere sunt contractus voluntarij absque inuoluntario mixto, ideò non est restituendum in conscientia, quia non læditur iustitia commutatiua inter personas priuatas, licèt sic agentes grauissimè peccent contra virtutem Religionis, rebus sacris iniuriam inferentes. Ita benè Caiet. & Nauar. nouissimè allegati.

Sed contra hanc solutionem, & duas præcedentes assertiones vrget argumentum. nam est præceptum Domini datum Apostolis, & Prælatis eorum successoribus Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date*; ergo Prælati aliquod temporale recipiendo pro collatione beneficiorum, quæ sunt res spirituales, iure diuino illud restituere tenentur: patet ista consequentia. nam si Princeps aliquis temporalis suo dispensatori præciperet, vt singulis pauperibus gratis singulos tritici modios diuideret, & sine aliquo pretio, ipse verò exigeret pretium à pauperibus iure naturali, sine dubio ad restitutionem teneatur; ergo pari ratione dicendum est de eo Prælato, qui accepta pecunia confert alteri beneficium, quod est res spiritualis, & iuxta Domini præceptum gratis est conferendum. Propter hoc argumentum Lopez noster *part.* 1. *instruct. cap.* 306. *concl.*2. *fol.*964. *mihi*, sustinet, quòd Prælati si accepta pecunia, & sine interuentione alicuius exterioris pacti, iure diuino pretium sic acceptum in collatione beneficij teneantur restituere, & quidem satis probabiliter. Sed defendendo sententiam Caietani, & Nauarri, respondetur ad hoc argumentum quòd mandatum Domini de dando gratis dona spiritualia, si intelligatur de donis spiritualibus, quæ nullum commodum temporale habent annexum, vt sunt Sacramenta, & Sacramentalia, obligat Ministrum bonorum spiritualium, nedum sub præcepto Religionis, qua tenentur reuerentiam Deo, & rebus sacris exhibere, sed etiam illum obstringit sub præcepto iustitiæ commutatiuæ, qua tenetur Minister Ecclesiasticus nullo pretio interueniente hæc spiritualia conferre, & ministrare, quia tales res spirituales non habent aliquid temporale, ratione cuius iudicio communi possint censeri tanti, vel tanti valere, ac proinde natura sua postulant, vt gratis dispensentur, & sic Minister Deo dicatus, si talia bona spiritualia ministrando aliquid amplius, vltra propriam sustentationem exigat, tenetur ad illud plus iure diuino restituendum.

DVBITATIO III.

V. *An conferens beneficia aliquo munere accepto peccet nedum contra virtutem Religionis, sed etiam contra iustitiam commutatiuam?*

Cæterùm collatores beneficiorum, licèt teneantur gratis dispensare, & conferre beneficia, vt non peccent contra virtutem Religionis, ne iniuriam Deo, & rebus sacris inferant, non tamen peccant contra iustitiam commutatiuam, si gratis illa non contulerint; quia cùm beneficia Ecclesiastica habeant annexum commodum temporale: collator conferens illa, pecunia interueniente, non exigit illam pro collatione beneficij veluti mercedem illius operis, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur: tum, quia dum exclusis aliis te præfert tibi conferendo beneficium suum, affectum ad te determinat, & se priuat potestate alteri gratificandi, quod est magno pretio æstimabile. Tum, quia dominus potest permittere suo dispensatori in rebus maximi momenti, vt aliquam compensationem ab his, quos tanto beneficio afficit, exigat: & sic dispensator accipiens aliqua munuscula in paupertibus, quibus habet à domino suo facultatem elargiendi pingues eleemosynas, non tenetur ad illorum restitutionem, cùm ea recipiat ob aliquam compensationem, dum aliis exclusis determinat suum affectum ad istos potius, quàm ad alios ad gratificandum potius istis, quàm aliis. Ita benè Less. *lib.*2. *de iustitia cap.* 35. *dub.* 18. *num.* 161 & 162. Tum, quia collator beneficiorum accipiens pecuniam in illorum collatione, quando nulla adest conuentio de illa recipienda, eam accepit à beneficiato per modum doni liberalis, & licèt intus iniquitatem simoniacam conceperit, & similiter beneficiarius dans pretium ex modo & forma exteriori dat per modum doni, cùm nullo pacto præcedente det pecuniam, licèt intus ex iniqua voluntate emat beneficium: acceptum autem, & datum per modum doni liberalis non est obnoxium restitutioni: & ideò collator iure diuino, & naturali non tenetur ad restitutionem pecuniæ acceptæ, quia ad modum doni liberalis illam recipit, neque beneficiarius ad dimittendum beneficium; quia simoniacus mentalis recipiens beneficium, non facit iniuriam contra iustitiam commutatiuam collatori, sed solùm irrogat irreuerentiam Deo, & eius rebus spiritualibus; ergo iure diuino, & naturali non tenebitur

tenebitur beneficium restituere, vel dimittere. Ita præclarè Caier. 2.2. *quæst.* 100. *art.* 6. *versic. Et ad primam,* quæ est difficilis.

## ARTICVLVS XL.

## An beneficiarius, cui beneficium quæritur per simoniam mediatoris, quam ignorauit, postea certior factus de simoniaca collatione, teneatur beneficium vnà cum fructibus perceptis resignare?

### *SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, & insuper explicatur, An quis teneatur beneficium resignare, vel fructus non percipere, si inimicus illius pecuniam dedit eo fine, vt collatio beneficij inualida sit.*
3. *An electus ad beneficium teneretur dimittere si eo reclamante daretur pecunia electoribus.*
4. *An sit simoniacus, qui post obtentum beneficium soluit pecuniam per alium promissam.*
5. *Titulo dubitationis respondetur, & insuper explicatur, ad quid teneatur dum id sciuerit.*
6. *An sciens per simoniam realem commissam ab alio sibi collatum esse beneficium, sit excommunicatus, nisi illud dimittat.*
7. *An possessor iniustus beneficij teneatur ad restitutionem fructuum absque sua culpa amissorum.*
8. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, an quis conuenienter propter peccatum alterius puniatur pœna temperali.*
9. *An liceat in aliquo casu tribuere pecuniam alicui electori pro obtinendo beneficio, absque simonia.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm nullus debet puniri pro eo, quod non est factum eo sciente, & volente, quia pœna debetur peccato, quod est voluntarium; ergo quando consequitur beneficium aliis illud simoniacè procurantibus eo nesciente, & nolente, non debet puniri per priuationem eius, quod ei collatum est: neque priuari fructibus perceptis, quos bona fide percepit ex beneficio simoniacè per alios sibi procurato eo inscio, & ignorante.

II. *Veritas aperitur, & insuper explicatur*

### DVBITATIO I.

*An quis teneatur beneficium resignare, vel fructus non percipere, si inimicus illius pecuniam dedit eo fine vt collatio beneficij inualida sit?*

Dico primò, si inimicus tuus occultè per fraudem pecuniam dedit eo fine, vt collatio beneficij tibi facta sit inualida, tunc non teneris beneficium resignare, neque fructus perceptos restituere: secus autem si amicus vt tibi prodesset, dedit pecuniam, vt solent parentes pro filiis, tunc enim simul atque scieris, teneris dimittere beneficium: quia hoc est in pœnam illorum, qui te simoniacè promouere voluerunt; imò tunc inhabilis remanes ad idem beneficium assequendum. Ita expressè ex *cap. nobis fuit, & cap. sicut tuis, de simonia.* Videatur D.Thom. 2.2. *quæst.* 100. *art.* 6. *ad tertium.* Lopez noster *part.* 1. *instruct. cap.* 256. *fol.* 653. *col.* 2. *§. Præterea.*

### DVBITATIO II.

III. *An electus ad beneficium teneretur dimittere, si eo reclamante daretur pecunia electoribus?*

Dico secundò, electus ad beneficium si eo reclamante daretur pecunia electoribus, non teneretur tunc dimittere beneficium, quia licèt simonia commissa à parentibus pro filiis ignorantibus ipsis filiis imputetur ad pœnam, tenentur enim hi certiores facti de simonia commissa dimittere beneficium: non tamen contradicentibus imputatur ad culpam, vel pœnam, nec tenentur hi sic reclamantes beneficium resignare; quia aliud est, & longè diuersum, non præbere consensum, & aliud expressè prohibere, & contradicere antequam fiat: sic expressè colligitur ex D.Thom. nouissimè adducto *solutione ad tertium* Lopez *vbi suprà fol.* 654. *§. Quare existimo.* Nauarr. *summa c.* 25. *n.* 113. *versic. Secundo.*

Addit tamen Lopez vnum, éstque valdè notandum, si autem, inquit, dum quis promouetur sic per simoniam ab aliis commissam id ignorauit, licèt postquam resciuerit, reclamauerit, existimo quòd talis simoniaca electio obsit sibi, nisi iuxta *cap. nobis, de simonia,* in ipsius fraudem facta, vel intenta sit, vel in eius odium fabricata. Contradictio igitur, seu reclamatio post præsentationem, seu electionem simoniacè factam nihil prodest electo, tenetur enim sic electus non acceptare, & si acceptauerit, resignare, licèt non incurrat pœnam excommunicationis, quia non est causa simoniaci contractus. Lopez sequitur Less. *lib.* 2. *de iustitia, cap.* 35. *dub.* 25. *n.* 143. *ad finem.*

### DVBITATIO III.

IV. *An sit simoniacus, qui post obtentum beneficium soluit pecuniam per alium promissam?*

Dico tertiò, si post obtentum beneficium consentit quis soluendo pecuniam per alium promissam approbando factum amici, iam incurrit simoniam, & pœnas illius, tenetur enim beneficium resignare, & fructus restituere. Ita colligitur ex *cap. sicut tuis, de simonia,* & docet D.Th. 2.2. *q.* 100. *art.* 6. solutione illa ad tertium: secus autem si solùm ex amicitia soluitur id, quod amicus amore tui soluit post factum, vel promisit: quia id non est approbare factum simoniacum, sed potiùs fit ne patiatur iacturam amicus. Ita bene Nauarr. *tomo* 2. *consil. lib.* 5. *de simonia, consil.* 10. *num.* 5.

V. *Titulo dubitationis respondetur, & insuper explicatur*

### DVBITATIO IV.

*Ad quid tenentur dum id sciuerit?*

Dico quartò, collatio, præsentatio, vel electio ad beneficium facta per simoniam realem commissam per tertiam personam in commodum alterius eam ignorantis, secundùm Nauar. *tom.* 2. *consil. lib.* 5. *de simonia, consil.* 95. *num.* 3. est valida, quia recipiens sic beneficium non est excommunicatus, nec verè dicitur simoniacus, *c. de simoniacè, de simonia.* Probabilius mihi tamen videtur dicendum, talem collationem esse irritam, quia per contractum inualidũ, nempè simoniacũ,

est facta. videatur Less. *lib. 2. de iustitia cap. 35. dub. 25. num. 142 ad finem.*

Dico quintò, tenetur tamen is, cui ignoranti simoniacè collatio beneficij facta est, cùm primùm scierit vitium, beneficium dimittere. *cap. de regularibus, de simonia.* Durante tamen ignorantia potest iustè de fructibus disponere: nec tenetur illos postea restituere, certior factus de simoniaca collatione; quia licèt multi sint canones, qui probant, eum, de quo loquimur, beneficiarium teneri ad renunciandum beneficium per alienam simoniam sibi quæsitum, *cap. nobis, cap. ex insinuatione, & cap. de simoniacè;* in nullo tamen exprimitur debere restituere fructus perceptos quoad durauit bona fides, & ignorantia. Ita Nauar. *tom. 2. consil. lib. 5. de simonia, consil. 99. num. 6. & consil. 95. n. 3. vers. quarto, eodem libro, & titulo.* Tum, quia, inquit Nauar. *num. 7. consilij 99. cit.* bonæ fidei possessor facit fructus suos omnes, potissimùm industriales: at fructus beneficiarij vtplurimum sunt industriales, quia quæruntur cultura, & opera beneficiarij: ergo, &c. Fructus industriales dicuntur frumentum, vinum, & consimilia, quæ opera, & cultura agricolarum è terra percipiuntur: naturales verò sunt poma, ficus, & consimiles fructus, quæ naturaliter ferè absque cultura è terra & arboribus producuntur. Ita glossa *in cap. grauis, de restitutione spoliorum, verb. fructus.*

Obstringitur tamen is, qui ignorans per alienam simoniam beneficium sibi quæsiuit, à die notitiæ simoniæ commissæ restituere fructus, quos post scientiam percepit; quia tunc vt possessor malæ fidei fructus ex beneficio perciperet: at possessor malæ fidei fructus perceptos ex re aliena tam extantes, quàm consumptos restituere tenetur, vt habetur definitum *in l. certum est, C. de rei vendic.* videatur Nauar. *consil. 35. num. 2. ead. libro, & tit.* speculum Confessariorum *disp. 4. de restit. in genere, quæst. 147. n. 1.*

Dico sextò. Probabilius tamen est asserere ignorantem, qui per alienam simoniam realem beneficium quæsiuit, teneri post scientiam, ne dum ad illud dimittendum, sed etiam ad restitutionem fructum, qui extant: quia qui tenet bona fide rem alienam, tenetur post notitiam vnà cum fructibus ex ea perceptis, si extant, eam restituere; sed obtinens beneficium simonia reali commissa per alios, non habet validum ius in eo. ergo, &c. Non autem iure compellitur eos fructus restituere, quos durante ignorantia bona fide consumpsit, quia cùm beneficium bona fide possederit, fructus consumptos fecit suos. ita benè D. Th. 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 6. solutione illa præclara ad tertiam. Rodriquez *summa part. 2. cap. 68. num. 3.* Addit etiam Azor *part. 3. instit. mor. lib. 12. cap. 10. dub. 5. fine,* quòd si ex fructibus consumptis fuerit locupletior factus, debet id restituere in quo factus est ditior: poterit tamen hic, si fructus extantes fuerint industriales, tantundem detrahere, quantum industria, & cultura meretur: videatur speculum Confessariorum *loco nuper allegato quæst. 146. num. 1.*

## Dvbitatio V.

VI. *An sciens per simoniam realem commissam ab alio sibi collatum esse beneficium, sit excommunicatus nisi illud dimittat?*

Dico septimò, sciens per simoniam realem, etiam commissam ab alio, accipiens beneficium est excommunicatus, & illud in conscientia resignare tenetur, per *Extrauagantem Cum detestabile, de simonia,* & docet Azor *part. 3. lib. 12. inst. mor. c. 21. dub. 11.* fit inhabilis ad idem beneficium obtinendum. *cap. nobis fuit, de simonia.* Less. *lib. 2. de iustitia c. 35. dub. 25. n. 139.* ipso iure est infamis, *c. sanè 15. q. 3.* Hæc tamen pœna non contrahitur nisi post sententiam iudicis, vel per propriam simoniaci confessionem in iudicio, vel per euidentiam facti. Syl *verb. simonia q. 19. §. secunda.*

Item regula de trienali possessore non prodest ingresso scienter per simoniam realem in beneficium; prodest tamen hæc regula ignoranti simoniam commissam: quia hic habet titulum coloratum. Less. nouissimè adductus *n.* 140. Item talis sciens simoniam realem in beneficio obtinendo debet restituere fructus, non solùm perceptos, sed etiam eos, qui percipi potuerunt à possessore diligenti: fructuum verò nomine intelliguntur hi, qui supersunt deductis expensis causa fructuum, si impendat in vtilitatem Ecclesiæ id non cogitur restituere. Ita præclarè D. Thomas Aquinas solutione illa aurea quidem *ad tertium argumentum 2. 2.* sæpè in hoc dubio adducta.

## Dvbitatio VI.

VII. *An possessor iniustus beneficij teneatur ad restitutionem fructuum absque sua culpa amissorum?*

Dico octauò, possessor iniustus beneficij, simoniacus, & malæ fidei, tenetur restituere fructus perceptos, vel eorum valorem, qui apud ipsum absque vlla sua culpa perierunt casu quo periissent quoque apud legitimum possessorem; quia ei, qui est in mora, etiam casus fortuitus imputatur; sed possessor simoniacus beneficij retinens fructus ex eo perceptos est morosus, cùm tales fructus non sibi, sed legitimo possessori Ecclesiæ, cuius est beneficium, vel pauperibus debeantur, ergo, &c. Ita colligitur ex auctore speculi Confessariorum *vbi suprà, quæst. 148. num. 2.* Quamuis negaret Couar. *in reg. peccatum par. 2. §. 6. n. 3.* diffitetur enim ibi quòd possessor malæ fidei teneatur ad restitutionem fructuum perceptorum ex re aliena iniustè detenta, si absque sua culpa perierunt: sed cui hæc restitutio reddituum exceptorum ex beneficio simonia reali obtento sit facienda, postea dicemus.

VIII. *Rationi in contrarium à principio respondetur; & explicatur*

## Dvbitatio VII.

*An quis conuenienter propter peccatum alterius puniatur pœna temporali?*

Nec officit ratio à principio adducta, præsertim cõtra sextum pronunciatum: Respondemus enim quòd licèt recipiens beneficium per simoniam commissam ab alio, & à se ignoratam, non sit excommunicatus, vt docet Nauar. *tomo 2. consil. lib. 5. de simonia, consil. 95.* Neque verè sit simoniacus, vt habetur ex *cap. de simoniace, de simonia;* in pœnam tamen illorum, qui hunc simoniacè promouere voluerunt, iura sanxerunt, quòd talis collatio sit irrita; & ideò beneficium in conscientia resignare tenetur certior factus de simonia reali per alios commissa. Ita *in cap. nobis, cap. ex insinuatione, & cap. sicut tuis, de simonia,* & fructus extantes; & id, in quo factus est ditior, restituere obstringitur, secundùm D. Th. & alios citatos *assertione 6.*

Neque mirum quòd quis interdum ob peccatũ alterius pœna temporali, sed non spirituali, & æterna puniatur, aliquando enim Deus reddit iniquitatẽ patrum filiis, ac nepotibus in tertiam, & quartam progeniem,

vt

vt habetur *Exodi* 34. idque iure optimo, vt omnes intelligant, quàm grauia sunt quædam delicta, quæ non solùm puniuntur in patre, & aliis nocentibus, sed etiam in filiis, & aliis innocentibus, & hoc propter bonum commune, vt arceantur homines ab huiusmodi enormibus delictis admittendis. Meritò igitur ignorans simoniam per alios commissam priuatur beneficio sic obtento, vt ab Ecclesia Dei hoc enorme simoniæ facinus auferatur. Neque obstat illud Ezech. 18. *Vnusquisque in iniquitate sua morietur*; ibi enim non est sermo de pœna temporali, sed de spirituali, & æterna.

### Dvbitatio VIII.

IX. *An liceat in aliquo casu tribuere pecuniam alicui electori pro beneficio obtinendo absque simonia?*

Ad maiorem huius difficultatis elucidationem vnum adhuc est obseruandum, quòd si simonia realis per alios commissa non fuit causa quærendi beneficium, vt si maior pars electorum, qui ad electionem canonicam sufficerent, sponte, nulla pecunia promissa, vellent aliquem eligere: parentes autem, vel amici interim vnum, aut alterum pecunia repensa ad illum eligendum inducerent: electio tunc non esset coram Deo vitiosa, nec teneretur sic electus ad beneficium illud resignare, & fructus perceptos restituere; quia talis simonia non fuit causa illud quærendi, cùm æquè benè sine illa beneficium quæreretur. Idem dicendum in casu quo is, cum quo simonia realis fuit admissa, non fuit ob eam principaliter motus ad eligendum, quamuis ob id pecunia data fuerit. propter eamdem rationem. Ita bene annotauit Lopez noster cit. & Nauarr. *part. 1. instruct. cap. 256. fol. 654. mihi. §. Postremò, ad finem.*

---

## Articvlvs XLI.

## An obtinens beneficium post pactum de pretio soluendo, sed non adhuc illo impenso, in conscientia illud dimittere teneatur?

### *Svmmarivm.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Dubitatio resoluitur.*
3. *An temporale receptum in simonia conuentionali nondum vtrimque completa, restitui debeat in conscientia, & cuinam.*
4. *An accipiens beneficium per simoniam realem ex vtraque parte consumptam illud in conscientia teneatur dimittere, & in cuius manibus dimissio fieri debeat.*
5. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

QVia hic interuenit expressa emptio, & venditio rei spiritualis, quæ est beneficium; ergo hic est vera simonia, quæ subiicitur pœnis iuris positiui dimissionis beneficij iam obtenti, & excommunicationis. Probatur antecedens, nam qui credita pecunia rem vendit, verè eam vendit, ergo qui credito pretio accipit beneficium, verè emit, & qui sic confert, verè vendit: sed vbi est verè emptio, & venditio rei spiritualis, quæ est beneficium, ibi est vera simonia subiecta iuris positiui pœnis. ergo, &c. & ita hanc sententiam tenuit Tolet. *summa lib. 5. cap. 93. n. 1. ad finem.*

II. *Dubitatio resoluitur.*

Dico primò, qui beneficium accepit ex pacto vt pecuniam daret, non est ipso iure beneficio priuatus, cùm nondum pecuniam promissam dederit; quia pœnæ, præsertim graues, quæ ipso facto incurruntur, quantum fieri potest sunt restringendæ, nisi expressè contrarium significetur; ergo pœnæ constitutæ simoniacis, qui spiritualia, & consequenter beneficia emunt, aut vendunt, restringendæ sunt ad emptionem & venditionem ex vtraque parte completam, & consummatam. Ita bene Armilla *verb. simonia num. 4.* Lopez noster *part. 1. instruct. cap. 305. fol. 959. col. 1. mihi. §. Quod autem.* Azor. *part. 3. instit. mor. lib. 12. cap. 19. dub. 8.*

### Dvbitatio I.

III. *An temporale receptum in simonia conuentionali nondum vtrimque completa, restitui debeat in conscientia, & cuinam?*

Dico secundò, temporale receptum in simonia conuentionali nondum vtrimque completa restitui debet in conscientia; v.g. N. ex conuentione pecuniam accepit vt beneficium conferret Ecclesiasticum, & beneficium nondum contulit, tenetur restituere pretium quod accepit; quia quod datum est ex causa, siue ex promissione, restitui debet in conscientia, quandocumque causa non subsequi, vel impleri non potest. ergo si N. accepit pecuniam ex pacto, vt beneficium Ecclesiasticum daret, & hæc conuentio rescindi iure debet, cùm sit simoniaca: consequens est vt pecuniam acceptam in conscientia retinere non possit; sic, & bene quidem, Lopez *part. 1. instruct. cap 307. fol. 970. col. 1. vers. Quintò dicitur*, quem sequitur Azor. *vbi supra, dubio 4.*

Dico tertiò, hæc restitutio rei temporalis facienda est ei, qui rem dedit, quoniam, quòd fiat restitutio Ecclesiæ, in cuius ignominiam, aut damnum cedit contractus simoniacus in materia beneficiali, est peculiaris pœna quæ non est decreta nisi simoniæ reali completæ ex vtraque parte; ergo in simonia conuentionali ei debet fieri qui rem dedit: tum, quia causa non subsistente dominus non abdicauit à se illius rei temporalis dominium. ergo ei qui dedit, &c. Caiet. *in summa verb. simonia.* Sotus *lib. 9. de iustitia, quæst. 8. art. 1. fol. 648. in principio, mihi, vers. & primo quidem*, quos sequitur Valent. *tom. 3. disp. 6. quæst. 16. puncto 6 fol. 1549. §. Quòd si quæras.*

### Dvbitatio II.

IV. *An accipiens beneficium per simoniam realem ex vtraque parte consumptam, illud in conscientia teneatur dimittere? & in cuius manibus dimissio fieri debeat?*

Dico quartò, qui verò per simoniam realem ex vtraque parte consummatam beneficium accepit, illud in conscientia dimittere tenetur. *cap. Matthæus, de simonia.* Hæc autem dimissio debet fieri in manibus Prælati, non autem restitui illud debet priori possessori, cui ob resignationem fuit tradita pecunia: quia propter simoniam realem commissam prior possessor est inhabilis ad illud recipiendum: tum, quia Prælatus dum secundùm suam æstimationem

alteri danti pecuniam contulit, priori possessori beneficium abstulit: sic Sotus nouissime allegatus §. *de restitutione*; aut Præbendæ, Lopez *vbi supra, fol. 971. col. 1. principio, vers. sexto.* Valentia nuper adductus *fol. 1550. mihi, §. sed quæret.*

### V. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

Ad rationem in contrarium, quæ directè militat contra primum nostrum pronunciatum, iam satis est responsum per doctrinam ibi traditam, vnde ad argumentum negamus consequentiam, licèt enim ex rigore iuris pœnæ contra simoniacos latæ videantur contrahi per simoniam conuentionalem etiam neutra ex parte completam, eo quòd ad substantiam emptionis, & venditionis sufficiat conuentio, seu pactum contrahentium: tamen iuxta stylum Curiæ & sacræ Pœnitentiariæ, quæ facit ius, *cap. ex litteris, de constit.* non censentur incursæ, nisi per simoniam realem vtrimque completam, lex enim puniens aliquem actum, censenda est punire actum consummatum, & completum. Ita Nauar. *summa cap. 23. num. 104. vers. sed contrarium est tenendum*, Filliuc. *tom. 3. de beneficijs, tract. 45. de vitio simoniæ, cap. 13. quæst. 5. num. 15.* Less. *lib. 2. de iustitia, cap. 35. dub. 27. num. 149. §. sed contrarium.*

---

## Articvlvs XLII.

## An quando simonia est realis ex vtraque parte completa in materia beneficiali, restitutio pretij temporalis sit facienda ei, qui dedit, an verò Ecclesiæ, vel pauperibus?

*SVMMARIVM.*

1. *Quòd sit facienda ei, qui dedit, probatur.*
2. *Veritas aperitur, & declaratur, an beneficiarius simonia completa ex vtraque parte, vendent suum beneficium teneatur ad reddendum pretium, & an sit valida restitutio facta venditori, vel adhuc debeat fieri Ecclesiæ.*
3. *Opinio quòd debeat restitui Ecclesiæ, probabiliter sustinetur.*
4. *Explicatur, an turpiter datum, sit repetendum, & turpiter acceptum, sit restituendum, & quomodo id intelligatur.*
5. *Rationi à principio respondetur, & etiam argumentis factis pro secunda opinione, & explicatur, an restitutio beneficij simoniacè accepti facienda sit ante sententiam iudicis.*
6. *Sustinetur tertia assertio.*

### I. *Quòd sit facienda ei qui dedit, probatur.*

Videtur quòd sit facienda ei, qui pretium pro beneficio obtinendo contulit, & non Ecclesiæ, vel pauperibus: nam qui tale pretium dedit, non intendit à se alia ratione abdicare illius dominium, nisi transferendo in beneficij venditorem, sed venditor est incapax illius dominij hoc titulo capiendi, pro venditione scilicet beneficij, vt patet ex *cap. de hoc, de simonia.* ergo cùm in hunc non sit translatum dominium accepti pretij, verè mansit apud emptorem. ergo ipsi restitutio talis pretij est facienda, apud quem remansit dominium.

### II. *Veritas aperitur, & declaratur*

## Dvbitatio I.

*An beneficiarius simonia completa ex vtraque parte, vendens suum beneficium teneatur ad reddendum pretium? & an sit valida restitutio facta venditori, vel adhuc debeat fieri Ecclesiæ?*

Dico primò, beneficiarius simonia completa ex vtraque parte vendens suum beneficium iure naturæ, seu diuino, non obstringitur ad reddendum pretium: quia vendit rem pretio æstimabilem ratione commodi temporalis annexi; & licèt peccauerit contra virtutem Religionis, qua tenemur Deo, & rebus sacris reuerentiam exhibere, non tamen iure naturæ deliquit contra iustitiam commutatiuam, quoniam beneficium affert secum commodum temporale, quo vendens se ipsum priuat, & ratione huius vendens potest recipere aliquod pretium temporale. hæc assertio patet ex supradictis, & eam docet apertè Filliuc. *tom. 3. de beneficijs, tract. 45. de vitio simoniæ, cap. 13. quæst. 10. num. 30. §. secundò sequitur.*

Dico secundò, stante iure Ecclesiastico tale pretium post consummatam simoniam in materia beneficiali in conscientia est restituendum, vt patet ex *cap. de hoc, & cap. audiuimus, de simonia, & Extrauag. Cum detestabile, eod. tit.* illúdque ante iudicis sententiam restitui potest ei, qui dedit, ita sanè, quòd si semel ei venditor beneficij restituerit, nemo in foro conscientiæ obliget illum ad restituendum Ecclesiæ, vel pauperibus: quia leges pœnales ante iudicis sententiam neminem spoliant possessione, imò neque dominio rerum suarum, vt docet optime Caiet. 2. 2. *quæst. 62. art. 3. vers. Ad hoc dicitur.* Syl. *verb. pœna, quæst. 25.* ergo lex ista pœnalis Ecclesiastica contra simoniacos, quæ priuat pretio dato, in materia beneficiali non obligat ante condemnationem. cùm ergo dans pretium non intendat à se alia ratione abdicare illius dominium, nisi transferendo in venditorem beneficij, & iste sit incapax illius dominij, per easdem leges Ecclesiasticas, apud conferentem remanebit dominium; ergo si isti fiat restitutio, valebit, siquidem ante condemnationem iudicis illius dominio non est priuatus, & ita hanc sententiam docent Sotus *lib. 9. de iustitia, quæst. 8. art. 1. fol. 648. vers. verumtamen.* Bannes 2. 2. *quæst. 37. art. 7. dub. 2. concl. 4.* Lopez noster *part. 1. Instruct. c. 307. fol. 670. col. 2. mihi, vers. ideò omissa.* hos sequitur Valent. *tom. 3. disp. 6. quæst. 16. punct. 6. fol. 1550. mihi, versic. sed quæret aliquis.*

### III. *Opinio quòd debeat restitui Ecclesiæ probabiliter sustinetur.*

Dico tertiò. Probabiliter etiam dici potest ante iudicis sententiam restitutionem pecuniæ acceptæ per simoniam ex vtraque parte completam circa beneficium commissam, non ei qui dedit pecuniam esse faciendam, sed Ecclesiæ, in cuius ignominiam, aut damnum fuit data, vel pauperibus, si in nullius certæ Ecclesiæ damnum, vel ignominiam id cessit, & ita si semel fiat restitutio Ecclesiæ, vel pauperibus, restituens ad aliam restitutionem faciendam ei qui dedit pro beneficio obtinendo in cõscientia deobligatus illam remanet. ita Bannes *vbi suprà concl. 3.* Syl *verb simonia q. 20.* & colligitur ex *c. de hoc, de simonia*, & certè D. Th. videtur esse huius sententiæ 2. 2. *q. 180. art. 6. solut. ad 4.* cùm nulla facta mentione de sententia iudicis dicat pretium acceptum pro simoniaca actione dandum esse Ecclesiæ, quæ passa est iniuriã, vel pauperibus; videatur

deatur etiam idem D. Thom. *2.2. quæst. 32. art. 7. in corp.* vbi negat expressè tale pretium dandum esse danti, sed pauperibus asserit esse elargiendum, quem sequuntur Tol. *summa lib. 5. cap. 93.* Syl. *verb. Restitutio 2. num. 1. paulo post principium.* Azor. *part. 3. inst. mor. lib. 12. cap. 19. dub. 11.* Filliuc. *tom. 3. de beneficijs tract. 45. de vitio simoniæ, quæst. 32. num. 32. & 33.*

### Dvbitatio II.

IV. *An turpiter datum sit repetendum, & turpiter acceptum sit restituendum? & quomodo id intelligatur?*

Sed contra hanc, & præcedentem assertionem arguitur. nam iniustè acceptum de voluntate dantis, si ab vtraque parte, dantis, & accipientis, versatur turpitudo, & peccatum, non est de præcepto restituendum, sed de consilio pauperibus, vt docet Nauarr. *tomo 1. consil. lib. 1. de pactis, consil. 5. num. 1.* Syl. *verb. Restitutio 2. num. 1.* paulò post principium: sed in venditione beneficij turpitudo & peccatum ex vtraque parte versatur; ergo pretium acceptum pro simoniaca actione in materia beneficiali nec danti, nec Ecclesiæ ex necessitate, & de præcepto est restituendum. Respondetur cum eodem Syl. *cit.* & Nauarr. *tom. 2. consil. lib. 5. de simonia, consil. 89. num. 3.* quòd licèt de rigore iuris ita sit turpiter, scilicet datum, & turpiter acceptum, non esse necessariò restituendum, iuxta *reg. in pari delicto, vel casu melior est conditio possidentis, de reg. iur. in 6.* specialiter tamen, & singulariter textus *cap. de hoc, de simonia*, disponit restitutionem pecuniæ acceptæ per simoniam circa beneficium commissam faciendam esse Ecclesiæ, cui facta est iniuria. Ex iure igitur canonico nascitur, quòd pecunia simoniacè accepta ob beneficium Ecclesiasticum sit restituenda Ecclesiæ, quæ passa est iniuriam, quia canones inhabilem reddunt accipientem talem pecuniam, vt non possit eam retinere sine graui suæ salutis periculo, vt ait speciatim *cap. de hoc, de simonia*, & præcipiunt, vt restituatur Ecclesiæ, in cuius iniuriam data est: vel pauperibus, si in nullius certæ Ecclesiæ damnum & ignorantiam id cessit, vel vbi consuetudo inualuit quòd detur egentibus illius Ecclesiæ, in qua situm est beneficium.

V. *Rationi à principio respondetur, & etiam argumentis factis pro secunda opinione, & explicatur*

### Dvbitatio III.

*An restitutio beneficij simoniacè accepti facienda sit ante sententiam iudicis?*

Ad rationem à principio positam si sustinere velimus secundam assertionem, quæ est probabilis, illam enim defendunt multi DD. & quidem non pœnitendi, sed grauissimi, nihil occurrit respondendum, probat enim secondum pronunciatum, quod est satis probabile: si dicatur, nam turpiter datum, quando turpitudo versatur ex vtraque parte, non est de necessitate, & in conscientia restituendum. ergo, &c. Respondetur cum Lopez *part. 1. instruct. cap. 107. in principio, concl. 1.* Rodriquez *part. 2. summæ cap 42. num. 2.* hoc esse verum sequuto effectu, at effectu non subsequuto, danti facienda est restitutio pretij turpiter dati, & turpiter recepti; & quia dans pretium in materia beneficiali; est inhabilis ad retinendum beneficium simoniacè collatum, per *Extrauag. cum detestabile, de simonia*, & recipiens pretium est incapax, vt possit illud in conscientia retinere, per *c. de hoc, de simonia.* ideo effectu non subsequuto pecuniam acceptam pro simoniaca actione circa beneficium danti ante condemnationis sententiam est restituendum.

Neque obstat D. Th. *2.2. q. 100. art. 6. ad 4. & suprà q. 32. a. 7. in corp.* vbi ait pretium simoniace datum non esse dandum ei, qui dedit, sed Ecclesiæ, vel pauperibus. Nam respondetur post sententiam iudicis sic esse, non autem ante condemnationem, & quòd sit mens D. Th. patet ex doctrina eiusdem *2.2. q. 62. art. 5. solut. ad 2.* vbi apertè docet quòd in datione illicita, & contra legem, qualis est datio simoniaca, qui simoniacè aliquid dedit, meretur illud amittere. Hæc D. Th. vbi notandum quòd non asserit D. Th. quòd de facto & ipso iure ante sententiam illud pretium amittit, sed quòd meretur illud amittere. de facto igitur non amittit, sed per sententiam meretur illud amittere, quod benè obseruauit Lopez *part. 1. instruct. cap. 307. fol. 670. mihi, col. 2. ad finem.* Videatur etiam pro hac re Sotus *lib. 4. de iustitia, quæst. 7. art. 1. solutione ad tertium argumentum, fine.*

Eandem solutionem affert Magister Bannez *2.2. q. 37. art. 7. dub. 2.* immediatè ante vltimam conclusionem, ad textum *cap de hoc, de simonia*, dum inquit, pretium acceptum pro simoniaca actione restituendum esse Ecclesiæ quæ passa est iniuriam, hoc verum esse post condemnationem iudicis, non autem antè. Nemo enim expoliandus est re sua nisi per iudicis sententiam, & ideò licèt, qui dedit simoniacè pretium, mereatur dominio illius priuari, de facto tamen non est priuatus, & sic si ei restituatur, potest illud iustè sibi retinere: consulendus est etiam pro hac solutione Magister Sotus nouissimè adductus.

VI. *Sustinetur tertia assertio.*

At sustinendo tertiam assertionem cum Syl. Tolet. Azor. Fillioc. dicendum est pretium illud simoniacè datum restituendum esse Ecclesiæ, vel pauperibus ante sententiam iudicis, non quia sit aliqua constitutio in iure canonico, qua dans hoc ipso, quo simoniacè dat, priuetur illius dominio, sed quia accipiens iubetur in Ecclesiam, vel in pios vsus illud expendere, vt patet per *cap. de hoc, de simonia.* lex enim potest iubere, vt rem alienam, quæ apud te est, expendas in pauperes, quando iusta causa subest, & hoc ipso, quo datur pauperibus, prior dominus amittit dominium, non vi alicuius legis immediatè, sed mediatè actu, & restitutione facta per accipientem ex præcepto legis. Ita bene Less. *lib. 2. de iustitia, cap. 35. dubio 31. num. 172.*

---

## Articvlvs XLIII.

### An beneficium resignatum per simoniam realem verè vacet, ita vt sic resignans sit ipso iure illius titulo priuatus?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, explicando, an beneficium per simoniam realem renunciatum acquiratur resignatario; & an titulus remaneat penes resignantem.*
3. *Dubitatio resoluitur.*
4. *Rationi à principio respondetur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

VIdetur quòd non. Nam omnia, quæ sequuntur post simoniam realem in materia beneficiali, sunt ipso iure nulla, iuxta *Extrauag. Cum detestabile, de simonia.* ergo resignatio facta per simoniam realem est ipso iure irrita, & ita titulus beneficij sic resignati manebit penes simoniacum resignantem, licèt hic puniri & priuari possit beneficio. Ita Nauarr. *summa cap. 23. num. 105. ad finem.*

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

DVBITATIO I.

*An beneficium per simoniam realem renunciatum acquiratur resignatario, & an titulus remaneat penes resignantem?*

Dico primò, beneficium per simoniam realem renunciatum non acquiritur resignatario; quia eo ipso, quo simonia realis est commissa, resignatarius est inhabilis ad illud beneficium obtinendum, & illud in conscientia dimittere tenetur. Nauarr. *tom. 2. consil. lib. 5. de simonia, consil. 21. num. 5.*

Dico secundò, resignans beneficium alteri pecunia accepta sine auctoritate Superioris non est ipso iure beneficij titulo priuatus, sed penes ipsum simoniacum resignantem manebit illius titulus: quia talis renunciatio non valuit, iuxta *cap. quod in dubijs, & cap. admonet, de renunciatione,* & docet Nauarr. *tom. 1. consil. lib. 1. de renunciatione, consil. 5. num. 2.* ergo titulus beneficij apud simoniacum resignantem remansit, cùm iste non sit ipso iure illo priuatus, sed priuandus, vt docet Azor. *part. 3. instit. moral. lib. 12. cap. 20. dub. 10.* & facit pro hac assertione *cap. cùm vniuersorum, de rerum permutatione.*

III. *Dubitatio resoluitur.*

Dico tertiò, renuncians beneficium per simoniam realem in manibus Superioris potentis resignationem admittere, est ipso iure beneficij titulo priuatus, etiamsi resignatarius illud sibi non quærat: quia Prælatus dum secundùm suam æstimationem alteri dans pecuniam contulit, priori possessori beneficium abstulit, vt bene docet Sotus *lib. 9. de iust. quæst. 8. art. 1. fol. 648 mihi §. de restitutione autem præbendæ.* Lopez noster *part. 1 instruct. cap. 307 fol. 971 col. 1 mihi, vers. Sextò dicitur.* Imò etiamsi alteri non conferatur per resignationem factam in manibus legitimi Superioris, post illam admissam ipso iure beneficium vacabit, nec est amplius ipsius resignantis, vt docet Nauarr. *tom. 1. consil. lib. 1. de renunciatione, consil. . num. 6.*

IV. *Rationi à principio respondetur.*

Nec officit quod adducitur à principio in contrarium, probat enim nostrum secundum pronunciatum, renunciatio enim beneficij, quæ fit absque Superioris auctoritate, est ipso iure irrita, & inanis. *cap. admonet, de renunciation.* & ita manebit titulus beneficij priuata auctoritate renunciati penes simoniacum resignantem, donec per sententiam priuetur: at si fiat in manibus Superioris potentis dictam resignationem acceptare, vacat ipso iure beneficium resignatum post admissam resignationem: videatur Nauarrus nouissimè adductus *num. 2.*

ARTICVLVS XLIV.

An pœna inhabilitatis ad beneficia tam obtenta, quàm imposterum obtinenda, apposita in constitutione Pij V. cuius initium est, *Cùm primùm*, contra simoniacos in beneficio, incurratur ipso iure ante omnem iudicis sententiam, etiam criminis declaratoriam?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, & explicatur, quid sit inhabilitas, & an incurratur ante sententiam iudicis.*
3. *Dubitatio resoluitur problematicè.*
4. *An existente facto occulto inhabilitatis ad beneficia, dispensari possit ab Episcopis super ea: vel à superioribus Mendicantium; vel à Confessarijs, in vim Bullæ Cruciatæ; vel tempore Iubilæi, in foro conscientiæ.*
5. *An Episcopi, & Prælati Regularium possint dispensare super contractam inhabilitatem ad beneficia, & dignitates, cum ijs qui Ordines simoniacè susceptos exercuerunt.*
6. *Rationi in contrarium à principio respondetur; & explicatur, an omnes pœnæ priuatiuæ indigeant ad sui exequutionem sententia iudicis declaratoria criminis.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm inhabilitas est pœna priuatiua, quæ nulla indiget actione ad sui exequutionem, sicut excommunicatio, suspensio, interdictum, irregularitas; sed hæ, quia sunt pœnæ priuatæ ad sui exequutionem nulla actione indigentes, incurruntur ipso iure absque aliqua iudicis sententia etiam criminis commissi declaratoria; ergo & pœna inhabilitatis ad beneficia, &c & ita hanc sententiam tenet Azor. *part. 3 inst. mor. lib. 12. cap. 11. dub. 13.* Saltem, inquit, quoad beneficia obtinenda incurritur ipso iure hæc inhabilitas absque vlla iudicis sententia.

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

DVBITATIO I.

*Quid sit inhabilitas, & an incurratur ante sententiam iudicis?*

Dico primò, inhabilitas, quæ est incapacitas, vel pœna priuatiua, vel priuans dignitatibus, beneficiis, officiis, administrationibus iam obtentis, vel imposterum obtinendis respectu beneficiorum, dignitatum, &c. iam antè obtentorum, non incurritur ipso iure in foro conscientiæ ante sententiam iudicis declaratoriam ipsius criminis: quia pœna, qua quis priuatur re sua iam antè possessa non debetur ante iudicis sententiam saltem declarantis crimen esse commissum: tum, quia sanctiones Apostolicæ statuentes hanc pœnam inhabilitatis, & priuationis beneficiorum iam antè obtentorum, piè, & verè interpretantur, quòd intelliguntur ipso facto beneficia, dignitates, Prælationes amitti sine sententia declaratoria ipsius pœnæ, non tamen sine sententia declaratoria ipsius criminis, & ita hanc sententiam tenent Syl. *verb.*

*Assisinus*

*Assasinus num.4 quæst.5.* Sotus *lib.1.de iust.quæst.6.art.6. ad finem.* hos sequitur Azor. *part.3.instit. moral. lib.12. cap.21.dub.12.* Filliuc. *tom.3. de beneficijs, tract.45.cap.13. quæs.9. num.24.* Less. *lib.2.de iust. cap.35. dub.26.n.147.* Rodriquez *tom.1.qq.Regul.q.14 art.8. ad finem.* vbi hæc formaliter habet, citans pro se Syl. Sotum, Victoriam *in relectione de Indis,* constitutiones Apostolicæ priuantes Regulares ab officiis, & Prælationes, quas possident ipso facto, & eos inhabilitantes sine aliqua declaratione, debent piè, & verè interpretari; vt intelligantur quòd omittant ipso facto dictas Prælationes sine aliqua sententia declaratoria ipsius pœnæ, non tamen sine sententia declaratoria ipsius criminis, propter quod ipsa pœna incurritur: & Nauarr. *tom. 2. consil.lib. 5. de simonia, consil.92 num.1. & 5.* Lopez *de pœnis positis in constitutione Pij V.* cuius initium est, *Cùm primum;* contra simoniacos in materia beneficiali non censentur, inquit, habere locum in foro conscientiæ ante sententiam.

III. *Dubitatio resoluitur problematicè.*

Dico secundò, simoniacus tamen in materia beneficiali est ipso iure priuatus in foro conscientiæ beneficio simoniacè obtento, & illud ante omnem sententiam dimittere tenetur: quia actus simoniacus in beneficio est ipso iure nullus, nullúmque ius conferens simoniacè illud obtinenti, per *Extrauag. Cùm detestabile, de simonia,* & docet Sotus *lib.9. de iust. quæst.8.art.1. fol.648. vers. de restitutione prabenda.* Nauarr. nouissimè adductus *num.4.* Less. *lib.2. de iustitia, cap.35. dub.25. num.137.*

Dico tertiò, simoniacus in materia beneficiali nedum est ipso iure priuatus in foro conscientiæ beneficio simoniacè obtento, sed etiam est inhabilis ad illud, & quodcumque aliud adipiscendum, per constit. Pij V. citatam: hæc tamen inhabilitas ad illud idem adipiscendum, & quæcumque alia beneficia Ecclesiastica obtinenda, non censetur habere locum in foro conscientiæ ante iudicis sententiam saltem declaratoriam criminis; quia cùm sit quædam pœna, & hæc non liget conscientiam ante sententiam, ergo, &c. tum, quia inhabilitas ad suffragium ferendum est etiam pœna priuatiua non indigens actione ad sui exequutionem, sed tantùm cessatione; sed hæc postulat iudicis sententiam, vt docet Sotus *lib.1. de iustitia, quæst.6.art.6.ad finem quarti argumenti.* ergo inhabilitas ad beneficium simoniacè obtentum iterum obtinendum, & ad alia quærenda, etiamsi sit pœna priuatiua non indigens ad sui exequutionem actione, sed tantùm cessatione, non habet locum ante sententiam iudicis declarantis crimen esse commissum: & ita hanc sententiam tenet expressè Nauarr. *in Extrauag. Greg. XIII. de datis, & promissis pro gratia, & iustitia obtinendis, num.41. ad finem, & tomo 2. consil. lib. 5. de simonia, consil.92. num.5. fine.* Sanchez *lib.9. de matrim. disp.30. num.1. & lib.6. oper.mor.cap.15.n.65.* Less. allegans Sanchez, nec ab illius sententia recedens, *lib.2. de iust. c.35. dub.26.n.147. vers. Quarto.*

Dico quartò, probabiliter etiam dici potest quòd ob simoniam realem commissam in beneficio, simoniacus ante iudicis sententiam ita fit inhabilis ad illud idem iterum adipiscendum, & ad quæuis alia obtinenda, vt irrita sit beneficij impetratio si illud idem de nouo, vel aliud sine præuia dispensatione fuerit consequutus: quia hæc inhabilitas, quam incurrit simoniacus post simoniam realem commissam, potius est impedimentum ad acquirendum beneficium, quàm pœna; ergo ante iudicis sententiam contrahitur: & ita tenet Graffis *1.part.decisionum lib.4. cap.23. num.12.* Azor. *vbi supra, part.3.instit.mor. lib.12. cap.21. dub.13.* Filliuc. *tom.3. de beneficijs, tract.45.cap.13. q.9. num.26.* adducens vsum sacræ Pœnitentiariæ, quæ in formula absolutionis à simonia etiam addit dispensationem ad alia beneficia imposterum obtinenda, atque adeò supponit simoniacum esse ad illa inhabilem ante iudicis sententiam, ob commissum simoniæ delictum in beneficio. Nauarr tamen *consil.92. cit. de simonia, num.5.* censet, vt diximus, requiri sententiam iudicis. Additque prædictam constitutionem Pij V. quoad hunc effectum inhabilitatis ad beneficia obtinenda, non esse vsu receptam: lex verò, quæ non est vsu recepta, non ligat: per *can in istis, dist.4. §. Leges.*

DVBITATIO II.

IV. *An existente facto occulto inhabilitatis ad beneficia dispensari possit ab Episcopis super ea, vel à superioribus Mendicantium, vel à Confessarijs in vim Bullæ Cruciatæ, vel tempore Iubilæi, in foro conscientia?*

Dico quintò, si teneamus has inhabilitates ob delictum simoniæ in materia beneficiali absque aliqua sententia incurri, tunc existente facto occulto potest Episcopus super illis cum suis subditis dispensare: quia virtute Concilij Tridentini *sess.14. de Reform.c.6.* in inhabilitatibus contractis ob delictum occultum potest Episcopus dispensare cum sibi subditis: qua facultate etiam gaudent Generales, Prouinciales, & Superiores locales Ordinum Mendicantium, & fruentium eorum priuilegiis per Motum proprium Pij V. cuius verba adducit Rodriquez *tomo 1.qq.Reg.quæst.61. art.9.* Imò per priuilegia concedentia absolutionem ab omnibus reseruatis censuris, & pœnis consurgentibus ex delictis occultis posset Confessor habens tale priuilegium absoluere in foro conscientiæ à prædictis priuationibus, & inhabilitatibus.

Virtute tamen Bullæ Cruciatæ, & Iubilæi non possunt Confessores in his dispensare, si in illis non conceditur facultas ab omnibus pœnis absoluendi; licèt concedatur facultas absoluendi ab omnibus censuris: quia priuatio hæc & inhabilitas non sunt censuræ, sed quædam pœnæ, vt constat ex *cap. quærenti, de verborum significatione;* vbi deciditur nomine censuræ solùm comprehendi excommunicationem, suspensionem, & interdictum: & ita hanc totam assertionem docet Sanchez *lib.6. oper.mor. cap.15. num.78.* Henriquez *lib.13.de excomm.cap.56.num.1.* Less. *lib.2. de iust. cap.35. dub.25. num.140.* inquiens quòd facultas concessa Episcopis virtute Concilij Tridentini *sess.24. cit.* se extendit ad inhabilitates ex delicto occulto contractas. Nam sub nomine suspensionis irregularitatis, & casus occulti, veniunt etiam inhabilitates: at Episcopis virtute Concilij Tridentini cit. conceditur facultas dispensandi in omnibus irregularitatibus, & suspensionibus, & absoluendi ab omnibus casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, & hoc in foro conscientiæ, & dummodò factum sit occultum, nec deductum ad forum contentiosum. ergo, &c. Filliucius tamen *tomo 3. de beneficijs, tract.45. cap. 13. quæs. 12. num. 38.* negat Episcopos virtute Concilij Tridentini posse dispensare cum simoniacis ad idem beneficium de nouo adipiscendum, & ad alia, quæcumque obtinenda, & refert talem fuisse declarationem sacræ Congregationis super Tridentinum, & ita obseruari in praxi sacræ Pœnitentiariæ; quia, inquit, quamuis Tridentinum *sess. 24.* adducta, det Episcopis facultatem dispensandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto, præterquam homicidio volun-

tario,

tario, & hæc inhabilitas quædam irregularitas videatur, tamen verius est non comprehendi sub irregularitate: in rigore tamen disputationis pars affirmatiua verior mihi videtur, nam sub nomine irregularitatis, suspensionis, & cuiuscumque casus occulti, venit etiam hæc inhabilitas, vt diximus ex Less. & Sanchez.

### Dubitatio III.

V. *An Episcopi, & Prælati Regularium possint dispensare super contractam inhabilitatem ad beneficia, & dignitates, cum ijs, qui exercuerunt Ordines simoniacè susceptos?*

Dico tamen sextò, verissimum esse non posse Episcopos, nec Prælatos Regulares dispensare cum suis subditis super inhabilitate ad beneficia, & dignitates, quam contraxerunt hi, qui post Ordines simoniacè susceptos in illis ministrarunt per constitutionem Sixti V. 91. cuius initium est, *Sanctum, & salutare*; quia in eadem constitutione per eumdem Pontificem facultas concessa Episcopis virtute Concilij Tridentini *loc. cit.* & priuilegia concessa Regularibus, fuerunt quantum ad hoc abrogata, vt non possint vi Concilij Tridentini, vel prætextu cuiuscomque priuilegij, etiam Mare magnum nuncupati, dispensare cum suis subditis super inhabilitate ad beneficia, & dignitates, quam contrahunt simoniacè ordinati, si post Ordines sic malè susceptos celebrauerint.

Et licèt Clemens VIII. *Bulla* 40. quæ incipit, *Romanum Pontificem*, dictam constitutionem Sixti V. & eius pœnas ad terminos sacrorum Canonum, & Bullæ Pij II. atque Concilij Tridentini reduxerit, præseruauit tamen illam constitutionem quoad pœnas inflictas simoniacè ordinatis, & ordinantibus: videatur pro hac re Rodriquez *tom. 1. qq. Reg. q. 10. art. 13.* & Auctor Compendij Bullarij super Bullam prædictam Clementis VIII.

VI. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

### Dubitatio IV.

*An omnes pœnæ priuatiuæ indigeant ad sui exequutionem sententia iudicis declaratoria criminis?*

Ad rationem in contrarium quatenus militat contra nostram tertiam assertionem, respondetur vniuersaliter non esse verum, quòd pœnæ priuatiuæ, quæ nullam actionem ad sui exequutionem desiderant, nulla opus esse ad eas incurrendas iudicis sententia: nam inhabilitas ad suffragium ferendum est pœna priuatiua non indigens aliqua actione ad sui exequutionem, sed tantùm cessatione, & tamen hæc aliquam iudicis sententiam postulat, vt testatur Sotus allegatus *assertione* 3. quem citat, & sequitur Rodriquez *tom. 2. qq. Reg. quæst* 56. *art. 1. ad finem articuli.* Sanchez *lib. 9. de matrim. disp.* 30. *num. 1.* adducens Ledesmam, & Molinam; similiter pœna inhabilitatis posita contra simoniacos in beneficio ad dignitates, & beneficia postea obtinenda, licèt sit pœna priuatiua, indigebit iudicis sententia saltem declaratore crimen esse commissum: & cùm arguitur; nam irregularitas, excommunicatio, suspensio, & interdictum incurruntur absque iudicis sententia, quia sunt pœnæ priuatiuæ, nullam actionem ad sui exequutionem desiderantes; ergo similiter & hæc inhabilitas, &c. Respondetur non esse adæquatam rationem cur irregularitas, excommunicatio, suspensio, & interdictum incurrantur absque iudicis sententia, quia sunt pœnæ priuatiuæ, sed potiùs, quia ita vsu est receptum, vt nulla indigeant sententia condemnante, aut crimen declarante: inhabilitas autem ad beneficia, & dignitates imposterum adipiscenda, licèt sit pœna priuatiua, vsu tamen explicatum est non incurri absque iudicis sententia declarante crimen: videatur pro hac solutione Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 30. cit. num. 1. & lib. 6. oper. mor. c. 15. num. 65.* Nauarr. *tomo 2. consil. lib. 5. de simonia, consil. 92. num. 5.* vbi apertè fatetur constitutionem Pij V. cuius initium est, *Cùm primùm*, quoad hanc pœnam inhabilitatis ad beneficia imposterum obtinenda non esse vsu receptam, & lex qua parte non est vsu recepta non ligat, vt aduertit idem Nauarrus *summa cap. 25. num. 64.* Hoc idem fatetur Nauarrus in expositione Motus proprij Gregorij XIII. *de ratis, & acceptis, num 41. ad finem*, de eadem pœna inhabilitatis ad beneficia imposterum adipiscenda, non habere scilicet locum in foro conscientiæ ante sententiam.

---

## Articulus XLV.

## An beneficiarij fructus annuos, quos ex suis beneficiis percipiunt, vltra triennium locare possint?

*Summarium.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, & explicatur, an res Ecclesiarum possint locari ad vitam, vel ad longum tempus, &c. an huiusmodi locationes sint validæ, & quæ pœna sit erga contrafacientes imposita.*
3. *An locatio bonorum Ecclesiæ non fructificantium quolibet anno, possit fieri vltra triennium.*
4. *An locatio bonorum Ecclesiæ vltra triennium sit æquè inualida in ipso triennio, ac post triennium.*
5. *An beneficiarius possit vendere, vel locare vltra triennium anticipatis solutionibus fructus beneficij, obuentiones, & oblationes Ecclesiasticas.*
6. *An locationes bonorum Ecclesiæ possint fieri vltra triennium hac clausula, vt tot sint locationes, quot triennia, vel vt finito vno triennio aliud incipiat.*
7. *An locatio rerum Ecclesiæ possit fieri ad vitam locatarij.*
8. *Quænam res Ecclesiæ alienari non possint, & an alienatio aliquo casu sit licita inconsulto summo Pontifice.*
9. *An alienatio bonorum Ecclesiæ validè facta in foro conscientiæ, si ista in foro externo (vt potest) rescindatur, possit emptor repetere pretium, si in bonum Ecclesiæ conuersum sit, dum mala fide emerit.*
10. *Rationi à principio respondetur.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm in *Extrauag. Pauli II.* cuius initium est, *Ambitiosæ cupiditati, de rebus Ecclesiæ non alienandis*, solùm præcipitur ne beneficiarij sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & priuationis beneficiorum, fundos, vel alias possessiones, siue res, quæ pertinent ad Ecclesias, in quibus habent beneficia vltra triennium locent, non tamen prohibetur quo minus fructus, quos ex beneficiis acquirunt, locent ad longum tempus; ergo poterunt beneficiarij vltra triennium.

triennium locare fructus ſuorum beneficiorum, licèt non fundos & poſſeſſiones Eccleſiæ; quia aliud eſt beneficiarium res Eccleſiæ locare, aliud verò fructus, quos acquirit ex beneficio, quod habet: & ita hanc ſententiam tenuit Couarruuias *lib. 11. variarum reſolutionum, cap. 16. num. 6.*

## II. *Veritas aperitur, & explicatur*

### Dvbitatio I.

*An res Eccleſiarum poſſint locari ad vitam, vel ad longum tempus; & an huiuſmodi locationes ſint validæ; & quæ pœna ſit erga contrafacientes impoſita?*

Dico primò, res Eccleſiarum non poſſunt locari ad vitam, aut ad longum tempus, imò neque etiam vltra triennium. Prima pars habetur apertè ex *c. nulli, de rebus Eccleſiæ non alien. & in Clement. 1. eod. tit.* vbi Prælato regulari ponitur pœna ſuſpenſionis ab officio. Obſerua longum tempus hic vocari 10. annorum, & quidquid eſt vltrà; modicum verò, ſeu breue, quod eſt intra decennium. Altera verò pars quòd non poſſint res Eccleſiæ locari vltra triennium, expreſsè habetur in conſtitutione Pauli II. *eod. tit.* vbi excommunicantur ipſo facto præſumentes locare res Eccleſiarum vltra triennium, & ſimiliter locatarij locationem recipientes, & locationes huiuſmodi nullius omninò ſunt roboris, & momenti: quòd ſi locantes contra tenorem conſtitutionis ſont Epiſcopi, vel Abbates, penitus eis interdicit ingreſſum Eccleſiæ: alij verò inferiores Prælati, vel beneficiarij, ſunt ipſo iure priuati beneficiis, quę habent in Eccleſiis, quarum bona vltra triennium alienarunt: ita *in Extrauag. Pauli ſecundi*, cuius initium eſt, *Ambitioſæ cupiditati, de rebus Eccleſiæ non alienandis.* Nouiſſimè etiam extat decretum datum Romæ die 7. Septembris 1624. de rebus Regularium non alienandis factæ Congregationis Cardinalium Concilij Tridentini interpretum, prohibens locationes bonorum Eccleſiarum Regularium vltra triennium fieri non poſſe abſque licentia ipſius Congregationis in ſcriptis, ſub pœna priuationis omnium officiorum, quæ tunc Prælati Regulares obtinebunt, vociſque actiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa impoſterum obtinenda. Ante tamen hoc decretum locatio bonorum Eccleſiarum Regularium vltra triennium fieri poterat, præuia tamen ſolemnitate, & ſeruata forma in rebus Eccleſiæ alienandis, de qua Azor. *part. 2. inſtit. mor. lib. 9. c. 1. dub. 4.* accedente auctoritate Superioris, cui proximè pleno iure bona illa ſubiiciebantur, vt eſt Abbas in Monaſteriis, & Eccleſiis ſibi ſubiectis, & Præpoſiti Prouinciales in Ordinibus Mendicantium: videatur Rodriquez *tom. 1. quæſt. 27. art. 2. §. Infertur ſecundò*, Syl. *verb. Alienatio, num. 3.*

### Dvbitatio II.

## III. *An locatio bonorum Eccleſiæ non fructificantium quolibet anno, poſſit fieri vltra triennium?*

Dico ſecundò, locatio bonorum Eccleſiaſticorum, quæ fructus ferre non ſolent, niſi alternis annis, poterit fieri ad ſexennium; ſi verò tertio quoque anno fructificent, poſſunt locari ad nouennium; quia prædicta conſtitutio Pauli II. *Ambitioſæ, de rebus Eccleſiæ non alien.* locum habet in rebus, fundis, & poſſeſſionibus Eccleſiaſticis, quæ quotannis coluntur, & fructus reddere ſolent. Ita Speculum Confeſſar. *diſp. 1c. de locato, & conducto, quæſt. 7. num. 1.* Leſſ. *lib. 2. de iuſtitia, cap. 24. dub. 11. num. 69.*

### Dvbitatio III.

## IV. *An locatio bonorum Eccleſiæ vltra triennium ſit æquè inualida in ipſo triennio, ac poſt triennium?*

Dico tertiò, locatio rerum Eccleſiæ, quæ ſingulis annis fructus reddere ſolent, facta vltra triennium non ſolùm eſt irrita ex parte, qua triennium excedit, ſed etiam eſt nulla ex ea parte, quæ triennium continet. Probatur ex verbis ipſius *Extrauag. Ambitioſæ*, vbi dicitur nullius eſſe roboris locationem vltra tres annos: tum, quia ex vi contractus contrahentes non conſenſerunt niſi in locationem, & conductionem plurium annorum. Azor. *part. 2. inſtit. moral. lib. 9. cap. 2. dub. 4.* ſi tamen ipſi contrahentes in locationem triennalem tacitè ſaltem conſentirent, tunc ex hac parte valeret; quia implicitè eſſet duplex contractus: Speculum Confeſſariorum *vbi ſuprà, quæſt. 8.*

### Dvbitatio IV.

## V. *An beneficiarius poſſit vendere, vel locare vltra triennium, anticipatis ſolutionibus, fructus beneficij, obuentiones, & oblationes Eccleſiaſticas?*

Dico quartò, beneficiarius tamen ſui beneficij fructus locare, & vendere poteſt vltra triennium, non tamen anticipatis ſolutionibus. Prima pars probatur: quia in Extrauag. Pauli ſolùm interdicitur ne fundi, prædia, & domus Eccleſiæ vltra triennium elocentur, non tamen prohibetur quo minus fructos, qui ex beneficiis acquiruntur, elocentur ad longum tempus. Ita Azor. nouiſſimè adductus *dubio 7.* Speculum Confeſſariorum *ibi quæſt. 12.* Leſſ. nuper allegatus *num. 69.* Secunda verò pars probatur ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 11. de Reformat.* vbi ſtatuit locationes beneficiorum anticipatis ſolutionibus factas eſſe nullas; quia hoc eſſet in præiudicium ſucceſſorum: videatur etiam Lopez noſter *de contractibus, lib. 2. cap. 24. fol. 193. mihi.*

Dico quintò, beneficiarius locare, & vendere poteſt etiam vltra triennium obuentiones, & oblationes Eccleſiaſticas, vt panem oblatum in altari, ceram, & alia eleemoſynaliter data, & fructus decimarum, dummodo laicus ſi ipſi elocentur ponat Clericum loco ſui pro recolligendis huiuſmodi fructibus, ne præſumptuosè laicus accedat ad altare, vbi fiunt oblationes: quia hoc non eſt locare, & vendere ius percipiendi oblationes, & decimas, hoc enim eſſet ſimonia, neque locate fundos, prædia, & domus Eccleſiæ, ſed tantùm fructus. Videatur Syl. *verb. ſimonia, num. 14. §. Secundum, fructus, & §. Tertium, nec Epiſcopi, & §. Sextum, non eſt*: quem ſequitur Toler. *lib. 5. ſumma cap. 91. num. 3.* Hæc aſſertio, & præcedens ſi loquamur ſecundùm ius, veræ ſunt. Cæterùm, inquit Azor. nouiſſimè allegatus, puto conſuetudine eſſe receptum ne beneficiarius Clericus locet ſui beneficij fructus vltra triennium, quæ conſuetudo ſeruanda eſt, vbi fuerit recepta.

Dvbi

### Dvbitatio V.

VI. *An locationes bonorum Ecclesiæ possint fieri vltra triennium, hac clausula, vt tot sint locationes, quot triennia, vel vt finito vno triennio, aliud incipiatur?*

Dico sextò, locationes bonorum Ecclesiæ ad sexennium, vel nouennium si fiant, sub hac clausula, vt tot sint distinctæ locationes, quot triennia, sunt etiam inualidæ; quia in fraudem legis videtur hoc inuentum, Speculum Confessariorum *loco adducto quæst.* 10. licèt alij affirment valere. Item irrita est locatio rerum Ecclesiæ, si fiat scriptura publica, in qua pactum apponitur, vt triennio locationis finito eidem locatario ad aliud triennium res Ecclesiastica locetur: nam perinde est ac si locatio non ad triennium fieret: priuatim tamen promittere potest beneficiarius locans locatario, quòd finito priori triennio, eandem rem locabit eidem, quia cùm scriptura publica confecta non sit, non censetur facta locatio vltra triennium: videatur Azor *dub.* 3. *vbi suprà.*

### Dvbitatio VI.

VII. *An locatio rerum Ecclesiæ possit fieri ad vitam locatarij?*

Dico septimò, locatio rerum Ecclesiæ ad tempus incertum, puta ad vitam conductoris, aut locatoris, hac constitutione est prohibita, quia secundùm moralem æstimationem hoc tempus incertum longum tempus censetur: si verò fiat ad tempus incertum, quod secũdùm hominum opinionem breue censetur, vt si fiat ita, donec nauis Venetiis discedens portum Romanum appulerit, non esset hæc locatio in iure prohibita: videatur Filliuc. *tom.* 3. *de beneficijs, tract.* 44. *cap.* 2. *quæst.* 7. *num.* 15.

### Dvbitatio VII.

VIII. *Quænam res Ecclesiæ alienari non possint, & an alienatio in aliquo casu sit licita, inconsulto summo Pontifice?*

Dico octauò, res Ecclesiæ, quæ alienari non possunt, non solùm sunt res immobiles, sed etiam mobiles pretiosæ, quæ seruando seruari possunt, vt sunt vasa aurea, argentea, gemmæ, casulæ pretiosæ, tapetes, itẽ nque quæcumque triennio non corrumpuntur, & simul fructificant, vt ouium grex: secus dicendum de his, quæ ipso vsu consumuntur, vt vinum, oleum, frumentum, pecunia, nisi hæc præcepto Superioris rei immobili comparandæ fuerit destinata. Syl. *verb. Alienatio, num.* 7. Less. *lib.* 2. *de iust. cap.* 14. *dub.* 11. *num* 62.

Dico nonò, si alienatio rerum Ecclesiæ fuit facta aliquibus de causis in iure concessis, puta causa necessitatis, vt si Ecclesia ære alieno oppressa, & aliunde soluendo non sit, vt conceditur 10. *quæst.* 2. *can. hoc ius.* vel causa pietatis, videlicet ad redimendos captiuos, ad pauperes alendos, vt *can. aurum* 12. *quæst.* 2. vel causa vtilitatis, vt res melior habeatur. *can. sine exceptione* 12. *quæst.* 2. vel causa incommoditatis, vt si res potius esset incommoda, quàm commoda Ecclesiæ. 12 *quæst.* 2. *can. terrulas.* si nulla sit commissa fraus, & interuenit consensus eorum, qui de iure gentium habent consentire, vt Rector Ecclesiæ si sit solus, vel caput cum membris, si sit cum Collegio, etiamsi alienatio fieret sine solemnitate, & formula iuris, puta inconsulto Romano Pontifice, nam inter alia, quæ ad formulam iuris in alienatione rerum Ecclesiæ seruandam iura postulant, vnum est vt consulto R. P. alienentur, ex const. *Ambitiosæ cupiditati, de rebus Ecclesiæ non alien.* tunc emens rem Ecclesiasticam sine formula iuris seruanda in foro conscientiæ, non tenetur illam vnà cum fructibus restituere; quia in foro animæ sufficit contractum teneri secundùm limites iuris naturalis, seu gentium, ad quod satis est consensus eorum, qui habent consentire. Ita bene Syl. *verb. Alienatio, num.* 12. *&* 13. quem adducit, & sequitur Azor. *part.* 2 *instit. mor. lib.* 9. *cap.* 1. *dub.* 8. *ad finem.* Less. *lib.* 2. *de iust. cap.* 14. *dub.* 11. *num.* 66.

### Dvbitatio VIII.

IX. *An alienatio bonorum Ecclesiæ validè facta in foro conscientiæ, si illa in foro externo, vt potest, rescindatur, possit emptor repetere pretium, si in bonum Ecclesiæ conuersum sit dum mala fide emerit?*

Dico nonò, si in foro iudiciali talis contractus rescinderetur, vti potest, & res Ecclesiastica vnà cum fructibus Ecclesiæ restitueretur; tunc qui illam emit, potest repetere pretium datum, si in vtilitatem Ecclesiæ sit conuersum. argum. *cap. grauis, de deposito*, & docet Rodriquez *tom.* 1. *qq. quæst.* 30. *art.* 11. addit tamen Syl. *verb. Alienatio, num.* 14. hoc esse verum si ignoranter, & bona fide emit. Nam si mala fide sciens, & prudens contraxit in foro iudiciali, pretium perdit, nullúmque habet ad illud regressum, quia huic negatur actio ad petendum pretium, quia turpiter dedit.

Dico decimò, emens mala fide rem Ecclesiæ sine solemnitate iuris, si pretium sit conuersum in euidentem vtilitatem Ecclesiæ restituta re empta, idem potest in foro conscientiæ rehabere pretium datum: quia sic emens mala fide rem Ecclesiæ sine formula seruanda non intendit à se abdicare pretij dati dominium, nisi effectu subsequuto, emptione scilicet subsistente; ergo causa illa non subsistente, non abdicauit à se dominium pecuniæ datæ: ergo priuatim illam rehabere poterit, immo illi in conscientia emptione non subsistente est reddenda: licèt per sententiam iudicis in pœnam commissi criminis possit illa priuari: ita in consimilibus casibus censent Lopez noster *part.* 1. *instruct. cap.* 107. *in princ. concl.* 1. Nauarr. *summ. cap.* 17. *num.* 30. *vers.* 4. Clauis Regia *lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 30. *num.* 18.

X. *Rationi à principio in contrarium respondetur.*

Probare nostram quartam, & quintam assertionem, concedimus enim posse beneficiatium fructus sui beneficij locare, & vendere ad longum tempus, & ad vitam, quia hoc non est locare fundos, prædia, domus Ecclesiæ, & similia, hæc enim locari vltra triennium est prohibitum, per *Extrauag. Ambitiosæ cupiditati*; non autem locare fructus bonorum Ecclesiæ ad longum tempus, dummodò solutiones non anticipentur, cùm hoc cedat in præiudicium successorum. Ius tamen ad decimas, & fructus rerum Ecclesiæ nec vendi, nec locari potest, quia hoc est spirituale, & ideò illud vendere esset simoniacum, vt benè Syl. annotauit *verb. simonia, num.* 14. *vers. Sextum, non est.* Saluo semper meliori iudicio.

# DISQVISITIO XIX.

## *De Blasphemia.*

### ARTICVLVS I.

### An blasphemia opponatur virtuti Religionis?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Declaratur quidnam sit blasphemia, & quid ad eius rationem requiratur.*
3. *Quid sint blasphemia cordis, & oris; & an de ratione blasphemia sit externa loquela, & an semper contineat aliquid falsi, & quomodo.*
4. *Dubitatio deciditur.*
5. *Rationi à principio in contrarium respondetur, & explicatur, quomodo blasphemia sit valdè annexa infidelitat.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAM blasphemia, vt docet D. Thom. 2.2. *quæst.* 13. *art.* 1. 2. & 3. opponitur confessioni fidei. ergo erit species infidelitatis. ergo virtuti fidei, & non Religionis directè opponitur.

### DVBITATIO I.

II. *Quidnam sit blasphemia, & quid ad eius rationem requiratur?*

Dico primò, blasphemia est sacrilega execratio, & maledictio Dei, qua nimirum affirmatur aliquid inesse Deo, quod illi non inest, vel non inesse, quod illi inest, aut nominatur id quod Deo quidem conuenit, sed nominatur, ac si turpiter, ac fœdè inesset: videatur Bannes 2.2. *quæst.* 13. *art.* 1. *in princip. comment.* Syl. *verb. Blasph. num.* 1.

Sed contrà; nam etiam est blasphemia contra Sanctos. ergo definitio posita est deficiens. Respondetur quod Nauarr. *summ. cap.* 12. *num.* 81. addit prædictæ definitioni contra Deum, & contra Sanctos, dicens, Blasphemare est dicere tacitè, vel expressè, verbo, aut scripto contra Deum, aut eius Sanctos, quippiam contumeliosum. Dici etiam potest necessarium non esse hoc addere, quia contumelia prolata in Sanctos non est propriè blasphemia, nisi quatenus aliquo modo Deus in Sanctis maledicitur.

Dico secundò, ad rationem blasphemiæ non requiritur peruersa voluntas derogandi diuinæ bonitati, & dignitati, sed satis est, quòd loquutio blasphema in actu exercito significet derogationem, & diminutionem diuinæ bonitatis, & gloriæ: quia aliàs ferè nunquam blasphemarent homines, rarissimè enim coniiciunt verba contumeliosa in Deum, cum directa voluntate derogandi, & imminuendi diuinam gloriam, ex ira enim impatientia in verba blasphemiæ prorumpunt: tum, quia licèt omnis blasphemia sit à mala voluntate, cùm omne peccatum sit voluntarium, non tamen est cum voluntate affecta ad derogandum diuinæ bonitati; licèt etiam aliqua blasphemia possit esse cum tali mala voluntate. Tum, quia licèt actus fidei sit voluntarius, non tamen semper oritur à voluntate affecta diuina charitate, & sicut fides absque charitate est propriè fides intra naturam fidei, licèt informis: ita blasphemia in Deum erit propria blasphemia, licèt non ex odio contra Deum, sed ex ira, vel alia animi passione procedat, quamuis aliqua vndequaquo perfecta in genere mali moralis ex odio Dei proueniat. Ita bene Caiet. 2.2. *q.* 13. *art.* 1. *vers. quoad tertium.* Bannes *ibi notabili quarto.*

### DVBITATIO II.

III. *Quid sint blasphemia cordis, & oris; & an de ratione blasphemia sit externa loquela: & an semper contineat aliquid falsi, & quomodo?*

Dico tertiò, de ratione blasphemiæ non est externa loquela contra Deum, sed sola interna sufficit, quia potest quis per simplicem quandam intellectus apprehensionem concipere Deum esse, quod non est, aut non esse quod est, licèt hæc dicatur blasphemia cordis; dum verò in loquelam externam prorumpet, dicitur oris blasphemia. D. Thom. 2.2. *q.* 13 *art.* 1. Sanchez *lib.* 2. *oper. mor. cap.* 3 *num.* 4.

Dico quartò, blasphemia semper aliquid falsi continet: probatur, quia de ratione blasphemiæ est quòd sit contumelia in Deum, at nihil per modum veri significatum, potest in Dei contumeliam cedere. ergo. & ita hanc sententiam tenet Caiet. 2.2. *cit. quæst.* 13. *art.* 1. *vers. Ex his autem*, quem sequitur Valent. *tomo* 3. 2.2. *quæst.* 13. *puncto* 1.

Sed contrà; nam in solo modo indicatiuo reperitur veritas, & falsitas: at quando explicatur blasphemia per imperatiuum, aut optatiuum, vt si quis blasphemando diceret, Malum contingat Deo; vtinam Deus esset iniustus. Item est blasphemus ille, qui Christi & Sanctorum membra pudenda nominaret inhonestè, & tunc nullam exprimit falsitatem. ergo blasphemia non semper aliquid falsi continet.

Respondetur quòd dupliciter aliquod pronunciatum de Deo potest esse falsum, vno modo in actu signato expressè, & enunciatiuè, vt si quis blasphemando diceret, Deus est iniustus, Deus non est omnipotens, &c. Alio verò modo in actu exercito, & quoad modum dicendi, vt cùm quis inhonestè pudēda Christi, aut Sanctorum membra nominat, licèt in actu signato, & enunciatiuè non proferat aliquod falsum de Deo, tamen quoad modum irrisorium, & contemptiuum indicat aliquid falsi, quasi ipse Christus, vel eius Sancti sint despicabiles, quod est falsum.

Similiter, cùm quis blasphemus profert hæc blasphemiæ verba, Malum contingat Deo, per modū imperatiuū, aut per modum optatiuum, dicendo, Vtinam Deus non esset iustus, tunc licèt in enunciatione & in actu signato non consistat falsitas: tamen quoad modū proferendi in actu exercito, & in affectu falsitas indicatur, significat enim blasphemus proferendo hæc verba, Malū contingat Deo, vtinam Deus non esset iustus, velle quasi quoad affectum Deum, vel Sanctos esse capaces alicuius mali, vel iniustitiæ, quod est omnino falsum: & sic omnis blasphemia continet semper aliquid falsi ad modum explicatum. Videatur pro hac solutione Caiet. 2.2. *q.* 13. *art.* 1. *vers. quoad secundum.* Sanchez *lib.* 2. *oper. mor. c.* 32. *n.* 6. Valent. *vbi suprà.*

IV. *Dubitatio deciditur.*

Dico quintò, directè respōdens quæsito, blasphemia opponitur virtuti Religionis, cuius est Deū, Sanctósque venerari; nam Religionis est, Dei honorem, & dignitatē tueri. ergo blasphemia, quæ Dei honorem diminuit, Religioni opponitur. Ita Bannes 2.2. *quæst.* 13. *art.* 1. *not.* 3. quem sequitur Sayr. *lib.* 6. *Clauis, c.* 13 *n.* 1.

V. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur,& explicatur*

DVBITATIO III.

*Quomodo blaſphemia ſit valdè annexa infidelitati?*

Nec obſtat authoritas D.Th. à principio adducta; ſic enim intelligitur D.Th.blaſphemiam opponi confeſſioni fidei,non quòd verè,& propriè blaſphemia ſit ſpecies infidelitatis, ſed quia eſt valdè annexa infidelitati. nam ſicut infidelis ſentit de Deo falſum , & de Deo falſum etiam dicit ; ita blaſphemus quamuis de Deo falſum non ſentiat, de eo tamen falſum dicit, & in modo loquendi ita ſe gerit , ac ſi de eo aliquid falſi ſentiret, & crederet, ſicut ſentit, & credit infidelis: ita bene explicat D.Th.Caiet.2.2.q.13.art.3. non longè à principio.Saluo ſemper meliori iudicio.

ARTICVLVS II.

An blaſphemia hæreticalis ſit diſtincta ab infidelitate?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, & explicatur , quænam ſint blaſphemiæ hæreticales.*
3. *Explicatur in quónam conſiſtat eſſentialiter blaſphemia.*
4. *An blaſphemia inueniatur coniuncta cum infidelitate.*
5. *Dubitationis titulo reſpondetur.*
6. *An omnis blaſphemia opponatur nedum Religioni, ſed etiam confeſſioni fidei.*
7. *Rationi à principio reſpondetur,& explicatur,quomodo in blaſphemia hæreticali contineatur error contra fidem.*

I. *Pars negatiua probatur.*

Videtur quòd non : nam blaſphemia hæreticalis illa eſt, quæ ſignificat, & continet errorem contra fidem.ergo non eſt diſtincta ab infidelitate,quæ eſt error fidei catholicæ ex toto,vel ex parte contrarius.

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

DVBITATIO I.

*Quænam ſint blaſphemiæ hæreticales?*

Dico primò, blaſphemiæ hæreticales illæ ſunt,quæ per verbum aliquod indicatiui modi ſignificant , & cõtinent errorem contra fidem.Non hæreticales verò illæ ſunt,quæ etſi ex modo dicendi, & in actu exercito ſignificant errorem contra fidem , non tamen ſecundùm ſe affirmant aliquid contra fidem. Ita Eymericus noſter *in directorio inquiſit.2. part. quæſt.41.num.1. & 2.*Bannes 2.2.*quæſt.13.art.1. ad finem.*

Dico ſecundò , hæ blaſphemiæ ſunt hæreticales, Deus eſt iniuſtus,acceptor perſonarum, non eſt omnipotens ; quia per modum indicatiui ſignificant , & continent errorem contra fidem. Inſuper hæ ſunt hæreticales , non credo in Deum, renego Deum , fidem, crucem, Chriſma, Baptiſma, puritatem Deiparæ.quia hæc verba per modum indicatiui important fidei abnegationem,& infidelitatem.Rodriquez *part.1.ſumma c.34.in principio.*Si quis autem diceret, Renego D.Petrum, D.Paulum,hæc blaſphemia non eſſet hæreticalis , quia tunc non negatur aliqua veritas de Sanctis, pertinens ad fidem , ſed tantùm eſt quoddam verbum contumelioſum in Sanctos,& ideo blaſphemum.Sanchez *lib.2. oper.mor.cap.32. num.36.*

Dico tertiò, hæ blaſphemiæ,maledictus Deus, malũ contingat Deo,& ſimilia,non ſunt hæreticales:quia reuera per has blaſphemias cùm indicatiui modi non ſint , nihil falſum de Deo dicitur vt poſſint hæreſim continere , ſed tantùm prauus affectus blaſphemantis oſtenditur erga Deum volentis ex modo dicendi quaſi earum ignominiarum reddere Deum capacem. Ita Eymericus, & Bannes proximè citati.

DVBITATIO II.

III. *In quónam conſiſtat eſſentialiter blaſphemia?*

Dico quartò , blaſphemia propriè , & eſſentialiter conſiſtit in dicendo aliquid contra Deũ,atque eſt blaſphemia non eſt propriè & eſſentialiter infidelitas.quia infidelitas conſiſtit eſſentialiter in aliquo aſſenſu interno falſo de Deo , vel in aſſertione alicuius falſi de Deo,ex tali falſo interno aſſenſu orta, ſed blaſphemia ex ſui natura neutrum habet,nam ſolùm cõſiſtit in dictione , ſeu ſignificatione falſa de Deo, ex ira, vel aliqua animi paſſione procedente. ergo. Ita bene Caiet. 2.2. *quæſt. 13. art.1. verſ. ad euidentiam* , quem ſequitur Valent. *tom.3. diſp.1.quæſt.13.punct.2.*

DVBITATIO III.

IV. *An blaſphemia inueniatur coniuncta cum infidelitate?*

Dico quintò,poteſt tamen blaſphemia inueniri cõiuncta cum infidelitate,atque etiã ab ea ſeparata. Probatur, nam ſi quis dicat aliquid diuino honori derogans, aſſenſu interno credens ita eſſe , erit hæreticus, quantenus ita credit,& blaſphemus,quatenus dicit. Si verò credit,& non dicit,erit tantùm hæreticus;ſi verò dicit, & non credit, erit ſolùm blaſphemus: ergo blaſphemia poteſt reperiri coniuncta cum infidelitate,atque ab ea ſeparata. Ita Caſtro *lib.1.de iuſta hæret.punit.c. 12.* Sanchez *lib 2.oper. moral.cap.32.num.5.*

V. *Dubitationis titulo reſpondetur.*

Dico ſextò,blaſphemia hæreticalis eſt etiam diſtincta ab infidelitate. Probatur. nam homines ſæpè blaſphemant Deum,vocãdo illum iniuſtum, perſonarum acceptorem, non habentem curam rerum huius Mundi;& tamen non ita ſentiunt,nec credunt de Deo.ergo blaſphemia hæreticalis eſt ab infidelitate diſtincta.

DVBITATIO IV.

VI. *An omnis blaſphemia opponatur nedum Religioni,ſed etiam confeſſioni fidei?*

Dico ſeptimò, blaſphemia hæreticalis nedum opponitur Religioni,cuius eſt Deum,Sanctóſque venerari, ſed etiam opponitur confeſſioni fidei , nam licèt qui profert blaſphemiam hæreticalem, nõ credat interiùs illam de Deo,peccat tamen contra confeſſionem fidei, cùm fides obliget,ne quis illã neget non ſolùm mente, & interiùs,ſed etiam verbis externis.Habet igitur blaſphemia hæreticalis malitiã,quæ opponitur confeſſioni fidei,& malitiam quæ aduerſatur diuino honori,& ita intelligit D.Th.2.2.q.13.*art.2.ad ſecundũ.*Azor.*part. 1.inſt.mor.lib.9.c.*18 *dub.1.*dum inquit,blaſphemiã opponi confeſſioni fidei , loqui ſcil. ſanctum Doctorem de blaſphemia hęreticali,quæ & virtuti Religionis & confeſſioni fidei aduerſatur. Quamuis dictum S.Th.de omni blaſphemia intelligi poſſit,vt diximus ex Caiet. 2.2.q.13.*art.*3.nõ longè à principio,*dubio præcedenti,ad finẽ.* licèt enim blaſphemia non ſit ſpecies infidelitatis, eſt tamen valdè annexa infidelitati.nam ſicut infidelis ſentit de Deo falſum,& de Deo falſum etiam dicit;ita blaſphe-

blaſphemus quamuis de Deo falſum non ſentiat, de eo tamen falſum dicit, vel in modo loquendi ita ſe gerit, ac ſi de eo aliquid falſi ſentiret, & crederet, ſicut ſentit & credit infidelis; & ſic omnis blaſphemia aduerſatur virtuti Religionis; qua tenemur Deum, & Sanctos venerari, & etiam confeſſioni fidei; quia fides non obligat mente, & interiùs rectè de rebus fidei ſentire, & etiam exteriùs verbis externis. Videatur Caiet. *loc. cit.* Sanchez *lib. 2. oper. mor. c. 32. n. 7.*

VII. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur*

### DVBITATIO V.

*Quomodo in blaſphemia hæreticali contineatur error contra fidem?*

Et per hæc patet ad rationem in contrarium à principio poſitam, fatemur quidem blaſphemiam hæreticalem ſignificare, & continere errorem contra fidem, ſed in ſola dictione, & ſignificatione falſa de Deo, non autem eſſentialiter, vt blaſphemia eſt, ſupponit aſſenſum aliquem internum falſum de Deo, poteſt enim quis contumelioſa, ac hæreticalia verba proferre in Deum, & tamen non ita ſentire de Deo, & conſequenter poteſt eſſe blaſphemia hæreticalis ſine infidelitate, & ſic ex ſui natura diſtinguitur ab infidelitate, quæ eſſentialiter dicit aſſenſum internum falſum de Deo.

---

## ARTICVLVS III.

## An iurare per vitam Dei ſit blaſphemia, in qua etiam de aliis modis blaſphemandi dicitur.

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Titulo dubitationis reſpondetur.*
3. *An iurare per falſos Deos, vel per quamcumque creaturam, ſit blaſphemia.*
4. *An ſit blaſphemia dicere, faciam, vel facies hoc ad Dei deſpectum, vel velint nolint Deus, aut Sancti.*
5. *An dicere, niſi hoc ſit verum abnego Deum, vel reuoco Deum, ſit blaſphemia.*
6. *An dicere, Sanctus Diabolus, ſit blaſphemia.*
7. *An dicere, ſic erat in fatu, ſit blaſphemia hæreticalis.*
8. *An iſta loquutio,* puol far Iddio, *hoc eſt ita verum, vt verum eſt Chriſtum natum, ſint blaſphemia.*
9. *An dicens, non eſt Deus in cœlo, niſi hic puniatur, & ſimilia, ſit blaſphemus.*
10. *An excæcatus ex paſſione dicens verba blaſphemiæ peccet mortaliter.*
11. *Rationi à principio reſpondetur, & explicatur, quodnam iuramentum ſit iurare per vitam Dei.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm iurare per vitã Dei, idem eſt quod iurare per Deum: ſed iurare per Deum non eſt blaſphemia. ergo, &c. Minor, & conſequentia patent. Maior autem probatur. Qui iurat per vitam Dei, ſolùm videtur adducere Deum in teſtem; ſed hoc eſt iurare per Deum. ergo, &c. Ita Graffius *1. p. deciſ. lib. 2. c. 19. n. 13.*

II. *Titulo dubitationis reſpondetur.*

Dico primò, iurare per vitam Dei eſt blaſphemia. nam his verbis ſignificatur, amittat Deus vitam, ſi non eſt ita. ergo iurare per vitam Dei eſt blaſphemia, quia tribuitur Deo quòd poſſit vitam amittere, quod eſt blaſphemum: eadem ratione eſt blaſphemia iurare per Sanctorum vitam. quia ex modo iuramenti execratorij falsò tribuitur Sanctis poſſe vitam amittere. Ita benè Lopez noſter *1. p. inſtr. c. 282 verſ. Poſtquã de malitia.* Non tamen eſt blaſphemia hæreticalis: quia per hanc blaſphemiam per vitam Dei cùm indicatiui modi non ſit, nihil falſum dicitur de Deo, vt poſſit hæreſim continere. Rodriquez *part. 1. ſummæ cap. 34. n. 1.*

### DVBITATIO I.

III. *An iurare per falſos Deos, vel per quamcunque creaturam, ſit blaſphemia?*

Dico ſecundò, iurare per falſos Deos eſt grauiſſima blaſphemia, & ſimul etiam idololatria: nam qui honorem vni Deo debitum, aliis, qui non ſunt eo digni, impartitur, blaſphemat; ſed qui iurat per falſos Deos, aſſerit illos eſſe ſummam & infallibilem veritatem, quod attributum ſoli Deo vero conuenit. ergo, &c. Ita benè Sotus *lib. 8. de iuſt. q. 2. art. 3. concl. 1.* Quòd ſi quis per falſos Deos iuraret, non quidem animo per illos iurandi, ſed vel in eorum contemptum, vel ioci gratia, tunc non eſſet blaſphemia, nec peccatum.

Dico tertiò, iurare per quamcunque creaturam, non vt eſt quid Dei, ſed in ea ſiſtendo, eſt blaſphemia. Nam qui iurat per creaturam, ſiſtendo in ea, tribuit creaturæ ſummam, & infallibilem veritatem, quod eſt blaſphemia, nam blaſphemia eſt tribuere creaturæ quod eſt proprium Dei. D. Th. *2. 2. q. 89. art. 6. ad primum.*

### DVBITATIO II.

IV. *An ſit blaſphemia dicere, faciam, vel facies hoc ad Dei deſpectum, vel velint, nolint Deus, aut Sancti?*

Dico quartò, blaſphemia eſt dicere, faciam hoc ad Dei deſpectum. Nam ſenſus iſtorum verborũ eſt quòd omnino debeat fieri quod blaſphemans profert, etiãſi Deus ſua omnipotentia id nolit, quo modo loquendi derogatur diuinæ potentiæ. Azor. *p. 1. inſtit. mor. lib. 11. c. 3. q. 2. verſ. Apud alios.* Eadem ratione blaſphemia eſt dicere, faciam hoc peccatum, velit nolit Deus. Nam huiuſmodi verba tendunt in diminutionem diuinæ potentiæ, quaſi Deus non poſſit impedire peccata.

Dico quintò, blaſphemia eſt cùm quis dicit, reddes honorem, quem abſtuliſti, etiamſi nolit B. Franciſcus; quia iſta verba proferuntur modo quodam contemptibili in B. Franciſcum, quaſi Sancti ſint deſpicabiles, & Deus in illis; quod eſt omnino falſum. colligitur hoc pronunciatum ex doctrina Caiet. *2. 2. q. 13. art. 1. verſ. Ex his autem.*

### DVBITATIO III.

V. *An dicere, niſi hoc ſit verum, abnego Deum, vel reuoco Deum, ſit blaſphemia?*

Dico ſextò, ſi quis dicat, niſi te percuſſero, abnego Deum. ſimiliter ita inquiens, niſi verum ſit quod dico, abnego Deum, blaſphemia eſt. Nam qui hæc verba profert, cenſetur ſignificare fidem noſtram non eſſe omninò firmam, cùm ſecundùm verba proferentis pendeat ex conditione, quæ poteſt euenire, & non euenire. Ita Cordub. *in ſumma q. 61.*

Dico ſeptimò, dicere, *voto a Dios,* teu oueo Deo, eſt blaſphemia, quia ex vulgi ſenſu, & interpretatione, reuocare Deum idem eſt quod maledicere, & execrari Deum. Ita Azor *p. 1. inſtit. mor. lib. 11. c. 3. dub. 2.* Alij verò dicũt, ſenſum illorũ verborũ, *voto à Dios,* eſſe ſe vouere

Deo, & ſi talis ſenſus fuerit, non erit blaſphemia, ſed potiùs votum, vel iuramentum, & hoc eſt verius. nam prior ſenſus non videtur apud linguam Hiſpanicam aſſuetus.

### DVBITATIO IV.

VI. *An dicere, ſanctus Diabolus, ſit blaſphemia?*

Dico octauò, blaſphemia eſt dicere, quod in aliquibus locis eſt vſitatum, ſanctus Diabolus. Nam cùm Deus habeat Diabolum inimicum, tribuit Deo quòd habeat Diabolum tanquam ſibi gratum, & amicum. Tabiena *excommunicatio 5. caſu 4. num. 12.*

### DVBITATIO V.

VII. *An dicere, ſic erat in fatis, ſit blaſphemia hæreticalis?*

Dico nonò, dicere in aliquibus euentibus, ſic erat futurum, ſic erat in fatis, eſt blaſphemia hæreticalis, quia hæc verba communiter ſumuntur in impio ſenſu, orto à Gentilibus eredêtibus fatum ineſſe hominibus, eos neceſſitans ad tales euentus, quos putauerunt eſſe ineuitabiles propter fatum, eo quòd neceſſitatem abſolutam hominibus imponeret. Cæterùm ſi id intelligatur non de neceſſitate abſoluta libertatem humanam, & euentus rerum contingentes tollente, ſed de neceſſitate conditionali, & ex ſuppoſitione, qua omnia à Deo ordinata, & præuiſa neceſſe eſt euenire, tunc ille modus dicendi non eſt blaſphemus, neque malus. Ita benè Lopez *part. 1. inſtr. c. 181. verſ. ſeptima, & de.*

### DVBITATIO VI.

VIII. *An iſta loquutiones*, puol far Iddio. *hoc eſt ita verum, vt verum eſt Christum natum, &c. ſint blaſphemia?*

Dico decimò, iſta loquutio, *puol far Iddio*, non eſt blaſphemia, quia per hæc verba ſignificatur quod Deus poteſt facere: peccat tamen venialiter qui hæc verba profert ex aliqua iracundia, cùm aliqua irreuerentia irrogetur diuino nomini. Nec eſt blaſphemia cùm aliqui dicunt, hoc ita eſt verum, ſicut eſt verum Chriſtum natum eſſe de B. Virgine, vel cùm dicunt hoc eſſe verum tanquam Euangelium, vel, ſum innocens, ſicuti ſancti Innocentes. quia ſæpè ſic loquuntur homines per ignorantiam, & non intendunt facere omnimodâ æquiparationem: eſſet verò blaſphemia, ſi intenderent profiteri tantam eſſe certitudinem in his, quæ dicunt, quanta eſt in fidei veritate. quia tunc per illa verba tribueretur veritati humanæ tâta infallibilitas, & certitudo, quanta eſt in diuina, quod aſſerere eſt blaſphemum. videatur Lopez *vbi ſuprà, verſ. tertiò, de iſto modo.*

### DVBITATIO VII.

IX. *An dicens, Non eſt Deus in cælo niſi hic puniatur, & ſimilia, ſit blaſphemus?*

Dico vndecimò, qui ex iracundia hæc verba profertet, Non eſt Deus in cœlo, vel ibi non aſſiſtit, niſi hic homo maledicus virulentæ linguæ grauiter in hoc Mundo puniatur, eſſet blaſphemus. quia tunc falſum tribuitur Deo, exigua ſcil. permanentia eſſe diuini dependentis ex re tam contingenti. Item etiam eſt blaſphemia ſi quis diceret: Niſi putatem, hunc peruerſum hominem in hoc Mundo eſſe acritet puniêdum, abnegarem Deum. niſi proferenti hæc verba defuiſſet animus aliquam iniuriam irrogandi Deo, aut ei in aliquo ſibi conueniente derogandi. Lopez *ibi §. ſexto, & de.* Corduba *in tractatu de caſibus q. 63.*

### DVBITATIO VIII.

X. *An excæcatus ex paſſione dicens verba blaſphemiæ peccet mortaliter?*

Dico duodecimò, ſi quis iræ furore correptus, & paſſione excæcatus in verba blaſphemiæ prorumpit, non aduertens quid dicat, quidve verba illa ſignificêt, tunc tantùm peccat venialiter, & propriè non eſt blaſphemus. quia vehemens paſſio, & ignorantia excuſat à culpa mortali: ſi verò attêdit eſſe verba blaſphemiæ, mortaliter delinquit, etſi repentina correptus ira, verba illa protulerit, & ipſum ſtatim pœnituerit illa dixiſſe: quia tunc aduertenter verè blaſphemarer. Ita D. Th. 2. 2. *quæſt. 13. art. 2. ad 3.* Syl. *verb. blaſphemia, quæſt. 4.* Naoar. *ſum. cap. 12. num. 84.*

XI. *Rationi à principio reſpondetur; & explicatur*

### DVBITATIO IX.

*Quodnam iuramentum ſit, iurare per vitam Dei?*

Ad rationem in contrarium poſitam à principio, quæ militat contra primam aſſertionem, reſpondetur negando maiorem. Non enim adducitur vita Dei tanquam teſtis, cùm quis dicit, Per vitam Dei ita eſt; ſed eſt iuramentum execratorium, cuius ſenſus eſt, vitam amittat Deus, ſi non eſt ita. Sicut cùm quis iurat per vitam ſuam, ſignificat, quòd niſi ſit verum id quod iurat, optet, vt Deus illum in vita puniat. cùm igitur falſum Deo tribuatur, poſſe ſcil. ipſius vitam finiri, blaſphemum erit ſic iurare, per vitam Dei ſic erit. Videatur Sotus *lib. 8. de iuſtitia quæſt. 1. art. 3.* Lopez allegatus *aſſertione 1.* Sanchez *lib. 2. oper. mor. c. 32. n. 25.*

## ARTICVLVS IV.

## An ſit blaſphemia iurare per Dei membra, & Sanctorum?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, explicando, an iurare per membra honeſta Dei, vel Sanctorum, ſit blaſphemia etiam dum illa nominantur cum indignatione.*
3. *An iurare per pudenda Chriſti, vel Sanctorum, ſit blaſphemia.*
4. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm ſicut iurare per vitam Dei, & Sanctorum, eſt blaſphemia, quia tale iuramentum eſt execratorium, ita etiam erit iuramentum execratorium iurare per membra Chriſti, & Sanctorum. ergo erit blaſphemia, & ita Syl. *verb. blaſphemia, q. 4.* ait iurare per membra Dei, & Sanctorum, eſſe blaſphemiam quo ad modum, quando irreuerentur iuratur. & *q. 3.* ait non eſſe mortale, niſi irreuerentia magna eſſet.

II. *Veritas aperitur & explicatur*

### DVBITATIO I.

*An iurare per membra honeſta Dei, vel Sanctorum, ſit blaſphemia, etiam dum illa nominantur cum indignatione?*

Dico primò, iurare per membra Dei, & Sanctorum honeſta, nempè per caput, per ſanguinem, & corpus, non

non est blasphemia. quia nihil Deo, & Sanctis tribuitur, quod verè non habeant, nec vlla est inhonestas, & indecentia talia membra nominare. ergo quoad substantiam hæc verba, per corpus, sanguinem Christi, vel Sanctorum, non sunt blasphema. Armill. *verbo Blasphemia, n.* 1. Nauarr. *summa cap.* 12. *n.* 85.

Dico secundò, si verò membra honesta Christi, & Sanctorum nominarentur iniuriosè per modum vituperij, & contemptus, tunc esset blasphemia. quia cùm non sint in Christo & Sanctis, vt quid contemptu dignum esset falsitas in actu exercitu per membra Christi, & Sanctorum honesta iurare iniuriosè illa proferendo. ergo tunc esset blasphemia. Tolet. *lib.* 4. *summa cap.* 13. *num.* 3.

Dico tertiò, nec est blasphemia, cùm membra Christi, & Sanctorum honesta nominantur cum indignatione quadam, & ira, vt contingit quando quis indignabundè in iurgio, & in ludo ait ad corpus Dei, ad sanguinem Christi, vel Sanctorum. quia etsi irreuerenter dicantur, non tamen dicuntur per modum contumeliæ, & iniuriæ Deo irrogatæ, nec aliquid falsum Deo, vel Sanctis tribuitur, est tamen peccatum veniale graue propter irreuerentiam. Ita Caiet. *in summa verb. Blasphemia.* Lopez noster *part.* 1. *instruct. cap.* 281. *vers. Postquam de malitia.*

Dico quartò, dicere indignabundè per corpus, & sanguinem Dei, siue iurando, siue resonādo hæc verba in rixa; si indignatio, & ira sit aduersùs Deū, blasphemia erunt illa verba: quoniam in actu exercito falsè significant Deum mereri indignationem: secus autē, si indignatio, & ira erga illum est, cum quo contenditur; quia tūc neque in actu signato, neque in actu exercito aliquid falsum Deo tribuitur. Ita benè adnotauit Valent. *tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 13. *punct.* 1. *vers. Sed tamen illud.*

## Dubitatio II.

III. *An iurare per pudenda Christi, vel Sanctorum sit blasphemia?*

Dico quintò, iurare per Christi, & Sanctorum pudenda mēbra, eaque inhonestè nominare, est blasphemia. quia ex modo loquendi proferuntur illa verba, ac si in Christo, & in Sanctis esset aliquid vituperabile, contemptibile, & ignominiosum, quod est falsum, & consequenter talia verba sunt blasphemiæ: est autem maior blasphemia iurare, & nominare pudenda membra in Christo, & in Sanctis, quę non habent, vt si quis illis pudendas partes fœminarum tribueret, quia formaliter, enuntiatiuè, & in actu signato falsū de Deo, & de Sanctis diceretur. At verò quando pudenda mēbra, quę habent, nominātur, solùm in actu exercito falsum dicitur ex modo dicendi, eo, quòd vt vituperabilia dicūtur, cùm nihil habeat Deus, nec Sancti vituperabile. Ita præclarè Caiet. 2. 2. *q* 13. *art.* 1. *vers. quoad secundum.*

IV. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

Ad rationem in contrarium quatenus militare videtur contra primam assertionem; respondetur, quòd iurare per Christi, & Sanctorum membra honesta, non est iuramentum execratorium, sicut non est iuramentum execratorium iurare per Deum, per Sanctos, per sancta Euangelia, & sic non erit blasphemia iurare, vel nominare membra Christi, & Sanctorum, cùm in Christo & Sanctis illa sint, illaque nominare nullam inhonestatem, nec indecentiam contineat: nisi modo contumelioso illa quis proferret, & sic esset blasphemia; nam falsum est membra honesta esse in Christo, & Sanctis digna contumeliis & vituperatione, vt diximus *assertione* 2. Videatur Syl. *verb. Blasphemia, q.* 1 *ad finem.* Sanchez *lib.* 2. *oper. mor. c.* 32. *n.* 29.

## Articulus V.

## An maledictum prolatum in Sanctos sit blasphemia?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Resoluitur dubitatio.*
3. *An contumelia in Sanctos, non vt Sanctos, sed vt homines, sint blasphemia.*
4. *An maledictum prolatum in quancunque creaturam, etiam in Diabolum, sit blasphemia.*
5. *An maledicere rebus irrationabilibus in ordine ad creaturam rationalem, vel maledicere diei natiuitatis suæ, sit blasphemia.*
6. *An maledicere creatura rationali non sancta, sit blasphemia.*
7. *An liceat sub aliqua specie boni maledicere creaturis rationalibus; & explicatur, quid sint maledictio formalis, & materialis.*
8. *Rationi à principio respondetur, & explicatur, an sufficiat interpretatiua intentio maledicendi Deum in Sanctis, vt maledictum in Sanctos sit blasphemia.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm ad hoc vt maledictio prolata in creaturam non sanctam habeat malitiam blasphemiæ, requiritur vt directè, & formaliter creaturæ maledicatur, vt est creatura Dei. ergo etiā ad hoc, vt maledictio prolata in Sanctos habeat rationē blasphemiæ, requiritur, vt directa, & formali intentione maledicens intendat maledicere Deo in Sanctis, cùmque inhonorare, sicut ad adorandum Deum in Sanctis non sufficit indirecta, & interpretatiua intentio adorandi Deum in Sanctos, sed requiritur directa, & formalis, vt idem cultus latriæ & adoratio reputetur.

II. *Resoluitur dubitatio.*

Dico primò, maledicta in Deum, vel Sanctos, blasphemiæ sunt, quia nec maledictio, nec conuitiū possunt aliqua ex parte eis conuenire, & ea in Sanctos dicere, redundat in Deum, nec opus est expressa habitudine ad Deum, qui in Sanctis relucet; sed satis est virtualis, & implicitè contenta intentio in vituperio Sanctorum. Nam qui maledicta profert in Sanctos, maledicit illis, quatenus Sancti sunt, & consequenter maledicit Deo in illis, cùm Deus illis sanctitatem contulerit; & ita hanc assertionem docet D. Th. 2. 2. *q.* 13. *art.* 1. *ad* 2. Caiet. *ibi ad finem comment.*

## Dubitatio I.

III. *An contumelia in Sanctos non vt Sanctos, sed vt homines, sint blasphemia.*

Dico secundò, si conferens contumeliosa verba in Sanctus præscindat expresè habitudinem quam ad Deū habent, solámque Sanctorum excellentiam spectet, quasi quorundā hominum excellentiam, non esset blasphemus; sed peccatum contra cultū duliæ Sanctis debitum committeret. quia tunc conuitium, maledictum, vel cōtumeliosa verba opponerētur virtuti, qua coluntur Sancti; quæ est virtus duliæ, non autem Religionis, qua colimus Deum, vel Sanctos, vt sunt Sancti, & quatenus ad Deum referuntur. ergo maledicens Sanctis, præscindendo expresè habitudinem quam habent ad Deum, non esset blasphemus. Blasphemia enim opponitur virtuti Religionis, non autem virtuti duliæ, qua cultum Sanctis exhibemus. Sic Sanchez *lib.* 2. *oper. mor. cap.* 32. *num.* 27.

## DVBITATIO II.

IV. *An maledictum prolatum in quamcunque creaturam, etiam in Diabolum, sit blasphemia?*

Dico tertiò, maledicere creaturis irrationalibus in quantum creaturæ Dei sunt, est blasphemia; & similiter erit dicendum, si maledictio sit dicta in creatoræ earionis participes. quia maledicere illis sub ea ratione est maledicere Creatori, quod est blasphemia. Ita præclarè D. Th. 2. 2. *quæst.* 76. *art.* 2. *ad finem cap.* Idem dicendum, si malediceretur Diabolus vt effectus Dei. quia id cedit in contemptum, & iniuriam Dei, cùm natura Diaboli bona sit, & à Deo creata. Secus autem si ratione suæ culpæ malediceretur. nam eius malitiæ & culpæ nullo pacto est causa Deus. Ita pulchrè annotauit D. Th. *eadem* 2. 2. *q.* 76. *art.* 1. *solutione ad* 4.

Dico quartò, maledicere creaturis irrationalibus secundùm se consideratis sine vlla habitudine ad Deum, vel ad homines, non est blasphemia, nec peccatum mortale, sed solùm veniale, quia est verbum otiosum, & vanum; non enim creaturæ irrationales sunt capaces maledictionis. D. Th. *vbi suprà art.* 2. Armilla *verb. maledictio num.* 1.

## DVBITATIO III.

V. *An maledicere rebus irrationalibus in ordine ad creaturam rationalem, vel maledicere diei natiuitatis suæ, sit blasphemia?*

Dico quintò, maledicere verò rebus irrationalibus in ordine ad creaturam rationalem, vt qui malediceret domui, quia est huius, vel illius, licèt hoc non sit peccatum blasphemiæ, esset tamen peccatum odij, & contra charitatem proximi, & mortale, si malum, quod imprecatur, esset graue, & ex animo optaretur. quia maledicere creaturis irrationalibus, vt ad hominem referuntur, est maledicere homini. ergo si malum, quod exoptatur, est graue, & ex animo maledictio fiat, erit peccatum mortale contra charitatem proximi maledicere sic creaturis irrationalibus. Ita benè Caiet. 2. 2. *q.* 66. *art. primo vers. nota secundò.*

Dico sextò, maledicens diei natiuitatis suæ, vt est contentiua, & relatiua ad bona humana, & ad natiuitatem ipsam, quæ est capax mali magni rationalis creaturæ, si hoc fuit ex animo, licèt non blasphemet, peccat tamen mortaliter. quia hoc est sibi ipsi malum graue ex intentione exoptare, quod est peccatum mortale; si verò ex sola ira maledicit diei natiuitatis suæ, nec sibi, nec aliis ex animo optans malum, sed dicacitati, & iræ satisfaciens, non est mortale, sed veniale. quia dies natiuitatis est creatura irrationalis, quæ secundùm se non est capax mali, vel boni in ordine ad felicitatem, vel infelicitatem; ergo illi maledicere non exoptando sibi, vel aliis malum, est quidem otiosum & illicitum, non tamen graue, & lethale. Sic optimè annotauit Caiet. nouissimè citatus; quem affert, & sequitur Sayr. *in Claui Regia lib.* 12. *c.* 5. *n.* 19.

Dico septimò, maledicere diei natiuitatis suæ vt est contentiua malorum humanorum, scil. propter culpam originalem, & miserias, quas nobis nascendo contulit, hoc nullum est peccatum. quia maledicere tempori ratione contenti mali non est maledicere tempori; sed tropologicè est maledicere malis ipsis, quæ eo in tempore contigerunt, ac proinde nullum est peccatum, nec etiam veniale: sic sanctissimus Iob c. 3. maledixisse legitur diei in quo natus est, quatenus principium fuit delictorum, & miseriarum, quatenus continebat malum peccati originalis, afflictionum, & pœnarum huius vitæ; & Dauid 2. *Reg. cap.* 1. maledixit montibus Gelboë, scil. homicidiis, quæ in illis montibus acciderunt. Sic etiam homines maledicendo Diabolo non peccant, quia intelligitur maledici ratione status peccati, in quo reperitur, & obstinationis in illo, & non ratione naturæ quæ bona est, & à Deo, & ideo benedicenda, sed ratione culpæ, quæ mala est, & non à Deo, & ideo maledicenda, vt docet D. Th. 2. 2. *q.* 76. *art.* 1. *ad* 4. & ita hanc assertionem docuit Caiet. & Sayr. nuper allegati. Syl. *verb. maledictio, n.* 1.

## DVBITATIO IV.

VI. *An maledicere creaturæ rationali non sanctæ, sit blasphemia?*

Dico octauò, maledicere creaturæ rationali non sanctæ, non habet malitiam blasphemiæ. quia hoc non repugnat Religioni, qua tenemur Deum, & Sanctos venerari, sed est contra charitatem, & peccatum mortale, si malum quod imprecatur est graue, & ex animo exoptatur. quia repugnat charitati, qua diligimus proximum, volentes bonum ipsius: si verò malum sit leue, erit veniale ratione paruitatis materiæ. vel si sit graue, illud tamen cum imperfecta animi deliberatione imprecatur, esset etiam veniale, quia desunt pleni consensus, & plena deliberatio. Ita præclarè D. Th. 2. 2. *quæst.* 76. *art.* 3. Syl. *verb. maledictio, quæst.* 3. Sayr. *vbi suprà num.* 13.

## DVBITATIO V.

VII. *An liceat sub aliqua specie boni maledicere creaturis rationalibus; & explicatur, quid sint maledictio formalis, & materialis?*

Dico nonò, maledicere creaturis rationalibus sub aliqua ratione veri boni, nullum est peccatũ nec blasphemiæ, nec odij. Vnde ratione iustitiæ licet optare, vt peccatores iuridicè, & iustè puniantur à Deo, vel à iudicibus, vel ratione gloriæ Dei, vt in punitione peccatorũ glorificetur Deus, ostendendo in illis suam diuinam iustitiam, vel ob bonum commune, qua ratione optare possumus, vt Turcæ, hæretici, & alij peccatores tollãtur è medio; vel ratione boni proprij honesti, qua ratione potest puella, quæ sollicitatur à iuuene, optare, illum infirmari, vel mori, vt sic cesset ab illa libidine; vel ratione boni vtilis, quomodo mulier, quæ videt virum suum ludo dilapidare bona sua, potest imprecari, vt ægrotus in lecto iaceat, vt sic resipiscat; quia sub istis finibus bonis maledicere creaturis rationalibus non est propriè, formaliter, & per se illis malum imprecari, sed per accidens, & materialiter. Nam maledictio propriè, & formaliter est imprecatio, seu exoptatio mali alicui facta sub ratione mali; hoc est, intendẽdo malum ipsum. ergo sub ratione boni optare malum alterius, non est per se, & formaliter maledicere, nec illicitum, sed licitum. quia intentio dicentis non fertur ad malum, sed ad bonum. Hæc assertio colligitur apertè ex doctrina D. Th. 2. 2. *q.* 76. *art.* 1 *in corp.* Bannes *ibi.* Syl. *verb. maledictio, num.* 2. Sayr. *in Claui Regia lib.* 12. *cap* 5. *num.* 17.

Pro maiori huius rei intelligentia est obseruandum quòd maledictio est duplex, formalis, & materialis. Maledictio formalis est, qua quis imprecando, vel imperando, vult alicui malum euenire, vt malum est. Materialis est, qua quis imprecando, vel imperando vult alicui euenire malum sub ratione boni iusti, aut vtilis. Primum est illicitum; secundum verò est licitum. Quomodo ad Galatas *cap.* 5. dicitur, *Vtinam abscindantur qui vos conturbant*, vt nimirum conuertantur, & reuertantur ad Deum; & alij peccatores retrahantur à delictis suis. Videatur D. Th. 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 8. *ad primum.*

VIII. *Rationi*

VIII. *Rationi à principio respondetur, & explicatur*

DVBITATIO VI.

*An sufficiat interpretatiua intentio maledicendi Deum in Sanctis, vt maledictum in Sanctos sit blasphemia?*

Ad rationem in contrarium positam à principio, quæ directè pugnat contra primam assertionem, respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam. Non enim est par ratio in creaturis carentibus sanctitate, & in prædictis ea. Nam Sancti intrinsecam habitudinem, & relationem ad Deum habent ratione status, in quo permanent, & sic contumelia in illos prolata censetur esse prolata in Deum, & satis est, quòd maledicens Sancto potuerit, & debuerit considerare talem respectum, quem Sancti habent ad Deum, ratione status in quo sunt, quo respectu speciali carent aliæ creaturæ non sanctæ, & ita non valet consequentia. Non igitur requiritur, vt maledictio prolata in Sanctos habeat rationem blasphemiæ, vt directa, & formali intentione quis intendat maledicere Deo, sed sufficit interpretatiua, quia Sancti vt sic referuntur ad Deum. Videatur pro hac solutione Caiet. 2.2.q.13. *art.1. in fine commenti*. Ad instantiam de adoratione patebit *dubio sequenti*.

## ARTICVLVS VI.

## An blasphemia in Deum differat specie à blasphemia in Sanctos?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Resoluitur dubitatio.*
3. *An in confessione necesse sit explicare in quem fuerit blasphemia prolata, & etiam modum blasphemiæ, & verba.*
4. *An aliunde, quàm ex oppositione ad Religionem, vel confessionem fidei possint blasphemia specie differre.*
5. *Rationi à principio respondetur, & explicatur, an sit distincta adoratio Dei, & Sanctorum, sicut est distincta blasphemia Dei, & Sanctorum.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm adoratio Sanctorum est distincta specie ab adoratione Dei. ergo etiam blasphemia in Sanctos erit specie distincta à blasphemia in Deum. Consequentia videtur vera ex paritate rationis. Antecedens verò probatur, nam adoratio Sanctorum est actus virtutis duliæ; & adoratio Dei est virtutis latriæ, quæ specie distinguitur à dulia. ergo blasphemia in Deum, & in Sanctos specie distinguuntur, quia blasphemia in Sanctos est contra virtutem duliæ, qua tenemur Sanctos venerari, & blasphemia in Deum est contra virtutem latriæ, qua obstringimur Deum adorare propter summam, & infinitam eius excellentiam; & ita hanc sententiam tenuerunt aliqui, vt refert Azor. 1. *part. instit. mor. lib.9.c.28. dub.10.*

II. *Resoluitur dubitatio.*

Dico primò, blasphemiæ quæ dicuntur in Deum per se specie non distinguuntur à blasphemiis, quæ proferuntur in Sanctos, nam iuramentum per Deum, non differt specie à iuramento, quod per Sanctos præstatur, quia iurare est Deum in testem producere, & dum iuramus per Sanctos, intelligimus diuinum Numen adducere in testem, vt benè Caiet. 2.2. *q.89. art.1.* Less. *lib.2. de iustitia, cap.42. dub.2. num.10.* ergo similiter blasphemiæ, quæ dicuntur in Deum, & in Sanctos, erunt eiusdem speciei secundùm se. quia in hac ratione specifica conueniunt, quæ est tribuere Deo in se, & vt in Sanctis singulari modo relucet, quod ipsi non conuenit, vel negare quod conuenit, & sic hanc assertionem docuit Caiet. 2.2. *quæst.13. art.1. ad finem illius commenti.* Banoes *ibi in commentario, versic. Denique aduertendum.*

DVBITATIO I.

III. *An in confessione necesse sit explicare in quem fuerit blasphemia prolata, & etiam modum blasphemiæ, & verba?*

Dico secundò, licèt blasphemiæ, quæ dicuntur in Deum, & in Sanctos, sint eiusdem speciei, in confessione tamen est exprimendum an blasphemia fuerit contra Deum, an contra Sanctos. Nam grauius peccatum est directè conijcere contumelias in Deum, quàm vt repræsentatur in Sanctis. Ita expressè Caiet. 2.2. *quæst.13. art.1. fine,* quem sequitur Sanchez *lib.2. oper. moral. cap.32. num.39.* explicandum est etiam in confessione an blasphemia fuerit prolata in Beatissimam Virginem, an in Sanctos, quia grauissimum est inter omnia peccata, quæ contra Sanctos sunt, contra B.V. blasphemare. Tum, quia, vt optimè docet Sotus *in 4. dist. 18. quæst.2. art.4. vers. Accedit his*, circumstantiæ peccatorum notabiliter aggrauantes in confessione sunt explicandæ: at blasphemare B. V. dicit circumstantiam notabilissimè aggrauantem. ergo: videatur Toler. *summa lib.4. cap.13. num.6.*

Dico tertiò, in confessione non satis est dixisse se blasphemasse Deum, vel B.V. vel Sanctos, sed oportet modum blasphemiæ explicare, vt si fuerit per vitam Dei, per membra pudenda ipsius, vel Sanctorum, si fuit blasphemia hæreticalis. quia quamuis blasphemiæ secundùm se non differant specie: at quoad grauitatem peccati, ex qualitate blasphemiæ notabiliter differunt inter se: sicut in furto debet explicari quantitas materiæ, non solùm propter restitutionem faciendam, sed ad explicandam grauitatem peccati, etiamsi de facto non fuerit quis furatus, sed voluerit furari. Ita benè Bannes 2.2. *quæst.13. art.1. in Commentario, vers. Denique.* Lopez noster *part.1. instruct. c.282. §. Deinde plurima.* videatur pro hac assertione etiam Sotus *lib.5. de iustitia, quæst.9. art.1. in fine.* vbi ait licèt omnes contumeliæ sint eiusdem speciei, vt docuit Caiet. 2.2. *quæst.72. art.1. vers. Ad hoc dicitur*, cùm omnes conueniant in ratione formali, quæ est intentio auferendi alteri honorem sine iusta causa, tamen quando notabiliter augetur contumelia, tunc etiam est in confessione dicendum, quæ verba contumeliosa in alterum quis protulit, nempè si alterum vocauit hæreticum Patriæ proditorem. Idem similiter dicendum est in casu nostro de blasphemiis.

DVBITATIO II.

IV. *An aliunde, quàm ex oppositione ad Religionem, vel confessionem fidei possint blasphemia specie differre?*

Dico quartò, blasphemiæ quamuis vt opponuntur Religioni, & confessioni fidei, sint eiusdem speciei, possunt tamen aliunde specie differre: nam blasphemia

mla hæreticalis, quæ habet assensum internum contra fidem, specie differt ab ea, quæ non est hæreticalis, non in ratione blasphemiæ, sed ratione hæresis adiunctæ. Nam hæreticalis blasphemia continens errorem, & dicens assensum internum contra ea, quæ sunt fidei, est propriè species infidelitatis, & opponitur virtuti fidei, non autem non hæreticalis. Similiter blasphemia prolata in Deum ex illius odio formali procedens, vltra malitiam blasphemiæ habet etiam malitiam odij Dei, quæ opponitur charitati diuinæ, qua tenemur diligere Deum super omnia. & sic ratione odij Dei adiuncti, specie distinguitur ab alia, quæ ex ira, vel tædio aliquo profertur. Sic benè annotauit Sayr. *lib. 6. in Claui Regia, c. 13. num. 4.* Sanchez *lib. 2. oper. mor cap. 32. n. 38.*

V. *Rationi à principio respondetur, & explicatur*

### Dvbitatio III.

*An sit distincta adoratio Dei, & Sanctorum, sicut est distincta blasphemia Dei, & Sanctorum?*

Ad rationem in contrarium, quæ opponitur directè primæ assertioni, respondetur negando consequentiam, & ratio negationis est: nam ad contrahendam malitiam blasphemiæ non est necessaria formalis, & directa intentio maledicendi Deo in Sanctis, sed sufficit indirecta, & interpretatiua: at verò ad adorandum Deum in Sanctis, ita vt idem cultus, & eadem adoratio latriæ reputetur, requiritur directa, & formalis intentio, vt adorentur Sancti, quatenus Sancti, & amici Dei sunt, quia bonum est ex integra causa, & plura requiruntur ad bonitatem actuum, quàm ad malitiam, vnde non est eadem ratio de blasphemia prolata in Sanctos, & de adoratione, qua cultu duliæ veneramur Sanctos: nam contumelia in Sanctos redundat ex se in Deum, qui in ipsis relucet, quia ratione status in quo sunt, habent Sancti intrinsecam habitudinem, & relationem in Deum, & sic blasphemiæ prolatæ in Deum, & in Sanctos in ratione blasphemiæ non sunt specie distinctæ. Cæterùm adoratio, qua colimus Sanctos, respicit ex se tanquam obiectum propriam excellentiam ipsorum Sanctorum, & adoratio, qua Deum veneramur, habet tanquam obiectum excellentiam diuinam, & sic distinguuntur specie emanantes à distinctis virtutibus, dulia, qua Sanctos colimus, & latria, qua Deum adoramus.

Verum tamen est, quòd si possit dari casus, vt colerentur Sancti propter Deum, vt ipse Deus honoratur in illis, ita vt ratio colendi non sit propria ipsorum sanctitas & excellentia, sed excellentia infinita diuina, quæ in ipsis relucet, hoc modo Sancti eodem cultu latriæ coluntur, quo colitur Deus. quia in hoc casu ratio illos colendi non est propria excellentia creata, & finita, sed Dei sanctitas, & maiestas increata, quæ cultu latriæ est adoranda. Similiter si Sancti blasphemantur, præscindendo expressè habitudinem, quam habent ad Deum, vt sunt personæ quædam magnæ, sed creatæ tamen excellentiæ, sub hoc motiuo non propriè blasphemantur, sed illis solùm maledicitur, sicut aliis hominibus maledicitur. Saluo semper meliori iudicio.

## Articvlvs VII.

## An assuetus blasphemare si inaduertenter, & indeliberatè blasphemer, peccet mortaliter blasphemando?

*Svmmarivm.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur an blasphemans ex consuetudine teneatur à tali consuetudine recedere, & an possit absolui sine proposito recedendi.*
3. *Titulo dubitationis respondetur.*
4. *An assuetus blasphemare non tollens consuetudinem blasphemandi, si inaduertenter blasphemet, peccet toties quoties blasphemat.*
5. *Rationi in contrarium à principio respondetur & explicatur, quo modo sit voluntarium peccatum blasphemia assueto blasphemare.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm blasphemiæ per omnimodam inaduertentiam, & indeliberationem prolatæ in Deum, vel in Sanctos, nec directè, nec indirectè sunt voluntariæ. ergo quando omninò inaduertenter, & indeliberatè proferuntur, non possunt habere nouam malitiæ rationem, cùm omne peccatum esse debeat necessariò voluntarium; & quidem quòd prædictæ blasphemiæ non sint directè voluntariæ, patet: nam talis inaduertentia est omninò inuincibilis, vt supponimus. Quòd verò non sint indirectè voluntariæ, probatur. quia ad hoc, vt aliquid sit indirectè voluntarium, requiritur vt quis possit illud vitare: at cùm quis omninò inaduertenter blasphemat, non potest tunc illud vitare; cùm tunc inaduertentia, & indeliberatio sit omninò inuincibilis, nec tunc habet modum, vel medium aliquod, quo possit aduertere. ergo blasphemia, quæ tunc profertur, nullam nouam, & specialem malitiam continet, sed tota eius malitia est in causa, scilicet in mala consuetudine blasphemandi, in qua blasphemiæ præuidentur, & hanc consuetudinem malam assuetus blasphemare tenebatur, & poterat auxilio Dei fretus euellere, & neglexit, & ita hanc sententiam tenet Sanchez *lib. 3. oper. mor. cap. 5. num. 28.*

### Dvbitatio I.

II. *An blasphemans ex consuetudine teneatur à tali consuetudine recedere, & an possit absolui sine proposito recedendi?*

Dico primò, qui ex consuetudine blasphemat, tenetur talem consuetudinem euellere, quia si hoc non facit, peccat contra charitatem sibi debitam, eo quòd non conatur remouere à se talem malam consuetudinem inductiuam ad tam atrox blasphemiæ crimen. Sic Sotus *de iuramentorum abusu cap. 12.* Sayr. *in Claui lib. 5. cap. 5. num. 10. vers. Addit autem.*

Dico secundò, licèt assuetus blasphemare non possit absolui sine firmo proposito extirpandi talem malam consuetudinem: at si habeat propositum illam euellendi, potest, & debet absolui, quia per eandem pœnitentiam liberatur pœnitens à peccatis commissionis, puta blasphemiæ, & à peccato omissionis, in quo hærebat, quando non conabatur remouere à se malam consuetudinem blasphemandi. ergo si habet firmum propositum recedendi à tali mala consuetudine, potest, & debet absolui.

xbsolui. Ita Sotus *lib. 8. de iustitia, quæst. 2. art. 3. versic. At fortasse.*

III. *Titulo dubitationis respondetur.*

Dico tertiò, qui est assuetus blasphemare, si conetur talem consuetudinem extirpare, & firmiter, & efficaciter proponat imposterum tale peccatum vitare, postea ex inaduertentia blasphemauerit, huiusmodi blasphemiæ non erunt tali personæ imputandæ ad culpam: nam huiusmodi loquutiones non censentur esse voluntariæ, nec in se, vt patet, nec in causa, cùm sic inaduertenter blasphemans conetur talem consuetudinem eradicare. ergo sicut huiusmodi loquutiones non habenti talem consuetudinem, essent inuoluntariæ, & non peccata; sic habenti consuetudinem, si illam conetur euellere; cùm eam non teneatur statim à se remouere, sed paulatim actibus contrariis est extirpanda: & ita hanc assertionem docet Tolet. *lib. 4. summa cap. 13. num. 4. ad finem.*

Dico quartò, qui ratione prauæ consuetudinis ita est affectus, & assuetus ad blasphemandum, vt si aduerteret se blasphemare, adhuc non desineret à blasphemia, peccat mortaliter, si ex inaduertentia, & inconsideratè blasphemet, quia inaduertentia tunc excusat à peccato, quando est causa actus; quia scilicet actus non fieret nisi ignoraretur. At inaduertentia comes non excusat à culpa, quia non est causa actus blasphemandi, quandoquidem fieret talis actus, & blasphemaret, sic assuetus blasphemare, etiamsi aduerteret. ergo ex tali inaduertentia sic blasphemans non excusatur à culpa, quia sola inaduertentia, quæ est causa actus excusat. Ita docet Caiet. 2. 2. *q. 98. art. 3. fine.* Nauarr. *summa cap. 12. num. 6. & 84.* Sayr. *lib. 5. in Claui cap. 4. num. 17.* Valent. *tom. 3. disp. 6. q. 7. punct. 3. §. Hinc sequitur.* Filliuc. *tom. 2. tract. 25. c. 1. q. 8. n. 28.*

DVBITATIO II.

IV. *An assuetus blasphemare non tollens consuetudinem blasphemandi, si inaduertenter blasphemet, peccet toties, quoties blasphemat?*

Dico quintò, assuetus blasphemare, si non conatur euellere consuetudinem blasphemandi, si postea inaduertenter, & indeliberatè blasphemet, nouiter committit speciale peccatũ blasphemiæ toties, quoties de nouo blasphemat. quia talis blasphemus, qui non conatur remouere à se quoad potest, malam illam inclinationem blasphemandi, conuincitur velle potius interpretatiuè saltem blasphemare, quàm curare à se malam illam consuetudinem extirpare. ergo tunc actus blasphemiæ redit in naturam suæ formæ, & sic peccabit mortaliter toties, quoties blasphemat. Ita benè Armill. *in consimili casu de periurio, vers. periurium, n. 1.*

V. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

DVBITATIO III.

*Quomodo sit voluntarium peccatum blasphemia assueto blasphemare?*

Nec officit ratio in contrarium adducta à principio: negamus enim ad argumentum antecedens. Licèt enim assuetus ad blasphemandum ex inaduertentia, & indeliberatione blasphemando, formaliter quidem, inaduertenter, & indeliberatè blasphemet, virtualiter tamen, & interpretatiuè voluntariè blasphemare conuincitur. Quia, etsi in se ipso blasphemiæ illæ ex inaduertentia prolatæ non sint plenè voluntariæ, sunt tamen plenè volitæ in sua causa, in praua scilicet illa consuetudine blasphemandi, quam assuetus blasphemare aduertit sibi esse causam prorumpendi in blasphemias, nec tamen curat emendam. Habens igitur vsum blasphemandi peccat lethaliter quoties inaduertenter blasphemat, si consuetudinem blasphemandi retractare non satagit, quia tenetur, potest illam à se retractare, & negligit. Ita benè Lopez noster *part. 1. instruct. cap. 282. §. Octauò.* licèt blasphemans ex inaduertentia, & omnimoda indeliberatione non habens vsum blasphemandi, excusetur à mortali, vt docet D. Th. 2. 2. *q. 13. art. 2. ad 3.*

---

## ARTICVLVS VIII.

## An peccatum blasphemiæ sit grauius omnibus aliis peccatis?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Dubitatio resoluitur, explicando, an blasphemia ex suo genere sit peccatum mortale.*
3. *An blasphemia sit maius peccatum infidelitate, desperatione, periurio, & homicidio, & explicatur quid debeat attendi in grauitate criminis.*
4. *Rationi in contrarium in principio adducta respondetur, & explicatur, an infidelitas sit maius peccatum omnibus aliys.*
5. *Explicatur an blasphemia opponatur fidei, & sit idem quod infidelitas.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm peccatum infidelitatis est grauius omnibus aliis; tantò enim aliquod peccatum est grauius, quantò per ipsum homo magis à Deo separatur, vt fatentur Theologi cum D. Th. 2. 2. *q. 10. art. 3.* At per infidelitatem maximè à Deo homo separatur, vt ait D. Th. *ibi.* Sed peccatum blasphemiæ pertinet ad infidelitatem, cùm habeat grauitatem infidelitatis, & opponatur confessioni fidei, vt asserit S. Th. 2. 2. *q. 13. art. 3. in corp.* ergo peccatum blasphemiæ erit grauius omnibus aliis, cùm secundùm D. Thom. habeat grauitatem infidelitatis.

II. *Dubitatio resoluitur, & explicatur*

DVBITATIO I.

*An blasphemia ex suo genere sit peccatum mortale?*

Dico primò, blasphemia ex suo genere est peccatum mortale, quia repugnat charitati diuinæ. D. Th. 2. 2. *q. 13. art. 2.* Ratione paruitatis materiæ non potest esse peccatum veniale: quia sicut iuramentum falsum assertorium non potest esse peccatum veniale ratione materiæ, cùm adducatur Deus in testem falsitatis. ergo multo minus blasphemia potest esse peccatum veniale ratione materiæ, cùm in blasphemia aliquid falsi de Deo dicatur. Baones 2. 2. *q. 13. art. 1. vers. Ad hoc dubium.*

DVBITATIO II.

III. *An blasphemia sit maius peccatum infidelitate, desperatione, periurio, & homicidio, & explicatur, quid debeat attendi in grauitate criminis?*

Dico secundò, blasphemia est minus peccatum, quàm

quàm infidelitas. quia infidelitas opponitur fidei, blasphemia verò Religioni: at fides est virtus præstantior Religione. ergo infidelitas est grauius peccatum, cùm inter peccata illud sit grauius, quod opponitur præstantiori virtuti. Maior patet. Probatur minor: nam fides est virtus Theologalis per se infusa, quam ex sacris litteris didicimus, cuius obiectum, finis, & materia proxima est ipse Deus, & diuinæ regulæ innititur: at Religio est virtus moralis, cuius obiectum est cultus, qui Deo debetur, quæ moralis virtus dicitur, quia circa rectos vitæ mores versatur, & recta ratione, & prudentia tanquam regula dirigitur. Vide Azor. *part.1. instit. mor. lib.3. cap.25. dub.1.* & ita hanc assertionem docet Bannes 2. 2. *q.13. art.3. concl. 1.*

Dico tertiò, desperatio est grauius peccatum, quàm blasphemia, quia desperatio opponitur spei; spes autem cùm sit virtus Theologalis, est excellentior virtute Religionis. Propter eandem rationem odium Dei est grauius peccatum quàm blasphemia; quia odium Dei aduersatur charitati, quæ est virtus maior Religione: est tamen blasphemia grauius peccatum periurio; quia periurio facimus Deum testem falsitatis. Blasphemiâ verò tribuimus ipsi Deo falsitatem, quod est grauius. Ita benè D. Thom. 2. 2. *q.13. art.3. ad secundum.*

Dico quartò, blasphemia est grauius peccatum homicidio; quia blasphemia est peccatum immediatè contra Deum: homicidium verò contra proximum, cùm blasphemus saltem in actu exercito intendat honori diuino nocumentum inferre. ergo, simpliciter loquendo, grauius peccat, quàm homicida, licèt secundùm effectum nocendi homicidium præponderet blasphemiæ. At in grauitate culpæ magis attenditur intentio voluntatis peruersæ, quàm effectus operis. ergo, &c. Ita præclarè D. Thom. nouissimè adductus *solutione ad primum.* Est igitur blasphemia maximum peccatum: quia ex voluntate peruersa intendit blasphemus diuinæ Maiestati nocumentum inferre: non tamen est omnibus grauius, vt probatum est.

IV. *Rationi in contrarium in principio adducta respondetur, & explicatur*

## DVBITATIO III.

*An infidelitas sit maius peccatum omnibus alijs?*

Nec officit ratio à principio adducta: nam licèt infidelitas sit maius omnibus peccatis, quæ contingunt in peruersitate morum, & virtutibus moralibus opponuntur: secus autem est de peccatis, quæ opponuntur aliis virtutibus Theologicis. nam odium Dei, quod opponitur dilectioni eiusdem, est maius peccato infidelitatis, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 34. *art.*2. quia optimo opponitur pessimum; vt patet per Philos. *lib.8. Ethic. cap.*10.

Et cùm arguitur, nam infidelis videtur magis elongatus à Deo, qui nec Dei cognitionem habet, quam tamen habet fidelis, qui saltem, quamuis Deum cognoscat, ipsum tamen odio habet. ergo, &c. Respondet D. Thom. *ibi ad* 2. quòd infidelitas habet rationem culpæ, & peccati ex hoc, quòd aliquis odio habet veritatem Dei. quæ ipsi credenda proponitur. ergo odium Dei est maius peccatum, quàm infidelitas, sicut causa est potior suo effectu, & sic infidelis magis elongatur à Deo non ratione infidelitatis præcisè, sed ratione odij Dei, quod est causa infidelitatis, & remotionis à Deo, quoniam propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Videatur Bannes 2.2. *quæst.34. art.2. versic. Circa solutionem ad secundum.*

## DVBITATIO IV.

V. *An blasphemia opponatur fidei, & sit idem quod infidelitas?*

Respondetur secundò, quòd licèt concederemus infidelitatem esse maius peccatum omnibus aliis, non tamen inde sequeretur blasphemiam esse omnibus aliis culpis grauiorem. quia, vt rectè docet Caiet. 2. 2. *quæst.13. art.1. versic. ad secundum verò dubium*, blasphemia non est propriè, & essentialiter infidelitas, quoniam hæc consistit propriè tum in assensu aliquo interno, falso de Deo, tum in externa asseueratione falsi ex tali interno assensu procedente: at blasphemia propriè non consistit in ipso assensu, vel asseueratione falsi, sed in dictione, seu significatione falsa de Deo, quæ longè differt ab assensu falso interno de Deo: & sic blasphemia est quidem valdè annexa infidelitati, quia tenemur non solùm mente, sed etiam exteriùs in dictione, & significatione rectè sentire de rebus fidei, non tamen propriè est infidelitas. Vnde benè ait S. Thom. 2. 2. *quæst.*13. *art.*1. Blasphemiam esse oppositam confessioni fidei, quæ consistit in dicere, non tamen est opposita ipsi fidei, quæ consistit in assensu falso de Deo, & optimè annotauit Caiet. *loco nouissimè citat.* Saluo semper meliori iudicio.

---

## ARTICVLVS IX.

## An qui vno sermonis impetu blasphemando simul maledicit Beatissimæ Virgini, & duodecim Apostolis, vnicum tantùm blasphemiæ peccatum committat?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *An vno impetu maledicens Deo, & Sanctis, vnum tantùm peccatum blasphemiæ committat: & an sit maius peccatum, quam si semel tantùm malediceret Deo.*
3. *An qui eodem impetu blasphemat D. Petrum, & D. Paulum, committat duo peccata.*
4. *An qui vno impetu dicit alteri multas iniurias, tot peccata committat, quot sunt verba iniuriosa.*
5. *An habens peccatum mollitiei, tot peccata committat, quot obiecta recogitat, & sint peccata diuersa speciei si varia sint obiecta.*
6. *Titulo dubitationis respondetur.*
7. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, an vno ictu occidens plures homines, committat plura homicidia.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

Videtur tot esse peccata, quot sunt personæ, quibus maledicitur. nam trium hominum cædes ex obiectis numero diuersis distinguitur, licèt vno ictu sagittæ, vel saxi, vel bellici tormenti fuerit patrata. ergo similiter qui vno sermonis impetu simul maledictum in B V. & in duodecim Apostolos confert, tot criminum culpam contrahit, quot sunt personæ sanctæ, quibus obiicit maledictum. Sic tenuit Azor. *part.1. Instit. moral. lib.4. cap.4. dubio 5.*

DVBI

### Dubitatio I.

II. *An vno impetu maledicens Deo, & Sanctis, vnum tantùm peccatum blasphemia committat? & , an sit maius peccatum, quàm si semel tantùm malediceret Deo?*

Dico primò, qui plura maledicta vnico sermonis impetu in Deum, vel in aliquem Sanctorum confert, vnicum tantùm blasphemiæ peccatum admittit, licèt peccatum sit grauius, quàm si semel tantùm malediceret Deo, vel alicui ex Sanctis: nam qui vnico impetu plurias Clericum percutit, semel tantùm est excommunicatus, vt colligitur ex *cap. cùm pro causa, de sent. excomm.* Tum, quia si quis vnico impetu alterum appellat bis, térve latronem, vnum peccatum admittit. Item si quis aliquem cæderet gladio, vel pugnis, licèt multiplicet verbera, & vulnera, semel tantùm peccat, quia omnia illa verbera, & vulnera sunt partes vnius rixæ, & contentionis. ergo, &c. Similiter qui plura maledicta in Deum, vel in Sanctos confert, vnicum tantùm peccatum admittit, cùm omnia illa maledicta sint partes vnius continuati sermonis. Sic Nauarr. *tom. 2. consil. lib. 5. de pœnitent. & remiss. consil. 14. num. 7.*

### Dubitatio II.

III. *An qui eodem impetu blasphemat D. Petrum, & D. Paulum, committat duo peccata?*

Dico secundò, qui eodem impetu blasphemat D. Petrum, & D. Paulum, duo blasphemiæ peccata admittit, quia augentur numero blasphemiæ & maledicta pro numero eorum, quibus obiiciuntur: tum, quia qui vnico ictu ferit tres Clericos, ter est excommunicatus. Item qui vnico impetu, & actu occidit tres homines, tribus se homicidij peccatis obstringit, quoniam ex obiectis numero diuersis augentur numero homicidia. Similiter qui vno sermone maledicit S. Petro, & S. Paulo, duo blasphemiæ peccata admittit. Azor. *part. 1. instit. mor. lib. 4. cap. 4. dub. 15.* videatur etiam *part. 3. lib. 2. cap. 18. §. Secundò notandum*, & Nauarr. nouissimè citat. ad maiorem explicationem præcedentium pronunciatorum.

### Dubitatio III.

IV. *An qui vno impetu dicit alteri multas iniurias, tot peccata committat, quot sunt verba iniuriosa?*

Dico tertiò, qui eodem impetu dicit alteri quatuor, vel quinque iniuriosa verba significantia diuersas iniurias, puta quòd sit fur, falsarius, hæreticus, tot peccata committit, quot sunt contumeliæ distinctæ speciè. Quia qui vno impetu ferit, blasphemat, & hæresim asserit, tria peccata committit. ergo; similiter qui vnico impetu plures contumelias significantes diuersas specie iniurias confert in aliquem, tot admittit peccata, quot sunt verba Iniuriosa significantia distinctas specie iniurias: tum, quia, qui alteri vnico sermone imprecatur multa simul mala, tot species maledictionis, & peccata committit, quot sunt malorum species, quæ alteri imperat, & consequenter in confessione explicandum est quod malum, & quot mala alteri quis est imprecatus: secus autem, si mala, quæ imprecatur, sunt eiusdem speciei, & vnico actu ea alteri imperat: sicuti si plura maledicta vnico sermonis impetu in aliquem Sanctorum confert, vnicum peccatum committit, vt diximus *assertione prima*, quia omnes blasphemiæ, & maledicta prolata in Sanctos sunt eiusdem speciei, quia omnes blasphemiæ conueniunt in vnica ratione specifica, quæ est tribuere Deo in se, vel vt in Sanctis relucet quod ipsi non conuenit, vel negare quod illi conuenit, vt bene Caiet. 2. 2. *quæst. 13. art. 1. ad finem commenti.* Videatur pro hac assertione Sayr. *in Claui Regia, lib. 12. cap. 5. n. 10. ad finem.* Nauarr. nuper adductus *eodem loco n. 6. & 8.*

### Dubitatio IV

V. *An habens peccatum mollitiei, tot peccata committat, quot obiecta recogitat. & sint peccata diuersæ speciei, si varia sint obiecta?*

Dico quartò, consequenter qui mollitiei peccatum admittit, si vt magis delectetur inducit sibi in memoriam, virginem, viduam, nuptam, cognatam, sacram Monialem, sex peccata committit, vel vnum, habens sextuplicem malitiam, quia committit peccatum contra naturam mollitiei. peccat enim contra naturam qui venereum actum tali aliquo modo prauo exercet, qui per se repugnat humanæ generationi, quæ est finis eiusdem actus: habens etiam malitiam simplicis fornicationis, quia cogitat de vidua; stupri, quia de virgine; incestus, quia de cognata; adulterij, quia de nupta; sacrilegij, quia de persona Deo dicata Moniali. Ita benè Nauarr *summ. cap. 6. num. 18. § Infertur sextò.*

VI. *Titulo dubitationis respondetur.*

Dico quintò, directè respondens quæsito, qui vnico sermonis impetu maledicit B. V. & duodecim Apostolis, duo tãtùm peccata videtur admittere. Probatur: nam qui alicui, & toti familiæ eius imprecatur mortem, duo tantùm peccata admittit, & non tot, quot sunt personæ familiæ, quia tota familia pro vna persona ficta accipitur, licèt multos significet, eos tamen collectiuè tanquam vnum corpus fictum significat. ergo, &c. Similiter qui maledicit B. V. & simul duodecim Apostolis, duo tantùm peccata blasphemiæ committit, quia duodecim Apostoli vnam personam fictam sanctitate præditam significant. Sic Nauarr. nuper allegatus *vers. Infertur quintò.*

VII. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

### Dubitatio V.

*An vno ictu occidens plures homines committat plura homicidia?*

Nec officit ratio in contrarium ab initio posita; concedimus enim antecedens, & negamus consequentiam. Nam licèt cædes trium hominum vno ictu sagittæ, saxi, vel bellici tormenti patrata fuerit, vnicus tamen actus ille terminatus est ad plures numero diuisiuè homines: vnde, vt terminatur ad plures numero homines, variatur homicidium secundùm obiectum numero distinctum, etiam numericè, & perinde est, ac si plura homicidia numero distincta fuissent perpetrata, nam homicidium sumit suam malitiam ab obiecto, nimirum homine occiso. Similiter qui maledicit Beatissimæ Virgini, & B. Petro, duo peccata blasphemiæ committit, quia duas personas sanctitate præditas blasphemat. Si verò maledicta confert in Beatissimam Virginem, & duodecim Apostolos, duo itidem

itidem peccata admittit: quia duodecim Apostoli collectiue sumpti vnam fictam personam constituunt. Videatur Nauarr. *tomo 2.consil. lib. 5. de pœnit. & remiss. consil. 14. num. 9.*

## DISQVISITIO XX.
### *De Cambijs.*

### ARTICVLVS I.
### An campsoria ars sit licita, & honesta?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur quid sit ars campsoria? quid sit cambium, & quæ species illius.*
3. *Veritas aperitur, explicando, an ars campsoria sit de genere earum rerum, quæ habent speciem mali, & an possit honestari.*
4. *Rationi à principio respondetur, explicando, quomodo pecunia pariat pecuniam.*

I. *Pars negatiua probatur.*

ARs quæ contra naturam rerum est excogitata, turpis est, & iniqua; sed hæc nummularia est huiusmodi. ergo, &c. Maior est certa: nam ars non destruit naturã, nec pugnat cum ea, quin potiùs illam imitatur, & perficit. Minor verò probatur: quia pecunia sterilis est, nec parit pecuniam; at per artem campsoriam parit pecuniam; ergo ars campsoria est excogitata contra rerum naturam. turpis est ergo, & iniqua, & ita Arist. *5. Polit. cap. 6. & 7.* illam damnat, veluti naturæ, & rectæ rationi repugnantem.

#### DVBITATIO I.

II. *Explicatur quid sit ars campsoria? quid sit cambium, & quæ species illius?*

Dico primò, ars campsoria est negotiatio in commutatione numismatum: cambium autem est actus huius artis, permutatio scilicet negociatoria numismatum pro numismatibus. Cambiorum quatuor sunt species. Prima species dicitur cambium ad minutum, quod solet appellari, *Cambium manuale*. Secunda dicitur cambium siccum: tertia cambium per literas: quarta cambium reale, de quibus infrà. Vide Syl. *verb. vsura 4. num. 5. & 6.*

Dico secundò, quatuor sunt genera rerum. Primum est earum, quæ sunt omnino, & intrinsecè bonæ, vt diligere Deum: secundum earum, quæ sunt omnino, & intrinsecè malæ, vt mentiri: tertium est earum, quæ sunt indifferentes: quartum, & vltimum earum, quæ habent quidem speciem mali, & turpitudinis: possunt tamen ex circumstantiis honestari, vt occisio hominis, quæ prima facie habet speciem mali: at ea circunstantia potest rectè fieri, vt cùm occiditur sicarius ex sententia iudicis. Vide D. Thom. *quodl. 9. art. 15.*

III. *Veritas aperitur, & explicatur*

#### DVBITATIO II.

*An ars campsoria sit de genere earum rerum, quæ habent speciem mali, & an possit honestari?*

Dico tertiò, ars campsoria secundùm se est de genere earum rerum, quæ habent speciem mali, vel de genere malè sonantium. quia negotiatio secundùm se habet speciem mali, importat enim quoddam fomentum cupiditatis, cui nullus est terminus, siquidem exercetur lucri gratia, vt docet D. Th. *2. 2. q. 77. art. 4. in corp.* sed ars campsoria est quædam species negotiationis, vt constabit infrà. ergo secundùm se, habet quandam speciem mali. Ita bene Bannez *2. 2. q. 78. a. 4. dub. 1. de cambijs, conclus. vnica.*

Dico quartò, licèt ars nummularia habeat secundùm se quandam speciem mali, potest tamen iustis de causis honestari: nam ars Reipublicæ necessaria, quæ non est essentialiter & intrinsecè mala, si debitus finis, ac circunstantiæ non desint, potest ex illis honestari, vt docet D. Th. nuper allegatus. Sed ars nummularia est Reipublicæ necessaria, vt constat, nec essentialiter mala, potest enim fieri propter honestum finem, ad habendum scilicet ex cambio lucrum, quo familia honestè alatur; ergo potest ex fine, & circonstantiis honestari. Sic Caiet. *tom. 2. opuscul. tract. 7. c. 5.*

IV. *Rationi à principio respondetur, & explicatur*

#### DVBITATIO III.

*Quomodo pecunia pariat pecuniam?*

Nec obstat ratio in contrarium: negamus enim ad argumentum minorem propositionem, artem scilicet campsoriam destruere naturam, & ad illud quod obiicitur; nam pecunia non parit pecuniam. Respondetur distinguendo; non parit pecuniam ratione sui, & præcisè secundùm se, concedo; non potest parere lucrum, & pecuniam ratione laborum, industriarum & expensarum campsoria, tanquam stipendium illius, negatur. Ita benè Salon. *tom. 2. q. 1. de cambijs, art. 2. n. 7. vers. ad argumenta primæ opinionis, fol. 519. mihi.*

### ARTICVLVS II.
### An in cambio minuto, & manuali liceat commutare pecuniam cum pecunia cum aliquo lucro?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas explicatur, & declaratur, quidnam sit cambium manuale, & valor pecuniæ quotuplex sit.*
3. *Explicatur quotuplex sit vsus pecuniæ, & quinam sit.*
4. *An pecunia ratione materiæ possit pluris vendi, vel commutari, quàm valeat iuxta legis præscriptum.*
5. *An pecunia vt pecunia est, possit vendi pluris, quàm eius æstimatio legalis valeat.*
6. *Titulo dubitationis respondetur.*
7. *Rationi à principio respondetur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm legitimum pretium rei consistit in indiuisibili, vt pretium tritici, vini. ergo non licebit commutare pecuniam cambio minuto maiori pretio, quàm lege sit taxatum, vt si nummus aureus lege taxatus sit duodecim Iuliis, dum commutatur cum minutis argenteis, non licebit supra valorem illius lege taxatum exigere duodecim Iulios cum dimidio, & ita hanc sententiam tenuit Ioannes Medina *tract. de Cambijs, quæst. an pecunia vendi possit.*

II. *Veritas*

II. *Veritas explicatur, & declaratur*

## Dvbitatio I.

*Quidnam sit cambium manuale? & valor pecuniæ quotuplex sit?*

Dico primò, cambium minutum, seu manuale, illud est, cùm quis dat pecunias maiores pro minoribus; vel econtra, cùm quis dat minores pro maioribus. quæ quidem commutatio numismatum aliquando est inter numismata diuersarum specierum physicè, & naturaliter, vt quando permutantur aurei pro argenteis, vel æreis, aliquando verò inter numismata eiusdem naturæ, & rationis physicæ, alterius tamen rationis secundùm artem, vt quando commutantur aurei duplices pro simplicibus, vel è conuerso. Vide Baunes 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 4. *de cambijs, dub.* 1.

Dico secundò, duplex est valor pecuniæ. Vnus ratione materiæ, nam pecunia auri aurum est, argentea argentum est, ænea æs est, & sic habet valorem, quem habet pars auri, argenti, vel æris, & talis valor dicitur naturalis, alter valor ipsius est ratione formæ, seu sigilli, quod habet vt insignita, & notata publico sigillo Reipub. vel Principis auctoritate publica impressa, & sic pretium illius est, quod à Principe, vel Repub. fuit illi taxatum, & talis valor dicitur legalis: vide Sotum *lib.* 6. *de iust. quæst.* 9. *art. vnico, versic. ad intelligentiam.*

## Dvbitatio II.

III. *Quotuplex sit vsus pecuniæ, & quinam sit?*

Dico tertiò, vsum pecuniæ esse duplicem: alium per se, & formaliter, quatenus pecunia est, signatáque publico sigillo: alium verò per accidens, & materialiter, quatenus confecta est ex auro, argento, & ære: tot vsus per accidens, & materialiter pecunia potest habere, quot sunt vtilitates, quæ ex illius materia haberi possunt, vt docet D. Thom. 1. 2. *q.* 77. *art.* 1. *ad primum.* Vsus verò pecuniæ per se, & formaliter quatenus pecunia est, est duplex, quidam primarius, alius secundarius; per se & primarius est, vt sit pretium omnium rerum venalium. Dicitur *per se*; quia conuenit illi formaliter, quatenus pecunia est. Dicitur *primarius*, quia in hunc finem fuit primò, & potissimè inuentum numisma, vt illo res necessariæ emantur: vsus verò per se, & secundarius est, vt commutetur vnum numisma pro alio. Dicitur *per se*, quia conuenit hic vsus pecuniæ formaliter, & quatenus pecunia est, non enim commutatur vt aurum, vel vt argentum, sed vt pecunia: est autem secundarius, quia pecunia non fuit primò, & potissimè inuenta, vt in aliam pecuniam mutaretur, sed vt esset pretium aliarum rerum: necessitate verò cogente oportuit quoque vnam pecuniam pro alia commutare, & in hunc quoque vsum illam conuertere. Quemadmodum, inquit Arist. *lib.* 1. *Politic. cap.* 6. calcei vsus est duplex, per se, & formaliter, non ratione, qua corium est, sed qua calceus est. Primarius formaliter, & per se calcei vsus est, Incalceario, & obsequium quod præstat pedibus: secundarius autem vsus per se, & formaliter, est commutatio calcei in pecuniam, seu pretium, nimirum, vt vendatur, habeátque per illum sutor pecunias, quibus sibi comparet ea, quibus indiget. Simili modo oportuit pecuniam habere illos duos vsus, &c. Vide Salon. *tom.* 1 *tract. de cambijs, quæst.* 1. *art.* 2. *n.* 4. *fol.* 528 *mihi.*

## Dvbitatio III.

IV. *An pecunia ratione materiæ possit pluris vendi, vel commutari, quàm valeat iuxta legis præscriptum?*

Dico quartò, pecunia ratione materiæ secundùm metalli naturam, & quoad vsum per accidens, potest pluris vendi, & commutari, quàm valeat iuxta legis præscriptum: vt si quia auro indigeat, vel ad deaurandum, vel ad medicamen aliquod conficiendum, vel ad ornamentum, vel ad alios vsus, potest alter ei ducatum aureum vltra valorem quo eo numisma æstimatur, vendere: quia sicut potest rude aurum non impressum vendi egenti, sic & illud, quod est signatum publico sigillo, commutari, & vendi maiori pretio, quàm sit legale, quia pretium monetæ auctoritate publica non taxatur, nisi vt moneta est formaliter, & vt pretium rerum venalium est quoad effectum suum primarium, non autem ratione materiæ, & secundùm metalli naturam, & quo ad vsum per accidens. Sic Syl. *verb. vsura* 4. *num.* 3.

## Dvbitatio IV.

V. *An pecunia, vt pecunia est, possit vendi pluris, quàm eius æstimatio legalis valeat?*

Dico quintò, licèt pecunia secundùm suum vsum primarium, & principalem, vt pretium rerum venalium est, non possit commutari, aut vendi pluris, quàm eius æstimatio legalis valeat; quia valor eius, vt sic consistit in indiuisibili, & nō potest augeri, vel minui nisi Principis, vel Reipublicæ auctoritate: benè tamen potest secundùm eius vsum minus principalem, & secundarium, & sic poterit numisma commutari maiori pretio, quàm sit legale: quia determinatio valoris monetarum per legem respicit numisma quo ad vsum formalem, primarium, & per se, vt scilicet est pretium rerum omnium venalium, non autem æstimatio eius est taxata quo ad vsum eius secundarium, quatenus scilicet deseruit ad commutationem vnius pecuniæ pro alia. Ita benè Caiet. *tom.* 1 *opusc tract.* 7. *de cambijs, cap.* 6. *vers. Nec obstat.* Sotus *lib.* 6. *de iust. q.* 9. *art. vnico, concl.* 2.

VI. *Titulo dubitationis respondetur.*

Dico sextò, directè respondens quæsito: in cambio minuto, seu manuali, quod est permutatio pecuniæ præsentis cum præsenti, & in eodem loco, vt cùm quis dat pecuniam auream pro argentea, vel è contra, licitum est commutare pecuniam pro alia pecunia maiori pretio, moderato tamen, quàm lege taxetur. Probatur, quia sicuti moneta magna, & aurea habet suas commoditates, ita etiam & minuta. ergo ratione commoditatis, quam recipit campsarius, poterit campsor maiori pretio, moderato tamen, vnam pecuniam pro alia commutare; hæc enim commoditas est pecunia æstimabilis. Antecedens patet. nam pecunia aurea ex natura sua est facilioris asportationis, valet etiam in pluribus locis; valet ad medicandum, & ad alias commoditates. Item pecunia inferioris metalli solet etiam pluris æstimari propter necessitatem ad negotiandum, & quia ad sumptus familiares est magis commoda. Sic benè Bannes 2. 2. *quæst.* 78. *art* 4. *de cambijs, dub.* 2. *concl.* 1. Less. *lib.* 2. *de iust. cap.* 23. *dub.* 2. *num.* 12.

VII. *Rationi à principio respondetur.*

Nec obstat ratio à principio adducta. nam tantùm probat quòd valor pecuniæ taxatur in ordine ad vsum primarium, quatenus scilicet est pretium rerum omnium

omnium venalium, & sic consistit in indiuisibili, nec potest augeri, vel minui, nisi auctoritate publica Principis, vel Reipublicæ. Cæterùm quantum ad vsum secundarium, vel ad vsum accidentarium, potest maiori pretio commutari & vendi, dummodo lucrum inde proueniens sit moderatum. videatur Bannes nouissimè adductus *ad primum argumentum Caiet. in opusc. cit. cap. 6. vers. Nec obstat.* Sotus *vbi suprà concl. 1. & 2.*

---

## ARTICVLVS III.

## An qui non fungitur officio campsoris, possit tuta conscientia ex cambio minuto lucrum accipere?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Resoluitur dubitatio.*
3. *An faciens officium cambiendi absque auctoritate publica, possit accipere tantum lucrum, quantum illi, qui ex officio faciunt.*
4. *An peccet qui facit officium campsoris, si id per legem positiuam prohibeatur, & teneatur lucrum restituere.*
5. *Rationi à principio respondetur.*

### I. *Pars negatiua probatur.*

QVia priuata persona, quæ non exercet munus nummularij, non sustinet onera, nec pericula suscipit, nec labores, nec facit impensas, vt facere solent campsores ex officio. ergo lucrum aliquod ex cambio minuto excipere non potest: nam campsores ratione laborum, industriarum, & expensarum, quas subeunt in pecuniis diuersi generis conquirendis, congerendis, & asseruandis, lucrum aliquod moderatum accipere possunt. ergo. & ita hanc sententiam tenet Armill. *verb. campsor num. 4.*

### II. *Dubitatio resoluitur.*

Dico primò, qui publicum cambiendi officium non habet, potest ex natura rei pro cambio minuto aliquod lucrum accipere, moderatum tamen. quia priuatus homo quamuis publici campsoris Reipublicæ auctoritate cambiendi officium non habeat, eadem tamen obsequia præstat ei, qui indiget permutatione pecuniæ. ergo ratione huius obsequij potest aliquid excipere ne dum cùm monetam magnam cambit pro parua, vel auream pro argentea, sed etiam dum minutam pro magna siue aurea, siue argentea, nam vtrumque fit in gratiam eius qui permutationem petit. Syl. *verb. vsura 4. quæst. 7. §. 3. ad finem.*

## DVBITATIO I.

### III. *An faciens officium cambiendi, absque auctoritate publica, possit accipere tantum lucrum, quantum illi, qui ex officio faciunt?*

Dico secundò, licèt qui sponte sua absque auctoritate publica cambiendi officium facit, possit aliquod lucrum moderatum exigere, non tamen tantum, quantum illi, qui ex obligatione faciunt. quia si ex pluribus titulis lucrum accipiunt ob plura, & maiora pericula, labores & impensas. ergo, &c. sic Nauar. *sum. cap. 17. num. 288.* Bannes *2. 2. q. 78. art. 4. de camb. dub. 5. concl. 2. fol. 416. col. 2. mihi.*

## DVBITATIO II.

### IV. *An peccet qui facit officium campsoris si id per legem positiuam prohibeatur, & teneatur lucrum restituere?*

Dico tertiò, si lege positiua cautum sit ne quis, præter publicos campsores, pro tali cambio minuto quicquam accipiat vltra valorem monetæ, quam cambit, contrafaciendo non peccat lethaliter; quia nulli infertur grauis iniuria, non Reipublicæ, cùm nihil damni sit huic illatum, neque etiam ei, cum quo pecuniam commutauit, cùm nun plus ab eo sit acceptum, quàm iudicio prudentis pecuniæ in tali permutatione soleant æstimari. Sic Speculum Confessariorum *disp. 19. de cambijs quæst. 11. num. 5.*

Dico quartò, priuatus homo lucrum acceptum in cambio minuto non tenetur in conscientia restituere: quia tantum lucrum iustum arbitrio peritorum accepit: peccat tamen ad minus venialiter, si lege aliqua positiua priuatis personis sit interdictum pecunias cambire, quia iustam legem violat, sed ad nullam restitutionem tenetur, quia iustum lucrum accepit. Azor. *part. 3. inst. mor. lib. 11. cap. 4. dub. 7.*

### V. *Rationi à principio respondetur.*

Ad rationem in contrarium respondetur, quòd tantùm probat nostram secundam assertionem, concedimus enim priuatum hominem qui munus campsoris non exercet, non posse tantum exigere in cambio minuto, quantum possunt qui id ex obligatione faciunt, quia isti ex pluribus causis lucrum accipiunt, nimirum ob plura, & maiora pericula, labores, & impensas: at priuatus homo solùm potest aliquid exigere, vel ratione nobilioris, commodioris & vtilioris materiæ, quam dat; vel ratione obsequij quod præstat in pecuniis permutandis, etiam dum cambit minutam pro magna, siue aurea, siue argentea; nam hoc etiam fit in gratiam eius, qui permutationem quærit, nequit tamen accipere aliquid, vt merces officij, quod possunt qui Reipublicæ auctoritate cambiendi officium exercent.

---

## ARTICVLVS IV.

## An in cambio per litteras, cùm quis dat campsori pecunias, & campsor dat litteras, vt per eas dans pecuniam accipiat alibi, licitè nummularius, & tuta conscientia possit aliquid lucrari?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, declarando an huiusmodi cambia cum incremento sint licita: & an liceat accipere lucrum etiam quando fiunt de vno loco in alium eiusdem regni, vel Prouinciæ.*
3. *Quænam sint regula pro lucro in cambijs, & ex his titulo dubitationis respondetur.*
4. *Rationi à principio respondetur, & explicatur, vnde oriatur conuenientia lucri in cambijs.*

### I. *Pars negatiua probatur.*

NAm pecunia præsens pluris valet, quàm absens. ergo si campsor recipit præsentem pecuniam, vt alibi eam soluat, non potest licitè aliquid vltra valorem pecuniæ accipere, sed potiùs campsarius debet aliquod lucrum accipere, qui dat præsentem pecuniam.

II. *Veritas*

II. *Veritas aperitur, & declaratur*

### DVBITATIO I.

*An huiuſmodi cambia cum incremento, ſint licita? & an liceat accipere lucrum etiam quando fiunt de vno loco in alium eiuſdem regni, vel Prouinciæ?*

Dico primò, huiuſmodi cambia cum aliquo incremento ſunt licita. Probatur, nam campſor traiiciendo pecuniam in gratiam alterius in locum, vbi dans ea indiget, præſtat danti aliquod obſequium, quod eſt pretio æſtimabile; ergo in hoc cambio licitum erit campſori aliquod lucrum exigere. Sic Caiet. *tom. 2. opuſc. tract. 7. de cambijs, cap. 1. verſ. Secundò cùm campſor.* Sotus *lib. 6. de iuſtitia, quæſt.* 10. *art.* 1. Syl. *verb. vſura 4. quæſt.* 8. Armill. *verb. campſor, num.* 5

Dico ſecundò, qui auctoritate Principis non fungitur munere, & officio campſoris, poteſt tuta conſcientia ex tali cambio lucrum recipere. Probatur, quia qui recipit in vno loco pecunias ſoluendas in alio, eo ipſo alteri inſeruit, qui periculo, labore, & impenſis aliò deportaret; ergo ſui laboris, & operæ ſtipendium meretur. Nauarr *ſumm. cap.* 17. *n.* 188.

Dico tertiò, in hoc cambio licet lucrum accipere, etiam quando fit de vno loco in alium eiuſdem regni, vel Prouinciæ, vt à Placentia Parmam, quia ſicuti opera, quam præſtat campſor tranſmittendo pecuniam de vna Prouincia in aliam, eſt pretio æſtimabilis, ita etiam ex vna vrbe in aliam in eadem Prouincia. Leſſ. *lib. 2. de iuſt. cap.* 23. *dub.* 4 *num.* 33. Nauar. *ſumm. cap.* 17. *num* 190.

### DVBITATIO II.

III. *Quænam ſint regulæ pro lucro in cambijs? & ex his reſpondetur titulo dubitationis.*

Dico quartò, lucrum in cambiis, & permutatione pecuniarum per tres regulas menſurari poteſt, aut per legem, vbi lex taxauit pretium, ſeu lucrum cambiorum, aut per vniuerſalem conſuetudinem, aut arbitrio boni viri. hoc lucrum in cambio minuto datur campſori ob obſequium quod præſtat ei, qui indiget pecuniæ permutatione. In cambio per litteras ob tranſmiſſionem, ſeu tranſportationem, quam ex vno loco in alium facit ipſarum pecuniarum; in cambio verò reali propter labores, impenſas, & pericula: vide Tolet. *lib. 5. ſummæ cap.* 53. *num.* 3.

IV. *Rationi à principio reſpondetur, & explicatur*

### DVBITATIO III.

*Vnde oriatur conuenientia lucri in cambijs?*

Nec obſtat ratio in contrarium: nam quòd pecunia pluris valeat, id non prouenit principaliter ex eo, quòd eſt præſens, vel abſens, ſed ratione commoditatis, quam affert vtenti illa, & cùm pecunia abſens in cambio per litteras campſario vtilitatem, & commoditatem afferat, hic enim indiget aſportatione pecuniarum ex hoc loco in alium. Ideo campſor leuando campſarium onere transferendi pecuniaa, meretur aliquod lucrum: videatur pro hac ſolutione Leſſ. *lib. 2. de iuſt cap.* 23. *dub.* 3. *num.* 14.



## ARTICVLVS V.

## An in cambio reali, in quo campſor dat pecunias campſario, vt eas in alio loco recipiat, poſſit tuta conſcientia ex tali cambio aliquid lucrari?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas declaratur, & explicatur, an cambium, in quo campſor dat pecunias, vt eas in alio loco recipiat, habeat rationem mutui.*
3. *Titulo dubitationis reſpondetur.*
4. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur, huius lucri conuenientia.*

I. *Pars negatiua probatur.*

QVia in iſto cambio reali, in quo campſor dat prior pecuniam, vt alibi illam recipiat, non traiicit alterius pecuniam ex vno loco in alium, ſed ſolùm ſuam dat mutuo campſario, vt alibi cum incremento recipiat; ſed in mutuo recipere aliquod lucrum ſupra ſortem principalem eſt vſurarium. ergo, &c.

II. *Veritas declaratur, & explicatur*

### DVBITATIO VNIC.

*An cambium, in quo campſor dat pecunias vt eas in alio loco recipiat, habeat rationem mutui?*

Dico primò, cambium in quo campſor dat pecunias, vt eas in alio loco recipiat, non habet rationem mutui. Probatur, quia in mutuo reſtituenda eſt res, vbi mutuata eſt: at verò in hoc cambio pecunia ad cambium data in alio loco reſtituenda eſt, quàm ſit locus vbi fuit primò data, & recepta. ergo, &c. Tum, quia in mutuo ex ſua natura diſtantia temporis intercedit, quo mutuatarius poſſit vti re mutuata: at verò in hoc cambio diſtantia temporis per ſe, & ex ſua natura non competit, ſed ſolùm diſtantia loci. quia niſi loci diſtantia impediret, campſarios redderet ſtatim pecuniam quam hic recipit, vbi eſt reddenda. Videatur Syl. *verb. vſura 4. quæſt* 8. Leſſ. *lib. 2. de iuſt. c.* 23. *dub.* 1. *num.* 4. Azor. 3. *part. inſtit. mor. lib.* 10. *c.* 6. *q.* 1.

III. *Titulo dubitationis reſpondetur.*

Dico ſecundò, campſor dans pecuniam campſario, vt eas in alio loco recipiat, poteſt tuta conſcientia aliquid ex hoc cambio lucrari, quia campſor numerando hîc pecuniam præſentem, ei, qui habet remotam, tantum obſequij, & beneficij in alterum confert, quantum ſi pecuniam remotam huc transferret, ſed obſequium tranſlationis pecuniæ eſt pretio æſtimabile. ergo numeratio pecuniæ præſentis pro abſente eſt pretio æſtimabilis; æquiualet enim tranſlationi pecuniæ ex vno loco in alium. Sic benè Sotus *lib. 6. de iuſt. quæſt.* 10. *art.* 1. *verſ. & probatur tertiò.*

Dico tertiò, priuato homini, qui nummularij officium non facit, etiā licet aliquod lucrum ex hoc cambio percipere. quia etiam hic permutat pecuniam præſentem, cùm pecunia remota, quæ ſine periculis, labore, & impenſis, huc, vbi eam permutat, nequit transferri. Bannez 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 4 *de cambijs, dub.* 5. *concl.* 2. Azor. 3. *p inſt. mor. lib.* 10. *cap.* 6. *dub* 5. Valent *tom.* 3. 2. 2. *diſp.* 5. *q.* 23. *puncto* 4. *concl.* 5. qui addit, quò plus loca diſtant, eo campſorem poſſe maiorem compenſationem petere. Videatur *ibi concl.* 3. *verſ. hinc ſequitur.*

**IV.** *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur huius lucri conuenientia.*

Ad rationem in contrarium respondetur negando maiorem. nam campsarius, qui pecuniam præsentem petit à campsore pro remota alibi soluenda, petit leuari onere translationis suæ pecuniæ in hunc locum, in quo illam recipit à nummulario; & sic hoc onere leuat illum nummularius, numerando præsentem pecuniam, & illud in se recipit: hoc autem est pretio æstimabile; ratione igitur huius virtualis translationis pecuniarum meretur aliquod lucrum. nam si campsor re ipsa pecunias de loco ad locum transferret, posset petere aliquam compensationem. ergo potest etiam illam recipere cùm numerat campsario præsentem pecuniam pro remota alibi recipienda. nam hoc modo transfert saltem virtualiter pecunias campsarij ex alio loco huc, vbi fit cambium. quæ translatio virtualis cùm non minorem vtilitatem afferat campsario, quàm afferret realis translatio pecuniarum ipsius de loco in locum, licitè poterit campsor ex hoc cambio aliquod lucrum exigere. videatur Sotus *lib. 6. de iust. q. 10. art. 1. vers. & probatur tertiò:* cuius doctrinam sequitur Valent. nuper addictus *concl.* 3. Lessius *lib. 2. de iust. c. 23. dub. 4. n.* 28. Saluo semper meliori iudicio.

---

## ARTICVLVS VI.

## An cambium fictitium, siue siccum, sit vsurarium?

### *SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, & quidnam sit cambium siccum, & diuersi modi illius explicantur.*
3. *Explicatur quid sit cambium siccum, compositum ex cambio, & recambio, & an sit licitum.*
4. *An sit vsurarium cambium, in quo nummularius dat campsario pecuniam eo pacto, vt soluat alibi, aliàs, quòd teneatur ad omnia lucra, quæ nummularius ex repetitis cambijs esset percepturus.*
5. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur quid sit mutuum palliatum nomine cambij.*
6. *An campsor dans bona fide ad cambium pecunias Romæ soluendas Venetijs, vbi campsarius fingit eas habere, peccet; & teneatur ad restitutionem lucri.*

**I.** *Pars negatiua probatur.*

NAm cambium fictitium, siue siccum, tunc est, quando campsarius non habet pecunias eo loco, vbi soluendum, vt docet Azor. *p. 3. instit. moral. lib. 10. cap. 20. vers. 3.* sed hoc non facit cambium iniustum, & vsurarium, quia, etsi non habeat campsarius ibi actu pecunias, sufficit ad iustitiam cambij, vt alias pecunias nomine, & iure cambij ibi ad soluendum recipiat, vel quòd eas ab amico mutuo recipiat, vt rectè docet Syl. *verb. vsura 4. quæst. 9. vers. 6.* quem sequitur Azor *loco cit. lib. 10. cap. 11. dub. 6.* ergo cambium siccum non est saltem semper iniustum, & vsurarium.

**II.** *Veritas aperitur, & explicatur*

### DVBITATIO I.

*Quidnam sit cambium siccum, cuius diuersi modi enodantur.*

Dico primò, cambium siccum illud est, quod caret humore, seu iusto titulo ad pariendum lucrum; hoc cambium dicitur *fictitium*, quia non est verum, sed fingitur esse, eo quòd imaginem quandam cambij præseferat. Armil *verb. campsor, num.* 8. 9. Less. *lib. 2. de instit. cap. 23. dub. 1. num.* 5.

Dico secundò consequenter, quando nullæ litteræ campsoriæ ex loco ad locum mittuntur, est cambium siccum. Item quando litteræ mittuntur, sed reuera inanes, remittuntur. Item quando nummularius dat alteri pecunias quem scit nullam pecuniam actu, vel potestate habere in loco, vbi soluturus esset. Item cùm pecunia datur alicui, & qui dat scit, vel credit ibidem, non alibi esse soluendam. quia non ratione asportationis pecuniarum de loco ad locum, cùm nullæ asportentur, lucrum in his cambiis exigitur, vel aliquo iusto titulo, sed ratione solius temporis formaliter, quo solutio expectatur. Tum, quia hæc cambia sicca tanquam iniusta, & vsuraria damnantur à Pio V. sanctissimo in sua constit. 118. cuius initium est, *In eam pro nostro.* Videatur Bannes 2. 2. *quæst. 78. art. 4. dub. 5.* Azor. *part. 3. institutionum moral. lib. 10. cap. 10.*

### DVBITATIO II.

**III.** *Quid sit cambium siccum, compositum ex cambio, & recambio, & an sit licitum?*

Dico tertiò, altera species cambij sicci est composita ex cambio & recambio, v. g. campsor dat Petro centum soluenda Venetiis, vbi reuera nummularius nullos habet correspondentes, nec Petrus habet vnde ibi soluat, & petit campsor lucrum ex hoc cambio. Rursus tempore solutionis fingit Petrus se non habere Venetiis, & illa centum cum lucro iterum cambit cum lucro Romam, vbi accepit centum à campsore. & Romæ soluit totum, puta pretium cum lucro cambij, & etiam recambij; hoc cambium est siccum, iniustum, & vsurarium: quia hîc solùm est mutuum, & remutuum cum lucro nomine cambij palliatum. Vide Syl. *verb. vsura, 4. quæst. 9. vers. quintum.* Toletus *summa lib. 5. cap. 52. num.* 3.

### DVBITATIO III.

**IV.** *An sit vsurarium cambium, in quo nummularius dat campsario pecuniam eo pacto vt soluat alibi, aliàs, quòd teneatur ad omnia lucra, quæ nummularius ex repetitis cambijs esset percepturus?*

Dico quartò, cambium siccum est, & vsurarium, quando nummularius dat campsario indigenti eo pacto, vt soluat alibi, sin minùs, soluat omnia lucra, quæ nummularius ex repetitis cambiis esset percepturus: quia campsor certò scit, vel probabiliter credit indigentem campsarium non esse alibi soluturum, & pecunias tantùm petit ad tempus soluendas, quia ad tempus ipsis indiget. Vide Salon. *tom. 2. quæst. 4. de cambijs, art. 2. controuers. 9. num* 4. Posset tamen hoc cambium excusari ab iniustitia si pecuniam campsario indigenti mutuet, & ea de causa verum lucrum illi cessat; quia sicut in aliis contractibus potest haberi ratio lucri cessantis, vel damni emergentis, ita etiam in contractu cambij. sic Caietanus *tomo 2. opuscul. tract. 7. de cambijs, cap. 1. §. Iniusta verò.* Speculum Confessariorum *disputat. 19. de cambijs, quæst.* 20.

**V.** *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

D.vbi

### DVBITATIO IV.

*Quid sit mutuum palliatum ratione cambij?*

Ad rationem in contrarium respondetur distinguendo maiorem: si campsarius eo in loco, in quo est soluturus, nullam haberet pecuniã, nec actu, nec potestate, fatemur tunc esse cambium siccum, & mutuum palliatum nomine cambij: quia tunc præsens pecunia commutaretur cum ea, quæ nusquam est, nec esse potest. Ceterùm non est cambium siccum, si actu non habeat ibi pecunias, potestate tamen habere possit, quia scilicet ibi habet amicum, qui eam dabit mutuo, vel ad cambium: sufficit enim ad veram rationem cambij quòd campsarius habeat, vel habere possit eo in loco vbi soluturus est aliqua licita ratione pecuniam quam ibi soluat. Sic benè Syl. *verb. vsura 4.q.9.vers.6.* quem sequitur Azor. *vbi suprà cap.11.dub.6.*

### DVBITATIO V.

VI. *An campsor dans bona fide ad cambium pecunias Romæ, soluendas Venetijs, vbi campsarius fingit eas habere, peccet, & teneatur ad restitutionem lucri?*

Obseruandum tamen quòd si campsor bona fide, dedit ad cambium pecunias Romæ Paulo campsario, fingenti se habere illas soluendas Venetiis, cùm reuera nullas ibi nec actu, nec potestate habeat, tunc campsor non peccat, teneretur tamen postea cognita veritate restituere id, in quo factus est locupletior, & ditior ratione lucri recepti; posset tamen ratione lucri cessantis, vel damni emergentis propter fictionem campsarij lucrum acceptum sibi licitè retinere. Sic benè Bannes 2.2. *quæst.78. art.4. de cambijs, dub.5. concl. 1.*

---

## ARTICVLVS VII.

## An campsor possit pacisci cum campsario de aliquo certo lucro recipiendo, si vltra terminum præfixum non soluerit pecuniam vbi est soluenda?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur explicando, an id, quod in dubitatione quæritur, liceat, quando campsor suspicatur campsarium nullam habere pecuniam, vel creditum in loco solutioni designato.*
3. *An sit licitum in principio cõtractus cambij conuenire cũ campsario de aliquo certo lucro persoluendo, litteris non solutis, vbi facienda est pecuniarum solutio, ratione futuri damni emergentis, vel lucri cessantis.*
4. *An liceat in contractu cambij petere à campsario fideiussiones, vel pignora.*
5. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, an aliquo casu liceat mutuatori aliquid exigere à mutuatario vltra sortem principalem.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm mutuans alicui centum aureos, potest ratione periculi amissionis sortis pacisci cum mutuatario aliquid vltra sortem exigere. ergo similiter campsor potest pacisci cum campsario de aliquo certo lucro capiendo si vltra terminum præstitum non soluerit ibi, vbi est soluendum, cùm se exponat periculo sortis principalis amittendæ. Antecedens videtur docere Syl. *verb. vsura 1.q.35* & probatur. nam periculum amissionis sortis principalis est pretio æstimabile. ergo licebit in mutuo ratione huius periculi aliquid vltra sortem principalem exigere. ergo similiter & campsor in cambio ratione huius periculi potest pacisci.

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

### DVBITATIO I.

*An id, quod in dubitatione quæritur, liceat, quando campsor suspicatur campsarium nullam habere pecuniam, vel creditum in loco solutioni designato?*

Dico primò, si campsor à principio contractus cambij certò cognoscit, aut saltem suspicatur, campsarium nullam habere pecuniam, vel creditum in loco solutioni designato, & ex consequenti litteras eò remissas non esse ab aliquo recipiendas, nec persoluendas, sed remittendas inde inanes, & vacuas, nullo pacto potest pacisci cum campsario de lucro aliquo capiendo ratione lucri cessantis, vel damni emergentis. quia vbi campsor intelligit, vel saltem probabiliter suspicatur litteras campsarij futuras inutiles, eo ipso exercet cambium siccum, damnatum tanquam iniustum, & vsurarium à Sanctissimo Pio V. in sua constitut. quæ incipit, *In eam pro nostro.* videatur Salon. *tom.1. de cambijs, q.4. art.2. controuers.14. concl.3. vers. Dixi campsor, fol.598. col.1 mihi.*

Dico secundò, potest tamen campsor, qui bona fide tradidit pecuniam suam campsario, certò, vel probabiliter credens illum habere pecuniam, vel creditum in loco solutionis, conuenire cum illo de lucro, quod verè illi cessauerit, & de damno, quod illi verè fuerit subsequutum ex non solutis litteris in termino & loco solutioni designato. Quia iure naturæ licet vnicuique in contractibus quos exercet, maximè in his, qui cedunt in aliorum vtilitatem, seipsum seruare indemnem, & pacisci talem indemnitatem, sed campsor conueniens cum campsario de compensando damno quod illi re ipsa euenerit, vel de lucro, quo verè priuabitur, eo quòd litteræ illius non soluantur, nihil aliud præstat quàm velle se ipsum seruare indemnem. ergo à principio contractus poterit illud pacisci: & ita hanc sententiam tenuit Caiet. *tom. 2. opusc. tract. 7. de cambijs, c.1. §. Iniusta.* Salon. *loc. cit. concl. 3.* Auctor Speculi Confessariorum *disp.19. de cambijs, q.20. num. 1.* Lopez noster *lib.2. de contractibus, cap.13. vers. Quartò dicimus, fol.109. fine.*

### DVBITATIO II.

III. *An sit licitum in principio contractus cambij, conuenire cum campsario de aliquo certo lucro persoluendo, litteris non solutis, vbi facienda est pecuniarum solutio, ratione futuri damni emergentis, vel lucri cessantis?*

Dico tertiò, illicitum est in principio contractus cambij conuenire cum campsario de aliquo certo lucro persoluendo litteris non solutis, vbi facienda est pecuniarum, solutio ratione futuri damni emergentis, vel lucri cessantis. hæc assertio habetur expressè in constitutione adducta Sanctissimi Pij V. ait enim in illa sanctione: *Nec deinceps quisquam audeat siue à principio, siue aliàs, certum, & determinatum interesse, etiam in casu non solutionis pacisci:* tum, quia damnum emergens, & lucrum cessans futurum

arbitrio prudentum omnibus pensatis sunt taxanda. ergo ipse campsor non potest à principio contractus cum campsario conuenire de certo aliquo lucro capiendo ratione damni emergentis, vel lucri cessantis.

Illicitè igitur campsor agit conueniendo cum campsario de certo lucro capiendo sua voluntate taxato, ratione lucri cessantis, vel damni emergentis futuri, litteris non solutis. quia nemo in sua causa debet esse iudex, ne campsor dans pecuniam lucri studio & cupiditate decipiat campsarium accipientem pecunias, & hoc prohibet sanctissimus Pius V. in sua constitutione: non tamen vetat ne principio pactum fiat de lucro cessante soluendo, taxando tamen arbitrio alterius viri prudentis ratione eius, quod interest nummularij; quia hoc licitè campsor potest pacisci cum campsario, vt se ipsum seruet indemnem, vt diximus *assertione* 2. videatur Nauar. *summa cap.* 17. *num* 301. *versic. Nota quartò*, Salon. *vbi suprà concl.* 3. *num.* 7. & 8. Azor. *part.* 3. *inst mor. lib* 10. *cap.* 11. *dub.* 1. *solut. ad* 3 Auctor Speculi Confessariorum *disp.* 19. *de cambijs quaest.* 20. *n.* 1. Lopez noster *lib.* 2. *de contractibus, cap.* 13. §. *Quartò dicimus, fol.* 109. *mihi.*

## Dvbitatio III.

### IV. *An liceat in contractu cambij petere à campsario fideiussores, vel pignora?*

Dico quartò, in contractu cambij licet campsori exigere à campsario fideiussores, vel pignora, quando iudicio boni viri imminet probabile periculum non recipiendae solutionis tempore conuento; quia iure naturae fas est vnicuique se ipsum seruare indemnem: secus autem si cambium sit securum; quia videtur esse contra iustitiam, duas exigere speciales obligationes à debitore, quando vna abundè est per se sufficiens Ita benè auctor Speculi Confessariorum *disp.* 19. *de cambijs, quaest.* 38. *num.* 1. & 2. videatur etiam Salon. *tom.* 1. *quaest.* 4. *de cambijs art.* 2. *controuersia* 10. *num.* 1 *vers. Praeterea mercator.* Bonacina *tom.* 2. *tract. de contractibus disp.* 3. *quaest.* 5. *num* 19.

### V. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

## Dvbitatio IV.

### *An aliquo casu liceat mutuatori aliquid exigere à mutuatario vltra sortem?*

Ad rationem in contrarium respondetur esse satis probabile quòd si res mutuata sit exposita periculo amissionis, posse mutuatorem aliquid vltra sortem exigere à mutuatario, non ratione mutui, sed tantùm ratione periculi, quod subit, vt si quis mutuet pecunias alteri per mare eas transuecturo, vel per itinera, vel loca latronum, & hostium eas transportaturo. Similiter ex parte periculi mutuatarij qui potest facilè ad inopiam deuenire, vel qui solet esse fraudulentus, vel malae fidei debitor, vt docet Syl. *verb. vsura* 1. *quaestio.* 35. Azor. *part.* 3 *instit moral.lib.* 5. *cap.* 6. *dubio* 1. Less. *lib.* 2. *de iust. cap.* 20 *dub.* 11. quamuis Sotus *lib.* 3. *de iustit quaest.* 6. *art.* 1. *ad* 1. neget hoc in mutuo posse in pactum deduci. At in cambiis est expressè prohibitum pacisci in principio de aliquo certo lucro exigendo, etiam in casu non solutionis, per constitutionem sanctissimi Pij V. citatam, & ideò non est licitum, per se tamen non esset illicitum, si adesset probabile periculum amissionis sortis principalis: quia hoc periculum secundùm se est pretio aestimabile. Ita obseruauit Less. *lib.* 2. *de iustit. cap.* 23. *dub.* 9. *num.* 81. Saluo semper meliori iudicio.

## Articvlvs VIII.

### An illud cambium sit licitum, in quo campsor dans pecuniam exhibet campsario suum factorem, qui eo in loco existens, puta Lugduni, vbi facienda est pecuniarum solutio, soluit pro campsario, qui Genuae à campsore pecunias acceperit?

*SVMMARIVM.*

1. *Probatur q̀ òd sit illicitum.*
2. *Veritas aperitur, explicando, an, quod in dubio quaeritur, liceat quando nummularius cogit campsarium vt suo respondenti traijciat debitum qui pro eo ibi soluat, vel saltem quando petitur ab accipiente in vim cambij, sibi aliquem respondentem dari.*
3. *An sit licitum cambium quando procurator nummulary datus in respondentem campsario soluit ex pecunijs ipsius nummularij.*
4. *An liceat campsori danti pecuniam Romae soluendam Lugduni requisito assignare suum correspondentem existentem Lugduni tanquam in factorem campsario à quo simul fiat Lugduni solutio cambij, & receptio illius solutionis. & eiusdem solutionis Romam remissio, sub diuersis titulis, & repraesentante diuersas personas, ex hoc duplici cambio duplex lucrum accipere.*
5. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & magis explicantur dicta in dubitatione.*

### I. *Probatur quòd sit illicitum.*

Videtur hoc cambium esse iniustum, & vsuratium; nam *in c. nauiganti, de vsuris*, condemnatur tanquam vsurarius, is, qui mutuas dat pecunias nauigaturo, ea conditione, vt idem ipse periculum suscipiat pecuniarum, & ratione periculi, & oneris suscepti, mutuatarium sibi obligat ad aliquid dandum vltra sortem. ergo eadem ratione videtur ille campsor vsurarius, qui dat pecunias campsario in vim cambij, ea conditione, vt campsarius accipiat pecuniam Romae, v.g. soluat postea per procuratorem ipsius campsoris Lugduni, vbi facienda est solutio. ergo cambium hoc erit iniustum, & vsurarium, & ita hanc sententiam tenet Mercatus *in suo opere de contractibus lib.* 4. *c.* 7.

### II. *Veritas aperitur, & explicatur*

## Dvbitatio I.

### *An, quod in dubio quaeritur, liceat, quando nummularius cogit campsarium vt suo respondenti traijciat debitum, qui pro eo ibi soluat? vel saltem quando ab eo qui accipit in vim cambij petitur sibi aliquem respondentem dari?*

Dico primò, nummularius dans Romae campsario mille aureos in vim cambij, vt eos Lugduni soluat, si cogit illum, vt suo respondenti traiiciat debitum qui pro eo ibi soluat, hoc est iniquum, & iniustum. quia praeter naturam contractus nemo potest cogi. At ad naturam contractus cambij sufficit, quòd vbi soluedae sunt pecuniae, ibi soluantur nomine campsarij à quocunque ipse voluerit. ergo iniustum est

eum obligare vt per respondentem campsoris ibi eas soluat. Sic benè Less. *lib. 5. de iust. c. 53. dub. 7. n. 62.*

Dico secundò, si is, qui petit à campsore in vim cambij centum aureos, non possit habere alium, qui ipsius nomine satisfaciat in loco condicto; si spontè petat à campsore sibi aliquem respondentem dari, licitum est cambium, si campsor exhibet ei suum factorem existentem in loco conuento, si ex sua pecunia, vel aliena, & non ex pecunia campsoris ibi pro campsario soluat: quia tunc nulla fit iniuria, nec iniustitia campsario, si sponte sua petit respondentem in loco conuento, & campsor offerat suum factorem ibi pro eo soluentem ex sua, vel aliena pecunia: tum quia quamuis campsarius non habeat in loco condicto actu pecuniam, nihilominus habet potestate, & in credito apud amicum, vel respondentem campsoris, qui suo nomine soluit campsori, & ita banc sententiam tenet Syl. *verb. vsura 4. quaest. 9. §. Sextum, vers. Sed ista opinio.* Lopez noster *lib. 5. de contractibus cap. 15. vers. hanc autem, fol. 98. mihi.* Azor. *part. 3. instit. moral. lib. 10. cap. 9. dub. 5. In hac re.* Bonacina *tract. de contract. tom. 5. disp. 3. quaest. 4. puncto vnico, num. 21.* Dixi in hac assertione esse licitum tale cambium, si minister campsoris in loco conuento soluat propriis nummis, vel aliunde conquisitis, & non ex pecunia campsoris, quia si ex moneta campsoris fieret solutio, cambium esset fictitium, & iniquum. Ideò, &c.

## Dubitatio II.

III. *An sit illicitum cambium quando procurator nummularij datus in respondentem campsario soluit ex pecunijs ipsius nummulary?*

Dico tertiò, si procurator nummularij soluit ex ipsius nummularij pecuniis in loco condicto, puta Lugduni pro campsario, qui Romæ, v.g. à campsore pecunias in vim cambij acceperat, tale cambium est illicitum, fictitium, & valdè vsuræ suspectum, & videtur mutuum cum lucro, & non cambium. Probatur, quia nemo dicitur cambire vnam monetam pro alia, si vtraque sit sua, sed tunc dicitur propriè cambire vnam pro alia, quando cambit suam pro aliena; ergo non est verum cambium, sed fictitium si minister nummularij soluit ex nummis campsoris, & erit potiùs mutuum, & non cambium, ac proinde campsor lucrum exigere non potest, quia ex mutuo vsurarium est lucrum exigere.

Tum, quia sicut in contractu venditionis res, quæ ibi commutantur, differre debent, euiusmodi sunt res venales, & pretium eius, quarum vna anta venditionem pertinet ad venditorem, puta merx. altera attinet ad emptorem, puta pretium soluendum; sic in contractu cambij ad naturam veram eius spectat distinctio numismatum, quorum vnum sit in dominio campsoris dantis ad cambium: alterum verò in dominio campsarij actu, vel potestate soluentia cambium in loco condicto. ergo nullo modo saluatur natura cambij, si respondens campsoris in loco conuento satisfacit ex pecuniis eiusdem, sed potiùs hoc erit mutuum cum lucro iniquum, & vsurarium, si ratione illius exigitur aliquod lucrum.

Tum, quia in cambio reali per litteras pecunia absens habet se tanquam mercem, eámque præsenti pecunia tanquam pretio emitur in loco solutionis, vt docet Caiet. *tom. 2. opusc. tract. 7. de cambijs, cap. 7.* Syl. *verb vsura 4. q. 8. versic. Sed ego dico.* Less. *lib. 2. de iustitia, cap 23. dub. 1. num. 4.* ergo absens pecunia debet esse in dominio actu, vel potestate campsarij, qui se habet vt venditor, & non campsoris, qui in hoc cambio se habet vt emptor, aliàs in venditione, & emptione idem esset dominus mercis, & pretij, quod est absurdum: & ita hanc assertionem docet optimè Lopez noster nuper allegatus *eodem loco, vers. ex quibus omnibus, fol. 100. mihi.* Sotus *lib. 6. q. 10. art. 1.* Garzias noster *tract. de contractibus, cap. 37. num. 5.* Azor. *vbi supra, versic. Verùm dubia quaestionis.*

Sed contrà arguit Salon. *2. 2. tom. 2. quaest. 4. de cambiis, art. 2. controuers. 12. num. 5. vers. Mihi ergo*, tenens partem affirmatiuam: nam campsor in hoc casu non debet esse peioris conditionis. ergo si procurator ipsius, vel alius tertius ex propriis pecuniis potest correspondere, & soluere, licebit etiam ipsi campsori ministerio sui ministri sibi ipsi correspondere ex propriis nummis. Respondetur negando consequentiam, & ratio negationis est, quia dum minister campsoris, vel alius tertius satisfacit ex propriis pecuniis, saluatur propria natura cambij, quæ est vt pecunia vnius domini commutetur pro pecunia alterius domini, quæ scilicet data est ad cambium ab vno domino, id est, à campsore commutatur cum aliena pecunia, quæ sibi redditur in loco condicto nomine cāpsarij. Cæterùm hoc non accidit in casu, quo campsor alibi sibi correspondet ex propriis pecuniis ministerio sui procuratoris existentis in loco condicto: cùm præsens pecunia, quæ recipitur à campsario, & absens, quæ soluitur, sit eiusdem domini, campsoris scilicet. Ita bene Lopez *vbi suprà, vers. At quamuis, ad finem.*

## Dubitatio III.

IV. *An liceat campsori danti pecuniam Romæ soluendam Lugduni requisito assignare suum correspondentem existentem Lugduni tanquam in factorem campsario, à quo simul fiat Lugduni solutio cambij, & receptio illius solutionis, & eiusdem solutionis Romam remissio sub diuersis titulis & repræsentante diuersas personas, & ex hoc duplici cambio duplex lucrum accipere?*

Dico quartò, pro maiori explicatione præcedentium pronunciatorū, campsor, qui pecuniam confert, v.g. Romæ campsario in vim cambij soluendam Lugduni, potest requisitus assignare suum correspondentem existentem Lugduni tanquam in factorem campsario, à quo simul fiat Lugduni, & solutio cambij quatenus agit personam campsarij, & receptio illius solutionis, quatenus agit personam nummularij, & eiusdem solutionis Romam remissio, quatenus vt creditor campsarij scribit alias litteras secundi cambij ad ipsum campsarium, vt soluat nummulario, à quo Romæ recepit pecunias: hoc cambium non est vsurarium, sed licitum, quia re vera Romā, vbi recipitur pecunia in vim cambij, litteræ mittuntur Lugdunum, & hîc virtute primi cambij fit solutio propriis pecuniis respondentis. Deinde procurator soluens Lugduni pro campsario tanquam creditor pecuniæ pro illo solutæ, scribit alias litteras secundi cambij Romam ad eundem campsarium tanquam sibi debitorem, vt soluat campsori à quo Romæ recipit pecunias, non vi primi cambij, sed virtute secundi cambij tanquam creditori ipsius respondentis. hoc secundum cambium similiter est iustum: quia re vera Lugduno Romam cambij litteræ mittuntur, & minister vt agens personam campsarij

Lugduni pro illo verè soluit sibi ipsi prout agebat personam campsoris.

Quamuis campsarius cogatur lucrum ex cambio duplicatum soluere vnum Lugduni, vbi finitum est primum cambium,& soluta est pecunia per ministrum campsoris,quam Romæ in vim cambij à nummulario receperat,secundum lucrum soluit campsarius Romę, vbi finitur secundum cambium,& soluuntur nummi, quos Lugduni respondens pro campsario soluerat sibi ipsi,vt agebat personam,& partes campsoris: & ita hanc assertionem docet apertè Nauarr. *tom. 2. consil. lib. 5. de vsuris,consil. 31. num. 3. vers. His tamen non obstantibus.* Salon. *tom. 2. 2. 2. quæst. 4. art. 2. controuers. 10. n. 4. & controuers. 11. vers. Nec obstat.* Azot. *part. 3. instit. mor. lib. 10. cap. 9. dub. 2. vers. In hac re.* Bonacina *tom. 2. tract. de contractibus, disp. 3. quæst. 4. puncto vnico, n. 11.* Quod autem idem minister existens vbi facienda est solutio, posset agere duplicem personam, partes campsoris,& campsarij,nulli dubium est. Nam idem potest diuersas personas repræsentare, quatenus diuersa præstat officia vicem gerendo creditoris, & debitoris. Ita Nauarr. *loc. cit. n. 7.* Saloo. *controuers. 12. n. 8. vers. Quartum argumentum, tom. 2. 2. 2. quæst. 4. art. 2.* Booacin. *vbi supra, n. 15. Neque obstat primò.*

**VII.** *Rationi in contrarium à principio respondetur, & magis explicantur dicta in dubitatione.*

Nec officit ratio in contrarium à principio adducta,nam probat secundam nostram assertionem, fatemur enim iniquè agere campsorem cogendo campsarium, vt in loco solutioni designato soluat per suum ministrum,& non per alium, quem ipse fortasse vellet: sicuti,qui non vult mutuare nauiganti,nisi alium contractum secum ineat quo ipse mutuans certo pretio in se periculum pecuniæ, vel mercium recipiat: hæc enim obligatio est illicita, & ex parte vsuraria, quia hoc onus est pretio æstimabile: sic iniustè agit campsor,si ita conueoit cum campsario, Conferam tibi pecuniam,quam postulas cambiendam Lugduni,modò recipias meum ministrum, qui illam ibi restituat. Liber igitur relinquendus est campsarius vt soluat in loco designato per quemcumque voluerit. Secus autem dicendum si spontè campsarius petat respondentem campsoris, vt pro se soluat in loco conuento, tunc enim illi nulla fit iniuria, nec iniustitia, vt diximus *assertione secunda.* Vide pro hac solutione Salon. *tom. 2. 2. 2. quæst. 4. art. 2. contron. 11. solut. ad vltimum argumentum. §. Admonendus, fol. 584. col. 2. mihi.*

## ARTICVLVS IX.

## An licitum sit cambium cum recambio?

### SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, & explicatur, an nummulario danti Romæ in vim cambij centum aureos soluendos, v.g. Lugduni cum iusto lucro, si litteræ campsoria ibi non soluantur, propria auctoritate Lugduni eas recambire cum nouo interesse liceat, & illas per alium sibi notum remittere Romam soluendas à campsario; vel saltem in hoc tempore contractus cambij, possit campsor conuenire cum campsario.*
3. *An sit licitum cambium quod vocant* con la ricorsa.
4. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, an cambium duplex sit idem, quod cambium cum recambio.*
5. *An liceat campsori inire pactum cum campsario, vt nisi soluerit termino constituto, vel loco prefixo fiat recambium ad locum primi cambij.*

**I.** *Pars affirmatiua probatur.*

NAm quando Romæ, v.g. Titius campsarius accipit à campsore Caio in vim cambij centum aureos soluendos Venetiis, & litteræ campsoriæ mittuntur ad locum præfixum, ibique suum sortiuntur effectum per respondentem campsarij; deinde peracta solutione idem respondens litteras recambij scribit Romam Caio campsori, vel alteri, vt centum cum lucro exigat à campsario Titio, quos pro eo soluit Venetiis, & recambit Romam, vbi fit solutio lucri cambij, & recambij à campsario Titio, hoc cambium, & recambium videtur licitum, quia pecunia præsens in vtroque cambio, & recambio permutatur cum absente,& verè in locis conuentis fit solutio. ergo cambium,& recambium erit licitum.

**II.** *Veritas aperitur, & explicatur*

### DVBITATIO I.

*An nummulario danti Romæ in vim cambij centum aureos soluendos, v.g. Lugduni, cum iusto lucro, si litteræ campsoria ibi non soluantur, propria auctoritate Lugduni eas recambire cum nouo interesse liceat, & illas per alium sibi notum remittere Romam soluendas à campsario, vel saltem in hoc tempore contractus cambij possit campsor conuenire cum campsario?*

Dico primò, nummularius Caius bona fide dans campsario Titio Romæ in vim cambij centum aureos, vt eos soluat cum solito iusto lucro Lugduni, si litteræ campsoriæ ibi solutæ non fuerint, iniustè agit si propria auctoritate sine consensu campsarij, superaddito nouo interesse Lugduni eas iterum recambit, illas per alium sibi notum remittens Romas soluendas à campsario. Probatur, nam omnis contractus liberum vtriusque contrahentis exigit consensum; ergo sine consensu campsarij litteras campsarias Romà Missas Lugdunum, ibique non solutas, non licet nouo superaddito interesse Lugduni iterum recambire, Romam illas remittendo soluendas à campsario nesciente nouum recambij contractum, nec assentiente nouo superaddito interesse. Tum, quia campsor io campsarium litteris campsoriis in loco condicto non solutis, nullam aliam actionem habet, quàm compellere illum auctoritate iudicis ad solutionem debiti io loco designato, vel vbi recta ratio dictauerit, sicut venditor mercium, expectata solutione ad aliquem terminum, non habet aliam actionem in emptorem tempore debito, nisi cogere illum auctoritate iudicis ad soluendum. ergo non solutis litteris campsoriis in loco conuento, Lugduni, v.g. contra iustitiam agit campsor recambiendo illas cum nouo interesse Romam remittendo soluendas à campsario ignorante nouum recambij contractum, nec assentiente nouo superaddito interesse: videatur pro hac assertione Salon. *tom. 2. 2. 2. quæst. 4. de cambijs, art. 2. controuers. 14. concl. 1. num. 4.*

Dico secundò, campsor non potest conuenire tempore contractus cambij cum campsario, vt litteris campsoriis

campsoris non solutis in loco conuenio, remittantur illæ cum recambio, & nouo interesse in alium locum, vel io eundem, à qno fuerunt missæ, ibique soluendæ. Probatur. nam sicut mutuatarios necessitate cõpulsus accipit pecuniam ab vsurario, promittens illi lucrum ex mutuo: ita campsatius, cum quo campsor conuenit, vt nisi litteræ illius soluantur in loco solutionis, remittantur cum nouo alio interesse per recambium, non annuit, neque admittit conuentionem illam, nisi propria necessitate compulsus. ergo qoemadmodum vsurarius licèt mutuatatius consentiat in vsuram, non desinit inìquè agere, & iniuriam alteri inferre, & iniustè luctum illud recipere, quia non consentit mutuatarius nisi necessitate proprla oppressus. Ita campsor postulans tale pactum recambij cum nouo interesse, licèt campsarius in Illud consentiat, non desinit iniquè agere, iniustè lucrum nouum ex recambio recipiens, cùm non aliter consentiat in illud, quàm necessitate compulsus. Tum quia Sanctissimus Pius V. in sua Decretali de cambiis, quam refert Lopez noster *lib. 2. de contractibus, cap. 1.* & Nauarr. *summ. cap. 17. num. 299.* cuius ioitium est, *In eam pro nostro*; huiusmodi pacta, & recambia tanquam vsuraria bis verbis omnino prohibet: *Ad tollendas in cambijs occasiones peccandi, fraudésque fœneratorum, statuimus, ne deinceps quisquam audeat siue à principio, siue aliàs certum, & determinatum interesse in casu non solutionis pacisci.* quibus verbis certum, & securum lucrum in casu non solutionis omninò vetat Sanctissimus Pius V. vt optimè obseruauit Salon. nuper allegatus, *vers. quibus verbis.* ergo non licet, & iniustè agit nummularius si conuenit cum campsario, vt litteris non solutis in loco designato, possit eas iterum, atque iterum nouo superaddito interesse recambire. quia hoc est pacisci de certo, & securo lucro in casu non solutionis. Tum, quia pretia cambiorum, & lucra ex illis percipienda per singula tempora mutantur; igitur campsor debet variæ, & incertæ illorum fortunæ esse expositus; ergo non potest pacisci de certo, & securo lucro in casu non solutionis, iterum recambiendo litteras non solutas cum oouo lucro, & ioteresse. Videatur Salon. *vbi suprà.*

## Dvbitatio II.

### III. *An sit licitum cambium quod vocant*, con la ricorsa?

Dico tertiò, iniustè, & iniquè etiam agunt campsores obligando campsarium ad celebrandum cambium, quod vocant *con la ricorsa*, hoc est, non modò ad pecuniam, quam, v. g. conferunt Romæ restituendam Lugduni, cum interesse ibi debito, verùm etiam vt teneatur suis expensis curare illius pecuniæ redditum, seu reductionem Lugduno Romam. Probatur modò hæc assertio. quia cambinm solùm est commutatio pecuuiæ acceptæ Romæ, v. g. cum alia restituenda Lugduni, qua restitutione facta, perfectus manet, & omninò absolutus contractus cambij, neque tenetur ad amplius campsatius. ergo iniustè, & iniquè ageret campsor obligando campsarium ad reductiouem pecuniarum in eundem locum, in quo eas accepetat, quia hæc obligatio est pretio æstimabilis, & reductio pecuniarum ex vno loco in alium, ad quam campsarius non tenetur, non fit absque expensis: videatur pro hac assertione Lopez noster *lib. 2. de contractibus, cap. 12. de cambijs, ad finem c. vers. sequitur quartò, fol. 101. mihi*, vbi eam expresè docet. Azor. *part. 3. instit. mor. cap. 9. lib. 10. dub. 5.* Salon. *eodem loco n. 10. vers. Sequitur secundò.*

### IV. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

## Dvbitatio III.

### *An cambium duplex sit idem quod cambium cum recambio?*

Ad rationem in contrarium respondetur negandò consequentiam; & ratio negationis est, quia *cambium, & recambium*, de quo in assertionibus huius dubij loqoimur, differt ab illo, de quo agitur in argumento, *Sed contrà pro parte affirmatiua.* Nam illud cambium, de quo est sermo in argumento, est licitum, vt diximus *assertione 4. dubij præcedentis.* quia non fit in eo pactum, vt qoi Romæ, v. g. recipit pecunias à nummulario, litteras campsorias soluendas Lugduni mittat ad procuratorem campsoris ibi existentem, sed sponte sua hoc petit campsarius, quia voluntariè vult solui litteris missis in loco desiguato per illum procuratorem, etiam pecuoiis ibi nomine, & iure cambij quæsitis, & sic facta ibi tali solutione per talem procuratorem, finitur ibi primum cambium, & remanet campsatius debitor procuratoris, qui pro eo soluit Lugduni, & non ampliùs campsoris à quo Romæ accepit pecunias, qui postea procurator, vt creditor campsarij de consensu eiusdem scribit litteras secundi cambij distinctià primo ad ipsum campsarium, vt soluar nummulario, à quo Romæ in primo cambio recepit pecunias, & sic solutio pecuniatum non fit Romæ virtute primi cambij, sed vi secundi de nouo initi Lugduni de consensu campsarij. Cæterùm in cambio, & recambio, de quo in hoc dubio luquuti sumus, litteræ campsotiæ io loco coouento non solutæ iterum recambiuntur, cum nouo interesse propria auctoritate campsoris sine coosensu campsarij, quod fieri nequit, vt diximus *assertione prima, in hoc dubio.* Vel tale cambium, & recambium fit à campsore apposito pacto, vt si non solutæ fuerint litteræ in loco condicto, remittantur cum recambio, & nouo lucro in alium locum, vel in eundem à quo fuerunt missæ, quod est etiam iniquum, & iniustum, vt satis probatum est *in 2. assertione*; vnde non est eadem ratio. Videatur pro hac solutione Axor. *part. 3. lib. 10. c. 9. dub. 5, vers. Respondeo tale cambium.*

## Dvbitatio IV.

### V. *An liceat campsori inire pactum cum campsario, vt nisi soluerit termino constituto, aut loco præfixo, fiat recambium ad locum primi cambij?*

Voum tamen est hîc recolendum, quod suprà in hac m teria docuimus, campsorem posse pactum inire cum campsatio, vt si non soluat termino constituto, vel in loco præfixo, fiat recambium ad locum primi cambij ratione lucri cessantis: quia ipse reuera daturus erat suas pecunias ibi soluendas aliis de nooo in vim cambij, vt sibi in illo loco primi cambij soloerentur: sed totom hoc arbitrio boni viri est pensandum, cui si certò, & probabiliter constiterit campsorem tantum lucrum perceptutum ab aliis, quantum deperdit ex eo quòd litteræ non fuere solutæ in loco conuento, & tempore præfixo, poterit lucrum illud recambij si sit æquale lucro deperdito omnibus pensatis licitè adiudicare campsori, & hic iustè illud exigere, & sibi retinere: quia iure naturæ vnicuique licet in contractibus, quos exercet, se

ipsum

ipsum seruire indemnem. Videatur Caietan. *tomo 2. opusc. tract. 7. de cambijs, cap. 1.* §. *Iniusta.* Lopez noster *lib. 2. de contract. cap. 13.* §. *Quartò dico.* Bonacina *tom. 2. tract. de contractibus, disp. 3. quæst. 5. puncto vnico, n. 20.*

## ARTICVLVS X.

### Vtrùm liceat alteri cambientium recipere mercedem cambij ab altero, quando vterque ex eo cambio reportat æquale commodum, & onus?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur titulo dubitationis.*
3. *Dubitatio resoluitur.*
4. *An liceat aliquod lucrum exigere, quando alter alterum præuenit in postulando pecuniam, & qui præuenitur, non exprimit se indigere tali commutatione.*
5. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, An iste præuentus, de quo in dubitatione, exerceat verè officium campsoris.*

I. *Pars negatiua probatur.*

QVia in contractu cambij cùm pertineat ad iustitiam commutatiuam, est necessariò seruanda in illo æqualitas inter contrahentes; sed si vnus eorum aliquid ab altero vltra capitale reciperet, cùm pecuniæ, quæ commutantur, sint eiusdem valoris, & vtilitatis, vtrique non seruaretur perfectè æqualitas, ergo in proposito casu nullum stipendium vnus ab altero absque nota iniustitiæ exigere potest, cùm non seruaretur æqualitas stipendio ab vna parte recepto; & ita hanc sententiam tenuit Mercatus *in suo opere de contractibus, lib. 2. de cambijs, cap. 4.*

II. *Explicatur titulus dubitationis.*

Dico primò, casus propositus ita explicatur. Indiget Titius pecuniâ hîc Romæ, quam habet Lugduni; Caius verò indiget Lugduni pecuniâ, quam hîc habet; quæritur modò, an Titius cambiendo cum Caio possit ab eo recipere lucrum, vel è contra Caius à Titio possit lucrum reportare.

Dico secundò, casus propositus duobus modis potest euenire, vel vterque simul indicat se commutatione indigere; vt si dicat Titius Caius, habeo pecunias Lugduni, quibus tu ibi indiges, tu verò habes hîc Romæ, vbi ego egeo, confer mihi quas habes hîc Romæ, & ego conferam tibi totidem, quas habeo Lugduni, & Caius sub ea conditione annuit. Vel ita, vt quamuis vterque illa commutatione pecuniarum egeat, minimè tamen illam sibi indicant, sed postulat Titius à Caio Romæ pecunias restituendas illi Lugduni, ignorans Caium egere illis Lugduni, cùm reuera illis ibi indigeat: & in hoc casu dicitur Caius præueniri à Titio, vt benè obseruauit Sotus *lib. 6. de iust. q. 10. art. 1. vers. Itaque licet.* His positis,

III. *Dubitatio resoluitur.*

Dico tertiò, quando commutantur pecuniæ eiusdem valoris in diuersis locis, & contrahentes æqualiter se præueniunt, & vterque simul indicat se commutatione illa indigere, nulli eorum licet lucrum aliquod, vel pretium ab altero exigere, vel recipere. quia vterque sibi inuicem simul, & mutuo idem præstat obsequium, & commoditatem. ergo cùm pecuniæ commutatæ sint eiusdem valoris, & obsequium, & vtilitas ex parte vtriusque sit omnino eadem, nulli eorum licet lucrum aliquod, vel pretium in hoc cambio ab altero exigere. Nam pretium, & lucrum in cambiis exigitur ratione obsequij præstiti, & commoditatis. ergo si sit eadem ex parte vtriusque, & alter ab altero non præuenitur, nulli eorum licet in hoc casu lucrum, & pretium recipere: & ita hanc assertionem docet Lopez noster *lib. 2. de contractibus, cap. 3. concl. 2. fol. 29. mihi.* Salon. *tom. 2. q. 4. de cambijs, art. 2. controuers. 2. n. 2. vers. Iuxta mentem.*

## DVBITATIO I.

IV. *An liceat aliquod lucrum exigere, quando alter alterum præuenit in postulando pecuniam, & qui præuenitur, non exprimit se indigere tali commutatione?*

Dico quartò, quando in hoc cambio alter alterum præuenit, exigens ab illo pecuniam cambiendam in alio loco, qui præuenitur, & non simul exprimit se indigere tali commutatione, potest recipere ab eo, à quo præuenitur, lucrum, & pretium, quod iuxta communem vsum foret in consimilibus cambiis posset recipere, esto reuera indigeat commutatione illa, & pecuniam suam habere in alio loco conuento. Probatur, quia is, qui præuenitur, & rogatur, commoditatem, & obsequium præstat illi, à quo præuenitur, & rogatur, idque secundùm se pretio æstimabile; per accidens autem est, quòd illud etiam redundat in commodum ipsius præuenti, & rogati: tum, quia, qui præuenit, & rogat, vlilorem reddit pecuniam suam, ergo qui præuenitur in hoc casu, poterit licitè aliquod lucrum exigere: nam merces vltroneæ vilescunt; at pecunia, quæ offertur à præueniente alibi soluenda, vel quæ hîc traditur à rogante, vt alibi recipiatur, est quædam merx, vt docet Syl. *verb. vsura 4. quæst. 8.* §. *Primum, versic. Sed ego.* quem sequitur Less. *lib. 2. de iust. cap. 23. dub. 1. num. 4.* & sic hoc pronunciatum tenet Sotus, & Salon. *locis allegatis*, Bonacina *tom. 2. tract. de contract. disp. 3. quæst. 5. puncto vnico, num. 23.* Auctor Speculi Confessariorum *disp. 19. de cambijs, quæst. 36. num. 3.*

V. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

## DVBITATIO II.

*An iste præuentus, de quo in dubitatione, exerceat verè officium campsoris?*

Nec officit ratio in contrarium à principio adducta: nam cùm is, qui præuenitur, & rogatur, exerceat verè, & realiter officium campsoris alteri vtile, & pretio æstimabile, si conferens centum aureos, recipiat centum & quinque, non propterea exegit plus quàm debet habere, quia illa centum recipit loco aliorum centum quæ contulit, & illa quinque tanquam pretium officij, & obsequij quod præstitit illi vtile: cùm hæc commoditas, & vtilitas sit pretio æstimabilis, quamuis per accidens sibi quoque vtile sit pecuniam suam in loco conuento habere: at quia requisitus, & præuentus potest licitè ex tali cambio lucrum iuxta communem vsum fori recipere, tanquam emens mercem vltroneam, quæ vilescit: ideóque, &c. Videatur Sotus *vbi suprà.* Salon. *controu. 2. cit. num. 2. vers. ad Confirmationem.*

ARTI

## ARTICVLVS X.

### An campsor, qui Romæ, v.g. bona fide dedit pecuniam Titio ad cambium, soluendam Lugduni: si postea inuenerit Titium non habere pecuniam actu, vel potestate, vel correspondentem in eo loco, possit illud lucrum exigere, quod percepisset, si Titius Lugduni soluisset?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas elucidatur, inquirendo an iste, de quo in titulo, peccauerit, si à principio contractus probabiliter crediderit campsarium habere pecuniam, vel creditum in loco, ad quem fit cambium.*
3. *Titulo dubitationis respondetur.*
4. *An recipiens bona fide aliquod lucrum ex vsura cessante, bona fide teneatur ad restitutionem lucri percepti.*
5. *An ratione damni emergentis, vel lucri cessantis, possit campsor in casu posito in titulo dubitationis lucrum illud retinere.*
6. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

QVia Titius campsarius fingens se habere pecunias in loco solutionis, tenetur seruare campsorem indemnem, qui bona fide contractum cambij cum eo celebrauit: at campsor non seruaretur indemnis si lucrum non exigeret, quod percepisset, si campsarius Lugduni soluisset; ergo vt seruetur indemnis, potest: sic tenet Less. *lib* 2. *de iust. cap.* 23. *dub.* 7. *num.* 69.

II. *Veritas elucidatur, & inquiritur,*

DVBITATIO I.

*An iste, de quo in titulo, peccauerit si à principio contractus probabiliter crediderit campsarium habere pecuniam, vel creditum in loco ad quem fit cambium?*

Dico primò, campsor in isto casu, qui à principio contractus probabiliter, ac prudenter credidit campsarium habere pecuniam, vel creditum in loco, ad quem fit cambium, non peccauit: quia bona fides, cum qua à principio contraxit, liberat eum à peccato quandiu in illa permanet. hoc pronunciatum est certissimum, & extra omnem controuersiam.

III. *Titulo dubitationis respondetur.*

Dico secundò, campsor cùm primùm nouit se deceptum, & campsarium illum reuera nec pecuniam, nec creditum in eo loco habere, si hoc nouit facta iam solutione, & recepta pecunia, in quam suam commutauerat cum aliquo interesse, vel lucro, tenetur lucrum illud campsario restituere: quia contractus ille non fuit verum cambium; de cuius ratione est, quòd sit commutatio pecuniarum in diuersis locis existentium: sed fuit cambium siccum, cùm pecuniæ non fuerint solutæ in loco conuento, neque per campsarium, neque per interpositam personam. ergo etiamsi campsor bona fide à principio contraxit, postea certior factus de nullitate veri cambij tenetur lucrum acceptum supra sortem traditam restituere campsario; nam aliquid supra sortem recipere ex cambio sicco, vsura est. Ita benè docet Magister Bannes 2.2. *quæst.* 87. *art.* 4. *de cambijs, dub.* 51. *concl.* 1. Salon. *tom.* 2. 2.2. *quæst.* 4 *art.* 2. *de cambijs, controuers.* 7. *num.* 3. *vers. in hoc casu*; hos sequitur Bonacina *tom.* 2. *tract. de contractib. disp.* 3. *quæst.* 5. *puncto vnico, num.* 22. Ad maiorem corroborationem præcedentis pronunciati consequenter quæritur,

DVBITATIO II.

IV. *An recipiens bona fide aliquod lucrum ex vsura, cessante bona fide teneatur ad restitutionem lucri percepti?*

Dico tertiò, is, qui ex vsura lucrum aliquod percipit, existimans bona fide se contractum iustum, & honestum exercuisse, quamdiu durat in eo bona fides, liberatur per illam à delicto, & obligatione restituendi; at cùm primùm nouit se deceptum, & exercuisse contractum vsurarium, tenetur quidquid per illum lucratus est restituere, tanquam is, qui tunc cognouit se habere alienum. Probatur, quia qui capit indebitum bona fide, putans sibi esse debitum, non peccat bona fide accipiendo, & tamen restituere tenetur simul ac sciuerit fuisse indebitum, vt patet *toto tit. de condict. indeb.* ergo, &c. Ita benè Sotus *lib.* 4. *de iust. q.* 7. *art.* 2. *vers. De negotiatoribus autem, fol.* 273. *mihi.*

DVBITATIO III.

V. *An ratione damni emergentis, vel lucri cessantis, possit campsor in casu posito in titulo, lucrum illud sibi retinere?*

Dico quartò, ratione tamen lucri cessantis, vel damni emergentis, poterit campsor in casu posito lucrum illud sibi retinere, vt si habebat tunc in promptu Titium campsarium, cui suam pecuniam per verum, & reale cambium tradere poterat, in gratiam verò & commodum Caij, noluit illam tradere Titio, sed ipsi Caio, potest iuste in hoc casu campsor retinere sibi ex lucro accepto à Caio tantundem, quantum reuera accepisset à Titio si cum eo pecuniam illam commutasset. quia Caius fuit tunc in causa, vt lucrum illud, quod reuera campsor accepisset, illi cessauerit. ergo tenetur ad illius satisfactionem. ergo, &c.

Neque verò contra hanc assertionem obstat constitutio Sanctissimi Pij V. de cambiis, quæ incipit: *In eam pro nostro*; dum præcipit ne ducatur in pactum à principio contractus lucrum cessans, vel damnum emergens. Loquitur enim Sanctissimus Pater de lucro cessante, & damno emergente adhuc futuro. Nos autem loquimur hìc de damno emergente, & de lucro cessante iam acto, & re ipsa sequuto, quod quidem omni iure est debitum, & compensari debet; & ita nostram hanc assertionem docet Bannes *vbi suprà.* Caiet. *tom.* 2. *opusc. tract.* 7. *de cambijs, cap.* 1. §. *Iniusta.* Salon. nouissimè adductus *num.* 3. *vers. Quod intelligendum est.*

VI. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

Ad rationem in contrarium, quatenus militat contra secundum nostrum pronunciatum, respondetur, Titium campsarium, qui finxit se habere pecuniam

niam in loco solutionis, teneri quidem ad restitutionem damni,& lucri cessantis,si quid patitur campsor ob celebratum contractum bona fide cum ipso Titio: quòd si nullum damnum pateretur campsor, nullum lucrum ex tali cambio posset exigere, & sibi licitè retinere, cùm cambium sit fictitium, siccum, & secundùm se vsurarium, & si quid recipit supra sortem principalem, tenetur ad illud restituendum.

---

## ARTICVLVS XII.

## An cambia, quæ fiunt de nundinis in nundinas, quæ dicuntur *de feria in feriam*, sint licita?

### *SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur quid sit cambium ad nundinas, & qui, vel quæ sint nundinæ, in quibus huiusmodi cambia fiunt.*
3. *Explicatur quid sit, dari à campsoribus pecunias in vno loco in vim cambij, vt soluantur in alio loco ad primas, vel secundas nundinas, vbi non sunt nundinæ.*
4. *Veritas aperitur, & explicatur, An quando nundinæ fiunt in eodem loco, sint licita cambia cum aliquo lucro.*
5. *An sint licita cambia cum aliquo lucro, quando nundinæ fiunt in diuersis locis, vel quando litteræ campsoriæ mittuntur in diuersis locis, vbi nundinæ non sunt, ad loca vbi nundinæ sunt, vel è contra.*
6. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, quo titulo sit licitum lucrum in his cambijs de nundinis ad nundinas.*

I. *Pars negatiua probatur.*

QVia tale cambium videtur esse mutuum cum lucro permutationis nomine simulatum. Nam campsor dat campsario pecunias, vt eas post aliquod tempus recipiat; sed hoc est mutuum, & non cambium. ergo si lucrum recipitur, erit talis contractus iniquus, & vsurarius.

### DVBITATIO I.

II. *Quid sit cambium ad nundinas, & qui, vel quæ sint nundinæ in quibus huiusmodi cambia fiunt.*

Dico primò, cambium ad nundinas illud dicitur, quando datur pecuniæ vno in loco, vt soluantur in alio, in quo nundinæ celebrantur. Quater in anno de more mercatorum celebrantur nundinæ certis in locis ab ipsis designatis, in quæ commodè, & opportunè conueniunt cum suis debitis,& creditis, ibique fiunt pecuniarum solutiones, & traditiones. Singulis quibuscumque trimestribus fiunt huiusmodi nundinæ. Primæ appellantur *nundinæ apparitionis*; quia post festum apparitionis Domini peraguntur. Secundæ vocantur *nundinæ Paschatis*, ineunte mense Maij, in quem solet incidere dies festus Pentecostes: tertiæ *nundinæ* dicuntur *Augusti*, quia in eo mense fiunt: quartæ, *omnium Sanctorum*. quia post eum diem inchoari solent. Vide Sotum *lib. 6. de iustitia, quæst. 12. art. 1.*

### DVBITATIO II.

III. *Quid sit dari à campsoribus pecunias in vno loco in vim cambij, vt soluantur in alio loco ad primas, vel secundas nundinas, vbi nundinæ non sunt?*

Dico secundò, aliquando dantur à campsoribus pecuniæ in vno loco in vim cambij, vt soluantur in alio loco ad primas, vel secundas nundinas; vbi tamen nullæ nundinæ celebrantur: fingunt autem campsores ibi nundinas celebrari; quia ad solutionem pecuniarum præfigunt ea tempora, in quibus nundinæ peragi consueuerunt, ac ita dicuntur pecuniæ dari ad primos, vel secundos, vel tertios terminos, id est, ad tempus trimestre, vel semestre, vel longius, in quo primæ, vel secundæ, vel tertiæ nundinæ celebrantur. Azor *part. 3. instit. mor. lib.* 10. *cap.* 8. His positis,

IV. *Veritas aperitur, & explicatur*

### DVBITATIO III.

*An quando nundinæ fiunt in eodem loco, sint licita cambia cum aliquo lucro?*

Dico tertiò, cambia, quæ fiunt à nundinis in nundinas sequentes in eodem loco, cum aliquo interesse, & lucro, iniqua sunt & vsuraria: quia cambium debet fieri inter pecunias in diuersis locis existentes, & quòd verè reipsa litteræ campsoriæ de vno loco ad alium mittantur, & virtute earum fiat solutio pecuniæ receptæ in alio loco, quàm in eo vbi soluitur. ergo cambium quod fit à nundinis in nundinas in eodem loco est fictitium, & potiùs mutuum cum lucro, ideóque iniquum, & vsurarium. Tum, quia mutuare Petro Romæ centum aureos ibi restituendos post aliquod tempus cum aliquo lucro, est manifesta vsura. ergo similiter cambire centum aureos primis nundinis, quæ celebrantur Lugduni, v.g. recipiendos in secundis nundinis ibidem celebrandis, cum aliquo lucro, erit mutuum vsurarium sub nomine cambij. cùm nullæ conficiantur litteræ quæ verè mittantur ab vno loco in alium. Ita benè docet Lopez noster *lib. 2. de contractibus, cap. 11. vers. Tertiò dicimus, fol. 94. mihi.* Salon. *tom. 2. 2. 2. quæst. 4. art. 2. de cambijs, controuers. 21. num. 1. 5. Habes secundò.*

### DVBITATIO IV.

V. *An sint licita cambia cum aliquo lucro, quando nundinæ fiunt in diuersis locis, vel quando litteræ campsoriæ mittuntur in diuersis locis vbi nundinæ non sunt, ad loca, vbi nundinæ sunt, vel è contra?*

Dico quartò, cambia, quæ fiunt de nundinis in nundinas proximè sequentes in diuersis locis, vel de nundinis ad loca, vbi feriæ non celebrantur, vel è contra de locis, vbi non celebrantur nundinæ, ad loca, vbi nundinæ fiunt, si pecuniæ cambitæ vtrobique, in loco scilicet vbi recipiuntur, & in loco solutionis habent parem, & æqualem æstimationem intrinsecam, & extrinsecam, licita sunt si fiunt secundùm æqualitatem ratione valoris pecuniarum. Ita vt si det campsor hîc Romæ centum aureos in vim cambij soluendos Lugduni tantundem, & nihil vltrà soluat ibi campsarius ratione valoris pecuniarum. Probatur, quia ratio lucrandi in his cambiis ob valorem pecuniarum est inæqualis in diuersis locis, vbi fiunt, numismatis æstimatio. ergo si pecuniæ in vim cambij

datæ

datæ æqualem habent æstimationem in loco vbi recipiontur,& in loco solutionis nullum inde lucrum ratione valoris pecuniarum potest exigi;ergo tunc cambium debet fieri ad paria ad æqualitatem titulo valoris pecuniarum. Ita Mercatus noster *in tract. de cambijs,cap.7.penes finem.* Lopez *vbi supra, versic. Secundo dicimus,fol.93.mihi.* Salon. *loco cit. vers. Habet tertiò, ad finem.*

Dico tamen quintò, etiamsi vtrobique sit idem pretium,& valor monetæ,& eadem copia, vel inopia pecuniarum,potest campsor in his cambiis,quæ fiunt à nundinis ad nundinas, vel de nundinis ad loca, vbi feriæ non celebrantur, vel de locis, vbi nullæ fuot nundinæ ad loca, vbi similiter non fiunt, licitè & iustè aliquid lucrari, non ratione valoris pecuniarum, sed titulo traiectionis, seu asportationis earundem. Probatur, quia quando campsur prior accipit, vt alibi restituat,præstat obsequium campsario, transferendo illius pecuniam in locum, vbi ea indiget; sed hoc obsequium est pretio æstimabile. ergo ratione huius obsequij licitè poterit aliquid lucrari. Tum, quia similiter quando dat prior,vt alibi recipiat,exhibet etiam hoc obsequium pretio æstimabile. Nam campsarius petens à campsore pecuniam præsentem pro absente,petit leuari onere translationis suæ pecuniæ in hunc locum.Videatur pro hac assertione Sotus *lib.6.de iust. quæst.10. art.1. vers. & probatur 3.* vbi eam apertè docet. Caiet. *tom.2.opusc.tract.7. de cambijs,cap.6.* Nauarr. *summ.cap.17.num.289.* Less. *lib.2. de iust. cap.23. dub.4. num.32.*

VI. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

DVBITATIO V.

*Quo titulo sit licitum lucrum in his cambijs de nundinis ad nundinas?*

Ad rationem in contrarium quatenus militat contra quartam,& quintam assertionem,respondetur negando cambium, de quo loquuti sumus in illis assertionibus,esse mutuum cum lucro permutationis nomine simulatum,cùm verè litteræ campsoriæ in tali cambio de vno loco in alium mittantur,& virtute talium litterarum fiat solutio pecuniæ receptæ in alio loco,quàm in eo vbi soluitur, & hic saluatur vera ratio cambij,& ratione huius translationis pecuniarum, campsor aliquod lucrum licitè,& iustè potest exigere, licèt non titulo valoris pecuniarum,si vtrobique pecuniæ cambitæ habent æqualem valorem:lucrum ergo in his cambiis non sumitur ratione temporis vti in mutuo,ratione expectatæ solutionis,sed titulo asportationis pecuniarum, quæ est obsequium quoddam præstitum à campsore campsario pretio æstimabile. Ad maiorem explicationē præcedentis difficultas est,

## ARTICVLVS XIII.

## An ratione diuersæ æstimationis pecuniarum pretium cambiorum possit licitè augeri,vel minui?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas explicatur, declarando, quot modis æstimatio pecuniæ fieri possit.*
3. *Explicatur,quænam sint causæ maioris, vel minoris æstimationis pecuniæ.*
4. *Titulo dubitationis respondetur,explicando,an ratione diuersæ æstimationis legalis, vel intrinsecæ pecuniarum pretium cambiorum possit iustè augeri, vel minui.*
5. *An liceat commutare pecuniam in vno loco, vt similis,vel eadem reddatur in alio loco,vbi pluris æstimatur æstimatione legali.*
6. *An ratione maioris, vel minoris æstimationis extrinsecæ pecuniarum possit iustè pretium cambiorum augeri,vel minui.*
7. *An campsor dans suam pecuniam hic ad cambium, vt alibi soluatur,possit in eadem pecunia pluribus titulis lucrari.*
8. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur,an liceat mutuare frumentum, vel oleum, cum hoc, vt tali tempore determinato reddatur idem,vel simile.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm Titius mutuo accipiens à Caio centum choros tritici,vt simile reddat tali loco, & tali tempore,plenè satisfacit,si postea simile triticum reddat, & in eadem quantitate, etiamsi in loco, & tempore, vbi redditur,pluris,minorisve,frumentum æstimetur; ergo accipiens in vim cambij centum aureos soluendos in loco condicto,plenè satisfacit,si illos in eadem quantitate reddat, etiamsi pecuniæ in loco conuento pluris minorisve æstimentur. ergo pretium cambij non augetur,vel minuitur ratione diuersæ æstimationis pecuniarum.

II. *Veritas explicatur,& declaratur*

DVBITATIO I.

*Quot modis æstimatio pecuniæ fieri possit?*

Dico primò,æstimatio pecuniæ in quantū pecunia, dupliciter fieri potest,vno modo per legem Principis, qua pecunia taxatur, vt valeat tot, vel tot nummos, sicut Romæ Iulius argenteus æstimatur quinquaginta quatrinis,scutum aureum tredecim Iuliis,& hæc dicitur æstimatio legitima,& intrinseca. Altera verò pecuniæ æstimatio est extrinseca accidentalis,& quasi fortuita,proueniens ex causis extrinsecis,& fortuitis; ratione cuius non censetur pecunia maior pluris valere respectu minutarum in eodem loco, sed tota pecunia simul pluris,vel minoris valere, tum respectu rerū venalium in eodem loco,tum respectu pecuniarum,quæ sunt in alio loco. Vide Bannes *2.2.q.78.a.4. de cambijs, dub.8.in princ.* Less. *lib.2.de iust.c.23.dub.4.n.34.*

DVBITATIO II.

III. *Quænam sint causæ maioris, vel minoris æstimationis pecuniæ?*

Dico secundò. Prima causa extrinseca faciens pecuniam, quoad æstimationem accidentalem, pluris, minorisve æstimari, est illius copia, vel inopia, quò enim in aliquo loco est maior copia pecuniæ, eò ipsa est minoris valoris quoad æstimationem extrinsecā ad res venales præsentes,& etiam ad pecunias dissitas cōparandas,quæ rerum venalium rationem subeunt. Pari ratione,quò minor est copia pecuniæ,& ipsa est maioris valoris respectu mercium, quia plus merciū eadē pecunia comparari potest. quia sicut pretia merciū ob maximam illarū copiam decrescunt, & ob inopiā crescunt;ita valor pecuniarū ob copiā illarum decrescit,& ob inopiā crescit. Pecuniæ enim induunt rationē rerū venaliū,& sic in Indiis,quia est maxima copia pecuniæ,minoris illa æstimatur,quàm in Italia,vbi est minor

minor eiusdem copia, etiamsi pretium legitimum pecuniarum esset omnino idem in Indiis, & in Italia. Vide pro hac re Sotum *lib.6. de inst. q.12.art.2.* Salon. *tom.2.q.4 de cambijs,art.2.contr.16.n.2.fol.604.col.2.mihi.*

Dico tertiò. Secunda causa extrinseca, vnde prouenit, quòd pecuniæ valor quo ad extrinsecam æstimationem aliquando crescat, aliquando decrescat, est maior, vel minor multitudo petentium ad cambium. quia sicut multitudo emptorum facit vt crescant pretia mercium, ita multitudo petentium ad cambium facit, vt crescat valor pecuniæ campsoris, siue ea sit præsens, siue sit absens; & sicut paucitas emptorum facit decrescere pretia mercium, ita paucitas exigentium ad cambium facit, vt decrescat valor pecuniæ campsoris dantis ad cambium. Vide Lopez *lib.2.de contractibus cap.9. vers.particulariter.fol.74.mihi.*

Dico quartò. Tertia causa maioris, vel minoris æstimationis extrinsecæ pecuniarum assignatur ex multitudine, vel paucitate dantium ad cambium. quo enim sunt pauciores, qui velint dare ad cambium, eo pecunia campsoris pluris æstimatur; & quo plures sũt campsores, eo pecunia minoris æstimatur; quia sicut quo pauciores sunt mercium venditores, & mercimonia pluris æstimantur, & quo plures, eo minoris. Ita, &c. Hanc etiam causam assignat Lopez *loco* nouissimè *cit.* Valent. *tom.3.disp.5.q.23.de cambijs,punct.5.vers.Deinde.*

Dico quintò. Quarta causa minoris, vel maioris æstimationis pecuniarum desumitur ex earumdem necessitate, vt si dantibus ad cambium mercium ingens copia offeratur venalis, vnde sperant illas emendo habere maximum lucrum, tunc pecunia maioris æstimaretur quo ad extrinsecam æstimationem, & minoris ex hoc capite, si nulla sit talis necessitas. Less. *lib.2.de iust cap 23.dub 4.num.35 fine.*

Dico sextò. Maior etiam hæc pecuniæ accidentalis æstimatio ortum habet ratione minoris periculi amissionis, cui in aliquo loco existens est coniuncta, hîc pecunia magis valet, quàm in loco, vbi summo in periculo est constituta; & è contra hîc minus valet, vbi maximum amissionis periculum subit, & sic tempore belli pecunia existens in Flandria minoris æstimationis habetur in ordine ad cambia, ratione scil. magni periculi amissionis illius; etiã si aliæ causæ extenuantes æstimationem pecunię ibi deficerent: sicut pecunia collata nauigaturo propter periculum naufragij est minoris æstimationis, quàm pecunia constituta alibi, vbi omnino esset à periculo amissionis libera: nam periculum, cui res subiacet, facit rem illam vilescere. Ita benè Caiet. *tom 2. opusc. tract.7. de cambijs,c.7.* Lopez nuper adductus *vers. secundò perpendendum est ,fol. 73. mihi.* His positis,

IV. *Titulo dubitationis respondetur, & explicatur*

### Dvbitatio III.

*An ratione diuersæ æstimationis legalis, vel intrinsecæ pecuniarum, pretium cambiorum posit iustè augeri, vel minui?*

Dico septimò. Ratione diuersæ æstimationis legalis, & intrinsecæ pecuniarum, pretium cambiorum potest iustè augeri, vel minui: vt si campsor conferat Romæ centum aureos campsario soluendos Lugduni, si Romæ centum aurei habent maiorem æstimationem legalem, quàm Lugduni, puta, quia Romæ æstimatur aureus tredecim, Lugduni verò duodecim, campsarius Lugduni ne dum centum aureos soluere debet, sed etiam illud plus, quod Romæ valent centum aurei, vt fiat recompensatio minoris valoris cum maiori æstimatione legali pecuniarum, & sic pretium cambiorum iustè, & licitè augetur. Probatur hæc assertio: quia in omni contractu seruanda est æqualitas, in ratione dati, & accepti. ergo si Romæ pluris æstimantur centum aurei æstimatione legali, quàm Lugduni, campsarius recipiens Romæ in vim cambij centum aureos soluendos Lugduni, ne dum soluere debet in loco condicto centum aureos, sed etiam illud plus, quod valent Romæ centum aurei, aliàs minus redderet, quàm accepit, quod est iniustum, & sic augebitur pretium cambij in fauorem campsoris ratione diuersæ æstimationis legalis pecuniarum. Sic Lopez noster *lib. 2. de contractibus, cap.9 .vers. statuitur, fol. 75. mihi.* Bannes *2.2. quæst. 78. de cambijs art. 4. dub. 6.conclusione 2.* Less. *lib.2.de inst.c.23. dub.4.n.36.*

### Dvbitatio IV.

V. *An liceat commutare pecuniam in vno loco, vt similis, vel eadem reddatur in alio loco, vbi pluris æstimatur æstimatione legali?*

Dico octauò. Consequenter commutare pecuniam in vno loco, vt similis, vel eadem reddatur in alio loco, vbi pluris æstimatur æstimatione legali, iniustum, & iniquum est: vt, v.g. si campsor det Lugduni campsario centum aureos Romæ reddendos, vbi pluris æstimãtur æstimatione legali, debet enim tunc minui pretium cambij in fauorem campsarij. quia aliàs tunc campsor plus reciperet, quàm dedit. Ita DD. citati, præcipuè Bannes *conclus. illa secunda*; seposito tamen lucro traiectionis, & carentiæ suæ pecuniæ præsentis: nam ratione huius obsequij licitum est campsori aliquod lucrum ex hoc cambio accipere; vt benè aduertit Less. nuperrimè adductus *num.36.*

### Dvbitatio V.

VI. *An ratione maioris, vel minoris æstimationis extrinsecæ pecuniarum posit iustè pretium cambiorum augeri, vel minui?*

Dico nonò. Ratione maioris ęstimationis extrinsecæ, & accidentalis pecuniarum potest iustè pretium cambiorum augeri; quia sicut merces ratione paucitatis, & necessitatis, ratione multitudinis emptorum, & raritatis venditorũ, pluris valent, & emi debent, quàm aliàs emerentur; ergo similiter si hîc Romæ, v. g. vbi dantur pecuniæ ad cambium, esset inopia totius generis pecuniæ, ingens eiusdem necessitas, multitudo petentium ad cambium, & paucitas campsorum propter has causas pecunia hîc pluris valeret, quàm vbi essent soluendæ, si in loco solutionis hæ causæ deessent. ergo licitè poterit campsor dans hîc ad cambium suas pecunias propter has causas, quæ faciũt maiorem æstimationem fortuitam pecuniarũ, augere pretium cambij in sui fauorem, & aliquid plus recipere in loco solutionis. Ita benè Lopez noster *vbi supr. fol.75 mihi, vers. statuitur hac concl.* Bannes *2.2.q.78 de cambijs art.4.dub.8. vers pro decisione.* Less. *lib.2.de iust c.23.dub.4.n.38.*

Dico decimò. Consequenter ratione minoris æstimationis extrinsecæ pecuniarum debet pretium cambij diminui, vt si vbi dantur pecuniæ in vim cambij, esset maxima totius pecuniæ copia, paucitas petentium ad cambiũ, multitudo campsorum, & non magna necessitas nummorum; tunc campsor conferens hîc suam pecuniam campsario soluendam in loco designato vbi est inopia totius generis pecuniæ, multitudo petentium ad cambium, paucitas campsorum, & ingens pecuniarum necessitas, debet minuere pretium cambij, & aliquid minus accipere in loco conuento. quia pecuniæ hîc ad cambium traditæ sunt minoris

æstima

æstimationis accidentalis, quàm vbi sunt soluendæ, licèt pretium legale esset idem vtrobique. Videantur DD. citati *assert. praeced.* & Salon. *tom. 2. 2. 2. q. 4. de cambijs, art. 2. controuers. 16. n. 6. vers. Probatur 3. fol. 605. col. 5. mihi.*

Semper tamen campsores possunt aliquod lucrum accipere ratione obsequij quod præstant campsariis, vnde ratò fit, vt minus accipiant, quàm dent, vt benè annotauit Less. *lib. 2. de iust. c. 23. dub. 4. n. 36. fin.*

## DVBITATIO VI.

VII. *An campsor dans suam pecuniam hîc ad cambium vt alibi soluatur, possit in eadem pecunia pluribus titulis lucrari?*

Dico vndecimò, ex dictis casus dari poterit, quòd aliquando câpsor tribus titulis, & causis luctetur, dans suam pecuniam hîc ad cambium soluendam alibi. Primò titulo traiectionis virtualis pecuniæ campsarij in hunc locum, vbi dat suam, & obsequij quod præstat. Secundò eo quòd tribuit suam pecuniam hîc maioris æstimationis quoad valorem accidentalem, (vt supponimus) quam habeat, vbi est soluenda. Tertiò potest etiam luctari, eo quòd, vt etiam supponimus, Romę, v. g. vbi dat suam pecuniam ad cambiû, pecunia sit maioris æstimationis legalis, & intrinsecæ, quàm in loco solutionis. ergo ex triplici hoc titulo poterit luctari, & aliquid plus accipere in loco solutionis, vbi pecunia & quo ad pretium accidentale, & quoad intrinsecum, & legale, est minoris æstimationis, aliàs non seruaretur æqualitas in ratione dati, & accepti. Sic optimè Lopez noster *lib. 5. de contractibus, cap. 9. vers. Quintò contingere poterit, fol. 78. mihi.* Less. *vbi suprà n. 39.*

VIII. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

## DVBITATIO VII.

*An liceat mutuare frumentum, vel oleum cum hoc, vt tali tempore determinato reddatur idem, vel simile?*

Ad rationem in contrarium, quatenus directè militat contra octauam & decimam assertiones; respondetur concedendo antecedens, & negando consequêtiam; & ratio negationis est, qoia triticum semper manet idem secûdùm vsum, & commoditatem, licèt pretium varietur: at verò pecunia non manet eadem secûdùm commoditatê variato pretio legali, vel extrinseco. Nã in pecunia ęstimatio, & pretiû non distinguitur ab ipsa, sed se habet vt forma, & substantia illius, vnde aucto pretio, mutatur pecunia. In frumento verò pretiû distinguitur ab ipso, & sic mutato illius pretio non mutatur; & cõsequenter satis faceret mutuatarius reddendo têpore restitutionis illud idem frumentum, vel simile, quod accepit à mutuante, etiamsi pretium illius fuerit auctû, vel diminutum. Cæterùm commutatam pecuniam eandem, vel similem exigere, quando Princeps auxit pretium illius, iniquum est: quia aucto pretio variatur pecunia, cùm pretiû, & æstimatio sit quasi forma, & substantia monetæ: vnde si quis mutuaret alteri centum aureos valentes singulos vndecim Iulios, postea verò Princeps augeret valorem singulorũ aureorum vsque ad quatuordecim, non tenetur iste dare mutuatario centum aureos, sed illos, qui adęquat cẽtum vndecim Iuliorum, quia aliàs mutuatarius plus reciperet, quàm dedit in ratione pecuniæ, quod esset iniustum: videatur pro hac solutione Magister Bannes 2. 2. q. 78. *art. 4. de cambijs, dub. 6. concl. 2.*

Pro maiori tamen huius solutionis intelligentia obseruandum, quòd qui mutuauit alteri frumentum, vel oleum, &c. sciens probabiliter tempore, quo illa restituenda sunt, plus valitura, obligauitque mutuatariû, vt non antè solueret, vsurarium hoc esset. Secus autem si dubium esset pluris ne, an minoris frumenti, vel olei mensura eo tempore æstimanda foret, dummodo liberum mutuatario relinquatur, vt soluat, & restimas ante illud tempus si velit: vt benè Syl. *verb. vsura 1. q. 14.* Sotus *lib. 6. de iust. q. 1. art. 2. vers. At verò dum pactum, fol. 389.* quos sequitur Azor *p. 3. lib. 8. c. 15. dub. 8.*

## ARTICVLVS XIV.

## An cambiatores possint constituere pretium, & valorem præfinire pecuniis, quæ ab ipsis traduntur in cambium?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur modus imponendi pretia pecunijs, & qui sit consulatus mercatorum.*
3. *Explicatur, quid sit pretium cambiorum in nundinis proximè futuris taxandum.*
4. *Deciditur dubitatio.*
5. *Rationi in contrarium à principio respondetur, explicando, quodnam censeatur pretium iustû in qualibet negotiatione, quando pretium non sit lege taxatum.*

I. *Pars negatiua probatur.*

Pretia mercibus introducta ab ipsismet venditoribus non censentur iusta, sed quæ periti, & prudêtes, in quibus nulla cupiditatis suspicio existit, constituerint. ergo multo potiùs in cambiis, in quibus pecuniæ maius continent cupiditatis, & iniquitatis incentiuum, pretia non censebuntur iusta, quæ ab ipsismet campsoribus constituuntur, sed quæ prudentum arbitrio, in quibus nulla suspicio cupiditatis, & iniquitatis potest oriri.

II. *Explicatur modus imponendi pretia pecunijs, &*

## DVBITATIO I.

*Quid sit consulatus mercatorum?*

Dico primò, imponuntur pretia cambiorũ sic: conueniunt mercatores qui hanc campsoriam artê exercent, in domo negotiationis, vel in loco condicto in nundinis, & congregationem habent, quam *Consulatum mercatorum* appellant, & ibi accuratè, omnibus pensatis, maximè, vbi pecuniæ magis abundant, & vbi illarum est penuria, vbi est paucitas petentium ad câbium; vbi verò multitudo, & omnibus causis consideratis, de quibus dubio præcedenti, & post multam inter se collationem, & disputationem, in qua hi, quibus expedit pretium exiguum esse, illud diligenter curant. quibus verò expedit, vt maius illud sit, illud quoque quantum possunt nituntur; denique conueniunt de aliquo certo pretio omnibus accommodato, & communi consensu indicato iusto. Videatur pro hac solutione Salon. *tom. 2. 2. 2. quæst. 4. de cambijs, art. 5. controuers. 15. num. 5. fol. 601. col. 1. mihi.*

Dico secundò, probi igitur, & periti campsores eodem consensu in vnum congregati adaugent pretia cambiorum, si in loco, vbi recipiuntur pecuniæ ad cambium, est illarum inopia, & abundant quærentes cambia; in loco verò solutionis est copia totius generis pecuniarum, & pauci petunt ad cambium.

Minuunt verò pretia cambiorum, si vbi recipiuntur pecuniæ, est maxima illarum copia, & desunt quærentes cambia; in loco verò solutionis e contrà pecuniæ desunt, & multi in vim cambij illas habere petunt; quia pecunia absens se habet instar mercis respectu præsentis, præsens verò, vt pretium; sed merces, experientia teste, venduntur carius propter earum penuriam, & abundantiam emptorum, vilius verò si econtrà res accidat, merces scil. ipsas abundare, & emptores deficere. ergo pretia cambiorum à campsoribus dantibus suam pecuniam ad cambium debent augeri, vel minui secundùm quòd pecuniæ abundant, vel deficiunt, secundùm quod est multitudo quærentiū cambia, vel paucitas quia pecunia in loco solutionis recipienda, cùm sit quædam merx, pluris, vel minoris æstimatur, secundùm quòd ibi abundat, vel deficit, & secūdùm quòd abundāt quærentes cambia, vel desunt. Hęc assertio colligitur ex doctrina Bannes 2.2.q.78.*de cambijs art.4.dub.8.vers.pro decisione.* Lopez *lib.2.de contract. c.9.vers.statuitur.* Salon. nuperrimè adductus *n.1.ad finē.*

## Dubitatio II.

III. *Quid sit pretium cambiorum in nundinis proximè futuris taxandum?*

Dico tertiò, pretium cambiorum in nundinis proximè futuris taxandum illud dicitur, quod campsores in futuris illis nundinis existentes constituunt tam in primo cambiorum contractu, quando recipiuntur pecuniæ restituendæ in nundinis aduenientis solutionis termino, quàm in remissione solutionis ad priorem locum. quia campsores tunc in vnum congregati in loco nundinarum prospecta diligenter vera, & reali copia, vel inopia pecuniarum tam in loco, vbi cambiū primò recipitur, & exercetur, quàm in loco, vbi facienda est illius solutio, idque cognoscunt tunc per epistolas, quas ab alijs mercatoribus recipiūt, tum ab his, qui inde adueniunt, tum ex his, quæ à proxenetis circa hos contractus sibi significantur, sicque omnibus pensatis ritè, ac rectè pretia cambij constituunt, & hæc pretia sic constituta censentur inter eos esse communis vsus fori. Vide Salon. *controuers.15.cit.vers.secunda conditio.*

IV *Dubitatio deciditur.*

Dico quartò, pretij constitutio in cambiis, & pecuniarum, quæ commutantur, æstimatio, iustè, & licitè fieri potest à mercatoribus artem campsoriam exercentibus. quia iustum, & licitum pretium in quacumque negotiatione illud censetur, quod periti illius negotiationis bona fide omnibus exploratis imponunt. ergo pretij constitutio in cambiis, & pecuniarum æstimatio in arte campsoria iustè, & licitè fieri potest à peritis campsoribus, omnibus benè & prudenter perspectis, & consideratis. Sic benè Lessius *lib.2.de iust. cap.23.dub.6.num.55.* Valent. *tom.3.disp.5 quæst.23. de cambijs, puncto 5. vers. ex qua doctrina.* Bonac. *tom.2. tract. de contractibus disp.3.quæst.5.puncto vnico n.17.*

V. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

## Dubitatio III.

*Quodnam censeatur pretium iustum in qualibet negotiatione, si pretium non sit lege taxatum?*

Nec officit ratio in contrarium. Nam in omni negotiatione si pretium à lege non sit taxatum, illud censetur pretium iustum, quod periti in illa arte, dempta omni fraude, constituunt; neque obstat, quòd campsores, à quibus diximus pretia cambij constitui, videantur rem suam agere, quoniam non omnes, qui ad huiusmodi pretiorum constitutionem conueniunt, sunt campsores creditores, quorum refert pretia esse cariora, sed etiam conueniunt debitores, quorū interest pretia esse minora, & hac mutua concertatione, qua singuli suis commodis prospiciunt, sumitur medium pretiū, ad singula loca, in quibus, & ad quæ fiunt cambia, omnibus accōmodatū. Videatur pro hac solutione Salon. *tom.2.2.2 q.4.de cambijs, contr.15.art.2. §. nec obstat.*

## Articulus XV.

## An sit iustum cambium, in quo campsor dat Romæ, v.g. centum aureos in vim cambij, vt soluat alio in loco, vbi nullæ nundinæ celebrantur, eo pacto, vt totidem aureos cum tanto lucro ibi soluat ad tres menses, cum quanto lucro soluerentur ad primas nundinas in loco consueto?

*Summarium.*

1. *Pars affirmatiua declaratur.*
2. *Declaratur, quomodo debeat fieri æstimatio pecuniæ in cambijs vt sit iusta.*
3. *Dubitatio deciditur.*
4. *An sit licitum cambium, de quo in titulo si in loco, vbi pecunia soluenda est, scitur pecuniam esse maioris æstimationis, vel æqualis.*
5. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur. qua ratione sit licitum accipere aliquod lucrum in casu tituli.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

Videtur quòd sit licitum tale cambium, quia nummularius erat paratus dare alijs suas pecunias, vt sibi in loco nundinarum soluerētur. ergo si requisitus ab alio dedit ei suas pecunias, vt soluat eas in loco, vbi nundinæ minimè celebrantur, poterit, vt se ipsum seruet indemnem, tantum lucrum recipere, quantum si ad cambium alteri suas pecunias dedisset ad nundinas proximas soluendas.

## Dubitatio I.

II. *Quomodo debeat fieri æstimatio pecuniæ in cambijs, vt sit iusta?*

Dico primò, æstimatio pecuniarum in locis, inter quæ cambia celebrantur, facienda est iuxta eundem temporis articulum, quo fiunt cambia, proinde ac si in eodem instanti pecuniæ illæ inter se commutarentur in illis locis, vt rectè, ac iustè pretia cambiis constituantur. Nam vsus campsorum ita habet, debétque sic habere, vt rectè fiant cambia, vt ipso tempore contractus cōueniant campsor, & campsarius de pretio cambij, quod exercent, Romā, v.g. Lugdunum, & in litteris campsoriis, quæ mittūtur in nundinas celebrādas Lugduni, adiungitur sorti, & capitali accepto Romæ pretium, seu interesse, quod ratione illius cambij Romā Lugdunum postea in nundinis ibidem est reddendum, sed impossibile est pretium certum vnà cum sorte coniungere in litteris campsoriis, nisi ipso tempore contractus sumatur simul æstimatio, quam habent pecuniæ Romæ vbi sumuntur, & ea, quam habent eodem omnino tempore Lugduni, vbi postea in nundinis sunt soluendæ. ergo æstimatio pecuniarum

in

in locis, inter quæ cambia celebrantur, sit iuxta eundem temporis articulum, quando illa fiunt. Videatur Sotus *lib. 6. de iust. q. 12. art. 1.* Salon. *tom. 2. 2. 2. q. 4. art. 2. de cambijs, controuersia 16. concl. vltima fol. 606. col. 2. mihi.*

Dico secundò, ad maiorem explicationem præcedentis pronunciari, pretium in cambiis est constituendum iuxta æstimationem pecuniarum quam habent in eodem temporis articulo, quando cambia celebrantur: esto maiorem, vel minorem æstimationem sint forsan pecuniæ habituræ adueniente nundinarum tempore, quando ibi solorio illarum est facienda. Probatur, quia quo ad pretij constitutionem cambium assimilari debet contractui venditionis, sed in venditione pretium sumendum est in eo tempore, in quo res actu traditur, & fit contractus, esto solutio illius differatur in aliud tempus. ergo similiter in cambio, esto solutio, & restitutio pecuniæ, quæ cambitur, differatur in nundinas, vel ad alium terminum, pretium tamen constituendum est, & definiendum eo tempore, quo traditur pecunia, & celebratur contractus, & consequenter sumenda est æstimatio, quam habent tunc pecuniæ in vtroque loco, simul & eodem tempore, nec curandum quam æstimationem sint deinde habituræ, vel habebunt tempore solutionis. Sic benè Salon. nuperrimè adductus, § *Denique cambium.*

III. *Dubitatio deciditur.*

Dico tertiò, si locus in quo est pecunia soluenda, non tam longè abest, quàm locus, vbi primæ nundinæ fiunt, non potest campsor tantum lucrum exigere à campsario, quantum exigeret ex cambio, cuius pecuniæ soluerentur in loco nundinarũ. patet hæc assertio manifestè ex constitutione de cambiis Sanctissimi Pij V. cuius initium est, *In eam pro nostro.* nam in ea dicitur in cambiis habendam esse rationem longinquitatis, & viciniratis locorum, in quibus locis est facienda pecuniæ solutio. ergo si locus in quo soluuntur pecuniæ in vim cambij in alio loco receptæ minus distat, quàm locus nundinarum, non potest licitè campsor recipere tantum lucri à campsario, quantum reciperet, si soluerentur in loco nundinarum.

DVBITATIO II.

IV. *An sit licitum cambium, de quo in titulo, si in loco, vbi pecunia soluenda est, sciatur pecuniam esse maioris æstimationis, vel æqualis?*

Dico quartò, etiamsi æqua sit locorum distantia; si tamen certò, & probabiliter scitur, æstimationem pecuniarum eo in loco, vbi est pecunia soluenda, esse maiorem, non minorem, vel æqualem, quàm sit in loco vbi nundinæ sunt celebrandæ, tunc cambium est illicitum, si eo pacto fiat vt totidem aureos cum tanto lucro ibi soluat campsarius ad tres menses, cum quanto lucro totidem aurei soluerentur ad nundinas in loco consueto. Probatur, quia tunc nummularius præter lucrum, quod ratione sui muneris, & officij exigit, reciperet etiam maius pecuniæ incrementum, cùm pecuniæ maiorem habeant æstimationem in loco, vbi soluuntur, quàm in loco nundinarum, vbi facienda esset solutio. ergo tunc hoc cambium esset iniquum, & iniustum, cùm in eo non seruetur æqualitas in ratione dati, & accepti: vide Azor. *p. 3. inst. mor. lib. 10. c. 9. dub. 3.*

Quòd si pretium pecuniarum sit æquale in loco nundinarum, & in alio loco, vbi fit illarum solutio, & æqualis locorum distantia, tunc cambium cũ illo pacto, est iustum, & licitum. quia tunc in omnibus seruatur æqualitas in ratione dati, & accepti. ergo, &c.

V. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

DVBITATIO III.

*Qua ratione sit licitum accipere aliquod lucrum in casu tituli?*

Ad rationem in contrarium respondetur quòd si nummularius tenetur daturus erat suas pecunias in vim cambij ad locum nundinarum vt ibi soluerentur cum tãto iusto lucro, rogatus tamẽ, & requisitus ab alio det ei pecunias, vt eas soluat in loco, vbi nundinæ minimè celebrantur; tunc ratione lucri cessantis, & non ratione cambij, potest licitè exigere à campsario illud idem lucrum, quod reciperet si fieret solutio in loco nundinarum, etiamsi locus, in quo fit solutio, minus distet, quàm locus nundinarum, licèt etiam ratione æstimationis pecuniarum, & ratione cambij tantum lucri in loco, vbi de facto pecuniæ soluuntur, minimè sibi deberetur: at ratione lucri cessantis tale cambium cum illo pacto celebratum, & cum tanto lucro, tunc esset licitum, & iustum. Videatur Azor. *vbi suprà.*

ARTICVLVS XVI.

## An sit licitum cambium, cuius pretium mutuo contrahentium consensu relinquitur in incertum, scilicet cùm campsor confert alicui pecunias eo pacto, vt illius cambij solutio fiat iuxta pretium cambiorum nundinarum proximè sequentium?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Dubitatio resoluitur.*
3. *An sit licitum cambium, quando dubitatur de æstimatione pecuniarum post duos, vel tres menses, in futuris nundinis, si dum pecunia traduntur, constituatur in fauorem campsoris aliquod certum pretium medium, quod plus, vel minus crediter pecunias in futuris nundinis valituras esse.*
4. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & magis explicatur primum dictum.*

I. *Pars negatiua probatur.*

Videtur quòd non sit licitum: quia æstimatio pecuniarum, inter quas fit cambium, sumenda est ex eodem temporis articulo, quo cambium celebratur. ergo iniustè agit campsor si conuenit cum campsario vt in cambio pecuniarum solutio fiat iuxta pretium cambiorum nundinarum proximè sequentium, cùm debeat fieri secundùm pecuniarum æstimationem præsentem, quando cambium celebratur.

II. *Dubitatio resoluitur.*

Dico primò, cambium, cuius pretium mutuò contrahentium consensu relinquitur in incertum, est licitũ, quando vtrinque est æquale dubiũ quòd minus, vel plus pecuniæ sint valituræ tẽpore solutionis, quàm sit pretium, quod valent de præsenti, cùm ad tale cambium datur: veluti si Petrus campsor dicat Ioanni campsario, Accipe centum aureos in vim cãbij restituendos mihi Lugduni ad primas nundinas, hac lege, vt si cambiorũ pretia in proximis nundinis Lugduni celebrandis aucta fuerint, plus soluas, quod modò valent, sin verò minus, vel æquale, quale fuerit tunc pretiũ. Probatur, quia quãdo vterque contrahentiũ æquali

ſubiacet fortunæ, nulla poteſt interuenire iniuſtitia ex parte alterius. ergo cùm in caſu poſito ſit æquale periculum lucrandi, vel aliquid amittendi ex parte vtriuſque contrahentis, erit licitum tale cambium. Tum, quia licet Petro, v. g. deponere ſuam pecuniam apud Ioannem, ſic cum eo conueniendo, accipe hos centum aureos reſtituendus mihi poſt tres menſes, hoc pacto vt ſi valor illorum auctus fuerit, cum eo valore illos mihi reſtituas; ſi verò diminutus, cùm illo ſimiliter diminuto reſtituas. ergo ſimiliter in caſu noſtro, &c. Sic bene Caiet. *tom. 1. opuſc. tract. 7. de cambijs, cap. 6.* Lopez noſter *lib. 2. de contract. cap. 14. verſ. quarta concluſio, fol. 115. mihi.* Azor. *part. 3. inſt. mor. lib. 10. cap. 9. dub. 3. verſ. deinde.* Bonacina *tom. 1. tract. de contractibus diſp. 3. quæſt. 5. puncto vnico, num. 18.*

## Dubitatio Vnic.

III. *An ſit licitum cambium, quando dubitatur de æſtimatione pecuniarum poſt duos, vel tres menſes in futuris nundinis, ſi dum pecuniæ traduntur, conſtituatur in fauorem campſoris aliquod certum pretium medium, quòd plus, vel minus creditur pecunias in futuris nundinis valituras eſſe?*

Dico ſecundò, cùm res dubia eſt, quo pretio fient commutationes pecuniarum poſt duos, vel tres menſes à pecunia data in vim cambij in futuris nundinis, ſi ſumatur eo tempore quo pecunia traditur ad cambium, medium aliquod pretium, quòd parum plus, vel minus credantur pecuniæ in nundinis futuris valituræ, conſtituatúrque illud in fauorem campſoris tanquam certum, tunc cambium eſſet illicitum. v. g. campſor dans centum aureos ad cambium Romæ ſoluendos poſt tres menſes Lugduni in primis nundinis, conſiderans illos centum aureos Lugduni tunc temporis valituros 1010. argenteos, vel forſan non niſi mille, ſumit medium quoddam pretium, quòd parum plus, vel minus creduntur tunc valituri, nempè mille & decem argenteos, illúdque taxat, & manet mutuò vtriuſque contrahentis conſenſu ex tunc conſtitutum, vt legitimum pretium. Dico hoc cambium, quod manet ſoluendum iuxta pretium taxandum in primis nundinis, vbi ſolutio debet fieri, non eſſe licitum, quia in hoc contractu non ſeruatur æqualitas ex parte vtriuſque contrahentis. nam campſor ſemper eſt in tuto aliquid lucrandi; campſarius verò priuatur ea ſorte, quam fortaſſe habuiſſet ſi cambiorum pretia taxanda in primis nundinis poſt pecuniam receptam exigua eſſent, & infima. ergo hoc cambium non eſt licitum, & ita hanc aſſertionem docet Sotus *lib. 6. de inſt. q. 12. art. 4. § huius autem contractus.* Salon. *tom. 2. 2. 2. quæſt. 4. de cambijs art. 2. controuerſ. 17. num. 6.*

IV. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicatur primum dictum.*

Ad rationem in contrarium, quæ militat contra primum noſtrum pronunciatum, reſpondetur quòd licèt æſtimatio pecuniarum, inter quas fit cambium, ſumenda ſit ex eodem temporis articulo quando cambium celebratur: tamen contrahentes communi conſenſu non attento pretio, quod modò pecuniæ valent, acceptæ in vim cambij poſſunt ſe ſubmittere periculo aliquid lucrandi, vel amittendi, relinquendo pretium cambij, quod modò celebrant in incertum taxandum in proximis nundinis, ſiue maius, ſiuè minus ſit, & tunc talis contractus ludi, & fortunæ erit licitus, quia eſt æqualis ſortis, cui ſe vtraque pars contrahentium ſubiiceret, & nullus ex contrahentibus ſe ponit in tuto lucrandi, ſed vterque æquali aleæ ſe ſubiicit lucri, vel amiſſionis: veluti ſi modò centum ducati qui accipiuntur ad cambium, valent mille Iulios; dubium tamen eſt, & æquale dubium an proximis nundinis plus ſint valituri, aut minus, puta mille 20. Iulios, aut nongentos. Tunc ſi pretium in hoc cambio relinquitur in incertum conſtituendum in proximis nundinis, licitus eſt contractus, quia eſt æqualis alea ex parte vtriuſque contrahentis. Cæterùm ſi centum ducati quando dantur in vim cambij valerent mille Iulios, & certò, & probabiliter in primis nundinis eſſent plus valituri, puta mille 20. Iulios, non autem minus, tunc contractus eſſet illicitus ſi pretium in hoc cambio relinqueretur conſtituendum in proximis nundinis; quia non eſſet in eo æqualis alea ex parte vtriuſque contrahentis. nam campſor eſſet in tuto lucrandi, & campſarius forte lucri priuaretur. Videatur pro hac ſolutione Sotus *lib. 6. de iuſt. q. 12. art. 4. verſ. Huius autē contractus.*

---

## Articulus XVII.

## An ſit iuſtum & licitum cambium, quod interpoſitis primis nundinis, fit in alias ſubſequentes, ſi in eo pretium augeatur?

### *Summarium.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Explicatur quænam ſint primæ nundinæ, & quæ nundinæ interpoſitæ, & quid ſit quòd ad primas nundinas, vel ſecundas fiat ſolutio cambij.*
3. *Titulo dubitationis reſpondetur.*
4. *An poſſit campſor dare ſuam pecuniam ad cambium ad ſecundas, vel tertias nundinas, & an peccet ſi plus lucri recipiat, quam ſi daret ad primas; & an teneatur reſtituere.*
5. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur, an venditor poſſit augere pretium rei venditæ ex dilata ſolutione, & magis explicantur ſuperiùs dicta.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

Qvia per hunc contractum obſtringitur campſor maiori tempore carere ſua pecunia in commodum, & vtilitatem campſarij; ſed hæc obligatio eſt pretio æſtimabilis. ergo quando cambium fit prætermiſſis primis nundinis in alias ſubſequentes, poteſt in eo licitè augeri pretium, & maius recipi intereſſe, cùm hoc cedat in vtilitatem campſarij, cùm non ſit paratus ſoluere in primis nundinis, & in damnum campſoris, qui poſſet ſuam pecuniam, ſi ſolutio fieret in primis nundinis, alteri campſario tradere cum nouo intereſſe, & lucro ſecundi cambij.

## Dvbitatio I.

II. *Quænam ſint primæ nundinæ, & quæ nundinæ intercallatæ, ſeu mediatæ, & quid ſit quòd ad primas nundinas, vel ſecundas fiat ſolutio cambij?*

Dico primò. Primæ nundinæ intelliguntur illæ, quæ non abſolutè ſunt primæ, ſed illæ ad quas à tempore celebrationis cambij competens tempus intermediat pro ſolutione litterarum campſoriarum, quod quidem tempus trium menſium regulariter pro ſufficienti reputatur. Vnde ſi à tempore celebrationis cambij

cambij, ſpatio tantùm octo, vel quindecim dierum, inſtarent nundinæ celebrandæ in loco vbi cambium eſt ſoluendum, ſi cambium eſt celebratum, vt ſolueretor intretſtitio trium menſium ad primas mundinas, nun diceretur tunc celebratum ad intercallatas, vel mediatas nuudinas. quia illæ nundinæ dicuntur immediatæ & primæ, in quibus primò commodè poteſt fieri ſolutio cambij, ſed in illis immediatè ſequentibus poſt ſpatium octo, vel quindecim dierum, celebrationem cambij, non poteſt fieri commodè ſolutio. ergo iſtæ non intelliguntur primæ, ſed illæ quæ ſequuntur, in quibus commodè cambij ſolutio fieri poteſt ergo tunc non diceretur cambium celebrari ad intercallatas, & mediatas nundinas, ſed ad priores, in quibos primò, & commodè ſolutio cambij fieri poteſt, ſic bene adnotauit Lopez noſter *lib. 2. de contractibus, c. 13. verſ. Deinde circa illam, fol. 103. mihi.*

Dico ſecundò, nondinæ igitor intercallatæ dicuntur ſecundæ nundinæ mediatæ, quæ poſt deportationem litterarum campſotiarum ad locum conuentum, vbi facienda eſt ſolutio, ſecundò celebrantur non immediatè, ſed mediatè: immediatæ verò, ſeu primæ nundinæ appellantur illæ, quæ poſt depottationem litterarum cambij ad locum condictum ſolotionis primò, & immediatè fiunt, & in ipſis commodè fieri poteſt cambij ſolutio. Lopez *vbi ſuprà.* Salon. *tom. 2. 2. 2. q. 4. de cambijs, art. 2. controuerſiarum 20. n. 2. verſ. in primis.*

## III. *Titulo dubitationis reſpondetur.*

Dico tertiò, ad nundinas intercallatas, id eſt, ad ſecundas nundinas, prætermiſſis primis, non licet dare ad cambium cum maiori lucro, quàm ad proximas. quia ratione ſolius moræ temporis aliquid plus exigere in cambio vſurariom eſt. ergo. Tum, quia, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæſt. 78. art.* 2. oon licet rem carius vendere credito, quàm pecunia numerata. ergo ſimiliter non licebit ad nundinas intercallatas cum maiori pretio dare ſuas pecunias in vim cambij, quàm ad primas. Tum, quia, vt optimè docet Sotus *lib. 6. de iuſt. quæſt. 12. art. 2.* in hoc cambio reali tantum lucri licitè recipi poteſt, quantum reciperetur ſi eodem die, quo vna pecunia traditur in vim cambij Romæ, v.g. alia ſi fieri poteſt, reſtitueretur Lugduni: quia cùm commutatio iſta fiat iuxta æſtimationem quam habent pecuniæ in huiuſmodi locis eodem temporis articulo, quo cambium celebratur. ergo aliud pretium recipi non poteſt, niſi quod re vera reciperetur, ſi eodem die, quo vna pecuoia Romæ traditur, alia ſimul reciperetur Lugduni. ergo pretium cambij augeri non poteſt, ſiue fiat ad primas, & immediatas nundinas, ſiue ad mediatas, & intercallatas. & ita hanc aſſertionem docet Sotus *lib. 6. de iuſtitia, quæſt. 12. art. 5. verſ. Ad practicam ergo deſcendamus.* Salon. *tom. 2. 2. 2. quæſt. 4. cit. art. 2. controuerſ. 20. num. 5.* Tolet. *ſumm. lib. 5. cap. 55. num. 1.*

## Dubitatio II.

## IV. *An poſſit campſor dare ſuam pecuniam ad cambium ad ſecundas, vel tertias nundinas? & an peccet ſi plus lucri recipiat, quàm ſi daret ad primas, & an teneatur reſtituere?*

Dico quartò, poteſt tamen campſor dare ſuam pecuniam ad cambium ad ſecundas, vel tertias nundinas, eodem tamen pretio, quo dediſſet ad primas, & immediatas. quia hoc cedit in fauorem campſarij. ergo licitè fieri poteſt. Sic Bonacina *tom. 2. tract. de contractibus, diſp. 3. quæſt. 5. puncto vnico, num. 9.* Leſſ. *lib. 2. de iuſtitia, cap. 23. dub. 11. num. 9.*

Dico quintò, ſi campſor ratione veri intereſſe, & veri lucri ceſſantis plus exigeret, quando ad ſecundas nundinas concedit fieri cambij ſolutionem, vel terminum ordinarium profert, peccaret contra iuſtitiam legalem, & diſpoſitionem iuſtam Extrauagantis Sanctiſſimi Pij V. de cambiis, cuius initium eſt, *In eam pro noſtro*; & punietur in foro exteriori tanquam vſurarius; quia id clarè per hæc verba interdicit illa conſtitutio. *Statuimus*, inquit, *ne deinceps quiſquam audeat realia cambia aliter, quam pro primis nundinis, vbi illa celebrantur; vbi verò non celebrantur, pro primis terminis iuxta receptum locorum vſum exercere.* ergo peccaret campſor contrauenìens contra iuſtitiam legalem: videatur Lopez noſter *lib. 2. de contract. cap. 13. verſ. Secundo limita, fol.* 109.

Dico ſextò, talis tamen campſor dans ad cambium ad ſecundas nundinas, vel ad ſecundos terminos, non peccaret contra iuſtitiam commutatioam, ſi aliquid plus exigeret ratione veri lucri ceſſantis taxati arbitrio boni viri, & conſequenter non teneretur ante iudicis ſententiam ad illud plus, quod acciperet, reſtituendum. quia tunc nihil molitor contra iuſtitiam commotatiuam, coius ſola violatio obligationem inducit reſtituendi; ſed ſolum ſe ipſum ſeruaret indemnem. Sic benè Lopez *vbi ſuprà*, quem ſequitur Leſſ. *loco* nuper *adducto.*

## V. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur*

## Dubitatio III.

### *An venditer poſſit augere pretium rei vendita ex dilata ſolutione? & magis explicantur ſuperiùs dicta.*

Ad rationem in contrarium quatenus directè militat contra tertiam noſtram aſſertionem, reſpondetur diſtinguendo maiorem, in illo contractu obſtringitur campſor carere ſua pecunia maiori tempore propria ſponte, & omninò liberè, concedo maiorem coactè, & neceſſariò oego maiorem. tunc ad minorem; ſed hæc obligatio eſt pretio æſtimabilis, diſtinguo minorem, ſi omninò liberè fiat, nego minorem, ſi coactè, & omnino neceſſariò, tranſeat: qua de cauſa vel non concedat campſor dilatam illam ſolutionem, vel ſi concedit, gratis debet illam concedere, cùm propter dilatam ſolutionem alienius debiti, ſecluſo titulo damni emergentis, aut lucri ceſſantis, nullum intereſſe liceat recipere, quin vſorariè illud recipiator.

Et quando arguitur. nam dilata illa ſolutio cedit in vtilitatem, & commodum campſarij. ergo poterit campſor ex hoc recipere aliquod lucrum. Reſpondetur, tranſeat antecedens; & nego conſequentiam; nam ſicut venditor non poteſt augere pretium rei venditæ propter vtilitatem, quam ex dilata ſolutione percipit emptor; ita neque in cambio expectata ſolutio, proptetea quòd vtilis ſit campſario, non confert campſori ius ad aliquod intereſſe ratione talis vtilitatis percipiendum. quòd ſi campſor erat paratus dare ſuam pecuniam campſario, qoi in primis nundiois illam certò reſtitueret, vbi ſimiliter habebat negotium paratum; cui acceptam pecuniam cum lucro traderet. Vel ibi alia cambia erat celebraturus ſibi lucrum patientia ad plures nundinas; rogatus tamen à Ioanne dedit et ſuam pecuniam ad ſecundas mundinas; tunc abſolutè, & ſecluſo omni iure

homano positiuo, posset pretium cambij augere, non quidem ratione maioris prolationis temporis, sed ratione veri lucri cessantis arbitrio boni viri taxandi.

Dixi, *cessante omni iure humano positiuo*; quia stante constitutione Pij V. Sanctissimi P. in suo robore, sicut re vera stat, debétque obseruari, sicut nullo modo licet ad intercallatas nundinas cambire: ita neque aliquod interesse ex tali contractu, tanquam omninò prohibito, & iniquo exigere, vel recipere. quamuis si reciperetur, non teneretur campsor ante sententiam iudicis ad illud restituendum, quia tantùm in isto casu peccat, & quidem mortaliter contra iustam legem, & dispositionem Sanctissimi Pij V. non tamen contra iustitiam commutatiuam. Videantur pro hac solutione Lopez *loco cit. verf. Porrò postquam, ad finem.* Salon. *vbi suprà controuers. 20. num. 9. propè finem.* Ad plenam præcedentis huius dubij solutionem, & intelligentiam est,

## ARTICVLVS XVIII.

## An campsor possit plus lucri exigere ex cambio quod ad primas, vel proximas nundinas fit, quo magis tempore distant primæ nundinæ?

### *SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Explicatur quid sit solutiones cambiorum fieri ad visas litteras, vel ad terminum præfixum à contrahentibus, aut ad proximas nundinas.*
3. *Resoluitur dubitatio.*
4. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, quare sit licitum maius lucrum in cambijs ratione maioris distantia loci, & non temporis.*

### I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm quo cambium fit ad locum remotiorem, eò potest maius interesse, & lucrum exigi, vt docet Valent. *tom. 3. 2. 2. disp. 5. quæst. 23. puncto 4. concl. 3. verf. hinc sequitur*; & Sanctissimus Pius V. in sua constitutione de cambiis videtur concedere. ergo similiter licebit quantò pecuniæ solutio, & restitutio maiori tempore distabit, eò maius lucrum, & interesse poterit campsor exigere: non enim minus refert distantia temporis, quàm distantia loci ob absentiam pecuniæ, quam patitur campsor ex eo, quòd dat suam pecuniam ad cambium. ergo si quo cambium fit ad locum remotiorem, eo potest maius lucrum exigere, similiter licebit ei plus exigere, quanto pecuniæ solutio maiori tempore distabit.

## DVBITATIO I.

### II. *Quid sit solutiones cambiorum fieri ad visas litteras, vel ad terminum præfixum à contrahentibus, aut ad futuras proximas nundinas?*

Dico primò, cambiorum solutiones tribus modis constituuntur, vel ita, vt statim fiant, cùm primùm proponuntur, & ostenduntur litteræ campsoriæ, & sic dicitur cambium celebrari ad visas litteras. Vel solutiones cambiorum fiunt in præfixo termino, qui mutuo vtriusque contrahentis consensu constituitur, veluti post duos, vel tres menses, & tunc dicitur cambium fieri ad præfixum terminum. Vel tertiò in sequentibus nundinis. Nomine autem nundinarum nō intelligitur mensis, vel tempus, in quo celebrantur veræ nundinæ, id est, variæ mercium emptiones in aliquo emporio, sed tempus solutionum, & receptionum pecuniarum in vim cambij datarum. Vide Lopez *lib. 5. de contractibus, cap. 11. verf. Porrò, fol. 89.* Salon. 2. 2. *tom. 2. quæst. 4. de cambijs, art. 2. controuers.* 18. *num.* 2.

### III. *Dubitatio resoluitur.*

Dico secundò, in huiusmodi cambiis siue fiant ad visas litteras, siue ad terminum præfixum, siue ad proximas nundinas pro dilata, seu tardiori pecuniæ solutione, nequit pretium augeri. Probatur, nam eadem est ratio in cambiis, quando cambium fit ad præsentem, seu citiorem solutionem ad visas litteras, & cambium, quod fit ad terminum designatum, vel ad nundinas, ac est in venditionibus, vendere scilicet numerata solutione, vel vendere ad creditum, & expectata solutione, sed in contractu venditionis vsurarium est, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæst. 78. art. 2.* communiter receptus, augere pretium propter dilatam solutionem, sed debet necessariò eodem pretio res vendi, quo venderetur solutione præsenti, & in numerato. ergo similiter in cambiis vsurarium est augere pretium, & quòd illorum solutio differatur.

Et sic hanc assertionem docet Syl. *verb. vsura 4. q. 9. §. Secundum.* vbi hanc regulam pro cambiis communiter receptam ab omnibus constituit, quoties arbitrio bonorum, & peritorum in arte campsoria pars capiens cambium non grauatur, & distantia temporis nihil lucri affert, nunquam est ibi peccatum: si verò para nimis grauatur, vel distantia temporis lucrum affert, semper est ibi peccatum, id est, iniustitia, vel vsura. fauet huic nostræ assertioni, imò eam tenet apertè Sotus *lib. 6. de iustitia, quæst. 13. art. 2.* Salon. *tom. 2. 2. 2. quæst. 4 de cambijs, art. 2. controuers.* 18. *num.* 4. Azor *part. 3 inst. mor. lib. 10. c. 9. dub. 4.* Bannes 2. 2. *q. 78. art. 4. de cambijs, dub. 5. concl. 5.*

### IV. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

## DVBITATIO II.

### *Quare sit licitum maius lucrum in cambijs ratione maioris distantia loci, & non temporis?*

Nec officit ratio in contrarium. Concedimus enim ad argumentum antecedens, negamus tamen consequentiam; & ratio negationis est: nam si campsor re ipsa pecunias campsarij de loco ad locum transferret, pro huiusmodi obsequio aliquam compensationem à campsario recipere posset, sed recipiens campsor hîc pecunias campsarij, dans illi litteras campsorias, vi quarum tantundem alibi ipse campsarius recipiat. Similiter si conferens suas pecunias hîc, & alibi à campsario accipiat; his modis nummularius transfert saltem virtualiter pecunias campsarij hinc in alium locum, vel ex alio loco huc. ergo propter hoc obsequium, quod est pretio æstimabile, poterit campsor aliquod lucrum exigere; & sicut agasoni licitum esset maius pretium accipere pro asportanda alterius pecunia de loco ad locum, quò plus loca distarent; ita similiter nummularius propter hanc virtualem asportationem pecuniarum ob maiorem distantiam locorum, ad quæ fit cambium, poterit maius

lucrum

locrum à campsatio recipere: idque concedit Sanctissimus Pius V. in sua constitutione de cambiis, cuius initium est: *In eam pro nostro*, dum inquit, *In cambijs habenda est ratio longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus est facienda pecuniæ solutio*. Cæterùm cùm tempus nullo modo sit venale, non enim nostrum est, sed Dei, neque alicui proprium, sed omnibus commune, pro dilata, seu tardiori pecuniæ solutione, nequit pretium in cambiis augeri, sicut in venditione rerum pro dilata solutione aliquid plus accipere iniquum est, vt docet D. Thom. 2.2.*quæst*.78.*art*.2. Videatur pro hac solutione Bannes 2.2.*quæst*.78. *de cambijs*, *art*.4. *dub*.5. *concl*.3. Valent. *tom*.3.*disp*.5 *quæst*.23. *de cambijs*, *concl*.3. §.*Hinc sequitur*. Azor.*part*.3.*lib*.10.*inst mor*.*cap*.9.*dub*.3. *vers*.*Hoc etiam* Lopez *lib*.2. *de contractibus*, *cap*.9. *vers*. *Statuitur*, *fol*.75.*mihi*.§.*Probatur autem*.

## Articvlvs XIX.

### An sit iustum cambium, factum, v. g. Romæ Lugdunum sub vno pretio, & Lugduni Romam sub alio diuerso?

*Svmmarivm.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur.*
3. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm quo plus loca distant ad quæ fiunt cambia, eò campsor potest maiorem compensationem petere; & quò minus distant, eò minus lucrum potest accipere, quia quò absentia locorum est distantior, eò magis commutationes pecuniarum sunt subiectæ periculis, & expensis, & ob modicam absentiam sunt minùs subiectæ: quod etiam videtur innuere Sanct. Pius V. in sua constitutione de cambiis: *In eam pro nostro*; dum ait, *In cambijs habenda est ratio longinquitatis, & vicinitatis locorum*. ergo si æqualis est distantia inter locum, & locum, inter quæ cambia celebrantur, æquale debet esse lucrum vtrobique, & sic campsor dans Romæ in vim cambij centum aureos sibi soluendos Lugduni, non potest maius lucrum recipere, quàm si det Lugduni restituendos sibi Romæ, sed æquale, cùm sit æqualis distantia Romà Lugdunum, & Lugduno Romam. His tamen non obstantibus statuitur,

II. *Veritas aperitur.*

Conclusio, accidere potest, vt & iustè cariùs cambiatur per cambium translationis pecuniæ & absentiæ secundùm locum, Romà, v. g. Lugdunum, quàm è contra Lugduno Romam. Nam contingere potest, quòd Romæ sint pauci campsores, & multi campsarij, & quòd pecuniæ sint maximè necessariæ ad innumera negotia, quæ in curia Romana passim occurrunt; & consequenter quòd pecuniæ Romæ sint maioris æstimationis, quàm Lugduni, si ibi sint multi campsores, & paucitas campsariorum, & pecuniæ minus necessariæ, & maxima illarum copia, & consequenter minoris æstimationis; ergo iustè cariùs propter maiorem æstimationem, quàm habent pecuniæ Romæ, potest fieri cambium Romà Lugdunum, & Lugduno Romam iusto viliùs propter minorem æstimationem, quàm pecuniæ habent Lugduni. Sic Lopez noster *lib*.2. *de contractibus*, *cap*.9. *vers*.*Hinc iam patet fol*.78. *mihi*. Salon.*tom*.2.2.2.*quæst*.4.*de cambijs*, *art*.2. *controuers*.19.*n*.7. Valent.*tom*.3.*disp*.5.*quæst*.23. *puncto* 5. §. *Secundo*. Less. *lib*.2.*de iust*.*cap*.23.*dub*.4.*num*.36.

III. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

Nec officit ratio in contrarium adducta: nam tantùm probat, quòd si sola translatio, & absentia pecuniæ respiciatur, non potest carius Romà Lugdunum cambiri, quàm è contra Lugduno Romam, cum vtrinque sit æqualis distantia. Cæterùm ob alias causas assignatas potest Romà Lugdunum cariùs cambiri, & Lugduno Romam viliùs, vt patet ex supradictis in nostra assertione. Videatur Lopez & Valent. *loco citato*.

## Articvlvs XX.

### An quando mensarius, seu depositarius nomine eius, qui pecunias deposuit, alteri soluerit aliquam summam eiusdem pecuniæ, possit accipere stipendium ab eo solùm, qui pecunias deposuit, an verò etiam ab eo, cui soluerit?

*Svmmarivm.*

1. *Quòd possit accipere ab eo, cui soluerit, probatur.*
2. *Declaratur, quot sint genera negotiatorum, & qui sint negotiatores.*
3. *An mensarij, vel, vt dicitur, bancharij, sint distincti à mercatoribus, & illis liceat aliquid accipere in stipendium, à campsoribus, vel mercatoribus quando pecunias numerant.*
4. *Resoluitur dubitatio.*
5. *An campsor exercens munus bancharij possit aliquod lucrum, præter id quod ad illum pertinet propter cambium, accipere à campsario pro numeranda pecunia, vel pro scribendo litteras campsorias.*
6. *An nummularius, vel responsarius illius, cùm illi soluuntur pecunia in loco solutionis à campsario, vel illius procuratore vltra iustum pretium cambij possit aliquod lucrum recipere pro numeranda pecunia.*
7. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & magis explicantur dicta in sexta assertione.*

I. *Quòd possit accipere ab eo, cui soluerit, probatur.*

PArs affirmatiua quòd possit mensarius stipendium accipere ab eo, cui soluit, probatur. Nam consuetudine, & consensu Reipublicæ tacito receptum est, huiusmodi depositarium recipere ab eo, cui soluit quinque, vel sex aureos pro mille numeratis aureis. ergo, &c. Et ita hanc partem affirmatiuam tenet Sotus *lib*.6.*de iust*.*q*.11.*art*.*vnico*.

## Dvbitatio I.

II. *Quot sint genera negotiatorum, & qui sint negotiatores?*

Dico primò, triplex est genus negotiatorum. Primi negotiatores dicuntur, mercatores celebres, quorum officium est merces in vno Regno, vel Prouincia, vbi est

est earum abundantia, emere, vt iterum in alio regno, vbi illarum est inopia, vendant. Secundi negotiatores dicuntur campsores, qui negotiantur in mera pecunia, permutantes pecuniam, quam habent in vno loco, pro pecunia reddenda in alio. Tertij dicuntur depositarij, seu mensarij, vulgo *Banchieri*, quorum officium est habere in deposito pecunias mercatorum, & campsorum, & rationem dati, & accepti in suis libris; insuper sunt quasi fideinssores ipsorum. Ita Bannes *2.2.q.78. de cambijs, art.4. dub.7.*

## Dvbitatio II.

III. *An mensarij, vel bancharij sint distincti à mercatoribus, & illis liceat aliquid accipere in stipendium à campsoribus, vel mercatoribus, quando pecunias numerant?*

Dico secundò, hi mensarij, seu depositarij custodientes pecunias mercatorum, & campsorum, erant olim distincti à mercatoribus, & campsoribus, recipiebántque ab illis aliquod stipendium, ob obsequium illis præstitum, soluentes litteras, & debita ab illis, ipsis mandata, scribentésque diligenter, ac fideliter in suis libris omnia computa, & rationes dati, & accepti. Stipendium eorum erat, quòd quoties nomine mercatoris, vel campsoris numerarent mille aureos, acciperent sibi quinque, vel sex ex mille aureis numeratis: modò verò campsores ipsi ne aliquod stipendium reddant mensariis, sed sibi ipsis illud retineant, exercent munus mensariorum, accipientes à creditoribus quinque, vel sex pro milliario. Sic Salon. *tom.2.2.2.q.4. de cambijs, art.4. n.5.*

Dico tertiò, huiusmodi bancharij possunt iustè aliquod stipendium accipere à mercatoribus & campsoribus, quorum pecunias custodiunt ratione laborum quos sustinent in illis custodiendis, in faciendis solutionibus ex illis, & habenda ratione dati, & accepti: quia hi bancharij operam suam locatam habent mercatoribus, & campsoribus, & illis obsequium præstant, & hæc opera est iusta mercede, & stipendio digna. ergo, &c. Sic Lopez *lib.2. de contract. lib. c.2. concl.3. fol.161. mihi.* Salon. nuperrimè adductus *n.8.*

IV. *Dubitatio resoluitur.*

Dico quartò, non potest bancharius, cui debitum soluendum traiicitur, prouisionem accipere ab eo, cui pecuniam numerare debet, sed à mercatore, seu campsore, cuius nomine pecunia numeratur. quia, vt diximus, bancharij, seu mensarij suas operas impendunt in vtilitatem campsorum, & mercatorum, ergo ab illis tantùm debent stipendium accipere. Sic benè Lopez nouissimè cit. *concl.4.* Nauarr. *summa cap.17. num.293.* Salon. *tom.2.2.2. quæst.4. de cambijs, art.4. controuers. 1. num.1. prope finem.* Valent. *tom.3. disp.5. quæst.23. de cambijs, puncto 4.*

## Dvbitatio III.

V. *An campsor exercens munus mensarij possit aliquod lucrum præter id, quod ad illum pertinet, propter cambium accipere à campsario, pro numeranda pecunia, vel pro scribendo litteras campsorias?*

Dico quintò, consequenter campsor, qui hic Romæ, v.g. confert campsario centum aureos in vim cambij soluendos Lugduni vltra iustum lucrum cambij ratione asportationis, vel maioris, vel minoris æstimationis pecuniarum, non potest ratione laboris numerandæ pecuniæ, vel scribendi litteras campsorias, vel mittendi ad suum respondentem aliquod pretium recipere à campsario. Probatur, quia hi labores numerandæ pecuniæ, scribendi litteras campsorias, & mittendi ad suum correspondentem, sunt de intrinseca ratione negotiationis cambij. ergo non potest campsor seorsum vltra iustum pretium cambij aliud maius lucrum recipere; sicut iudex non potest pro ferenda iusta sententia, vltra prouisionem sibi debitam aliquid plus accipere, quia ex officio iustā sententiam proferre tenetur. Tū, quia sicut emptor numerās pecuniam venditori ob rem venditam, non potest aliquod lucrum pro hoc labore petere à venditore; ergo similiter, nec campsor dans ad cambium suam pecuniam campsario, potest ab eo aliquod lucrum exigere pro labore pecuniæ numerandæ. Nam campsor in negotiatione cambij se habet vt emptor pecuniæ dissitæ dans in pretium hic Romæ, v.g. pecuniam suam, vt recipiat aliam Lugduni à campsario tanquam mercem; pecunia enim præsens in cambiis se habet vt pretium, absens verò vti merx, & ita hanc assertionem docet Caietan. *tom.2. opusc. tract.7. de cambijs, c.8.* Lopez *vbi suprà concl.4.* Less. *lib.2. de iustitia, cap.23. dub.8. num.80.*

## Dvbitatio IV.

VI. *An nummularius, vel respondens illius, cùm illi soluuntur pecuniæ in loco solutionis à campsario, vel illius procuratore vltra iustum pretium cambij, possit aliquod lucrum recipere pro numeranda pecunia?*

Dico sextò, nummularius, seu respondens eiusdem, cùm illi soluuntur pecuniæ in loco solutionis à campsario, seu ab eiusdem procuratore vltra iustum pretium cambij, nō potest iustè aliquod lucrum, seu prouisionem à campsario recipere, propter numerandi laborem, & molestiam. Probatur, quia sicuti procurator emptoris nomine eiusdem recipiens rem venditam traditam à venditore, non potest ab eodem licitè recipere lucrum, seu prouisionem aliquam, quia in commodum, & vtilitatem emptoris, & non venditoris recipit rem venditam. ergo similiter respondens campsoris iustè recipere non potest in loco condicto solutionis lucrum aliquod, seu prouisionem à campsario soluente, sed potiùs à campsore, nomine cuius pecuniam solutam recipit. Nam, vt diximus, pecunia dissita soluenda in loco conuento se habet in cambiis, vti merx, & mercimonium. hæc similiter assertio colligitur ex doctrina Caietani, Lopez, Less. *loc. citatis.*

Dico septimò. Probabile est etiam asserere, nummularium, cui debitum per litteras campsorias soluendum traiicitur, pretium, seu prouisionem aliquam accipere posse ab eo, cui pecuniam numerare debet. Idem similiter dicendum dū illi soluuntur pecuniæ in loco solutionis à campsario ratione oneris & officij in numerando pecunias, quas recipit solutas ab aliis. Probatur hæc assertio, quia nummularij sunt veluti mercatorum, & aliorum depositarij, & fideiussores soluentes debita, & recipientes credita mercatorum, quod cedit ne dum in commodum mercatorum, sed etiam in vtilitatem venditorum, cùm in libris rationum, quos apud se nummularij retinent, ne dum solutiones, sed etiam receptiones pecuniarum appareant; ergo ne dum à mercatoribus, sed etiam ab eo, cui pecuniam numerare debent, vel à campsario, qui

soluit

soluit eis in loco solutionis pecunias in cambium à campsoribus acceptas, possunt aliquam prouisionem accipere, & ita hanc sententiam tenuit Sotus *lib.6.de iust.quæst.*11. *art.vnico.* Azor. *part.3. instit. mor.cap.* 11. *dub.*9. Bannes 2.2. *quæst.*78. *art.* 4. agens de cambiis, *dub.*7. Auctor Speculi Confessariorum *disp.*19.*q.*41.*n.*3.

**V I I. *Rationi in contrarium à principio respondetur & magis dicta explicantur in sexta assertione.***

Ad rationem in contrarium respondetur, probare hanc vltimam assertionem, & quatenus pugnat contra sextam, quam probabiliorem tenemus, dicimus abusum illud potius esse, quàm vsum, & quidem fatemur officium nummulariorum & respondentium campsorum esse Reipublicæ vtile, respectu tamen ipsorum mercatorum, qui commodiùs sua comercia, & negotia exercent suis pecuniis apud illis depositis, patum quidem proficere ad vtilitatem creditorum, cùm hi, etsi nulli essent mensarij, ab emptoribus suarum mercium iustum aliàs pretium acciperent, nō enim traderent illas nisi aut soluentibus in numerato, aut iis, quos nossent certò, & fideliter esse soluturos. Similiter officium nummulariorum respondentium campsorum non est in commodum campsariorum, sed ipsorum campsorum, quia nomine eorum vel soluunt pecunias in loco conuento campsariis, quando cambium fit per litteras, vel eas recipiunt à campsariis in loco condicto, quando cambium est reale, & ita obsequium, & operas suas impendunt campsoribus, & mercatoribus, non autem creditoribus mercatorum, aut campsariis, & sic ab illis, non autem ab istis stipendium, & prouisionem accipere debent. Videatur pro hac solutione Salon. *tom.*2.2.2. *q.*4. *de cambijs, art.*4. *controuers.*1.*num.*5.

## ARTICVLVS XXI.

### An quando mercator, vel campsor remittit venditorem ad mensarium, vt ab eo recipiat pretium rei venditæ; vel remittit campsarium ad mensarium, vt cambitam pecuniam in cambio per litteras ei persoluat, licitum sit mensario lucrum aliquod à vendirore, vel à campsario exigere, eo quòd non in chirographis, & syngraphis, sed in numerato, eis credita persoluat?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Explicantur duo modi, quibus mensarij solent recipere apud se pecunias à mercatoribus, & à campsoribus.*
3. *Deciditur dubitatio.*
4. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, an pecunia præsens magis valeat, quàm per chirographa.*

**I. *Pars affirmatiua probatur.***

NAm pretium cambij, & similiter pecuniarum secundùm æstimationem extrinsecam desumitur ab æstimatione, quam habent pecuniæ inter mercatores, sed pluris æstimantur pecuniæ in numerato, quàm pecuniæ in chirographis, & syngraphis. ergo cùm mensarius possit venditori, vel campsario pecunias soluere in chirographis, & in numerato, si soluit in numerato, & non in syngraphis, aliquod lucrum licitè potest ab eis exigere. quia pecuniæ in numerato pluris æstimantur, quam in syngraphis.

**I I. *Explicantur duo modi, quibus mensarij solent recipere apud se pecunias à mercatoribus, & à campsoribus.***

Dico primò, nummularij, seu banchiarij duobus modis recipiunt apud se pecunias à mercatoribus, & a campsoribus: vno modo in pecunia numerata, aurea, argentea, siue alterius rationis; alio modo non in pecunia numerata, sed in chirographis, & syngraphis, quibus pollicentur mercatores, seu campsores fideliter soluere, quæcumque fuerint nomine ipsorum mercatorum, seu campsorum à banchariis in eorum mensis soluta: qua de causa ipsi banchariij solent duplici ter litteras campsorias campsariis soluere, & debita creditoribus venientibus ad se, vno modo in pecunia numerata, alio modo remittentes illos per syngraphas ad alios mensarios. Vide Bannes 2.2. *q.*78. *de cambijs art* 4.*dub.*7.*vers.& notandum.*

Dico secundò, solent mensarij, seu bancharij, quæ ad illorum mensas soluenda remittuntur debita, vel litteras campsorias ad ipsos remissas à mercatoribus, seu à campsoribus soluere venditoribus, & campsariis per chirographa, & non in pecunia numerata. In fine tamen nundinarum tenentur necessariò mensarij, ad quos debita, & litteræ illæ campsoriæ remittuntur, in integrum illas soluere in numerato. quòd si creditor velit sui debiti solutionem statim ante finem nundinarum recipere, consueuerunt mensarij ratione illius anticipatæ solutionis in numerato aliquod ab eo lucrum recipere. Vide Salon. *tom* 1.2.1.*q.*4.*de cambijs, a.*4. *contron.*a.*n.*1.& 3. *vers.Sed his non obstantib.propè finem.*

**I I I. *Dubitatio deciditur.***

Dico tertiò, non licet mensario, qui nomine mercatoris, vel campsoris alicui alteri venditori, vel campsario debita, vel litteras campsorias soluit, aliquod lucrum exigere, eo quòd in numeratis pecunias tradat, & non per syngraphas, remittendo venditorem, aut campsarium ad alium mensarium: quia illud lucrum, quod tunc acciperet mensarius, eo quòd in numerato soluit, & non per syngraphas ratione anticipatæ solutionis acciperetur: sed ratione anticipatæ solutionis non licet lucrum aliquod accipere, nec minori pretio quàm iusto, rem aliquam emere; ergo, &c. Probatur maior; quia in fine nundinarum tenetur mensarius, ad quem debita, & litteræ campsoriæ soluendæ mittuntur, in integrum in numerato persoluere. ergo si lucrum recipit, quia in numerato soluit ante finem nundinarum, illud lucrum reciperet ratione anticipatæ solutionis, quod est iniquum, vt docet Bannes 2.2.*quæst.*78.*art.*4.*dub.*4. Salon. nuperrimè additus *num.*3.

**I V. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur***

## DVBITATIO VNIC.

***An pecunia præsens magis valeat, quàm per chirographa?***

Ad rationem in contrarium respondetur quòd pecunia præsens in numerato non plus valet per se, & absolutè,

absolutè, quàm valeat absens, & pecunia credita per chirographa. Nam pecunia secundùm se non est lucratiua, nisi vt exposita negotiationibus, & sic secundùm se, non est vilior pecunia absens, & per syngraphas credita, quàm præsens, & in numerato. Per accidens tamen ratione periculi, quod potest habere absens, & quo caret præsens, potest pluris æstimari pecunia præsens, quàm absens; & quoniam pecunia absens tradita in chirographis venditoribus, & campsariis à mensariis soluentibus debita, & litteras campsorias ad illos remissas à mercatoribus & campsoribus, nulli subiacet periculo. Tenetur enim necessariò mensarius, ad quem debita, & litteræ campsoriæ remittuntur soluendæ in fine nundinarum in integrum illas soluere in pecunia numerata. Ideò pecuniæ traditæ in chirographis, & pecuniæ in numerato in casu nostro habent omninò æqualem æstimationem, cùm nullum adsit amissionis periculum: non igitur poterit mensarius aliquod lucrum accipere ratione anticipatæ solutionis, eo quòd ante finem nundinarum soluat in numerato, & non in syngraphis, remittendo creditores per chirographa ad alios mensarios. Videatur pro hac solutione Salon. *tom. 2.2.2. quæst. 4. de cambijs, art. 4. controuers. 2. num. 5.* Saluo semper meliori iudicio. Hæc pauca de cambiis dicta sufficiant.

# DISQVISITIO XXI.

## *De Carne.*

## ARTICVLVS I.

### An carnibus humanis vesci in extrema necessitate cibi sit licitum?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, explicando, an liceat vesci carnibus humanis dum adsunt alij cibi.*
3. *An liceat hominem interficere ad euitandum mortis periculum, vel occisum comedere.*
4. *An liceat pro medicamento sumere carnem humanam.*
5. *Rationi in contrarium a principio respondetur, & explicatur, an omnia, quæ sunt de iure naturæ, obligent cum discrimine vitæ.*

I. *Pars negatiua probatur.*



NAM vesci carnibus humanis, per se, & intrinsecè est malum, non minus, quàm fornicari, aut coire cum bestia, & alia huiusmodi peccata. At hæc peccata in nullo casu, & ob nullum finem licet committere. ergo similiter nec vesci carnibus humanis in nullo casu licebit. Maior videtur esse D.Th. 2.2. *q.142. art.4. ad 3.* vbi æquiparat esum carnium humanarum aliis criminibus bestialibus, & contra naturam, quæ in nullo casu licet committere. ergo, &c. & ita hanc sententiam tenet Valent. *tom. 3. 2.2. disp. 9. q. 3. puncto 1. vers. Ita rectè, fol. 1657. mihi.*

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

### DVBITATIO I.

*An liceat vesci carnibus humanis, dum adsunt alij cibi?*

Dico primò, vesci carnibus humanis hominum interfectorum, quando alij cibi suppetunt, inhumanum est, & peccatum lethale; quia hoc cum pietate, & humanitate omninò pugnare videtur; etenim sepulturæ iura, quæ humanis cadaueribus debentur, fœdissimè violantur. Ita præclarè D.Thom. 2.2. *q.142. art.4. ad 3.* Azor *part.1. lib.7. cap.33. dub.4.*

### DVBITATIO II.

III. *An liceat hominem interficere ad euitandum mortis periculum, vel occisum comedere?*

Dico secundò, ad euitandum mortis periculum, vel quando ad sustentationem vitæ alius cibus non suppetit, non licet hominem interficere; quia id est ita intrinsecè malum, vt ob nullum mortis timorem liceat, homo enim non potest occidi, vt sit nutrimentum nostrum. Ita benè Caiet. 2.2. *quæst.48. art.2. ad finem, in solutione ad secundum Martini.*

Dico tertiò, per accidens tamen, quando sunt homines iam occisi in bello, & non suhest alius cibus, licet vesci carnibus humanis hominum interfectorum; quia tunc necessitas excusare videtur, ex qua nocumentum proximi non est, & vrgens necessitas inhumanitatem operitet. Caiet. loco nuperrimè adducto. Sanchez *lib.1. oper. mor. cap.18. num.11.*

### DVBITATIO III.

IV. *An liceat pro medicamento sumere carnem humanam?*

Dico quartò, si caro humana hominum interfectorum non sumitur per modum cibi, sed per modum medicamenti: vt contingit in medicamento, quod Medici *Momiam* appellant, in quo aliquid carnis humanæ admiscetur, eum esum nullò iure vetari, ac proinde esse licitum. quia non potest re vera carnis humanæ esus appellari, sed medicamentum. Ita fatetur Valent. *vbi suprà, vers. Neque obstat.*

V. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

### DVBITATIO IV.

*An omnia, quæ sunt de iure naturæ, obligent cum discrimine vitæ?*

Ad rationem in contrarium respondetur negando maiorem: nec D. Thom. esum carnium hominum interfectorum in omnibus fornicationi, & peccato contra naturam æquiparat, sed quoad hoc tantùm, quòd vtrumque sit contra naturam. Cæterùm multa iuris naturæ præcepta non obligant cum vitæ discrimine: vt restituere alienum, est de iure naturæ; conferre eleemosynam extremè indigenti, est de iure naturali, non tamen obstringunt cum periculo vitæ. Ita similiter quamuis sit contra naturam vesci carnibus hominum interfectorum, tamen cum euidenti periculo vitæ non tenemur ab illis abstinere. Similiter licèt natura humana per se abhorreat nimis esum carnium hominum interfectorum, per accidens tamen si extrema necessitas cogat, cessat ille horror ob vitæ humanæ conseruationem: vt bene Caiet. *loc. cit.* quem sequitur, & adducit Nauarr. *summ. cap.23. num.122.*

ARTI

## Articulus II.

## An carnium esus fuerit licitus, & in vsu, ante diluuium?

*Summarium.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, & insuper quaeritur, an vsu carnium fuerit de facto, ante diluuium.*
3. *An in statu innocentiae homines vescerentur carnibus.*
4. *An in statu innocentiae corpora humana fuissent passibilia.*
5. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

### I. *Pars negatiua probatur.*

EX D.Thom.1.2. q.102. *art.6. ad 2.argumentum*, vbi ait, quòd post diluuium introductus videtur esus carnium; & *ad Rom.14.lect.1.* dicit, quòd esus carnium primò concessus fuit Noë post diluuium. ergo, &c.

### II. *Veritas aperitur, & insuper quaeritur*

#### Dubitatio I.

*An vsus carnium fuerit de facto ante diluuium?*

Dico primò, licitus fuit esus carnium ante diluuium. Probatur ex D.Thom.1.2. *quaest.* 103. *art.1. ad* 4. vbi ait, quòd distinctio animalium mundorum & immundorum, fuit ante legem scriptam quantum ad sacrificiorum oblationem, non tamen quantum ad esum, si quidem animalium esus nulla lege erat prohibitus. ergo, &c. Tum, quia, vt docet idem D.Th.2.2. q.64.a.1. licitum est homini iure naturae carnes comedere, sed ante diluuium nulla fuit lex quae prohiberet esum carnium. ergo licitum erat.

Dico secundò, de facto ante diluuium fuit esus carnium. Probatur, quia ante diluuium omnis caro corruperat viam suam super terram, & propterea venit diluuium super terram. ergo credibile est, quòd ante diluuium homines propter nimiam comestionem carnium erant ita corrupti, & valdè luxuriosi. Ita Bannes 2.2.q.64 *art.1 dub.2.concl.2.*

#### Dubitatio II.

III. *An in statu innocentiae homines vescerentur carnibus?*

Dico tertiò, in statu innocentiae ante peccatum valdè probabile est quòd homines non vescerentur carnibus. quia tunc homines fuissent adeò recti, vt non comederent quicquam absque necessitate; sed tunc nulla esset necessitas comedendi carnes eo quòd fructus terrae essent optimi, & maximè delectabiles ad vescendum. ergo, &c. Sic Magister Sotus *lib.5. de iust. quaest.1. art.1. concl.2.*

Dico quartò, non caret probabilitate, quòd si homines perseuerarent in statu naturae integrae, aliquoties carnes comederent, quamuis non fuissent necessariae ad vitae sustentationem, eo quòd fructus terrae essent virtute solidissimi ad nutriendos vegetandósque homines. Probatur, quia congruum erat, quòd tūc homines acquirerent scientiam experimentalem rerum omnium gustabilium, vt maximè laudaretur creator in operibus suis; ergo probabile est, quòd tunc homines aliquando carnibus vescerentur. Sic Magister Bannez *loc. cit. concl. vlt.* Ad maiorem intelligentiam praecedentium harum assertionum,

#### Dubitatio III.

IV. *An in statu innocentiae corpora humana fuissent passibilia?*

Dico quintò, licèt esus ligni vitae homines in statu innocentiae valerent incolumes seruare, vt possent non mori, vt docet D.Thom. *part. 1. quaest. 97. art. 3. ad tertium.* Sotus *loc. cit. post secundam conclusionem*, tamen habuissent homines corpora passibilia. Si enim se ad ignem applicassent, fuissent combusti: at prouidentia illius felicissimi status tanta futura erat, vt nunquam offenderent ad lapidem pedes suos. quia licèt si perseuerassent in illo statu naturae integrae, non essent morituri, tamen non haberent corpora gloriosa, donec fierent beati. ergo secundùm se corpora eorum erant passibilia. Prouidentia tamen diuina sic eos fuisset tuita, vt nihil eis occurreret, à quo laederentur, vt benè docet D.Th. *part.1.q.97 art.2. ad quartum.* Bannes *loc. cit. concl.3.* Videatur etiam p.1. *q.97.art.1. in fine comment. ad secundum.*

V. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

Nec obstat auctoritas D.Thom. adducta à principio contra primam & secundam assertionem. Nam dum ait, quòd post diluuium introductus videtur esus carnium, loquitur de introductione, & declaratione positiua ipsius Dei manifestantis necessitatem comedendi carnes deinceps; & sic *Gen.9.* post diluuium dixit Dominus Noë, *Omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum.* Non quia ante diluuium non comedissent illas, aut non esset licitum iure naturae comedere, similiter dicimus, quòd in secundo testimonio D.Th. concessum, idem valet, quod declaratum, non quia antè fuisset illicitum. Videatur pro hac solutione Caiet. *super cap.9.Genes.* Sotus *vbi suprà, vers. communis.* Bannes *2.2.q.64 art.1 dub.2.solut.ad 3.*

# DISQVISITIO XXII.

## *De Censuris.*

## Articulus I.

## Quid sit censura?

*Summarium.*

1. *Probatur censuram malè definiri à Canonistis.*
2. *Dubitatio resoluitur, & explicatur definitio censurae.*
3. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur quãnam priuationem bonorum spiritualium censura importet.*

### I. *Probatur censuram malè definiri à Canonistis.*



IDETVR, quòd censura malè definiatur communiter à Canonistis: censura est poena spiritualis inflicta ab Ecclesiastica potestate priuans hominem baptizatum vsu aliquorum spiritualium per ordinem ad salutem. Nam peccatum mortale priuat hominem baptizatum Eucharistia, & reliquis Sacramentis percipiendis: at peccatum mortale non est censura, vt fatentur omnes. ergo censura malè definitur, quòd sit poena spiritualis priuans hominem baptizatum vsu aliquorum spiritualium. Propter hoc argumentum Gabriel *in 4. dist.18. q.1.* ait per quodcũque peccatum mortale

mortale hominem incurrere censuram, quæ est excommunicatio minor. quia, inquit ipse, homo per peccatum mortale constituitur indignus Eucharistia, & reliquis Sacramentis percipiendis.

**II. *Dubitatio resoluitur, & explicatur definitio censura.***

In contrarium est ferè communis sententia omnium DD. Explicatur modò censuræ descriptio allata: dicitur censura pœna spiritualis, quia est pœna animæ: dicitur inflicta ab Ecclesiastica potestate; quia cùm sit pœna spiritualis, non potest imponi nisi à persona Ecclesiastica habente potestatem in foro exteriori: dicitur priuans hominem baptizatum, quia homo baptizatus est subditus Ecclesiæ, & ideò subditus censuris ab ea impositis; infidelis verò cùm non sit subditus Ecclesiæ, non subditur eius pœnis. Dicitur priuans vsu aliquorum spiritualium; quia non priuat omnibus bonis spiritualibus, sed aliquibus; non enim tollit virtutes infusas, puta fidem, spem, & charitatem. Nam si excommunicatus per contritionem resipiscat, & constituatur in gratiam Dei, habet in se virtutes theologales infusas, & tamen nisi ab excommunicatione absoluatur, remanet censuræ pœna ligatus. Dicitur vsu aliquorum spiritualium; quia vsu rerum corporalium, puta communione hominum priuat tantummodò, secundariò, per ordinem ad spiritualia. Dicitur per ordinem ad salutem, quia Ecclesia per censuras non intendit animæ perniciem, sed resipiscentiam à contumacia. Videatur Sayr. *lib. 1. de censuris, cap. 1. num. 10.*

**III. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur***

**DVBITATIO VNIC.**

***Quamnum priuationem bonorum spiritualium censura importet?***

Nec obstat ratio in contrarium: negamus enim ad argumentum consequentiam: non enim censura dicit quamcumque priuationem bonorum spiritualium, seu quamcumque indignitatem accedendi ad Sacramenta, sed illam, quæ fit per pœnam Ecclesiasticam. Quare licèt quis dum à Dei gratia per mortale peccatum decidit, fiat participatione Sacramentorum indignus, hoc est lege diuina ex natura peccati, non tamen propriè censetur aliqua censura Ecclesiastica irretitus quousque per exmmunicationem ab Ecclesia latam à diuinis Sacramentis arceatur: & ideò licèt per contritionem resipiscat, & constituatur in gratia Dei, nihilominus quousque ab excommunicatione absoluatur, nequit Sacramentorum particeps fieri: sic optimè Magister Sotus *in 4. d. 22. quæst. 1. art. 1. vers. igitur si excommunicationem, fol. 1056. col. 2. mihi.*

## ARTICVLVS II.

## Quotuplex sit censura.

*SVMMARIVM.*

1. *Probatur esse plures, quàm tres.*
2. *Veritas aperitur, & declaratur, quid sit cessatio à Diuinis, & an sit censura.*
3. *Quid sit depositio, & an sit censura.*
4. *Quotuplex sit degradatio, & an sit censura.*
5. *Quid sit irregularitas, & an sit censura.*
6. *Titulo dubitationis respondetur.*
7. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur an cessatio à Diuinis sit censura.*

**I. *Probatur esse plures, quàm tres.***

Videtur quòd non tantùm sint tres; excommunicatio scil. suspensio, & interdictum, sed quòd sint plures. nam censura, vt diximus, est pœna spiritualis priuans hominem baptizatum vsu aliquorum spiritualium; sed hoc non solùm conuenit excommunicationi, suspensioni, & interdicto, sed etiam cessationi à Diuinis, depositioni, degradationi, & irregularitati. ergo species censuræ sunt plures quàm tres enumeratæ.

**II. *Veritas aperitur, & declaratur***

**DVBITATIO I.**

***Quid sit cessatio à Diuinis, & an sit censura?***

Dico primò, cessatio à Diuinis est simplex prohibitio, qua ministri Ecclesiæ prohibentur persoluere diuina Officia, ministrare Sacramenta, & sepelire laicos in loco sacro. Vide Sayr. *lib. 5. de cens. c. 7. n. 2.* Bonac. *tom. 1. tract. de cens. disp. 6. punct. 1. n. 2.* Cessatio à Diuinis non est censura, quia cessatio fertur per modum simplicis prohibitionis; censura verò est veluti quoddam accidens morale efficiens & quasi ligans subiectum, in quo lata est censura. Vide Rodriquez *tom. 1. quæst. Regul. quæst. 115. art. 1.* Bonacina nuperrimè adductus *num. 4.*

**DVBITATIO II.**

**III. *Quid sit depositio, & an sit censura?***

Dico secundò, depositio est priuatio executionis legitimæ officiorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum simpliciter, & ex toto absque spe restitutionis; retento tamen vtroque priuilegio clericali, vt in canone *si quis suadente, 17. quæst. 4.* tum fori, ita vt conueniri non possit depositus in iudicio sæculari, nec capi, nec puniri à laicis. Ita Syl. *verb. degradatio, in principio*, depositio non est censura: quia censura ex sua institutione potest auferri posita resipiscentia, & emendatione delinquentis, depositio verò caret spe remissionis.

**DVBITATIO III.**

**IV. *Quotuplex sit degradatio, & an sit censura?***

Dico tertiò, degradatio est duplex. Alia verbalis, alia verò actualis, seu realis. Degradatio verbalis idem est quod depositio; actualis verò, seu realis, est pœna Ecclesiastica, qua vir Ecclesiasticus priuatur omni exequutione Ordinis, & beneficij administratione, & omni priuilegio clericali absque spe restitutionis cum quadam solemnitate, de qua Syl. *verb. degradatio num. 1. 2. 3.* Armilla *eodem verbo.* Degradatio non est censura; quia censura est pœna, & vinculum quoddam dissolubile: at degradatio est pœna, & vinculum quoddam indissolubile. Bonacina *tom. 1. tract. de censuris, quæst. 1. punct. 1. n. 4.*

**DVBITATIO IV.**

**V. *Quid sit irregularitas, & an sit censura?***

Dico quartò, irregularitas est impedimentum canonicum, seu inductum à iure canonico, directè impediens acceptionem Ordinum Ecclesiasticorum, aut vsum eorum, quatenus sunt Ordines etiam post pœnitentiam, irregularitas non est censura; quia irregularitas non

non est principaliter instituta ad corrigendos fideles, sicut instituta est censura.

VI. *Titulo dubitationis respondetur.*

Dico quintò, censuræ sunt tantùm tres; excommunicatio scilicet, suspensio, & interdictum. Patet ex *cap. querenti, de verborum significatione.* Nam interrogatus Innocentius III. quid per censuras intelligeretur; respondit intelligi interdictum, suspensionem, & excommunicationem: sed hæc responsio esset insufficiens, & imperfecta, si præter tres censuras numeratas, species aliæ possent assignari: & ita hanc sententiam tenet Nauarr. *summ. c. 27. n. 1.* Sayr. *lib. 1. de censuris, cap. 1. num. 15.* Suarez *tom. 5. de cens. disp. 1. sect. 3. num. 2.* Contrarium tenuit Baones *2. 2. q. 64. art. 8. dub. 1. de dispensatione irregularitatis concl. 1. fol. 245. mihi.*

VII. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

DVBITATIO V.

*An cessatio à Diuinis sit censura?*

Et per hæc patet ad argumentum in contrarium: negamus enim cessationem à Diuinis esse censuram, est enim simplex prohibitio. Censura verò est veluti quoddam accidens morale afficiens subiectum, in quod lata est: quod etiam vetum habet in interdicto locali, nam etiam hoc afficit personas, quæ interdicto causas dederunt, ideóque illas atcet à Diuinis. At cessatio à Diuinis non ligat speciali modo personas, quæ causam dederunt, nec illas excludit vbique à Diuinis, quantum est ex se, nec fortius ligat eos, qui causam dederunt, quàm innocentes, & propter hoc cessatio à Diuinis nec est interdictum, nec propriè censura: vt benè adnotauit Suarez *tom. 5. de cens. disp. 39. sect. 1. n. 14. propè finem.* Quomodo autem, & quare depositio, degradatio, & irregularitas non sint censuræ, iam patet ex præcedentibus assertionibus.

## ARTICVLVS III.

## An censura excommunicationis, suspensionis, & interdicti benè diuidatur in censuram, quæ est ab homine, & in censuram, quæ est à iure?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, & explicatur quid sit censura à iure, & ab homine lata, & in quo differant.*
3. *Quid sit censura lata, vel ferenda sententia.*
4. *Quomodo debeant cognosci censura quando sint lata, seu ferenda sententia, explicatur.*
5. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & magis explicatur in quo differant censura lata à iure, vel ab homine.*

I. *Pars negatiua probatur.*

Videtur quòd non: nam excommunicati generaliter ab homine, similiter suspensi, & interdicti, & nondum denunciati, perinde possunt absolui, ac excommunicati, suspensi, & interdicti à iure, & perinde se habent, ac si essent excommunicati à iure, vt docet Nauarr. *tom. 2. consil. lib. 5. de sententia excomm. consil. 47. num. 1.* & Syl. *excommunicatio 2. num. 10.* inquit, quando sententia excommunicationis fertur ab homine pro futuris culpis, æquiparatur statuto, id est, excommunicationi latæ à iure. ergo non differt censura lata ab homine ab ea, quæ fertur à iure.

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

DVBITATIO I.

*Quid sit censura à iure, & ab homine lata, & in quo differant?*

Dico primò, alia est censura lata à iure, alia ab homine. Censura lata à iure illa est, quæ vniuersaliter applicatur à conditore canonis: lata verò ab homine, illa est, quæ applicatur à iudice contra certas personas: & licèt censura lata ab homine æquivaleat canoni, & statuto, vt benè docet Sayr. *lib. 1. de censuris, cap. 19. n. 5.* Tamen censura iuris perseuerat quousque ius fuerit reuocatum, quamuis conditor canonis deperdiderit iurisdictionem per cessum, vel decessum. Censura verò hominis generalis, vel specialis non perseuerat nisi quousque perseuerat hominis iurisdictio. gloss. *in cap. à nobis, in versic. Non nisi subditi, de sententia excommunicationis.* Vtraque tamen vbi semel est incursa, durat in perpetuum, nisi relaxetur. Nauarr. *summ. cap. 27. num. 2.* Sayr. *lib. 1. de censuris, cap. 4. num. 22.*

DVBITATIO II.

III. *Quid sint censuræ latæ, vel ferendæ sententiæ?*

Dico secundò, censura excommunicationis, suspensionis, & interdicti, vel est latæ sententiæ, vel est ferendæ sententiæ. Censura latæ sententiæ dicitur, quæ ipso facto incurritur absque alia iudicis sententia: censura ferendæ sententiæ illa dicitur, quæ solummodò est commiuatoria, nec ipso iure incurritur ante sententiam iudicis, vt in confesso est apud omnes DD.

DVBITATIO III.

IV. *Quomodo debeant cognosci censuræ quando sunt latæ, vel ferendæ sententiæ?*

Dico tertiò, cognosci potest censuram esse latæ sententiæ, primò quando in forma tum iuris, tum hominis apponitur, vna ex his particulis, ipso iure, ipso facto latæ sententiæ, eo ipso, statim, mox, illicò, continuò, ex tunc, protinus, & huiusmodi. Tunc censura est latæ sententiæ. gloss. *in cap. quicumque §. inhibemus, verb. innodetur, de reg. iuris in 6.* Quia huiusmodi particulæ significant, quòd eo ipso, quo quis Ecclesiasticum transgreditur præceptum, ligatur censura.

Dico quartò, & est secunda regula, qua cognosci potest, censuram esse latæ sententiæ. Quando censura ponitur per verbum præsentis, vel præteriti temporis, est censura latæ sententiæ; vt quando dicitur, qui hoc, vel illud fecerit, excommunicatur, suspenditur, vel est excommunicatus, vel suspensus, aut nouerit se excommunicatum, suspensum, vel ita noscat, cognoscat se esse excommunicatum, se esse suspensum; eodem modo est censura latæ sententiæ si proferatur per verba indicatiui modi, vt si dicatur, qui hoc, vel illud fecerit, excommunicationi subiaceat, excommunicetur, communione priuetur. *cap. vnic. in fine, de iniur. in 6.* quia huiusmodi imperatiuum significat, quòd eo ipso, quòd transgreditur præceptum, imponitur censuræ vinculum. Vide Sayr. *lib. 1. de censuris, cap. 11. num. 7.*

Dico quintò, ſi ad hæc verba futuri temporis, *excommunicabitur*, vel *excommunicetur*, per futurum optatiui, communione priuetur, ſuſpendatur, interdicto ſubiiciatur, addantur particulæ latæ ſententiæ, ipſo iure, ipſo facto; tunc cenſura eſt etiam latæ ſententiæ: quia vt cenſura ſit latæ ſententiæ, non eſt neceſſe vt eo ipſo quòd ſit factum præceptum, ſit iniectum vinculum, ſed ſufficit, vt eo ipſo, quòd præceptum tranſgreditur, cenſuræ vinculum ſit iniectum: vide *gloſſ. 1. in cap. in pœnis, de regulis iuris in 6. in fine.* Sayr. *lib. 1. de cenſuris, cap. 11. num. 7.*

Dico ſextò, ſi hæc verba, *excommunicetur, ſuſpendatur, interdicatur, vel arceatur ab ingreſſu Eccleſiæ*, ſint futuri temporis, & illis particulæ *ipſo facto, ipſo iure*, latæ ſententiæ non iunguntur, tunc cenſura eſt ferendæ ſententiæ. quia tunc illa verba, *excommunicetur, ſuſpendatur, arceatur ab ingreſſu Eccleſiæ*, continent præceptum alteri impoſitum ad ferendam ſententiam excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti; ergo tunc cenſura eſt ferendæ ſententiæ. quia tunc ad incurrendam cenſuram requiritur actio iudicis, Bonacina *tom. 1. tract. de cenſ. quæſt. 1. puncto 1. num. 6. verſ. ſecunda regula eſt.*

Dico ſeptimò, ſi verò Superior per hæc verba, *excommunicetur, ſuſpendatur, arceatur ab ingreſſu Eccleſiæ*, imperatiuo modo prolata, intendat ſua poteſtate ſuſpendere, excommunicare, vel arcere ab ingreſſu Eccleſiæ, cenſura eſt latæ ſententiæ. quia huiuſmodi imperium ſignificat qoòd eo ipſo, quòd tranſgreditur præceptum, imponitur vinculum excommunicationis, ſuſpenſionis. Vide gloſſ. *in cap. vnico, de iniurijs, & damno dato, verb. menſem fin.* Raſtellium *de cenſuris in genere quæſt. 3. art. 2. num. 2. verſ. quarta regula.*

Dico octauò, quando in forma cenſuræ prohibetur aliquid ſub pœna excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti, vt nemo, v. g. percutiat; tunc cenſura eſt ferendæ ſententiæ. gloſſ. *in can. Salonitana, verb. ſub excommunicationis, diſt. 63.* quia pœna cenſuræ præſcindit à lata, & ferenda. ergo capitur in miriori ſignificatione, quæ eſt ferendæ ſententiæ. Vide Nauat. *tomo 2. conſ. lib. 2. de ſententia excomm. conſil. 2. num. 1.*

Dico nonò, quando applicatur cenſura per verbum futurum, vt *excommunicabo*, eſt ferendæ ſententiæ. quia futurum ſuſpendit applicationem de præſenti tempore tranſgreſſionis. Item quando cenſura applicatur per verbum ſimilitudinis, vt, *ſicut excommunicatus vitetur*, eſt ferendæ ſententiæ. quoniam ſimilitudo excommunicationis non eſt excommunicatio. Abb. *in cap. ſuper ſpecula, not. 2. ne Clerici, vel Monachi.* Tabiena *verb. excomm. 2. num. 3. verſ. ſextò, quem.*

Dico decimò, quando ſub his verbis præcipitur aliquid, *indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, aut noſtram incurras*, non incurritur de facto aliqua cenſura, neque ſi dicatur ſub obteſtatione diuini iudicij. Felin. *in cap. veniens num. 1. de præſcript.* quia ſicut benedictio Papæ non eſt abſolutio à cenſura, *Clem. fin. de ſent. excomm.* ita nec maledictio importata per indignationem huiuſmodi, eſt cenſura latæ ſententiæ. mortaliter tamen peccat, qui contrà facit. Vide Sayr. *lib. 1. de cenſuris cap. 11. num. 16.*

V. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicatur*

## DVBITATIO IV.

*In quo differant cenſuræ latæ à iure, vel ab homine?*

Ad rationem in contrarium, quatenus militat contra primam aſſertionem, reſpondetur, quòd licèt cenſura generaliter lata à canone, in aliquo æquiparetur cenſuris generaliter latis ab homine, puta quantum ad abſolutionem; quia idem, qui habet facultatem abſoluendi à cenſuris latis à canone, habet etiam facultatem abſoluendi à cenſuris generaliter latis ab homine. Tamen quantum ad multa alia diſtinguuntur. nam cenſura lata ab homine non eſt perpetua, nec incurritur pro illo actu, pro quo lata eſt, niſi quandiu viuit ille, qui tulit, vel quandiu manet in officio. Cæterùm cenſura lata à iure, ſeu ſtatuto, ſeu canone manet in perpetuum, & obligat in perpetuum quemcumque facientem actum, pro quo ipſa lata eſt: vnde ſemper remanet differentia inter cenſuraa latas ab homine, & inter cenſuras latas à iure. Vide Sayr. *lib. 1. de cenſuris, cap. 4. num. 22.*

---

## ARTICVLVS IV.

### An cenſura ſub his verbis; *Qui hoc, vel illud fecerit, ſit Anathema, ſit excommunicatus*, dicatur cenſura latæ, vel ferendæ ſententiæ.

*SVMMARIVM.*

1. *Probatur eſſe ferenda ſententia.*
2. *Dubitatio reſoluitur.*
3. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur.*

I. *Probatur eſſe ferenda ſententia.*

VIdetur quòd ſit ferendæ ſententiæ. Nam verbum *ſit*, ſignificat tum tempus præſens imperatiui, tum tempus futurum modi optatiui. ergo dubium eſt an ſignificet præſens, vel futurum; ſed in dubio minor pars pœnæ eſt ſumenda, *cap. in pœnis, de reg. iuris in 6.* ergo ly *ſit* ſumitur pro tempore futuro ſignificante ſententiam ferendam, & ita hanc ſententiam docent Nauat. *ſumma cap. 27. num. 62.* Sanchez *lib. 7. de matr. diſp. 12. num. 2.*

II. *Dubitatio reſoluitur.*

Pars verò affirmatiua, quòd cenſura lata ſub illis verbis ſit latæ ſententiæ, eſt verior, & probatur: nam illa forma anathematizandi frequens eſt in Conciliis aduersùs hæreticos, & præſertim in Concilio Tridentino; ſed certum eſt voluiſſe Concilium Tridentinum ſub illis verbis, *ſit anathema, ſit excommunicatus*, de facto, & ipſo iure damnare & excommunicare hæreticos. ergo. Tum, quia, etſi verbum, *ſit*, futuri temporis, & præſentis imperatiui poſſit eſſe; tamen modus loquendi in materia de cenſuris intelligi debet de imperatiuo, quandoquidem legis virtus propriè non eſt optare, ſed imperare, præcipere, & punire, vt dicitur in *l. legis virtus, ff. de legibus*, ſic Tabiena *verb. excomm. 2. num. 3. verſic. 6. quæritur.* Sayr. *lib. 1. de cenſuris cap. 11. num. 10.* Suarez *tomo 5. de cenſuris diſp. 3. num. 4.* Bonacina *tomo 1. tract. de cenſuris quæſt. 1. puncto 1. num. 5. verſ. ſecunda eſt.*

III. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur.*

Et per hæc patet ad rationem in contrarium. Nam licèt verbum *ſit* abſtractè ſumptum, ſit æquiuocum valens ſignificare præſens imperatiui, & futurum optatiui: concretum verò ad materiam præcepti ſignificat tempus præſens modi imperatiui, cùm præceptum nó optet,

optet, sed impetetnisi ex aliis eircunstantiis appateat verbum *fit*, significare futurum: vide Sayrum nupertimè adductum. Rastellium *de censuris in genere, q. 3. art. 2. num. 2. vers. 3. reg. prope finem.*

## ARTICVLVS V.
## An causa efficiens censuræ sit Deus, vel homo?

*SVMMARIVM.*

1. *Probatur quòd sit Deus.*
2. *Veritas aperitur, & declaratur, an potestas ferendi censuras sit de iure diuino.*
3. *An obligatio non operandi contra censuram, vel non communicandi cum excommunicatis, sit tantùm de iure positiuo, vel etiam diuino.*
4. *In quibusnam resideat potestas ferendi censuras.*
5. *An Vicarius Episcopi denunciati excommunicati, vel detenti ab hostibus possit validè excommunicare, & an in hoc casu hanc auctoritatem habeat Capitulum.*
6. *Rationi in contrarium respondetur, explicando, quando à Christo fuerit concessa potestas ferendi censuras.*

I. *Probatur quòd sit Deus.*

NAm Christus Dominus *Matth.* 18. tradidit ritum ferendi censuras, ibi, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus*; & *ad Titum* 3. Apostolus ait, *Hæreticum hominem post vnam, & secundam correptionem deuita*; & D. Ioannes *Epist. 2.* inquit, *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nec aue ei dixeritis*, ergo hæretici de iute diuino sunt excommunicati. ergo causa efficiens censuræ est Deus, & ita hanc sententiam tenuit Simancas *de Catholicis instit. tit. 27. n. 1.* saltem ob crimen hæresis illaram esse hæreticis iute diuino excommunicationem, & sic si Papa esset hæreticus, iute diuino excommunicationis vinculo esset obstrictus.

II. *Veritas aperitur, & declaratur*

### DVBITATIO I.

*An potestas ferendi censuras sit de iure diuino?*

Dico primò, potestas ferendi censuras est de iute diuino, vtpotè à Deo collata, Matth. 18. *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque solueris*, &c. Tum, quia ita detetminatur *in Extrauaganti, vnam sanctam, de maior. & obed.*

Dico secundò, censuræ verò institutio est de inre positino; quia ritus ferendi censuras est compositus ab Ecclesia. Similiter applicatio censuræ ad hanc, vel ad illam personam, est de iute positiuo: quia si institutio censuræ, quæ præcedit applicationem, est de iure positiuo. ergo multò magis erit de iute positiuo applicatio censuræ.

### DVBITATIO II.

III. *An obligatio non operandi contra censuram, vel non communicandi cum excommunicatis, sit tantùm de iure positiuo, vel etiam diuino?*

Dico tertiò, obligatio non operandi contta censuram tantùm de inre positiuo est imposita immediatè. Probatur, quia ille versus,

*Os, orare, vale, communio, mensa negatur,*



ab Ecclesia fnit præscriptus: hinc infertur solum esse iure canonico prohibitum communicare etiam in Diuinis cnm excommunicatis. Probatur. nam in Concilio Constaniensi edita est constitutio, vt solùm debeamus vitare etiam in Diuinis duo genera excommunicatorum; vel eorum, qui sunt manifesti Clericorum percussores, vel qui sunt specialiter denunciati: at si iure diuino esser prohibita communicatio in Diuinis cum excommunicatis, id Concilinm constituere non posset; non enim potest Ecclesia contra ius diuinum statuta condere. ergo. Ita Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 4.* Azor *part. 1. instit. mor. lib. 3. cap. 48. dub. 9.*

### DVBITATIO III.

IV. *In quibusnam resideat potestas ferendi censuras?*

Dico quartò, potestas ferendi censuras inre ordinario residet in summo Pontifice, respectu omnium Christianorum. Prætetea in Episcopis, Archiepiscopis, & Patriatchis respectu sibi subditorum; quia hi habent iurisdictionem Ecclesiasticam in foro externo; cùm illa sit annexa illorum Prælaturis, dummodo proprios habeant Episcopatus, & subditos. qnia iurisdictio ordinaria est potestas. ergo tequirit passum, in quem possit exerceri. Vide Sayt. *lib. 1. de censuris, cap. 6. num.* 8. Potestatem ordinariam ferendi censuras habent Legati summi Pontificis in sua Prouincia, *cap. Legatos, de offic. leg. in 6.* Concilium generale congregatum auctoritate summi Pontificis, Capitulum prouinciale Archiepiscopi, & Diœcesanum Episcopi. *cap. graue nimis, de prabendis.* Eandem habet Capitulum, Sede vacante: nam succedit in iurisdictionem Episcopi. Eadem gaudet Vicarius Capituli Sede vacante ad formam Concil. Tridentini *sess. 24. cap. 16. de Reform.* electus. Habet etiam Iurisdictionem ordinariam Ecclesiasticam in foro externo, & consequenter ferendi censuras Vicarius Episcopi, vel Archiepiscopi. gloss. *in cap. licet, de offic. Vicar.* quia idem est Tribunal Vicarij, & Episcopi, *cap. Romano, de appell. in 6.* Vide Sayrum *lib. 1. de censuris, cap. 5. num. 11.* Abbates habentes iurisdictionem quasi Episcopalem valent ferre censuras, quoniam iurisdictio quasi Episcopalis est ordinaria in foro externo. ergo. gloss. *in cap. veniens, in verb. Archidiaconorum, de eo, qui ord. furt. suscep.*

Parochi verò, neque simplices Sacerdotes curati, nequeunt ferre censuras, quia non habent merum imperium, id est, potestatem ad animaduertendum in facinorosos homines, neque iurisdictionem fori contentiosi, sed tantùm in foro interno. Sayt. *lib. 1. c. 5. num.* 21.

Cardinales in propriis titulis possunt ferre censuras, quia in eis iurisdictionem Episcopalem habent; *c. his, quæ, de maior. & obed.* Idem dicendum de superioribus Religionum approbatarum, *c. cùm in Ecclesijs, de maior. & obed.* quoniam ipsi sunt Prælati Ecclesiastici.

### DVBITATIO IV.

V. *An Vicarius Episcopi denunciati excommunicati, vel detenti ab hostibus, possit validè excommunicare, & an in hoc casu hanc auctoritatem habeat Capitulum?*

Dico quintò, Vicarius Episcopi denunciati excommunicati validè ferre censuras non potest; quia cessante iurisdictione Episcopi etiam & Vicarij

 iurisdi

iurisdictio cessat. Item si Episcopus in hostium manibus detineatur, Vicarius excommunicare non potest, quia tunc quasi mortuus Episcopus æstimatur, donec Episcopus libertati restituatur. Capitulum verò in hoc euentu ferre censuras, & alia facere debet. *cap. si Episcopus, de supplenda negligentia Prælatorum, in sexto.* Vide Sayr. nouissimè adductum *n. 57. & 59.*

### VI. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

### Dvbitatio V.

*Quando fuerit à Christo Domino concessa potestas ferendi censuras?*

Ad rationem in contrarium, quatenus militat contra primum,& secundum pronunciatum, respondetur negando, quòd in illis verbis Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus*, sit lata, & instituta censura contra inobedientes à Christo Domino; sed fuit tantùm Ecclesiæ tradita potestas ferendi censuras, idque colligitur ex verbis, quæ in illo capite subduntur, *Amen dico vobis, quodcumque alligaueritis super terram, erit ligatum & in cælis*, quibus verbis satis ostenditur non dum fuisse latam aliquam censuram, sed collatam esse Apostolis eorúmque successoribus potestatem ferendi censuras, vt communiter exponunt DD. Theologi. Sensus igitur illorum verborum est, inobedientes esse vitandos, non tanquam excommunicatos, sed tanquam graues peccatores, quales sunt Ethnici, & publicani. Idem dicendum ad illa verba ad Titum 3. *Hæreticum hominem post primam, & secundam admonitionem deuita*; non quòd iure diuino excommunicati sint hæretici, sed tantùm præcipit Apostolus Tito Episcopo per illa verba, vt excommunicet hæreticum. Neque etiam obstant verba D. Ioannis epistola 2. *Si quis venit ad vos*; quia sensus est adesse naturalem obligationem euitandi periculum contagionis, cùm sermo hæretici, vt cancer serpat, 2. *ad Timoth.* 2. vide Suarez *tom. 5. de censuris, disp. 1. sect. 2. num. 3.* Bonacina *tom. 1. tract. de censuris, quæst. 1. punct. 2. num. 2.* Rastel. *quæst. 2. art. 1. de censuris in genere.*

---

## Articvlvs VI.

## An fœminæ possint ferre censuras?

### *Svmmarivm.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, & insuper explicatur, an fœmina ex commissione Sum. Pont. possint ferre censuras.*
3. *An laicus Religiosus, vel coniugatus, vel non baptizatus, vel Angelus, vel Beatus possint ferre censuras.*
4. *Quásnam conditiones debeat habere ferens censuras.*
5. *Rationibus in contrarium respondetur, & explicatur, an fœmina possint vocari Diaconissa, vel Presbytera.*
6. *Quomodo Prælata Religiosarum possint ferre censuras, vel precepta, & an teneant sub mortali.*

### I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm *in can. Diaconissam 27. q. 1.* inhibentur Diaconissæ ante annum quadragesimum ordinari. ergo pòstea possunt ordinari. ergo cùm sint capaces clauis Ordinis, erunt etiam clauis iurisdictionis. ergo poterunt etiam ferre censuras, cùm hic sit actus iurisdictionis Ecclesiasticæ. Tum, quia Abbatissa potest suspendere. *cap. dilecta, de maioritate, & obedientia*; sed suspensio est censura. ergo. Tum, quia Prælata Ecclesiastica habet iurisdictionem ordinariam in foro externo in suo Monasterio. ergo, &c.

### II. *Veritas aperitur, & insuper explicatur*

### Dvbitatio I.

*An fœmina ex commissione Sum. Pontif. possint ferre censuras?*

Dico primò, fœmina de facto, & de iure communi nequit ferre censuras. quia spiritualis iurisdictio, quæ requiritur ad ferendam censuram, saltem de facto, & de iure communi Ordinem clericalem supponit, vt docet D. Anton. *part. 3. tit. 17. de interdicto, c. 2. in fine*, quem adducit, & sequitur Sayrus *lib. 5. de censuris, c. 10. n. 27.* sed fœmina non est capax Ordinis clericalis, imò iure diuino est incapax; sexus enim virilis in sacramento Ordinis ne dum est de necessitate præcepti, sed etiam de necessitate sacramenti Ordinis: vnde si mulieri exhibeantur omnia, quæ in Ordinibus fiunt, Ordinem non suscipit, vt docet optimè D. Thom. *in addit. ad 3. part. quæst. 39. art. 1. in corp.* Assumptio enim Ordinis gradum superioritatis denotat, & fœmina sub viri potestate debet esse. ergo de facto, & de iure communi nequit fœmina ferre censuras.

Dico secundò, ex commissione tamen Papæ fœmina potest ferre censuras; quia hoc non pendet ab Ordine clericali iure diuino, sed tantùm iure positiuo communi, vt patet *cap. decernimus, de iudicijs.* ergo de potestate absoluta potest Summus Pontifex facultatem ferendi censuras fœminis concedere. Sic Paludanus *in 4. dist. 19. quæst. 2. art. 1.* Sotus *dist. 10. quæst. 1. art. 4 versus finem.* hos sequitur Suarez *tom. 5. de cens. disp. 2. sect. 3. n. 7.* Nauar. *tom. 2. consil. 3. lib. 5. de sententia excomm. consil. 1.*

### Dvbitatio II.

### III. *An laicus Religiosus, vel coniugatus, vel non baptizatus, vel Angelus, vel Beatus possint ferre censuras?*

Dico tertiò, laicus etiam Religiosus stando in iure positiuo, censuras ferre non valet; quia laicus etiam Religiosus iure positiuo spiritualia tractare non potest, vt habetur *in c. Ecclesia S. M. de constitutionibus.* At ferre censuras iure positiuo ad iurisdictionem spiritualem spectat. gloss. communiter recepta *in cap. transmissum, de elect.* ergo, &c. ex commissione tamen Papæ laicus poterit ferre censuras, quia cùm solo iure positiuo cautum sit, vt iurisdictio Ecclesiastica à solis Clericis exerceatur, *cap. decernimus, de iudicijs*, cui iuri Papa non subiicitur, poterit eam facultatem laico delegare. Sayr. *lib. 1. de censuris, cap. 5. num. 15.*

Episcopi verò, & multò minus alij Prælati, quia iuri communi positiuo sunt subiecti, nequeunt hanc facultatem ferendi censuras laicis, aut fœminis tribuere. gloss. *in can. bene quidem, in verb. Præter Romanum, dist. 96.*

Dico quartò, Clericus coniugatus non potest ferre censuras, etiam si habeat quatuor Ordines minores; nam Clerici coniugati non possunt admitti ad negotia Ecclesiastica. *cap. sanè el 1. de clerico coniugato*, & sic nec beneficia, aut pensiones recipere possunt, nec Vicarij Episcopi esse possunt. gloss. *cap. vnico, de Cler. coniugatis in 6.* ex speciali tamen Papæ priuilegio possent. Sayr. nuperrimè adductus *num. 12.*

Dico

Dico quintò, Baptismo nondum initiatus censuræ sententiam ferre nequit. quoniam Baptismus non solùm est ianua Sacramentorum, sed etiam clauis iurisdictionis Ecclesiasticæ. Addit tamen Hugol. *de Eccl. cens.tab.1.cap.2.§.9.* Summum Pontificem posse non baptiaatis hanc facultatem concedere, idque tenere videtur Sayr. *num.18. loc.cit.* Ego verò secus existimo, quia non baptiaatus non tantùm iure Ecclesiastico, sed diuino, & quasi naturali, est incapax iurisdictionis spiritualis. Vide Suarea *tom.5. de cens.disp.2. sect.3. num.12.*

### Dubitatio III.

IV. *Quásnam conditiones debeat habere ferens censuras?*

Dico sextò, ferens igitur censuras necesse est quòd sit homo viator baptizatus, in statu clericali constitutus, & ita neque Angelus, neque homo beatus, aut extra viam est capax iurisdictionis Ecclesiasticæ. Nam Ecclesia militans, & visibilis per ministros in eâ militantes, & visibiles gubernari debet. Laicus electus in Episcopum non haberet iurisdictionem ad ferendas censuras antequam prima saltem tonsura initiaretur: quia antequam prima tonsura initiaretur, nondum esset constitutus intra Ordinem clericalem, qui Ordo iure communi requiritur ad ferendas censuras. Vide Suarez *tom.5.de censuris, disp.2.sect.3.num.12. propè finem.*

V. *Rationibus in contrarium respondetur, & explicatur*

### Dubitatio IV.

*An fæminæ possint vocari Diaconissæ, vel Presbyteræ?*

Ad rationem in contrarium respondetur cum D.Thom. *3.part.in addit.quæst.39.art.1.* Diaconissas illas, de quibus in prædicto canone fit mentio, non fuisse, nec potuisse verè Ordine Diaconatus initiari, sed fuisse destinatas ad quædam obsequia diuina in instruendis mulieribus catechumenis ad Baptismum, vel quia in actu aliquo Diaconi participabant, quia scilicet legebant homiliam in choro. Quo etiam modo *in can.mulieres, dist.32.* vocantur Presbyteræ, quia scilicet, vt Sanctus Thom. *vbi suprà*, docet, quarumdam rerum Ecclesiæ ministræ erant: Presbyter enim idem est quod senior; eligebantur enim ex viduis seniores in ministerium quarumdam rerum Ecclesiæ; & sic in eodem canone *mulieres*, cauetur, ne tanquam ordinatæ censeantur. Vnde cùm Cataphrygæ hinc erroris nacti occasionem mulieres ordinari posse affirmarint, eorum error in Concilio Laodicensi *can.11.* damnatus est, vt *in d.can.mulieres*, habetur. Videatur etiam pro hac solutione Sotus *in 4.dist.23.quæst.1. art.2. vers.Quòd si quis.* Sayr. *lib.6.de cens.cap.2.num.6.*

### Dubitatio V.

VI. *Quomodo Prælatæ Religiosarum possint ferre censuras, vel præcepta, & an teneant sub mortali?*

Ad secundum fundamentum respondetur, suspensionem illam non esse verè censuram, sed quandam prohibitionem, ob cuius violationem non fuisset contracta irregularitas; non enim habent Prælatæ mulierum religiosarum propriè potestatem iurisdictionis spiritualis, vnde neque etiam condere possunt præcepta spiritualia, sicut Religiosorum Prælati, sed tantùm præcepta quædam ciuilia. Pro cuius intelligentia obseruandum quòd præceptum spirituale illud est, quod eo ipso, quod in scriptis datur, intelligitur ad mortale obligare ex facultate officio annexa, & hoc præceptum condere non possunt Præfectæ mulierum religiosarum: possunt tamen Priorissæ & Abbatissæ suis subditis ponere præceptum ciuile, cuius transgressio ex natura, quantitate, & qualitate rei pensari debet, sitne mortalis, an venialis. v. g. si Priorissa, vel Abbatissa imponeret præceptum ne Moniales loquerentur cum hominibus suspectis, & notatis à populo, vel à Conuentu, cum nota infamiæ, aut scandali imminentis, certe huiusmodi ciuile præceptum, quia est de re graui, obligaret sub mortali: quia Moniales ratione voti obedientiæ tenentur sub mortali obedire Præfectæ monasterij aliquid præcipienti in re graui. Quòd si Præfecta mulierum religiosarum conderet præceptum aliquod in re leui, non obligaret sub peccato lethali, quia eorum præfectura non est sicut Prælatorum religiosorum.

Quòd si quis arguat: nam ratione voti obedientiæ Moniales tenentur parere Prælatæ; ergo. Probatur quòd dum quis vouet obedientem esse alteri, non intelligitur nisi prout moris est, obtemperare. Moniales autem vouent obedire Prælatæ secundùm potestatem, quam ipsæ habent præcipiendi: & quoniam non habent facultatem condendi præcepta spiritualia, quia non habent iurisdictionem spiritualem; ideo, &c. Sic optimè Sotus *in 4. dist.10. quæst.1.art.4.* quem sequitur Valentia *tom.4. disp.7. quæst.16. puncto 3. vers. Non tamen possunt mulieres.*

Prouincialis tamen si ei visum fuerit expedire ad honorem Monasterij & Monialium, posset Priorissis, & Abbatissis committere, vt possint huiusmodi præcepta spiritualia in graui necessitate ponere, citra tamen facultatem ponendi, & ferendi censuras. Sotus nouissimè adductus *§. Possunt item, vers.non, inquam, ideo.* Lopez noster *part.2. instr.cap.1.de clauibus §. Hinc iam corollariè.*

Nec obstat tertiò fundamentum, quoniam illa iurisdictio non est actus clauium, & iurisdictionis spiritualis, sed est actus cuiusdam regiminis domestici, vnde nec possunt Præfectæ Monialium condere præcepta spiritualia, nec censuras ferre, nec ab eisdem absoluere, cùm hi sint actus spiritualis iurisdictionis. Videatur Sotus nuperrimè citatus *§. Sub hoc ergo moderamine.* Lopez *vbi suprà, vers.Iam circa prædicta.* Rastelli *de censuris in genere, q.1.art.2.fol.32. mihi n.5.*

---

## *De causa materiali proxima censuræ.*

## Articulus VII.

## An ad incurrendam censuram sufficiat peccatum purè internum?

*SVMMARIVM:*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Declaratur quotuplex sit causa materialis censuræ, & an ad censuram ferendam requiratur semper aliquod peccatum.*
3. *Titulo dubitationis respondetur.*
4. *Quomodo possint præcipi, & puniri actus interni per censuras, explicatur.*
5. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur quomodo Ecclesia habeat facultatem in vota interna.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm *in c. ad abolendam, de hæreticis*, excommunicantur quicumque aliter ſenſerint de ſeptem Sacramentis, quàm ſentit Eccleſia; ſed ly *ſentire*, dicit actum internum intellectus. ergo pro actu interno quacuuque cenſura ferri poteſt; & ita hanc ſententiam tenuit Corduba *lib. 4. quæſt. Theol. q. 13. verſ. in tanta autem.*

## Dvbitatio I.

II. *Quotuplex ſit cauſa materialis cenſuræ, & an ad cenſuram ferendam requiratur ſemper aliquod peccatum?*

Dico primò, cauſa materialis cenſuræ eſt duplex, proxima, & remota. proxima eſt peccatum, propter quod incurritur cenſura: remota eſt perſona ipſa, quæ cenſura ligatur. Ad incurrendam cenſuram prærequiritur aliquod peccatum, quia cenſura eſt pœna ſpiritualis medicinalis inflicta ab Eccleſia per ordinem ad ſalutem; at pœna imponitur ob culpam. ergo prærequiritur aliquod peccatum ad incurrendam cenſuram.

Dico ſecundò, cenſura grauis, ſeu maior, vt eſt excommunicatio maior, ſuſpenſio à beneficio, & officio ad longum tempus, interdictum in aliqua prouincia latum, non poteſt applicari niſi pro culpa mortali; quia contra naturam medicinæ applicaret Medicos pro leui infirmitate medelam magnam. ergo crudeliter iudex Eccleſiaſticus pro leui culpa applicaret magnam cenſurã, quæ eſt ſpiritualis medicina. Tum, quia pœna delicto debet eſſe proportionata. ergo cenſura grauis, quæ eſt pœna quædam medicinalis, non incorritur niſi ob graue delictum, & ob culpam mortalem: videatur D.Thom. *in addit. ad 3. partem quæſt. 21. art. 1. ad ſecundum.* Sayr. *lib. 1. de cenſuris, c. 9. n. 2. 3.*

Dico tertiò, cenſura verò leuis, ſeu minor pro culpa veniali ferri, & applicari poteſt: vt eſt excommunicatio minor, quæ contrahitur pro communicatione in humanis cum excommunicato denunciato, vel notorio Clerici percuſſore. *cap. nuper, de ſententia excomm.* hæc enim communicatio ratione leuitatis materiæ eſt venialis: quia quælibet lex licèt ex ſuo genere grauis ſit, in materia tamen leui tantùm obligat ſub veniali. Ita docuit D.Thom. *in 4. diſt. 18. quæſt. 2. art. 3. & in addit. ad 3. part. quæſt. 23. art. 3.* quem ſequitur Suar. *tom. 5. de cenſuris, diſp. 15. ſect. 2. num. 2.* Idem dicendum de ſuſpenſione minori, ſeu leui, vt eſt ſuſpenſio à beneficio, ſeu ab officio ad breue tempus. Similiter de interdicto ad aliquem particularẽ vſum, & ad breue tempus impoſitum, hæ cenſuræ leues, & minores pro leui culpa ferri, & applicari poſſunt, quia ſic proportionatur culpa pœnæ: tum, quia Medicus pro leui infirmitate applicat medelam leuem. Videatur D.Thom. *loco cit.* Suarez *tom. 5. de cenſuris diſp. 4. quæſt. 4. num. 7.* Bonacina *tom. 1. tract. de cenſuris, diſp. 1. q. 1. puncto 3. n. 6.*

III. *Titulo dubitationis reſpondetur.*

Dico quartò, ad incurrendam cenſuram requiritur peccatum exterius, & non ſufficit peccatum purè internum, quod ita in mente lateat, vt aliter cognoſci non poſſit niſi per reuelationem: quia Eccleſia non iudicat de occultis, *cap. tua nos, & cap. ſicut tuis, de ſimonia*, & 1. *ad Corinth.* 4. dicitur: *Nolite ante tempus iudicare quouſque veniat Dominus, qui reuelabit abſcondita.* Tum, quia licèt poteſtas ferendi cenſuras ſit ſpiritualis, tamen reſidet in hominibus, qui non poſſunt illam exercere, niſi circa ea, de quibus poſſunt iudicare; ſed homines non poſſunt iudicare de peccatis purè internis; ergo non poſſunt ferre cenſuras de culpis purè internis. Videatur D.Thom. *quæſt. 91. art. 4. in corp. verſ. Tertio quia de his.* Syl. *verb. excomm. 7. n. 4.* Bonacina nuperrimè adductus *num. 4.*

Dico quintò, licèt actus purè internos, & per ſe occultus non poſſit eſſe materia cenſuræ: quia eſt (vt ſic dicam) extra obiectum potentiæ iuriſdictionis, & poteſtatis vindicatiuæ Eccleſiæ: tamen actus exterior licèt per accidens occultos poteſt eſſe materia cenſuræ, quia actus exterior ſuapte natura cognitionem humanam non fugit, per accidens autem eſt quòd in foro iudiciali probari non poſſit: quo ſit, vt hæreticus occultus eſt ipſo iure excommunicatus. Vide Azor. *part. 1. inſtit. mor. lib. 5. cap. 10. dub. 1. §. In hac itaque.*

## Dvbitatio II.

IV. *Quomodo poſſint præcipi, & puniri per cenſuras actus interni?*

Dico ſextò, quamuis actus interior ſecundùm ſe, & abſolutè ſumptos, nec puniri, nec præcipi poſſit ſub pœna cenſuræ per Eccleſiam; quia vt ſic eſt omninò inuiſibilis; tamen vt eſt vnitus, & moraliter informat actum exteriorem, & præcipi, & puniri poteſt pœna cenſuræ, quia vt ſic actus internus eſt aliqualiter ſenſibilis per ordinem ad actum exteriorem: ſicut anima per corpus, & ſicut contritio per confeſſionem, & ita excommunicari poſſunt frangentes ex contemptu ieiunia Eccleſiæ. Nam licèt ille contemptus in ſe interior ſit, imperat tamen, & informat omiſſionem illam, & eodem modo odium, vel amor in iudice imperat prauum vſum ſui muneris, & hac ratione ei præcipitur interdum, vt eam intentionem non habeat, ſcilicet quatenus influit in exteriorem actum, vt de facto Eccleſia punit cenſura malum animum Inquiſitoris. *Clem. 1. de hæreticis. §. Verum.* eodem modo *cap. dolentes, de celebratione Miſſarum*, ab Eccleſia præcipitur attentio, vel deuotio inter orandum exteriùs: nam illa attentio eſt quaſi forma conſtituens actum externum in ratione orationis. Vide Suarez *tom. 5. de cenſuris, diſp. 4. ſect. 2. num. 17.* Eccleſia igitur etſi non poſſit actus internos per ſe, & ſolitariè acceptos præcipere, poteſt tamen eoſdem præcipere, quatenus ſunt neceſſarij ad externos debito modo præſtandos, vt ſunt actus virtutum, & idonei ad finem ſupernaturalem. Itaque cùm poſſit præcipere orationem, & auditionem Sacri, poteſt etiam præcipere eam attentionem, & reuerentiam, ſine qua oratio & auditio Sacri non ſunt actus Religionis. Leſſ. *lib. 2. cap. 37. dub. 11. num. 66.*

V. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur*

## Dvbitatio III.

*Quomodo Eccleſia habeat facultatem in vota interna?*

Ad rationem dubitandi reſpondetur, quòd in illo capite *ad abolendam, de hæreticis*, ſentire non ſignificat ſolum actum interiorem, ſed conſenſum contra res fidei exteriori ſigno declaratum, ſigno, verbo, aut ſcripto. Quare ſi fuerit tantùm iudicium interius, quo quis diſſenſerit à Sacramentis Eccleſiæ, non incurrit excommunicationem. Ita benè Conrad. noſter *tom. 1. reſponſ. quæſt. 144.*

Sed contrà adhuc vrget argumentum. Nam Eccleſia habet poteſtatem irritandi votum internum, & ſimiliter

similiter dispensandi in voto iuterno: etiam quando materia voti est merè interna, vt quando quis vouet elicere actum fidei, vel amoris Dei toties in die: ergo actus interni continentur intra obiectum potestatis Ecclesiasticæ. ergo possunt esse materia censuræ, &c. Respondetur habere quidem potestatem Ecclesiam irritandi votum mentale, inhabilitando personam sensibilem ad emittendum votum. Irritat igitur votum Ecclesia internum quatenus tollit morale quoddam vinculum, quod manet in homine sensibili. Similiter in voto iuterno, dum sibi manifestatur, consequenter ratione illius manifestationis votum, quod erat solamente conceptum, fit sensibile, & ita subiicitur Superiori, & Ecclesiæ. Videatur Rastell. *de cens. in genere, q. 4. art. 1. n. 5.* Bonacina *tom. 1. disp. 1. q. 1. puncto 3. num. 5. propè finem.*

## ARTICVLVS VIII.

## An ad ferendam censuram requiratur contumacia, vel sufficiat actio peccaminosa commissa?

### *SVMMARIVM.*

1. *Probatur quòd sufficiat actio peccaminosa.*
2. *Explicatur, quid sit contumacia, & quotuplex.*
3. *Titulo dubitationis respondetur.*
4. *An requiratur admonitio semper antecedens ad censuras ferendas.*
5. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, quomodo possit excommunicari qui fecit libellum famosum, & peccatum sit præteritum, & similiter latrones, qui iam furati sunt.*

### I. *Probatur quòd sufficiat actio peccaminosa.*

EX *can. quidam, 5. quæst. 1.* vbi excommunicatur scriptor famosi libelli, nisi se proderet; sed excommunicatio non fuit applicata ex eo, quòd peccator occultus non se manifestauit, nam de iure naturæ poterat se defendere non se manifestando. ergo fuit excommunicatus, propter delictum sine contumacia commissum scribendi libellum famosum.

### DVBITATIO I.

### II. *Quid sit contumacia, & quotuplex?*

Dico primò, contumacia est voluntaria transgressio præcepti Superioris. gloss. *in vers. tot scriptis, in cap. Honoratus, dist. 74.* Et quia præceptum Superioris est duplex, alterum præcipientis aliquid sine pœna censuræ; alterum præcipientis aliquid sub pœna censuræ, propterea duplex est transgressio voluntaria: respectu primi præcepti, illa transgressio dicitur peccatum commissum; respectu verò secundi præcepti illa transgressio dicitur contumacia. Vide Rastell. *de cens. in genere, q. 4. art. 4. num. 1.*

### III. *Titulo dubitationis respondetur.*

Dico secundò, probabile est pro peccato commisso purè præterito ab Ecclesia posse ferri censuram, quia sicut ante factum Ecclesia potest excommunicare quemcumque si hic commiserit furtum, vel homicidium, & huiusmodi; ita post factum, & commissum crimen potest excommunicare eum, qui fecit hoc, vel illud crimen. Ita Caiet. *2. 2. quæst. 69. art. 5. vers. Ad secundam dicitur.* Tum, quia illa censura lata pro peccato externo purè præterito esset pœna medicinalis, tum respectu aliorum per exemplum, tum respectu ipsiusmet peccantis, vt timeat similia committere. Sic Cordub. *lib. 2. Theol. quæst. quæst. 27.*

Dico tertiò, probabilius tamen, & verius est asserere, non posse licitè pro peccato externo præterito ferri censuram, sed ad eā ferendam requiri contumaciam. Vnde qui Missam die præterita non audiuit, non debet excommunicari propter peccatum præteritum omissionis Missæ, si non erat præceptum impositum Missæ audiendæ sub pœna excommunicationis; quia si quis pro peccato præterito excommunicaretur, sæpè contingeret eum excommunicari qui iam esset contritus, & in gratia; potuit enim quis auxilio Dei fretus statim post commissum crimen de peccato præterito per contritionem internam summoperè dolere: sed excommunicatio præcipuè maior ferri non debet, nisi pro mortali crimine, & tunc quando aliter committens tale crimen corrigi nequit, vt habetur *in can. nemo Episcoporum 16. quæst. 3.* ergo pro peccato præterito absque contumacia iustè ferri nequit excommunicatio maior, & quælibet alia censura grauis. Tum, quia ante censuram debet præcedere admonitio, sub censuræ nota, vt optimè docet Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 2. concl. 4. vers. Circa hoc autem.* ergo ante censuram debet præcedere contumacia. Aliquis enim efficitur formaliter contumax propter admonitionis Superioris transgressionem præcipientis aliquid sub nota censuræ: & ita hanc sententiam tenuit D. Thom. *in addit. ad 3. part. quæst. 21. art. 3. in corp.* Sotus nupertimè adductus. hos sequitur Suarez *tom. 5. de cens. disp. 4. sect. 5. num 6.* Sayr. *lib. 1. de cens. cap. 9. num. 25.* An verò censura lata sine præuia monitione valida sit, nec ne, inferiùs dicetur. Ad maiorem huius tertij dicti intelligentiam.

### DVBITATIO II.

### IV. *An requiratur semper admonitio antecedens ad censuras ferendas?*

Dico quartò, censura siue sit lata ab homine, siue à iure, siue in genere, siue in specie, siue pro præteritis, siue pro futuris culpis, semper requirit præuiam admonitionem; quia censura, & maximè excommunicatio maior ferri non debet, nisi ob inobedientiam, & contumaciam: at nemo præsumitur contemnere exteriùs præceptum Ecclesiæ, nec pœnam eiusdem repellere, nisi moneatur priùs sub pœna censuræ. ergo priùs admonendus est delinquens antequam censuræ sententia proferatur. Vide Sayr. *lib. 1. de cens. cap. 12. num. 5.*

Obseruandum, quòd admonitio est duplex. Altera canonica, altera verò non canonica. Admonitio non canonica, quæ prærequiritur in ferenda censura, est præceptum, tum iuris, tum hominis, generaliter probibēs futura sub nota censuræ: admonitio verò canonica est actio regulata, per quam Superioris auctoritate admonetur reus personaliter, formaliter, vel virtualiter testibus præsentibus, vt à culpa in admonitione explicata resipiscat: vide Rastell. *de censuris in genere, quæst. 3. art. 4. num. 1. fol. 69. mihi.*

In censuris latis ipso iure pro futuris culpis siue ab homine, siue à iure, non requiritur admonitio canonica, sed sufficit non canonica monitio. quia ipsa lex præcipiens aliquid sub pœna censuræ ipso facto incurrendæ, admonet. Vide Sayr. nouissimè adductum *num. 6.*

Idem dicendum in censuris comminatoriis latis pro futuris culpis, non requiri scilicet admonitionem canonicam distinctam à publicatione legis, seu edicti conditi sub pœna censuræ. quia tunc adest

sufficiens

ſufficiens admonitio ex parte iudicis de facto poſtea ferentis ſententiam, & ſufficiens contumacia ex parte delinquentis, qui nouit prohibitionem ſub pœna cenſuræ ferendam; & tamen legem tranſgreſſus eſt. Vide Bunacin. *tom. 1. tract. de cenſ. diſp. 1. quæſt. 1. puncto 9. propoſ. 2. num. 3. verſ. Sed oppoſitum.* quamuis alij DD. contrariam ſententiam tanquam benigniorem ſequantur. quia *in cap. ſacro approbante, de ſent. excomm.* cautum eſt, ne vlla feratur ſententia, niſi præuia monitione, ſed, vt diximus, ſufficientem eſſe monitionem legem ipſam prohibentem aliquid ſub pœna cenſuræ.

In cenſuris verò latis pro culpis præteritis, ſeu iam commiſſis, requiritur admonitio canonica, vt probatum eſt *pronunciat.* 4. & patet ex *cap. Romana, de ſententia excomm. in 6. & c. ſacro, cit. eod. tit.* & docet optimè Sotus *in 4. diſt. 22. cit. & lib. 5. de iuſt. q. 6. art. 2. verſ. Illud tamen arg. fol. 340. mihi.*

### V. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur*

### Dvbitatio III.

### *Quomodo poſſit excommunicari qui fecit libellum famoſum, & peccatum ſit præteritum, & ſimiliter latrones qui iam furati ſunt?*

Ad illud autem quod obiicitur à principio ex *can. quidam, 5. quæſt. 1.* reſpondetur, auctori libelli famoſi excommunicationem non fuiſſe applicatam pro delicto præterito, neque ex eo, quòd non ſe manifeſtauit, ſed propter debitum reſtituendi famam, quam abſtulerat proximo in edito libello famoſo, poteſt enim quis obligari ad ſe prodendum, quando id eſt neceſſarium ad falſæ infamiæ iniquè irrogatæ abſterſionem, etiam cum periculo propriæ famæ, non tamen ſi adeſſet periculum vitæ; potuit igitur excommunicari auctor libelli famoſi, non præciſè propter peccatum præteritum, ſeu commiſſum, neque præciſè propter debitum ſe ipſum prodendi, ſed pro peccato, contumacia, & inobedientia, in qua perſeuerabat nolens famam alteri iniuſtè ablatam reſtituere, cùm ad id teneretur iure naturæ, & diuino; ſicut quando excommunicantur latrones, non excommunicantur pro peccato furti præteriti, ſed pro peccato in quo perſeuerant nolentes alienum reſtituere, cùm ad id iure naturæ & citra omnem cenſuram teneantur. Ita benè Magiſter Sotus *loc. cit. & de tegen ſecret memb. 2. quæſt. 6. ad 2.* quem ſequuntur Salon. 2. 2. *quæſt. 69. art. 2. controu. 7. vnde reſpondent, fol. 519. col. 1. mihi.* Sayr. *lib. 1. de cenſ. c. 9. num. 15.* Leſſ. *lib. 2. de iuſt. c. 29. dub. 14. num. 118.*

---

## Articvlvs IX.

## De cauſa materiali remota cenſuræ, quis ſcilicet ſit ſubiectum, ſeu cenſuræ capax?

### *Svmmarivm.*

1. *Probatur mortuos eſſe capaces cenſuris.*
2. *Probantur, & explicantur conditiones requiſitæ ad ſubiectum cenſuræ.*
3. *An poſſit excommunicari Collegium, vel Vniuerſitas, & quomodo, & an excommunicato collegio, excommunicatio cadat etiam ſupra non culpabiles.*
4. *An ſit valida excommunicatio, dum in illa dicitur, Excommunico vnum ex tali communitate, qui tale furtum fecit.*
5. *An infantes, & amentes excommunicari poſſint.*
6. *An mandans alicui, vt Clericum percutiat, & antequam ſequatur effectus, moriatur mandator, ſit excommunicatus.*
7. *An Vniuerſitas, vel Capitulum ſit ſuſpenſionis capax.*
8. *An in generali interdicto, ſuſpenſione, vel excommunicatione comprehendantur Epiſcopi, & Cardinales.*
9. *An mortuus excommunicari poſſit; & an cenſura lata à iudice pro futuris culpis ſub conditione, liget, ſi moriatur iudex, vel iuriſdictione priuetur, antequam culpa committatur, vel conditio adimpleatur.*
10. *An cenſura lata ſub conditione pro futuris culpis liget ſubditum, ſi ille ante adimpletionem conditionis in cenſura poſitæ deſinat eſſe ſubditus iudicis ferentis ſententiam.*
11. *An ſententia conditionalis lata à iudice valeat ſi excommunicetur iudex, vel in manus hoſtium veniat, & poſtea abſoluatur, vel ab hoſtibus liberetur ante conditionis euentum.*
12. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur, an mortuus poſſit priuari ſuffragijs Eccleſiæ.*
13. *Quomodo mortui poſſint excommunicari, vel abſolui ab excommunicatione, explicatur.*
14. *An mortuus, qui obijt in excommunicatione, poſſit ab hac abſolui à quolibet Sacerdote, vt fiat particeps ſuffragiorum Eccleſiæ.*

### I. *Probatur mortuos eſſe capaces cenſuris.*

Videtur, quòd non ſolùm homo viator, compos mentis, baptizatus, inferior, ſubditus, ſit tantùm ſubiectum capax cenſuræ: nam *in can. placuit, 23. q. 5.* habetur, quòd qui ſe ipſos voluntariè occidunt, priuantur poſt mortem communione Eccleſiaſtica. ergo mortui etiam excommunicantur. ergo non tantùm homo viator, &c eſt capax ſubiectum cenſuræ, ſed etiam mortui. & *in can. ſanè 24. q. 2.* habetur: *oportet poſt mortem hæreticos anathematizari.*

### II. *Probantur, & explicantur conditiones requiſitæ ad ſubiectum cenſuræ.*

Dico primò, tantùm homo, viator, compos mentis, baptizatus, inferior, ſubditus, eſt ſubiectum capax cenſuræ. Primum requiſitum probatur, quia non homo non poteſt eſſe contumax, nec poteſt reſipiſcere à contumacia, nec eſt capax bonorum ſpiritualium. ergo, &c.

Sed dices. Nam interdictum locale fertur in locum. ergo, &c. Reſpondetur, quòd non fertur in locum in pœnam ipſius loci, ſed in pœnam hominis delinquentis. *cap ſi ciuitas, de ſent. excomm. 6.*

Secundum requiſitum probatur; quia non viator non ſubiicitur iuriſdictioni Eccleſiaſticæ, cùm illa ſit data ſupra exiſtentem ſuper terram, *Matth. 16.*

Tertium requiſitum intelligendum eſt de cenſura excommunicationis. hæc enim ſupponit peccatum proprium, non autem de interdicto, & de ſuſpenſione. Nam ſi vniuerſitas interdicta, aut ſuſpenſa ſit ab homine, vel à iure, etiam infantes, & amentes comprehenduntur, cùm hæ cenſuræ leniores ſint ſaltem excommunicatione maiori: vide Sayr *lib. 1. de cenſuris, cap. 8. num. 3. propè finem.*

Quartum requiſitum probatur, quia de his, quæ foris ſunt nihil ad nos, *1. Corinth. 5.* Tum, quia non

baptizatus

baptizatus non subiicitur pœnæ medicinali Ecclesiæ. *cap. postulasti, de Iudæis.* Idque procedit etiam in catechumeno, qui nec dicitur hæreticus, nec censuris Ecclesiasticis subiicitur. Nauarr. *cap. 27. num. 13.*

Quintum requisitum probatur, quia nullus potest se ipsum excommunicare; vt si Episcopus excommunicet omnes ludentes taxillis, si ipse luserit, non incurrit excommunicationem, quia non est inferior, nec subditus sibi ipsi. Similiter Papa à nullo excommunicari potest, quia non habet Superiorem, & ita quamuis per hæresim possit deponi, Bellarm. *lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 30.* non tamen excommunicatur. Nauarr. *in d. cap. 27. num. 13.* Dicitur inferior subditus, id est, subiectus iurisdictioni: quia exempti priuilegio Apostolico non possunt ab Ordinario excommunicari; neque alij non subditi. Tol. *lib. 1. summa cap. 7. num. 3.*

### DVBITATIO I.

**III.** *An possit excommunicari Collegium, vel Vniuersitas, & quomodo, & an excommunicato Collegio, excommunicatio cadat etiam supra non culpabiles?*

Dico secundò, censura excommunicationis ferri non potest nisi in hominem determinatum, & sic Collegium, & Vniuersitas excommunicari collectiuè non potest, *c. Romana, de sent. excom. 6.* Quia sententia sic lata in Collegium, vel Vniuersitatem, ferè semper contineret errorem intolerabilem. quia non est probabile, quòd aliqua communitas, vel Collegium totum collectiuè consentiat in malum; quin aliqui sint dissentientes; sed non est Dei, neque Ecclesiæ condemnare iustum cum impio. ergo. Diuisiuè tamen poterit Collegium, & Vniuersitas excommunicari, dicendo, Excommunico Præpositum, Decanum, Archidiaconum, & omnes alios de tali Collegio qui mandatis meis non obedierunt. Vide Sotum *in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 2. concl. 2.*

Dico tertiò, si Collegium, & Vniuersitas collectiuè excommunicaretur à R.P. aliqui affirmant sententiam excommunicationis esse validam, non tamen caderet super vniuersos, nisi omnes essent culpabiles, sed solùm supra singulos, qui essent culpabiles. Quamuis etiam innocentes seruare deberent excommunicationem in foro exteriori, quandiu non apertè constaret de eorum innocentia ad euitandum scandalum. quia R.P. est supra totum ius positiuum. ergo licèt *in cap. Romana, de sententia excomm. 6.* aliis tollatur iurisdictio quantum ad excommunicationem Collegij collectiuè sumpti, & Vniuersitatis; non tamen R.P. Syl. *verb. excomm. 1. num. 19.* Sayr. *lib. 1. de censuris, cap. 8. num. 18.*

### DVBITATIO II.

**IV.** *An sit valida excommunicatio dum in illa dicitur, Excommunico vnum ex tali communitate, qui tale furtum fecit?*

Dico quartò, si Episcopus, vel alius iudex dicat, Excommunico vnum ex communitate, vel ex tali Collegio, vel ex his, qui tale furtum fecerunt, sententia excommunicationis nulla est; quia sententia hæc incerta est, & indefinita. Probatur etiam exemplo Eucharistiæ. nam si quis haberet præsentes octo hostias, & intenderet consecrare sex tantùm, non determinando illas, sed in confuso, nihil efficeret, quia materia illa non esset certa, & definita. ergo similiter, &c. Vide Syl. *verb. Eucharistia 1. num. 8.* Suarez *tom. 5. in 3. part. disp. 43. sect. 6.* Sayr. *lib. 1. de censuris, cap. 8. num. 17.*

### DVBITATIO III.

**V.** *An infantes, & amentes excommunicari possint?*

Dico quintò, licèt pueri, seu infantes, furiosi, & amentes, quia vsu rationis carent, & doli, & contumaciæ incapaces sunt, nulla ratione excommunicari possint; excommunicatio enim culpam mortalem supponit: tamen amentes, & furiosi, qui aliquando vsum rationis habuerunt, excommunicationis capaces sunt. Vnde si quis dum sanus fuit alteri mandauit, vt Clericum percuteret, & hic mandans postea in furorem, vel amentiam incidat, & mandatarius postea Clericum percutiat, vtique amens, & insanus ille ob præcedens mandatum incidit in excommunicationem canonis, *si quis suadente 17. quæst. 4.* quia furore adueniente mandatum non tollitur. Sed potiùs in ea voluntate esse censetur, in qua ante furorem, vel amentiam fuit, arg. *cap. maiores, de Baptismo, & eius effectu. §. pen.* Imò si à iudice excommunicaretur amens ob præcedentem contumaciam, valida esset excommunicatio, vt docet Sayr. *lib. 1. de censuris, cap. 8. num. 3.* Non tamen debet iudex peccatorem contumacem in amentiam incidentem excommunicare, quia cùm excommunicatio sit pœna medicinalis, nullam medelam peccatori contumaci in phrenesim, & in amentiam incidenti afferret excommunicatio. ergo. Videatur D. Thom. *in addit. ad 3. part. quæst. 24. art. 2. ad secundum.* Sayrus nouissimè adductus.

### DVBITATIO IV.

**VI.** *An mandans alicui, vt Clericum percutiat, & antequam sequatur effectus, moriatur, mandator sit excommunicatus?*

Si quis tamen mandaret alicui, vt Clericum percuteret, & antequam mandatarius Clericum percutiat, mandans moritur: mandator, sequuta post mortem percussione, in excommunicationem non incidit: quia mandatum morte mandatoris reuocatum, & extinctum esse censetur; & ipse mandans capax huius pœnæ non est. *cap. licèt, & ibi gl. verb. reintegra, de officio delegati.*

### DVBITATIO V.

**VII.** *An Vniuersitas, vel Capitulum sit suspensionis capax?*

Dico sextò, quòd licèt Collegiũ collectiuè, & Vniuersitas excommunicari non possit, *c. Romana, § an vniuersitatem, de sent. excom. in 6.* quia excommunicatio requirit contumaciam personalem: est tamen Collegiũ, seu Capitulum suspensionis capax. *c. quia sæpè, de elect. in 6.* Estque simul capax Vniuersitas interdicti. *c. non est vobis, de spons.* Vbi gloss. quia hæ censuræ non requirunt contumaciam personalem, sed sufficit contumacia in capite. Sayr. *lib. 1. de cens. c. 8. n. 16.*

### DVBITATIO VI.

**VIII.** *An in generali interdicto, suspensione, vel excommunicatione comprehendantur Episcopi, & Cardinales?*

Dico septimò, quamuis in generali suspensione, &c

& interdicto, non comprehendatur Episcopus propter periculum regiminis Ecclesiastici, *cap. quia periculosum, de sent. excom. in 6.* Et idem dicendum est de Cardinali, vt ducet Sayr. nouissimè citatus *n.24.* Tamen in generali excommunicatione tam Episcopus, quàm Cardinalis comprehenduntur, nisi excipiantur à lege excommunicationis generaliter latæ, vti excipiuntur in generali suspensione, & interdicto, *in cap. quia periculosum.* Ita obseruauit gloss. *ibi in verbo suspensionis.* Nauarr. *de datis, & promiss. notab.6. num.9.* Rastell. *de censuris in genere, quæst.5. art. vnico, num.13. fol.118 mihi.* Sayr. *vbi suprà.*

## Dvbitatio VII.

IX. *An mortuus excommunicari possit; & an censura lata à iudice pro futuris culpis sub conditione, liget, si moriatur iudex, vel iurisdictione priuetur antequam culpa committatur, vel conditio adimpleatur?*

Dico octauò, ad maiorem intelligentiam præcedentium pronunciatorum quòd homo mortuus, non viator, excommunicari non potest, quia hic non est subditus iurisdictioni Ecclesiasticę. Item censuræ sententia generalis pro futuris culpis simpliciter lata, aut sub conditione non ligat, si antequam culpa committatur, aut conditio extet, iudex moriatur. Idem dicendum, si aliqua de causa iurisdictione priuetur, vt si sit publicè denunciatus excommunicatus, aut si se Prælatura abdicauit, aut ab hostibus captus; quia tunc quasi mortuus iudicatur. Immò si postquam sententiam tulit sub conditione, ante conditionis adimpletionem iurisdictione priuetur, iterúmque iudex creetur, si postea conditio extet, sententia sub conditione lata non ligabit, quia iurisdictio ei in reassumptione de nouo data alia est à priori. Ratio huius assertionis est, quia vt sententia excommunicationis absolutè pro futuris culpis lata, vel sub conditione, valeat, omninò requiritur, vt extrema habilia sint tempore, quo fertur, nimirum, vt iudex eã ferre possit tempore, quo eam fert, & tempore, quo conditio aduenit, vel peccatum prohibitum, sub pœna excommunicationis, vel alterius censuræ committitur: & vt Is, in quem fertur, eo tempore excommunicari, vel alia censura ligari ab eodem possit. Vide Sayr. *lib.1. cit. cap.8. num.13.*

## Dvbitatio VIII.

X. *An censura lata sub conditione pro futuris culpis liget subditum, si iste ante adimpletionem conditionis in censura posita desinat esse subditus iudicis, ferentis sententiam?*

Sed quid dicendum, si ante adimpletionem conditionis in censura positæ, subditus mutando domicilium desinat esse subiectus iudici ferentem sententiam: vt, v.g. si Episcopus excommunicet subditum, qui tale furtum fecit, vel per sententiam generalem excommunicet eos, qui latrocinium commiserint, nisi intra mensem restituant: si intra mensem mutando domicilium animo alibi inhabitandi desinant esse subditi, elapso mense si non restituerint, & possint aliàs, incidéntne in excommunicationem? Respondetur affirmatiuè: sufficit enim quòd in initio causæ delinquens sit subiectus, etiamsi postea mutando domicilium alibi inhabitando desinat esse subditus. quia sententia hominis, siue sit specialis, siue generalis, respicit personas, quæ tempore sententiæ sub iurisdictione iudicis eam proferentis continentur, licèt post adimpletam conditionem desinant esse subiectæ. Videatur pro hac re Sayr. *lib.1. de cens. cap.7. n.18.* Suarez *tom.5. de cens. disp.5. sect.5. num.5.*

## Dvbitatio IX.

XI. *An sententia conditionalis lata à iudice valeat si excommunicetur iudex, vel in manus hostium veniat, & postea absoluatur, vel ab hostibus liberetur ante conditionis euentum?*

Dico nonò, si postquam sententiam sub conditione tulerat iudex, excommunicatus fuerit, aut in manus hostium deuenerit, ante verò conditionis euentum sit ab excommunicatione absolutus, aut ab hostibus liberatus, tunc conditione deinceps adueniente sententia priùs lata valebit, quia non est noua iurisdictio, sed eadem nunc impedita. Hugol. *de Eccles. cens. tab.1. cap.2. §.2. num.2. in fine.* Sayr. *lib.1. de cens. cap.8. num.13. propè finem.*

XII. *Rationibus in contrarium à principio respondetur, & explicatur, an mortuus possit priuari suffragijs Ecclesiæ?*

Ad rationem in contrarium à principio positam, respondetur, mortuos propriè excommunicari non posse: nam excommunicatio propriè est pœna medicinalis directè impediens excommunicatum, ne vtatur Sacramentis Ecclesiæ, & sacrificiis: at mortuus non potest vti sacramentis Ecclesiæ, & Sacrificiis; potest tamen priuari suffragiis Ecclesiæ, & sepultura Ecclesiastica potius ad aliorum terrorem, & in criminis detestationem, non quòd talis excommunicatio sic propriè pœna, vel medicina, vnde non excommunicantur mortui. Vide Syl. *verb. excomm.1. n.7. vers. Sciendum est.* Sayr. *lib.1. de cens. cap.8. num.8.*

## Dvbitatio X.

XIII. *Quomodo mortui possint excommunicari, vel absolui ab excommunicatione?*

Ad aliud fundamentum respondetur, quòd post mortem hæretici declarantur, & iuridicè pronunciantur excommunicati, eo quòd post eorum mortem deteguntur eorum peccata habentia excommunicationem annexam, quæ in vita fuerunt occulta, non autem propriè excommunicantur post mortem. Vide Nauarr. *summ. c.27. num.13.* Rastell. *de cens. in genere, q.5. art. vnico, num.4 fol.114. mihi.*

Sed adhuc vrget argumentum: nam mortuus in excommunicatione, potest post mortem absolui, vt in loco sacro sepeliatur, & vt suffragia Ecclesiæ ei suffragentur. ergo etiam post mortem potest excommunicari. Respondetur negando mortuum posse directè absolui ab excommunicatione, cùm Ecclesia non habeat in mortuum directam iurisdictionem, sed tantummodo potest mortuum indirectè absoluere, quatenus potest concedere fidelibus facultatem sepeliendi mortuum, & suffragia ferendi pro ipso, sicut post mortem potest declarare ipsum excommunicatum, vel interdictum, propter censuram in vita contractam. Vide Sotum *in 4. dist. 22. q 2. art. 2.* Valent. *tom.4. disp.7. quæst. 17. puncto 4.* Bonacin. *tom.1. tract. de cens. in genere, disp.1. quæst.1. puncto 4. num. 1. vers. Respondeo.*

Dvbt

### Dvbitatio XI.

XIV. *An mortuus, qui obijt in excommunicatione, possit ab hac absolui à quolibet Sacerdote, vt fiat particeps suffragiorum Ecclesiæ?*

Obseruandum quòd si homo in excommunicatione reseruata decessit, post mortem, vt sepeliatur in loco sacro, & fiat particeps suffragiorum Ecclesiæ, non per quemlibet Sacerdotem absoluitur, (vt posset in articulo mortis) sed per Superiorem, cui excommunicatio reseruatur, & à quo viuus absolui poterat. Nauarr. *summ. c. 26. n. 32.* quæ absolutio est necessaria non solùm in eo, qui contumax & impœnitens mortuus est, vt sepeliatur in loco sacro; sed etiam in eo, qui cum contritione, & pœnitens mortuus est. quia hic licèt apud Deum solutus sit, apud Ecclesiam tamen excommunicatione ligatus manet. Nauarr. *loc.* nuper *adducto*, Sayr. *vbi suprà, num.* 10.

---

## Articvlvs X.

## An pluries incidens in actum, cui est annexa censura latæ sententiæ, plures etiam incurrat censuras?

### *Svmmarivm.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Resoluitur dubitatio.*
3. *An furans in Ecclesia duplici excommunicatione ligetur, si lata sit excommunicatio contra fures, & contra sacrilegos.*
4. *An percutiens Clericum pluribus ictibus, vel communicans pluries cum eodem excommunicato, incidat in plures excommunicationes.*
5. *An percutiens plures Clericos successiuè, incurrat plures excommunicationes.*
6. *An furans plura media frumenti, vel committens plures fornicationes, & similia, incurrat plures excommunicationes, si peccato furti, vel fornicationis sit annexa excommunicatio.*
7. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & magis explicatur, an sit tantùm vna percussio dum successiuè percutitur Clericus.*
8. *Quot censuras incurrat iudex qui per vim contra Ecclesiæ immunitatem extrahit vnum, & postea aliũ, &c. vel qui furatur vnam rẽ ab Ecclesia, & postea aliam, &c. vel si extrahat duos eodem tempore.*
9. *An vno ictu percutiens plures Clericos incurrat plures excommunicationes.*

I. *Pars negatiua probatur.*

Nam qui sæpiùs, & pluries Clericum successiuè percurit, vnicam tantùm modo excommunicationem incurrit latam contra Clericum percutientes. *c. si quis suadente 27. quæst.* 4. ergo qui pluries incidit in actum, cui est annexa censura latæ sententiæ, non incurrit plures censuras.

II. *Dubitatio resoluitur.*

Dico primò, pluries incidens in actum, cui annexa est censura latæ sententiæ, plures incurrit censuras, si actus sint formaliter, & moraliter distincti. Probatur, quia lex ponit censuram propter transgressionem ipsius legis; ergo vbi est multiplex transgressio legis per actus moraliter, & formaliter distinctos, ibi etiam



multiplex censura incursa à transgressione legis reperitur; & ita hanc sententiam docet Nauarr. *tom. 2. consil. lib. 5. de Clerico excommunicato ministrante, consil. 16. n. 1.* Sayr. *lib. 1. de cens. cap. 10. num. 9.*

### Dvbitatio I.

III. *An furans in Ecclesia duplici excommunicatione ligetur, si lata est excommunicatio contra fures, & contra sacrilegos?*

Dico secundò, cõsequenter furans in Ecclesia si lata esset excommunicatio contra fures, & contra sacrilegos, duplici ligaretur excõmunicatione: quia illa actio furti quamuis sit vna numero entitatiuè, & physicè, nihilominus est multiplex formaliter, & moraliter, duplicem enim habet malitiam, iniustitiæ, & sacrilegij. ergo furans in Ecclesia si lata est excommunicatio contra fures, & contra sacrilegos, duplici ligabitur excommunicatione; quia actu licèt vno entitatiuè, formaliter tamen, & moraliter duplici legem latam sub pœna excommunicationis latæ sententiæ contra fures, & sacrilegos transgreditur. Vide Bonacin. *tom. 1. tract. de cens. disp. 1. q. 1. puncto 5. num. 4.*

### Dvbitatio II.

IV. *An percutiens Clericum pluribus ictibus, vel communicans pluries cum eodem excommunicato, incidat in plures excommunicationes?*

Dico tertiò, verberans Clericum pluribus ictibus successiuè per aliquod tempus, sine tamen interruptione morali, vnam tantummodo incurrit excommunicationem. arg. *cap. cum pro causa, de sent. excomm.* vbi qui Clericum in dormitorio verberauerit, & postea eundem verberando per claustrum traxit, semel excommunicatum fuisse dicitur: sic etiam qui tota die excõmunicato non tolerato communicaret, vnam tantùm excommunicationem incurrit, & qui centum frumenti rubia territorio Ecclesiæ eodem tempore, & centum currus onustos vnum immediatè post alterum exportaret sine morali interruptione, semel tantùm in excommunicationem incideret: quia in his omnibus censetur vnus tantùm actus moraliter, vna percussio, vna communio, & vna exportatio, vnum delictum. ergo vna tantùm excommunicatio incurritur. Tum, quia sic agens vnam habere censetur intentionem, de vno delicto prohibito sub pœna censuræ committendo. Sic benè Nauarr. *tom. 2. consil. lib. 5. de pœnit. & remiss. consil. 14. n. 2.* Sayr. *vbi suprà num. 9.*

### Dvbitatio III.

V. *An percutiens plures Clericos successiuè, incurrat plures excommunicationes?*

Dico quartò, percutiens tamen plures Clericos successiuè absque interruptione morali, tot excommunicationes incurrit, quot sunt Clerici, qui successiuè percutiuntur, quia istæ percussiones sunt plures formaliter, & numero distinctæ. Vnitas enim numerica percussionum non tantùm desumitur à continuatione tẽporis, & actionis, verùm etiam ab obiecto, circa quod exercetur actio, & percussio, vt patet à simili de veritate motus: ergo cùm in proposito casu, sint plura obiecta, id est, plures Clerici, qui percutiuntur, sequitur esse plures percussiones formaliter, & moraliter, & numero distinctas, quarum singulæ inducunt excommunicationem. ergo tot erunt excommunicationes incursæ, quot sunt Clerici qui percutiuntur. Ita Nauarr. *summa cap. 6. num. 18.*

### Dvbitatio IV.

VI. *An furans plura modia frumenti, vel committens plures fornicationes, vel similia, incurrat plures excommunicationes, si peccato furti, vel fornicationis sit annexa excommunicatio?*

Dico quintò, si peccato furti esset annexa excommunicatio, furans successiuè, absque interruptione murali etiam toto vno die vni, & eidē vinum, oleum, pecuniam, ligna, vnum peccatum committit, & vnicam contrahit excommunicationem; quia vna censetur hęc furti actio formaliter, & vni, & eidem successiuè per eam fit iniuria, & furtum etiam non habet terminum definitum, & certum: secus autem si fornicationi esset annexa excommunicatio, si quis postea fornicaretur cum vna, & statim cum eadem, de nouo fornicaretur absque temporis interruptione. Tunc iste duo peccata fornicationis committeret, & tot incurreret excōmunicationes, quot fornicationes committeret; etiamsi successiuè eas committat absque temporis interruptione, quia fornicatio sequens non continuatur cum præcedente, nec cum ea facit vnam actionem formalem, cùm vnaquæque fornicatio habeat per se definitum, & certum terminum, semel scil. coïre cum soluta. ergo licèt aliquis fornicetur cum vna, & statim absque temporis interruptione cum eadem fornicetur, nihilominus duo peccata committit, & duplicem incurret excommunicationem, si fornicari censura excommunicationis sit annexa. Videatur Nauar. *summa cap.6. num.17. versic. Arbitramur autem.* Bonacina *tom. 1. tract. de censuris disp. 1. quæst. 1. puncto 5. num.6. §. Respondeo fornicantem.*

### Dvbitatio V.

VII. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & magis explicatur, an sit tantùm vna percussio, dum successiuè percutitur Clericus?*

Ad rationem in contrarium respōdetur probare nostram tertiam assertionē. nam percussio repetita super eundem Clericum, licèt entitatiuè, & physicè sit multiplex, est tamen formaliter, & moraliter vna percussio, vnum sacrilegium, si successiuè, & absque tēporis interruptione fiat, & sic percutiens ter, vel quater eundem Clericum, in vnam incidit excommunicationem, vt apertè colligitur ex *cap. cùm pro causa, de sententia excom.* & ratio huius est, quia percussio Clerici non habet certum terminum & definitum, vnde si centies fieret super eundem Clericum absque temporis interruptione, vna, & eadem moraliter censeretur: secus autem est de actionibus, quæ habent certum terminum, & definitum, vt est adulterium, vel fornicatio. Videatur Bonacina optimè adductus, & Sayr. *vbi supra.*

### Dvbitatio VI.

VIII. *Quot censuras incurrat iudex, qui per vim contra Ecclesiæ immunitatem ab Ecclesia extrahit vnum, & postea alium, &c. vel qui furatur vnam rem ab Ecclesia, & postea aliam, vel si extrahat duos eodem tempore?*

Sed quid dicendum, si iudex contra Ecclesiæ immunitatem per vim extrahat vnum hominem, & statim sine interruptione ad eandem Ecclesiam tendat, & extrahat alium? Respondetur esse duas transgressiones, & sic incurri duas censuras. quia vis vni facta non componit vnam actionem cum vi facta alteri: si verò quis res Ecclesiæ successiuis, & partialibus asportationibus furaretur, absque vlla temporis interruptione, esset vnum sacrilegium moraliter, & vna censura incurreretur, quia furtum non habet materiam & certum terminum, in quo consumetur.

Quòd si iudex simul duos homines duabus manibus teneos extraheret ab Ecclesia, vnicam censuram incurreret. quia licèt hæc actio virtualiter æquiualet multis, re vera tamen vna est, & vnicum sacrilegium, cùm vni, & eidem Ecclesiæ fiat iniuria contra eius immunitatem agendo.

Idem dicendum de eo, qui eodem tempore simul conuersatur cum duobus excommunicatis non toleratis, quia re vera distinctio personarum in tali materia parum confert ad multiplicanda peccata, & sic vnica erit transgressio, & vna tantùm excommunicatione minori ligabitur.

### Dvbitatio VII.

IX. *An vno actu percutiens plures Clericos incurrat plures excommunicationes?*

Probabiliter etiam asserit Suarez *tom. 5. de cens. disp. 5. sect. 3. n. 8.* quòd percutiens vno ictu, & eadem vnica percussione plures Clericos, vnam tantùm incurrere excommunicationem, quia, inquit, tot numero censuræ incurruntur, quot sunt numero peccata, & transgressiones. Sed in proposito casu est vnum tantummodo numero peccatum, & vna transgressio; ergo est vna tantùm numero censura. Suarez sequitur Bonacina *tom.1. tract. de cens. disp. 1. quæst. 1. punct. 5. n.7.*

Sed oppositum mihi videtur probabilius, & omnino tenendum, percutientem scil. vno actu, & vnica percussione plures, Clericos plures etiam incurrere excommunicationes, quia tot sacrilegia committit, quot personas sacras iniuria afficit. ergo tot erunt censuræ, quot sunt personæ sacræ quæ percutiuntur, & ita hanc sententiam tenet Nauar. *summa cap.6. n.18.* Sayr. *lib.1. de censuris, cap.10. n.9.* citans Vgolinum, & alios: illam in praxi, vt tutiorem sequendam esse fatetur Suarez *loco. cit. num. 11.* licèt oppositam speculatiuè loquendo, vt probabilem defendat.

## Articvlvs XI.

## An plures censuræ contrahantur ab eo, qui facit vnum actum, habentem plures circunstantias, pro quibus singulis lata est excommunicatio?

### *Svmmarivm.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Dubitatio resoluitur, quoad actus habentes plures circunstantias mutantes speciem.*
3. *Dubitatio deciditur quoad actus habentes circūstantias non mutantes speciem; & explicatur, an percutiens Sacerdotem, qui consequenter est Diaconus, & Subdiaconus, &c. incurrat plures excommunicationes.*
4. *An percutiens Monachum initiatum prima tonsura, vnam, vel plures incurrat censuras.*
5. *An sepeliens in Ecclesia publicum excommunicatum, qui sit interdictus, & vsurarius manifestus, vnam tantùm, vel plures incurrat excommunicationes: & an tempore interdicti sepeliens interdictum in Ecclesia incurrat duplicem censuram.*
6. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

1. Pars

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm qui percutit Sacerdotem, qui simul est Subdiaconus, & Diaconus, non incurrit plures excómunicationes, quamuis hic actus percussionis multas habeat circunstantias, percutitur enim Sacerdos, qui non solùm est Sacerdos, sed Subdiaconus, & Diaconus. ergo qui facit actum habentem plures circumstantias pro quibus singulis lata est excommunicatio, non contrahit plures censuras: cùm Diaconatus, & Subdiaconatus sint Ordines, & circunstantiæ, pro quibus singulis lata est excommunicatio, si habentibus tales Ordines fiat iniuria per manuum iniectionem, & tamen, vt fatentur omnes, vnam incurrit excommunicationem qui percutit Subdiaconum, qui simul est Diaconus, & Sacerdos.

II. *Dubitatio resoluitur, quoad actus habentes plures circunstantias mutantes speciem.*

Dico primò, quando actus habet plures circunstantias mutantes speciem actus moralis, pro quibus singulis lata est censura, faciens talem actum tot contrahit censuras, quot sunt circunstantiæ mutantes speciem actus moralis. quia tot censuræ incurruntur, quot sunt actus, & peccata formaliter distincta prohibita sub pœna censuræ; sed committens actum, licèt materialiter, & entitatiuè vnum habentem plures circunstantias mutantes speciem actus humani, tot committit peccata moraliter, & formaliter, quot sunt malæ circunstantiæ mutantes speciem actus humani: ergo tot incurrit censuras, quot sunt circunstantiæ mutantes speciem in genere moris pro quibus singulis lata est censura: & sic, qui furatur in Ecclesia, si pro furto, & pro sacrilegio lata est excommunicatio, duas incurrit censuras. Videatur Sayr. *lib.* 1. *de cens. cap.* 10. *num.* 10.

III. *Dubitatio deciditur, quoad actus habentes circunstantias non mutantes speciem, & explicatur*

DVBITATIO I.

*An percutiens Sacerdotem, qui consequenter est Diaconus, & Subdiaconus, incurrat plures excommunicationes.*

Dico secundò, quando actus habet plures circunstantias non mutantes speciem, sed sunt eiusdem speciei, committens talem actum, si sub pœna censuræ sit prohibitus, vnicam tantummodo incurrit censuram. quia accidentaliter se habent circunstantiæ non mutantes speciem in genere moris. ergo committens actum habentem plures circunstantias non mutantes speciem, vnum tantùm committit peccatum. ergo vnam incurrit censuram, si pro eo lata est. Et quoniam circunstantiæ Subdiaconatus, Diaconatus, Sacerdotij non sunt mutantes speciem in percussione Clerici, sed accidentaliter tantùm se habent ad transgressionem legis, quæ solùm spectat reuerentiam status Clericalis, non verò Ordinem, quo aliquis est initiatus. Ideò percutiens Clericum, qui simul est Subdiaconus, Diaconus, & Sacerdos, vnum tantùm entitatiuè simul, & moraliter committit sacrilegium: & sic vnam incurrit excommunicationem. Vide pro hoc Suarez *tom.* 5. *de cens. disp.* 5. *sect.* 3. *num.* 14.

DVBITATIO II.

IV. *An percutiens Monachum initiatum prima tonsura, vnum, vel plures incurrat censuras.*

Dico tertiò, percutiens tamen Monachum initiatum prima tonsura, in duas incideret excommunicationes. quia licèt huiusmodi percussio *in eod. can. si quis suadente* 17. *q.* 4. contineatur, tamen vt distinctæ percussiones traduntur, scilicet qui Clericum, vel Monachum, &c. Tum, quia illius percussio duplex transgressio formaliter censetur, vna contra reuerentiam debitam statui religioso; altera contra reuerentiam statui clericali debitam, est enim circunstantia Monachi diuersæ speciei à circunstantia Clerici; nam alia est consecratio Clerici, & alia Religiosi. ergo, &c. Videatur Bonacina *tom.* 1. *disp.* 1. *q.* 1. *puncto* 5. *n.* 9.

DVBITATIO III.

V. *An sepeliens in Ecclesia publicum excommunicatum qui sit interdictus, & vsurarius manifestus, vnam tantùm, vel plures incurrat excommunicationes? & an tempore interdicti sepeliens interdictum in Ecclesia, incurrat duplicem censuram?*

Dico quartò, qui vno, & eodem actu sepelit aliquem publicum excommunicatum in Ecclesia, qui etiam sit nominatim interdictus, & vsurarius manifestus, tres excommunicationes incurrit. quia formaliter, & moraliter committit triplicem inobedientiam pro diuersis causis prohibitam, seu triplex sacrilegium formaliter diuersum; vnum violando excommunicationem, sepelit enim excommunicatum publicum, qui priuatur Ecclesiastica sepultura ratione excommunicationis. Secundum violando interdictum, quod est censura speciei diuersæ ab excommunicatione. Tertium sepeliendo vsurarium publicum, contra prohibitionem factam sub excommunicatione. Tria igitur delicta committit, pro quibus singulis ob diuersam causam excommunicationis pœna infertur. ergo tot est excommunicatus. Hæ prohibitiones habentur *in Clem.* 1. *de sepulturis*, Vide Sayr. *lib.* 1. *de cens. c.* 10. *n.* 10.

Qui verò personam interdictam tempore interdicti Ecclesiasticæ sepulturæ donaret, non committeret duplex peccatum, neque ex illo oriretur duplex censura. quia illæ circunstantiæ non variant speciem moralem, sed aggrauant violationem eiusdem censuræ. Suarez & Bonacina *vbi suprà* contra Saytum nouissimè adductum.

VI. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

Ad rationem in contrarium, quatenus pugnat cum prima assertione, iam patet ex dictis quid dicendum, fatemur quidem percutientem Sacerdotem, qui simul est Diaconus, & Subdiaconus, vnam tantummodo incurrere excommunicationem. quia circunstantiæ Sacerdotij, Diaconatus, & Subdiaconatus, non sunt circunstantiæ mutantes speciem moraliter, sed tantùm accidentaliter se habent ad transgressionem legis. Secus autem si circunstantiæ actus moralis mutent speciem eiusdem actus. Tunc enim si pro singulis illis circunstantiis excommunicationis pœna infertur, tot excommunicationes incurruntur, quot sunt circunstantiæ diuersæ rationis, pro quibus singulis lata est excommunicatio.

## Articulus XII.

### An faciens aliquem actum prohibitum sub pœna censuræ, à pluribus ad hoc potestatem habentibus, tot incurrat censuras, quot sunt Superiores prohibentes illum actum sub pœna censuræ?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Titulo dubitationis respondetur.*
3. *Quid dicendum, si in casu tituli vnus Superior sibi excommunicationem reseruauerit, non verò alter.*
4. *An incurrantur plures censuræ in casu dubitationis, si vnus Superior est altero maioris auctoritatis.*
5. *Quid sit intelligendum, cùm dicitur idem Superior.*
6. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm qui non denunciat blasphemum habentem consuetudinem blasphemandi, si ponamus sub pœna excommunicationis esse deferendum blasphemum ex præcepto alicuius Episcopi, vel Archiepiscopi, & ex præcepto Inquisitorum sancti Officij duplici ligatur excommunicatione, si non obedit Episcopo, vel Archiepiscopo præcipienti de ferendo talem blasphemum, & Inquisitoribus illud idem sub pœna excommunicationis mandātibus. ergo, &c. Similiter qui facit aliquem actum prohibitum à pluribus Superioribus sub pœna censuræ, tot incurret censuras, quot sunt Superiores prohibentes illum sub censura. Antecedens docet Bonacina *tom. 1. tract. de cens. disp. 1. q. 1. punct. 5. n. 14.* & colligitur ex Sayr. *lib. 1. de cens. c. 10. n. 11. ad finem*; consequentia verò patet, ex paritate rationis.

II. *Titulo dubitationis respondetur.*

Dico primò, quando aliquis actus pluries ab eodem Superiore prohibetur sub pœna censuræ, vel à pluribus habentibus eandem potestatem, incurritur vna tantummodo censura, faciendo illum actum ab ipsis prohibitum. Nam quamuis pluries sit prohibitus actus sub pœna censuræ, & licèt conditores censuræ multi sunt materialiter, formaliter tamen, est vnicus actus, & in potestate videtur vnus Superior. ergo vnam tantùm censuram incurrit qui facit talem actum sic prohibitum sub pœna censuræ, vel ab vno pluries, vel à pluribus habentibus eandem potestatem: & sic deferens semel arma Saracenis, vnam tantùm excommunicationem incurrit, quamuis diuersi summi Pontifices, vt Alex. III. *in cap. ita quorumdam, de Iudæis*, & Clemens III. *cap. quod olim, eod. tit.* & Innocentius III. *in cap. ad liberandam, eod. tit.* excommunicationis censuram contra deferentes arma Saracenis tulerint, quia licèt multi fuerint in personis, fuerunt tamen vnus in potestate. Similiter quando hæc excommunicatio singulis annis in cœna Domini ab eodem R. P. qui diutiùs vixit, lata est, non ideo plures, & diuersas censuras contrafaciens incurrit, sed vnam tantùm; quia non multiplicatur singulis annis, sed vna, & eadem innouatur, & quotannis promulgatur. Ita benè Paludanus *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4. vers. si autem.* Sayr. *lib. 1. de censuris, cap. 10. num. 11.* contra glossam *in cap. quod olim, de Iudæis, in verb. supponimus*, vbi ait deferentes arma Saracenis duplici excommunicatione esse excommunicatos; illa verò, quam tulit olim Alexander, & illa, quam tulit Clemens, quod etiam videtur tenere Nauar. *tom. 1. consil. lib. 1. de const. consil. 10. n. 1.* sed verius est, & tenendum quod diximus cum Palud. &c.

## Dubitatio I.

III. *Quid dicendum, si in casu tituli vnus Superior sibi excommunicationem reseruauerit, non verò alter?*

Dico secundò, qui facit actum sub pœna excommunicationis prohibitum à pluribus Superioribus habentibus eandem potestatem, etiam si vnus ex ferentibus illam, sibi eam reseruauerit. Alter verò non ita, adhuc vna tantùm excommunicatione ligatur, quia qualitas hæc reseruationis, vel non reseruationis speciem, & substantiam excommunicationis non mutat. Videatur Sayr. nouissimè adductus.

## Dubitatio II.

IV. *An incurrantur plures censuræ in casu tituli dubitationis, si vnus Superior est altero maioris auctoritatis?*

Dico tertiò, si actus sub pœna censuræ est prohibitus ab habentibus diuersam potestatem, puta à R. P. & ab aliquo Episcopo, qui non sunt idem Superior, neque propter identitatem personæ, neque propter identitatem potestatis, seu prælationis. Tunc tot censuræ incurruntur, quot sunt Superiores illum prohibentes actum: modò quisque tulerit censuram tanquā suam, & intenderit ferre nouum ius, & imponere nouam pœnam. Probatur, quia licèt actus ille delictum vnum esse videatur, contumacia tamen est formaliter diuersa. nam vbi sunt diuersæ potestates prohibentes actum aliquem sub pœna censuræ, tot ibi sunt contumaciæ, moraliter, & formaliter eas considerando, quot sunt potestates diuersæ. ergo tot censuras incurret actum illum faciens, quot sunt Superiores habentes diuersam potestatem illum prohibentes. Ita Paludanus *vbi suprà*. Suarez *tom. 5. disp. 5. sect. 2. num. 13.*

Dixi in assertione, *modò quisque tulerit censuram tanquam suam.* quia si lata esset censura à secundo Superiore tanquam innouatio, & publicatio illius, quæ fertur à primo Superiore, vel à iure, eadem cum illa censenda esset, & contrafaciens vnam tantùm excommunicationem ex vno facto incurreret. Ita benè aduertit Sayr. *vbi suprà num. 11. propè finem.*

## Dubitatio III.

V. *Quid sit intelligendum, cùm dicitur, idem Superior?*

Ad maiorem intelligentiam eorum, quæ in hac difficultate diximus, obseruandum quòd idem Superior dicitur non solùm propter identitatem personæ, sed etiam propter identitatē potestatis, seu prælationis, vt si vnus Episcopus per aliquam legem, & statutū præcipiat aliquid faciendum sub pœna excommunicationis, & successor eius idem pręcipiat per aliud statutum, contrafaciens vnam tantùm incurrit excommunicationem, quia licèt hi multi fuerint in personis, fuerunt tamen vnus in potestate, & ob eandem causam pœnam eandem excommunicationis tulerunt. Vide Suarez *tomo 4. in 3. p. disp. 31. sect. 4. n. 25.* Idem dicendum de eo, qui contra leges sæpiùs repetitas, & innouatas ab eodem Superiore sub excommunicatione operatur, vnam scilicet excommunicationem incurrere si semel transgreditur leges, & illæ sint ob eandem causam latæ. quia censetur violator vnius tantum

tantummodo legis, & reus vnius contumaciæ formaliter. Vide Bonacinam *tom.1.tract.de censuris,disp.1.q.1.puncto 5.num.15.*

V I. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

Nec officit ratio à principio adducta contra ea, quæ diximus in nostris assertionibus. Concedimus enim totum argumentum, ligari scilicet eum pluribus censuris, qui facit actum prohibitum sub pœna censuræ à pluribus Superioribus habentibus diuersam potestatem, qualem habent Archiepiscopus, vel Ordinarius alicuius loci; & Inquisitores sancti Officij. Secus autem si habent eandem potestatem, vt clarè ostensum est in nostris assertionibus.

---

## ARTICVLVS XIII.

## An lex, quæ solùm profert censuram contra committentes aliquod delictum, comprehendat etiam consulentes, & mandantes?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Dubitatio resoluitur.*
3. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, an agentes, & consentientes semper eadem pœna puniantur.*

### I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm agentes, & consentientes pari pœna puniuntur; sed censura est pœna. ergo censura lata per legem contra facientes aliquod delictum ligat etiam consulentes, & mandantes, quia consulentes, & mandantes dicuntur consentientes, & ita hanc sententiam videtur tenere Syl. *verb. excommunicatio 10. q. 4. num. 5. §. Primum.*

### II. *Dubitatio resoluitur.*

Dico quòd censura lata contra facientes aliquid, non ligat mandantes, vel consulentes, nisi in sententia censuræ exprimantur mandantes, vel consulentes; quia censura lata contra mandantes non includit facientes, nisi in censura exprimantur facientes, cùm censura non liget vltra intentionem Superioris, & verborum tenorem. ergo à fortiori in censura lata cōtra facientes non includuntur mandantes, & consulentes, nisi in sententia exprimantur. Sic Caiet. *verb. excommunicatio, in principio; & cap. 47.* Tabiena *eod. verb. excomm. 5. casu 49. n. 5.* Nauarr. *summa c. 27. n. 51.* Tolet. *summa lib. 1. cap. 8. n. 7.* Suarez *tom. 5. de cens. disp. 4. sect. 3. num. 5. ad finem.*

### III. *Rationi in contrarium respondetur, & explicatur*

## DVBITATIO I.

*An agentes & consentientes semper eadem pœna puniantur?*

Nec officit ratio in contrarium. nam licèt agentes, & consentientes in malum peccent, nō tamen semper puniuntur eadem pœna, nisi consentientium fiat mētio. pœnæ enim sunt restringendæ. Videatur Tabiena *loc. cit. §. Nam omnia.* Bonacin. *tom. 1. tract. de cens. disp. 1. q. 1. puncto 6. n. 1. vers. Respondeo.*



---

## ARTICVLVS XIV.

## An mandans, vel consulens ligetur censura, quando non influit in effectum?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Dubitatio resoluitur.*
3. *An consulens, vel mandans percussionem Clerici parato ad hoc faciendum incidat in excommunicationem si consulat minus malum.*
4. *An mandans aliquid prohibitum sub pœna excommunicationis incidat in excommunicationem, si mandatum reuocauerit.*
5. *Quid debeat agere ille, qui persuasit percussionem Clerici ne incidat in excommunicationem.*
6. *Quid requiratur ad hoc vt mandans percussionem Clerici non ligetur excommunicatione.*
7. *In quónam differant consulentes, & mandantes percussionem Clerici.*
8. *An consulens homicidium Clerici incidat in excommunicationem, vel fiat irregularis, si volens reuocare consilium, id non possit.*
9. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicantur magis dicta in prima assertione.*

### I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm qui mandat occidere per assassinum, statim est excommunicatus, etiamsi non sequatur effectus, vt patet ex *cap. pro humani, de homicidio in 6.* & similiter Religiosi, qui concionantur animo retrahendi auditores à solutione decimarum, excommunicati sunt, etiamsi non sequatur effectus, vt habetur *in Clem. de pœnis, cap. cupientes.* ergo similiter mandans, & consulens fieri aliquid sub pœna censuræ prohibitum, etsi non influat in effectum, incidet in censuram.

### II. *Dubitatio resoluitur.*

Dico primò, mandans, vel consulens, qui aliquo modo exprimuntur in sententia censuræ, non ligantur censura, nisi verè influat in effectum prohibitum sub censura. Probatur, quia non incurritur censura nisi fiat opus prohibitum sub censura. Sed mandans, vel consulens, qui non influit in effectum prohibitum sub censura, non facit opus prohibitum sub censura. ergo non ligatur censura. Ita glossa *in cap. in audientia nostra, de sententia excomm. verb. iniuriarum.* Vnde sequitur, quòd qui mandat percutere Clericum, & qui dat consilium, & qui tentat percutere, non sunt excommunicati, nisi ipsa percussio fiat. Tolet. *summ. lib. 1. cap. 8. num. 8.*

## DVBITATIO I.

### III. *An consulens, vel mandans percussionem Clerici parato ad hoc faciendum incidat in excommunicationem, si consulat minus malum?*

Dico secundò, mandans, & consulens percussionem Clerici ligatur excommunicatione, quando per suum mandatum, & consilium auxit voluntatem delinquentis ad præstandum effectum, & effectus est subsequutus, quamuis delinquens esset paratus ad percussionem præstandam. quia tunc verè moraliter influit in effectum prohibitum percussionis sub excommunicatione. Syl. *verb. excommunicat. 5. num. 10.* Secus autem si non auxit animum, nec acrior factus est delinquens ex mandato, vel consilio.

Bonacina *tom. 1. tract. de censuris, disp. 1. quaest. 1. puncto 6. num. 4.*

Dico tertiò, consulens minus malum, vt quando parato occidere Clericum, suasit tantummodo eundem percutere, non ligatur censura, etiam effectu sequuto. quia ad incurrendam censuram excommunicationis requiritur peccatum prohibitum sub censura: at qui consulit minus malum parato facere maius, non peccat, vt optimè docet Sotus *lib. 6. de iust. quaest. 1. art. 5. vers. his tamen non obstantibus, fol. 402. mihi.* ergo.

## DVBITATIO II.

IV. *An mandans aliquid prohibitum sub poena excommunicationis, incidat in excommunicationem, si mandatum reuocauerit?*

Dico quartò. Mandans effectum prohibitum sub censura, non incurrit censuram, nec tenetur ad restitutionem damni, si reuocauit mandatum, eiúsque reuocatio innotuit mandatario, etiamsi mandatarius postea Clericum percutiat: quia tunc mandans non censetur in effectum prohibitum sub censura influere, sed potiùs reuocasse influxum. Quòd si nota reuocatio mandati mandatario non fuerit, si hic percutit Clericum, mandans incurrit excommunicationem: quia suo mandato non sufficienter reuocato influit in effectum sub excommunicatione prohibitum. Syl. *verb. excommunicatio 6. n. 5. §. tertiò cum quis.*

## DVBITATIO III.

V. *Quid debeat agere ille, qui persuasit percussionem Clerici, ne incidat in excommunicationem?*

Dico quintò, consulens percuti Clericum, si postea reuocet consilium, & satis probabiliter credit hoc sufficere, credidit enim sic reuocato consilio percussionem non subsequuturam, non ligatur censura, si bona fide putauit reuocationem sufficere ad impediendam percussionem, quamuis de facto sequatur percussio. Probatur, quia consulens homicidium non est irregularis, sequuto homicidio, si reuocauit consilium, & probabiliter credidit reuocationem sufficere ad impediendum homicidium, vel mutilationem, vt docet Syl. *verb. Homicidium 1. q. 3. vers. tertium.* Sayr. *lib. 7. de cens. c. 3. n. 6.* ergo similiter consulens percussionem Clerici non incurrit excommunicationem, si reuocauit consilium, & probabiliter credidit reuocationem sufficere ad impediendam percussionem, etiamsi postea sequatur percussio, & ita hanc sententiam tenet Syl. *verb. excomm. 6. num. 5. §. tertiò cùm quis.* Sayr. *lib. 3. de censuris c. 26. num. 23.* contra Bonacinam *tom. 1. tract. de censuris, disp. 1. quaest. 1. punct. 6. n. 7.*

Dico sextò, consulens verò percussionem Clerici si dubitauit, aut dubitare debuit non sufficere reuocationem, tenetur indicare ei, contra quem consilium datum est, vt sibi caueat, non tamen reuelare debet nomen personae, cui consilium dedit, quo facto, sequuta percussione non ligatur censura. Nam consulens homicidium, si reuocat consilium, & dubitat reuocationem non sufficere, tenetur indicare ei, contra quem consilium datum est, vt sibi caueat, quo facto, non est irregularis, sequuto homicidio; quòd si non moneat, irregularis est, sequuta mutilatione, vel homicidio, vt docet Syl. *verb. Homicidium 1. quaest. 7. num. 11. §. tertium.* Sayr. *lib. 7. de censuris, cap. 3. num. 5.* ergo similiter consulens percussionem Clerici, tenens consilium, si dubitat reuocationem non sufficere, tenebitur indicare ei, contra quem datum est consilium; vt non incurrat excommunicationem, aliàs ligabitur.

## DVBITATIO IV.

VI. *Quid requiratur ad hoc vt mandans percussionem Clerici non ligetur excommunicatione?*

Dico septimò, mandans tamen percuti Clericum, vt non ligetur excommunicatione, sequuto effectu, sufficit quòd ante percussionem reuocauerit mandatum, & mandatario talis reuocatio innotuerit. quia mandatarius in gratiam ipsius mandantis agit. ergo. Ad hanc obligationem tollendam satis est, quòd reuocet mandatum priùs factum, & illud mandatario manifestet, postquam reuocationem, si mandatarius postea percutiat, non imputabitur mandanti, cùm non in gratiam eius percusserit. Ita benè Lopez noster *part. 1. instruct. cap. 63. §. secundùm Innocentium.* Syl. *verb. Homicidium 1. vbi suprà.* Sayr. *lib. 7. de censuris cap. 2. num. 13.*

## DVBITATIO V.

VII. *In quonam differant consulentes, & mandantes percussionem Clerici?*

Ex his patet ratio diuersitatis inter consulentem percussionem Clerici, & illam mandantem; quia mandans in gratiam sui mandauit percuti Clericum, vt non incurrat excommunicationem, sequuto effectu, sufficit quòd reuocauerit mandatum, & reuocatio mandatario constiterit, qua facta, & innotescente si hic percutit, non ex mandato mandantis id facit, sed ex sua voluntate, vnde mandans reuocando mandatum non influit in talem percussionem, & consequenter excommunicatione non ligatur. At verò consulens percussionem, consilium dedit in fauorem, & gratiam eius, cui datur, vnde quasi veneno voluntatem eius infecit, ideóque non satis erit ei, qui consuluit percussionem, reuocare consilium, sed conari debet precibus importunis, ne consilium à se datum mandetur exequutioni, & si putat illum cui dedit consilium, non obtemperaturum in reuocatione, debet hoc indicare illi, contra quem consuluit, vt sibi caueat. quo facto neque ligatur excommunicatione, neque fieret irregularis, etiamsi subsequatur effectus percussionis, mortis, vel mutilationis. Ita benè Syl. *verb. Homicidium 1. quaest. 8. §. sextum.* Sayr. *lib. 7. de cens. cap. 3. num. 6.*

## DVBITATIO VI.

VIII. *An consulens homicidium Clerici incidat in excommunicationem, vel fiat irregularis, si volens reuocare consilium id non possit?*

Quòd si illum, contra quem datum est consilium, consulens de periculo monere non potest: sequuto effectu percussionis erit consulens excommunicatus, & si mors sequuta fuerit, vel mutilatio, erit etiam irregularis: quia de facto tunc consulens suo consilio influeret in percussionem, etsi mors sequeretur, vel mutilatio in homicidium, vel mutilationem. Vide Sayr. *lib. 7. de cens. cap. 3. num. 5.*

Sed insurges: nam fieri potest, quòd qui consilium dedit,

dedit, vt Clericus percutiatur, statim ipsum consulentem pœniteat malè dati consilij. ergo etiamsi non reuocauerit consilium, quia qui tale consilium accepit, est absens, vel si dubitauerit non sufficere reuocationem consilij, si non monuerit illum, contra quem datum est consilium, non ligabitur tunc consulens excommunicatione. Nam excommunicatio, præcipuè maior, non incurritur nisi ob contumaciam, & ob peccatum mortale, vt *suprà* diximus. ergo si consulentem statim pœniteat, & non potest reuocare consilium, non incurret excommunicationem si is, cui datum est consilium, Clericum percutiat. Respondetur negando consequentiam. Nam licèt qui iecit sagittam in aliquem, statim ipsum pœniteat, antequam occidat, non excusatur ab irregularitate incursa ex homicidio voluntario si mors sequatur. quia sufficit quòd effectus mortis, vel mutilationis in causa non impedibili, vel sufficienter non impedita, fuerit voluntarius, & culpa lethalis; & quoniam mors, seu mutilatio sequuta fuit voluntaria, & culpa lethalis in sagittæ iactu, qui extitit causa mortis, vel mutilationis, ideò quamuis iaciens sagittam statim post iactum ipsum pœniteat, fit irregularis morte sequuta, vel mutilatione.

Ita similiter consulens Clerici percussionem, quamuis in eo interuallo antequam fiat percussio, doleat, & confiteatur, si non reuocauit consilium percussionis, vel si dubitauit non sufficere reuocationem, si non monuerit eum, contra quem datum est, ligatur excommunicatione, sequuta percussione. quia sufficit quòd percussio fuerit voluntaria, & culpa lethalis in sua causa, in consilio scilicet dato, quod fuit causa moralis percussionis, & quòd tunc consulens percussionem fuerit contumax, & inobediens canoni capituli *mulieres, de sent. excomm.* vbi sub pœna excommunicationis latæ sententiæ cauetur ne dum percussio Clericorum, sed etiam consilium, & mandatum, ad percutiendum. Videatur in simili casu Lopez noster *part. 1. instruct. cap. 63. §. Secundùm Nauarrum* Nauarr. *summa cap. 27. num. 231. ad finem* Henriquez *lib. 14. c. 16. §. 2.* Sayr. *lib. 7. de censuris, cap. 2. n. 13.*

### IX. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur magis dicta in prima assertione.*

Ad rationem in contrarium quatenus pugnat cum nostra prima assertione, respondetur, quòd si iuris, aut sententiæ dispositio æquè principaliter procedat contra facientes opus prohibitum sub pœna censuræ, & contra mandantes, seu illud consulentes, tunc etiam non sequuto effectu mandans, & consulens incurrit censuram, sub cuius pœna mandatum illud, & consilium æquè principaliter, ac factum fuit, sub pœna censuræ prohibitum; & sic qui mandat occidere per assasinum, statim est excommunicatus, etiamsi non sequatur effectus, *cap. pro humani, de homicidio in 6.* quia principaliter actio ista mandati in illo canone prohibetur; ob eandem causam Religiosi, qui concionantur animo retrahendi auditores à solutione decimarum, sunt excommunicati, quamuis non sequatur effectus, *in Clem cap. cupientes, de pœnis.* Secus autem dicendum si iuris dispositio, vel sententia iudicis ferat excommunicationem principaliter contra aliquid facientes, & minus principaliter contra mandantes consilium, aut auxilium dantes ad illud faciendum, tunc ab vllo horum non contrahitur excommunicatio, nisi effectus sequatur, vt docet gloss. *in cap. in audientia nostra, de sententia excommunicationis, verb. Iniuriarum.* Tolet. *summa lib. 1. cap. 8. num. 8.*

## ARTICVLVS XV.

### An quando consulens dubitat, an per suum consilium influxerit in factum prohibitum sub censura, possit practicè deponere dubium, & reputari non incurrisse talem censuram?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur, quid sit dubium iuris, vel dubium facti.*
3. *Dubitatio deciditur.*
4. *An dubitans vtrùm suo consilio influxerit in effectum, possit stare dicto illius, cui consuluit.*
5. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, an in dubijs sequenda sit pars tutior ex præcepto, vel consilio.*

### I. *Pars negatiuæ probatur.*

NAm in dubiis semltam debemus eligere tutiorem, vt habetur *cap. ad audientiam, de homicidio vol.* vbi textus loquitur de eo, qui dubitat an commiserit homicidium, deciditque talem in foro conscientiæ habendum esse irregularem: ergo similiter dubitans an suo consilio in factum prohibitum sub pœna censuræ influxerit, reputari debet incurrisse talem censuram, & ita hanc sententiam tenuit Sayr. *in Claui regia lib. 1. cap. 13. num. 23.*

## DVBITATIO I.

### II. *Quid sit dubium iuris, vel dubium facti?*

Dico primò, aliud esse dubium iuris, aliud dubium facti. Dubium iuris contingit, quando quis ignorat legem prohibentem aliquid sub pœna censuræ, vel legem continentem irregularitatem: dubium verò facti tunc contingit, quando quis sciens legem latam prohibere aliquid sub pœna censuræ, vel continere irregularitatem, dubitat tamen an factum perpetrauerit prohibitum sub pœna censuræ, vel sub irregularitate. Hæc doctrina est communis inter DD.

Dico secundò, ad maiorem explicationem dubij fieri potest, vt consulens aliquem actum sub pœna censuræ prohibitum speculatiuè dubitet an suo consilio in talem actum sub pœna censuræ prohibitum influxerit, nec ne, & quòd tamen practicè deponat postea tale dubium: vt si post consilium datum, sufficienti diligentia præmissa, nec tunc inuenta veritate quòd suo consilio influxerit, vel quòd non influxerit, hic, & nunc practicè deponat dubium, & magis propendeat in partem negatiuam, tunc hic dicitur dubitasse de influxu in actum prohibitum speculatiuè, non autem practicè: videatur pro hac re Medina 1. 2. *quæst. 19. art. 6. dub. 4.* Sayr. *lib. 7. de censuris, cap. 9. num. 29.* Nauarr. *summa cap. 22. num. 55.* Sanchez *lib. 2. de matrimonio disp. 41. num. 53. & lib. 1. oper. mor. cap. 10. num. 9.*

### III. *Dubitatio deciditur.*

Dico tertiò, in dubio iuris nullus iudicandus est censuram incurrisse, qui dubitat vtrùm lata sit excommunicatio contra surripientes, vel dubitat, an consuluerit alteri actum prohibitum sub pœna censuræ, si adhibita sufficienti diligentia ad rei veritatem inuestigandam adhuc persistit in dubio: sed potest practicè deponere dubium, iudicando non esse latam excommunicationem contra furantes, nec consuluis-

se actum prohibitum sub pœna censuræ, & consequenter si furtum commisit, practicè diiudicare potest non esse excommunicatione ligatum, nec incurrisse censuram aliquam ob consilium datum, quia lex non obligat ante sufficientem eius promulgationem: at ius dubium non censetur sufficienter promulgatum, si post adhibitam sufficientem diligentiam ad rei veritatem inuestigandam adhuc ius manet dubium. ergo dubitans speculatiuè an contra surripientes, e.g. lata sit excommunicatio, si post adhibitam sufficientem diligentiam ad inuestigandam veritatem manet adhuc dubius, potest practicè dimittere dubium, etiamsi furatus sit, & reputare se non esse excommunicatum. quia lex dubia non ligat; & ita hæc assertio colligitur apertè ex doctrina D. Thom. *quodl. 4. art. 14.* Sayr. *lib. 7. de cens. cap. 9. num. 29.* Sanchez *lib. 1. oper. mor. cap. 10. num. 55.*

Dico quartò, in dubio etiam facti dubitans quis, an excommunicationem, vel aliquam censuram contraxerit, post adhibitam sufficientem diligentiam, si adhuc retinaet dubium, potest practicè deponere dubium, & reputare se non incurrisse censuram: quia nullus est textus decidens in dubio facti præsumi quempiam excommunicatum, vel incurrisse aliam censuram. ergo cùm quilibet fidelis possideat ius participandi cum reliquis fidelibus, non debet in dubio ea possessione priuari. Tum, quia licèt per *c. ad audientiam, de homicidio volunt.* qui habet dubium facti homicidij iudicandus est irregularis. Tamen est dubium iuris vtrùm in aliis factis habentibus pœnam censuræ annexam in dubio quis incurrat illam; sed in dubio iuris fauendum est subditis, & nullus censendus est incurrisse pœnam censuræ post adhibitam sufficientem diligentiam ad cognoscendam veritatem; ergo & ita hanc sententiam tenuit Suarez *tom. 5. de cens. disp. 40. sect. 6. n. 23.* Sanchez *lib. 1. oper. mor. c. 10. n. 55. & 62.* Bonacin. *tom. 1. tract. de cens. disp. 7. quæst. 1. puncto 5. num. 3. vers. alij verò.* licèt alij oppositum sentiant, videndi apud Sanchez *loco* nouissimè *cit. num. 52.*

## Dubitatio II.

IV. *An dubitans vtrùm suo consilio influxerit in effectum, possit stare dicto illius, cui consuluit?*

Dico quintò, dubitans an suo consilio influxerit in factum prohibitum sub pœna censuræ ex dicto ipsius, cui datum est consilium, poterit hoc cognoscere, modò sit fide dignus, vnde si asserat se motum non fuisse consilio ad substantiam actus, vel ad illius accelerationem, potest credere se non influxisse, & sic non ligari censura, si contra consulentes illum actum sit lata censura. Probatur, quia si homicida asserat se nec ad homicidij substantiam, nec ad eius accelerationem motum fuisse consilio sibi dato, si sit fide dignus, consulens tamquam non irregularis potest reputari. ergo similiter, &c. sic Sayr. *lib. 7 de cens. c. 3. n. 2.* Bonac. *tom. 1. tract. de cens. disp. 1. q. 1. puncto 6. n. 8. vers. Respondeo.* Syl. *verb. excomm. vlt. n. 5. §. quartum cùm.*

Dico sextò, consulens si dubitat an suo consilio in homicidium, vel in actum prohibitum sub pœna censuræ influxerit, poterit ex coniecturis id dignoscere, vt si homicida erat inimicus capitalis occisi, vel necē ei minatus fuerat, vel præparauerat omnia ad homicidiū necessaria, vel si probentur minæ deliberatæ, ac sæpiùs iteratæ, vel inimicitiæ, vt quia interfectus processit etiam iustè contra illum in causa criminali, vel testificando, vel instigando, vel accusando. Ex his coniecturis potest elici datum consilium nil operatū esse in homicidium, vel in factum prohibitum sub pœna censuræ: & sic dubitans practicè deponendo dubium arbitrio boni viri, censendus est non incurrisse irregularitatem, nec censuram, si contra consulentem lata est. Sic Sanchez *lib. 1. oper. mor. cap. 10. num. 44. ad finem,* referens alios.

V. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

## Dubitatio III.

*An in dubijs sequenda sit pars tutior ex præcepto, vel consilio?*

Ad rationem in contrarium quatenus militat contra quartam nostram assertionem, respondetur, quòd si loquamur de dubio practico, non esse solum consilium sequi tutiorem partem in omni materia cuiuscunque virtutis, sed etiam esse præceptum; vt docet benè Syl. *verb. dubium, quæst. 2. §. 4.* Sanchez *lib. 2. de matrimonio, disp. 41. num. 9.* Sit exemplum, dubitans practicè hic, & nunc, an teneatur ieiunare, tenetur, dum id dubium non deponitur. quia aliàs actus fieret cum conscientia practicè dubia, quæ ligat: at si deponitur dubium titulo libertatis, voluntatis, vel titulo possessionis in materia ad iustitiam pertinente; tunc non est præceptum, sed consilium sequi in dubiis in omni materia tutiorem partem. quia conditio possidentis est sufficiens ratio ad deponendum dubium speculatiuum; nisi aliter in iure sit expressum. Ita benè aduotauit Suarez *tom. 5 de censuris, disp. 40. sect. 6. num. 9.* Sanchez *lib. 1. oper. mor. cap. 10. num. 15.*

Dixi, *nisi aliter sit in iure expressum.* Nam qui habet dubium facti homicidij, si post adhibitam diligentiam non reperit veritatem, sed adhuc manet dubium, non potest practicè deponere illud, & se non irregularem reputare. quia in hoc casu est in iure expressum, *cap. ad audientiam, de homicidio volunt.* in dubiis sequi tutiorem partem non esse consilium, sed præceptum. In aliis verò factis præter homicidium sequi in dubiis tutiorem partem non est præceptum, sed consilium; & sic dubitans an influxerit suo consilio in actum prohibitum sub pœna censuræ, si contra illum consulentes est lata pœna censuræ post adhibitam sufficientem diligentiam, ad inquirendam veritatem ea non inuenta, ius quod possidet recipiendi Sacramenta, & participandi cum reliquis fidelibus, est ratio sufficiens deponendi practicè dubium, & diiudicare se non incurrisse censuram: secus autem est in dubio facti homicidij, quia in hoc est textus expressus *c. ad audientiam, de homicidio.* Videatur pro hac solutione in simili casu Syl. *verb. Ieiunium q. 10. n. 27. dicto 2. propè finem.* Sanchez *lib. 1. oper. mor. c. 10. n. 11.* Suarez *tom. 5. de cens. disp. 40. sect. 6. n. 8.* Bonacina *loc. cit. assertione* 4. Sayr. *lib. 7. de cens. cap. 9. num. 29.*

Hic tamen est obseruandum, quòd licèt assertione quinta, & sexta cum Sanchez, Sayr. & Bonacina *loc. ibi cit.* dixerimus, quòd consulens homicidium, vel actum prohibitum sub pœna censuræ, si dubitet an suo consilio influxerit in homicidium, vel in actum prohibitum sub pœna censuræ, si probabilius coniecturis talibus arbitrio prudentis diiudicatis collegerit suum consilium, nihil in homicidium esse operatum, nec in actum prohibitum sub pœna censuræ influxisse, tunc non esset censendus irregularis, nec incurrisse censuram, si talis contra consulentem illum actum esset lata. Tamen sola

conditio

conditio possidentis immunitatem ab irregularitate, si desint aliæ probabiles coniecturæ, non sufficit, vt consulens in dubio facti homicidij, & post adhibitam diligentiam sufficientem ad inuestigandam veritatem, practicè deponat dubium, sed censendus est irregularis: quia ius capituli *ad audientiam, de homicidio*, ita sanxit.

## *De forma, seu ritu seruando in ferenda censura.*

### ARTICVLVS XVI.

### An de essentia formæ censuræ tum iuris, tum hominis sit scriptura, vel verbum?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, & explicatur, an nutibus possit ferri sententia censura.*
3. *An censura debeat exprimi per signa exteriora, vel incurratur expressa per voluntatem internam indicis.*
4. *An ad censuram ferendam sint necessaria determinata verba.*
5. *An vt incurratur censura, debeat exprimi censura in particulari.*
6. *An sit valida forma censuræ, dum dicitur, Excommunico talem.*
7. *An debeant determinari censuræ verba quoad personam, & quoad tempus, vt ipso facto incurratur.*
8. *An sit valida sententia censura, cùm in illa dicitur, Excommunicetur qui, &c. & an sit lata, vel ferenda sententia.*
9. *Rationibus in contrarium à principio respondetur, & explicatur quinam nutus requirantur, vel signa, vt his modis lata censura sit valida.*
10. *An quis intelligatur excommunicatus dum summus Pontifex non vult cum illo communicare, vel absolutus, dum summus Pontifex cum illo communicat.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

QVia applicatio cēsuræ est applicatio pœnæ, ergo est applicatio odiosa; ergo oportet, quòd sit certa, & aperta, *cap. odia, de reg. iur. in 6.* Sed præter verba, & scripturam, omnia alia signa sunt ambigua, & incerta, ergo, &c. Tum, quia non censeretur aliquis excommunicatus ex hoc, quòd summus Pontifex non vult communicare cum illo. Innoc. *in cap. cùm olim el 1. num. 4. de priuileg.* sicut è contra non ex hoc, quòd Papa communicat cum excommunicato, censetur illum absoluere. *Clem. fin. cap. 4. de sententia excomm.* ergo requiruntur in censura, scriptura, vel verba, & ita hanc sententiam tenet Sayr. *lib. 1. de cens. cap. 11. num. 1.*

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

### DVBITATIO I.

*An nutibus possit ferri sententia censuræ?*

Dico primò, de essentia formæ censuræ tam iuris, quàm hominis non esse necessarium neque verbum, neque scriptum. quoniam in iure diuino *Matth. 16.* præscinditur à scriptura, & à verbis, dum dicitur, *Quodcumque ligaueritis super terram*; & iure etiam positiuo. quia quamuis in Concilio Tridentino *sess. 14. cap. 3.* de partibus pœnitentiæ sit decisum esse de essentia formæ absolutionis à peccatis, hæc verba, *Ego te absoluo*, &c. in nulla tamen parte iuris positiui est decisum in forma censuræ esse necessaria verba: tum, quia in forma Sacramenti matrimonij, in quo requiritur tum expressio, tum certitudo, non est necessarium neque verbum, neque scriptum, sed tantùm signum sensibile, certè, & expresse declarans mutuum consensum contrahentium. ergo similiter sufficiet ad ferendam censuram, si iudex nutibus alteri sufficienter exprimat voluntatem suam de ferenda sententia, quod fieri potest altero interrogante, an vellet aliquem censura ligare, & in qua specie, & ipso iudice annuente, & nutibus mandante ita scribi, & intimari. Sic Suarez *tom. 5. de censuris, disp. 3. sect. 2. num. 4.* Rastell. *de censuris in genere, quæst. 3. art. 1. num. 5. vers. pro explicatione.*

### DVBITATIO II.

III. *An censura debeat exprimi per signa exteriora, vel incurratur expressa per voluntatem internam iudicis?*

Dico secundò, ad incurrendam censuram necesse est vt censura lata sit à iudice per signa exteriora, & non per solam voluntatem internam ipsius iudicis volentis aliquem ligare censura; quia censura non incurritur nisi ob contumaciam contra præceptum Superioris præcipientis aliquid sub pœna censuræ; sed nullus potest dici contumax contra præceptum Superioris, nisi præceptum fuerit expressum per signa exteriora, quamdiu enim non exprimitur, ignoratur: ignorantia autem excusat à contumacia, ergo necesse est, vt censura liget, quòd per signa exteriora sit expressa. Videatur Syl. *verb. excomm. 1. n. 15.* Nauarr. *summa cap. 27. num. 12.*

### DVBITATIO III.

IV. *An ad censuram ferendam sint necessaria determinata verba?*

Dico tertiò, ad maiorem claritatem præcedentium pronunciatorum, ad censuram ferendam non requiruntur certa, & determinata verba, sed sufficiunt quæcunque verba, aut etiam scriptura, aut etiam nutus & signa, quibus intentio iudicis ferendi censuram sufficienter exprimatur. quia nullo iure cautum est censuram per certa verba ferendam esse; ergo sufficiunt quæcunque verba, aut etiam scriptura, aut nutus; vel signa sensibilia, exprimentia sensibiliter, & expresse intentionem iudicis ferendi censuram. Videatur Syl. nuperrimè *cit. num. 15.* Suarez *vbi suprà.* Bonacina *tom. 1. tract. de cens. disp. 1. quæst. 1. punct. 7. num. 1.*

### DVBITATIO IV.

V. *An ad incurrendam censuram, debeat exprimi censura in particulari?*

Dico quartò, censura ita ferri debet, & exprimi, vt verba, in quibus continetur, sint definita & determinata ad aliquam particularem censuram: vnde, qui ferret censuram hoc modo, Qui tulerit arma, vinculo censuræ sit obstrictus, nihil operatur, quia forma censuræ efficit, quod significat; quod enim est ligatum in terra, est ligatum in cœlo; sed non efficit effectum in genere, sed indiuiduum effectum constitutum in spetie infima, quia effectus

effectus censuræ in genere non est in indiuiduo labilis. ergo verba, quibus censura exprimitur, debent esse definita, & determinata ad particularem aliquam censuram. Rastell. *vbi suprà num.6.*

## Dvbitatio V.

VI. *An sit valida forma censuræ dum dicitur, Excommunico talem?*

Dico quintò, valida tamen est forma censuræ sine expressione excommunicationis maioris, vel minoris: vt si dicatur, Excõmunico talem. quia iuxta communem vsum, & peritorum intelligentiam accipitur ly *excommunico talem* pro excõmunicatione maiori, & est textus expressus *c. si quem, de sent. excomm.* & ratione probatur. quia excommunicatio est analogum ad excommunicationem maiorem, & minorem; sicut ens ad substantiam, & accidens; sed analogum intelligitur de primo analogato. ergo cùm profertur excommunicatio, intelligitur de maiori. Non sic autem est dicendum si quis dicat, Applico censuram; quia censura vniuocè prædicatur de tribus ipsius speciebus. Syl. *verb. excomm.* 1. *num.* 18. Sotus *in 4. dist. 22. quæst.* 1. *art.* 2. non longè ab initio, *versic. illum excommunico.* Sayr. *lib. 1. de cens. cap. 4. num.* 19.

## Dvbitatio VI.

VII. *An debeant determinari censuræ verba quoad personam, & quoad tempus, vt ipso facto incurratur?*

Dico sextò, verba, quibus exprimitur censura, debent esse determinata ad aliquam personam, eam nominando si cognoscatur vel describendo aliquo modo, vel illam designando per ordinem ad delictum, vt si dicatur, Clericus, qui gestauerit comam, incidat in suspensionem, in excommunicationem, in interdictum. quia sicut se habent formæ sacramentales ad effectum sacramentalem, ita formæ censuræ ad effectus censurales; sed formæ sacramentales sunt inualidæ nisi determinentur ad certam personam; vt, Ego te absoluo, & sic in cæteris; vtraque enim forma est operatiua, & operatio ad singularia terminatur, vt Arist. 1. *Metaphys.* ergo. Suarez *tom. 5. de censuris, disp. 3. sect. 2. num.* 16.

Dico septimò, forma censuræ debet essentialiter determinari quoad tempus præsens, quòd si determinaretur ad tempus futurum, esset inualida, & ita oportet, vt dicatur, Excommunico, non autem, Excommunicetur, suspendatur, arceatur, per verbum futuri optatiui; quia hæc verba futuri temporis non inferunt censuras ipso iure, sed præcipiunt iudicibus, vt eas imponant, vt notauit glossa *cap. quicunque, de hæreticis, in 6. verb. Immodetur.* Tum, quia tempus futurum suspendit effectum, ergo secundùm hic, & nunc non est applicata censura, & sic est inualida. Tum, quia sicut formæ sacramentales sunt inualidæ per tempus futurum, ita & censuræ formæ. Inualida est forma sacramentalis si dicatur, Ego rebaptizabo: quoniam pro tempore præsenti non producitur baptizatis effectus, cùm pro præsenti non significetur Baptismus, nec pro tempore futuro producitur baptizatis effectus, cùm in tempore futuro non adsint signa sensibilia, quæ debent esse simul cum effectu sacramentali. Syl. *verb. excomm.* 1. *num.* 55. Rastell. *vbi suprà num.* 11.

## Dvbitatio VII.

VIII. *An sit valida sententia censuræ, cùm in illa dicitur, Excommunicetur quis, &c. & an sit lata, vel ferenda sententia?*

Sed contrà. nam baptizatus traditus sub forma Græcorum, Baptizetur seruus Christi in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, est validus, licèt Latinus peccet sic baptizans, vt docet Nugno *in 3. part. q. 66. art. 5. difficult.* 1. & similiter esset sufficiens forma hæc in sacramento Pœnitentiæ, Absoluatur Petrus in nomine, &c. vt docet Suar. *tom. 5. de cens. disp. 3. sect. 2. n.* 18. *medio.* ergo valida erit censura lata sub his verbis, Excommunicetur Petrus, suspendatur, arceatur ab ingressu Ecclesiæ. Respondetur quòd verbũ hoc, *excommunicetur, suspendatur, arceatur*, est æquiuocũ cùm significare possit & tempus præsens imperatiui, & futurum optatiui. Si sumatur practicè, vt imperatiuum, ita vt sit sensus, excommunicetur, suspendatur, arceatur Petrus mea potestate, est valida censura. quia æquiualet huic formę, Excommunicatus sit, &c & hoc modo accipitur forma illa Græcorum in sacramento Baptismi, Baptizetur, &c. & similiter in sacramento Pœnitentiæ, Absoluatur Petrus. Tamen si verbum illud *excommunicetur* sumatur per modum futuri optatiui, & sit quasi præceptum datum alteri, vt illud exequatur, clarum est nihil per se efficere; & quia communi vsu omnium in hoc sensu proferri solet, ideò moraliter censura lata sub illa forma, Excommunicetur, suspendatur, arceatur, non est valida, nec ipso iure ligat, sed est ferendæ sententiæ. quia in pœnis benigna fieri debet interpretatio. *de reg. iur. c. in pœnis in 6.* Sed benignius est, vt intelligamus verbũ illud *excommunicetur, suspendatur*, exprimere ferendam censuræ sententiam, & non latam; cùm censuræ sint pœnæ. ergo, &c. Ita bene glossa *c. 2. de hæreticis 6. §. Immodetur*, quem adducit, & sequitur Suarez *loco nuperrimè adducto.*

IX. *Rationibus in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

## Dvbitatio VIII.

*Quínam nutus requirantur, vel signa, vt his modis lata censura sit valida?*

Nec officit contra primam & tertiam nostram assertionem primum fundamentum à principio positum. Respondetur enim quòd si nutus, signum externum, vel factum aliquod sit ambiguum, & incertum, non certè, & expresè exprimens voluntatem iudicis ferentis censuræ sententiam, non sufficit ad ferendam censuræ sententiam; si verò sit signum expressum, & certum, certè, & expresè exprimens voluntatem iudicis, sufficit quidem sicuti in Sacramento matrimonij, neque verbum, neque scriptum requiritur, ad exprimendum mutuum consensum contrahentium, sed signum sensibile est sufficiens expresè declarans mutuam contrahentium voluntatem.

## Dvbitatio IX.

X. *An quis intelligatur excommunicatus dum summus Pontifex non vult cum illo communicare, vel absolutus dum summus Pontifex cum illo communicat?*

Ad secundum fundamentum respondetur similiter, non censeri excommunicatum aliquem ex hoc quòd

quòd ſummus Pontifex non vult communicare cum illo, quia non communicare cum aliquo, non eſt ſignum expreſſum, & certum ferendi cenſuram. Poteſt enim Papa ex antipathia non communicare cum alio. Cæterùm ſi ſe id velle declarar ob vitationem alicuius, poteſt illum excommunicare, & tunc talis vitatio non eſſet ſignum ambiguum, & incertum ferendi cenſuram, ſed expreſſum, & certum, cùm ipſe ſummus Pontifex mentem ſuam declaret.

Idem dicendum de abſolutione ab excommunicatione: ob ſolam participationem cum excommunicato non cenſetur quòd Papa participando cum illo, eum abſoluat, vt expreſsè habetur *in Clem. fin. cap. 4. de ſent. excomm.* at ſi per ſolam participationem illum abſoluere velle declaret ob plenitudinis poteſtatem, ille erit abſolutus. Videatur pro hac ſolutione Sayr. *lib. 1. de cenſ. cap. 11. num. 2.* Raſtell. *de cenſ. in genere, q. 3. art. 1. num 5. propè finem, fol. mihi 55.*

## ARTICVLVS XVII.

### An cenſura lata ſub diſiunctione liget ſi iudex, v.g. ita ferat cenſuram: Qui noctu tulerit arma, ſit excommunicatus, vel ſuſpenſus; aut ita, Clericus, qui detulerit comam, ſit ſuſpenſus ab officio, vel beneficio?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Dubitatio deciditur.*
3. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur, an verba alternatiua in forma cenſuræ ſignificent aliquid determinatè.*

#### I. *Pars negatiua probatur.*

Quia verba alternatiua non ſignificant determinatè vtramque partem, neque vnam tantùm determinatè, cùm non ſit maior ratio cur vnam, quàm alteram partem ſignificent: ergo nihil efficiunt, cùm omnis effectus debeat eſſe determinatus, & ita hanc ſententiam tenet Nauarr. *ſumma c. 27. num. 161. verſ. 4.* Sayr. *lib. 4. de cenſ. cap. 7. num. 3.*

#### II. *Dubitatio deciditur.*

Dico primò, ſatis probabiliter dicitur, nullam incurri cenſuram, quando forma cenſuræ fertur ſub diſiunctione, quia verba, quæ non ſunt determinata ad aliquam particularem cenſuram, nihil operantur: non enim poſſunt operari effectum in genere. Tum, quia ſententia ſine certa quantitate prolata, non meretur nomen ſententiæ. *l. 3. C. de ſententia, quæ ſine certa quantitate profertur.* Tum, quia non eſt maior ratio, cur vna potiùs cenſura incurratur, quàm alia; aut cur verba de vno potius effectu, quàm de alio intelligantur. Sic Nauarr. & Sayr. *vbi ſuprà.* Syl. *verb. ſuſpenſio, q. 5. num. 5. §. Si iterum, propè finem.*

Dico ſecundò probabilius mihi videtur dicendum, quòd forma cenſuræ lata ſub dictione alternatiua inter duas cenſuræ ſpecies, vt ſi dicatur, Aut ſuſpendo, aut excommunico, eſt valida, quia aut iudex ſic applicans cenſuram declarauit ſe intellexiſſe alternatiuam pro copulatiua, & tunc reus incurrit vtramque cenſuram ſuſpenſionis, & excommunicationis. Aut declarauit ſe intellexiſſe alternatiuam diſtributiuè, & tunc electio erit rei, vel explicitè quam maluerit partem illius pœnæ eligendo, aut implicitè; contraueniendo enim vni ſpeciei implicitè eligit alteram. Quòd ſi iudex proferens formam cenſuræ ſub dictione alternatiua, nihil expreſſit, virtualiter tamen intendit, vt delinquens vnam earum cenſurarum incurrat, ita vt ſit liberum delinquenti ſeſe applicare ad vtram ipſe voluerit partem; ſicut patet in ſimili, quando Confeſſarius iniungit pœnitenti ſatisfactionem ſub diſiunctione hoc modo, Aut contine te vno die à vino, & carne, aut duos Iulios pauperi ſoluas, & ſic tunc liberum eſt pœnitenti eligere quam voluerit ſatisfactionem. Ita etiam liberum videtur delinquenti eligere quam voluerit cenſuram ſub forma diſiunctiua impoſitam. Sic Suarez *tom. 5. de cenſuris, diſp. 3. ſect. 5. num. 11.* Raſtell. *de cenſuris in genere, q. 3. art. 1. num. 9. fol. 57. mihi.*

Dico tertiò, quando forma cenſuræ eſt lata ſub dictione alternatiua, vel diſiunctiuè, ſi delinquens non vult vnam partem eligere, in hoc euentu ſubiacebit vtrique pœnæ. quia tunc hæc eſt intentio ferentis cenſuram ſub illa forma diſiunctiua, quæ ſatis exprimitur per illa verba ſub dictione alternatiua prolata, cùm alio modo nequeant efficaciam habere. Ita Bonacina *tom. 1. tract. de cenſ. diſp. 1. q. 1. puncto 7. num. 5.* Suarez nuperrimè citatus *n. 15. propè finem.*

#### III. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur*

## DVBITATIO VNIC.

### *An verba alternatiua in forma cenſuræ ſignificent aliquid determinatè?*

Ad rationem à principio poſitam reſpondetur probare noſtram primam aſſertionem. At quatenus militat contra ſecundam, & ſimiliter ad rationes adductas pro prima aſſertione quatenus pugnant contra ſecundum pronunciatum, reſponderi poteſt negando quòd verba alternatiua in forma cenſuræ non ſignificent aliquid determinatè. Nam vel ſumuntur diſtributiuè, & tunc adeſt maior ratio de vna cenſura incurrenda, quàm de altera, propter electionem vnius implicitam, vel explicitam, poſitam in voluntate delinquentis, vt explicuimus *in ſecunda aſſertione.* Si autem verba alternatiua formæ cenſuræ ſtent copulatiuè, vtraque cenſura incurrenda determinatur. Neque obſtat quòd ſi delinquens eligit vnam partem, ſequitur reum applicare illam cenſuram contra ſe ipſum, quod eſt abſurdum. Nullus enim poteſt contra ſe ipſum ferre cenſuram, cùm non ſit inferior, nec ſubditus ſibi ipſi. Nam ad hoc reſpondetur quòd tunc cenſura applicatur ab agente, non autem ab eligente. Saluo ſemper meliori iudicio.

## ARTICVLVS XVIII.

### An cenſura ferri debeat in ſcriptis, cum expreſſione cauſæ in eodem ſcripto, & traditione exemplaris cenſuræ parti petenti infra menſem?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *An iudex ferens ſententiam cenſuræ, non ſeruatis iis, quæ dicuntur in titulo dubitationis, peccet mortaliter, & ſit ſuſpenſus ab Eccleſiæ ingreſſu.*
3. *An Vicarius generalis Epiſcopi ex ignorantia iuris*

non

*non ferens censuram in scriptis, incurrat suspensionem, & an idem dici debeat de Episcopis, & de Prælatis Regularium.*

4. *In quibus censuris habeant locum supradictæ conditiones in titulo explicatæ.*

5. *An pœna suspensionis ab ingressu Ecclesiæ per mensem, &c. liget quoscunque iudices non ferentes censuram iuxta ordinem iuris.*

6. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, an sententia censuræ non lata in scriptis, sit valida, & iusta.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm valida est censura, etiamsi sine scripto proferatur; ergo non est de necessitate censuræ, vt fiat in scriptis, & quòd in scripto fiat expressio causæ; & quòd exemplar censuræ tradatur parti petenti infra mensem. Antecedens patet, ex *c. cùm medicinalis, de sent. excomm in 6.* vbi præcipitur iudici, ad quem recurritur, quando censuræ sententia non est lata in scriptis, vt statim talem sententiam relaxet. ergo fuit valida lata sine scripto, quandoquidem relaxatione indiget, vt benè Tabiena docet *verb. excommunicatio 2. vers. Tertiò quæritur.*

## Dvbitatio I.

II. *An iudex ferens sententiam censuræ, non seruatis ijs, quæ dicuntur in titulo dubitationis, peccet mortaliter, & sit suspensus ab Ecclesiæ ingressu?*

Dico primò, ferens censuram solo verbo, sine scriptura, aut sine expressione causæ, seu culpæ illius, contra quem applicatur, aut qui parti petenti non concedit exemplar censuræ latæ infra mensem, si petatur, peccat mortaliter. quia facit contra ius in materia graui sub pœna grauis censuræ. Incurrit enim contrà faciens ipso iure suspensionem ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis Officiis, vt habetur *in cap. cùm medicinalis, de sent. excomm.* Ita Bonacina *tom. 1. tract. de cens. disp. 1. quæst. 1. puncto 8. num. 1.*

Dico secundò, ab ista pœna suspensionis recensita, & à culpa lethali, eximuntur denunciantes solo verbo aliquem excommunicatum. quia *in d. c. cùm medicinalis*, non fit mentio denunciantis: eximuntur etiam ferentes censuram sine scriptura, quando hoc faciunt ob vrgentem, & iustam aliquam causam, vt quando instat periculum nisi censura feratur absque scriptura; quia tunc locum non habet dicta pœna, secundùm glossam *in d. cap. cùm medicinalis, verb. temerarius.* Syl. *verb. excomm. 1. num. 14. vers. limitari tamen.*

Dico tertiò, eximuntur etiam ab hac pœna suspensionis ferentes censuram bona fide, & ea quadam inaduertentia, & ignorantia, quæ tamen sit ignorantia iusta, & inuincibilis: quia *in cap. cit. cùm medicinalis*, sermo est de violatore huius legis temerario, qualis non est qui hoc faceret bona fide, & ignorantia iusta. Videatur Bonacina *vbi suprà num. 2.*

## Dvbitatio II.

III. *An Vicarius generalis Episcopi ex ignorantia iuris non ferens censuram in scriptis, incurrat suspensionem, & an idem dici debeat de Episcopis, & de Prælatis Regularium?*

Dico quartò, Vicarius tamen generalis alicuius Episcopi si proferret sententiam excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, contra aliquem solo verbo, & non in scriptis, si non adest rationabilis causa illam in scriptu non ferendi, sed sola ignorantia iuris, *d. cap. cùm medicinalis*, hoc faceret, non eximeretur à pœna suspensionis; quia hæc esset ignorantia crassa, qua quis ignorat, quod homines suæ conditionis communiter sciunt, sed ignorantia eius, quod quis ex officio scire debet, à peccato non excusat, vt docet Syl. *verb. ignorantia quæst. 3. num. 8.* Sayr. *lib. 1. de censuris, cap. 18. num. 12.* ergo cum hæc ignorantia non excuset à culpa, neque etiam excusabit à pœna, quæ est illi annexa. ergo, &c. & ita hanc sententiam tenet glossa *in cap. cùm medicinalis 6. verb. temerarius.* Sayr. *lib. 1. de cens. cap. 13. num. 16.* Tum, quia huius ignorantia non esset iusta, cùm sit eorum, quæ sui Ordinis homines communiter scire solent, & debent. Vide pro hac re Nauarr. *summa cap. 23. num. 47.*

Dico quintò, excipiuntur ab hac pœna suspensionis Episcopi, quia non habetur *in d. c. cùm medicinalis*, eorum particolaris mentio, quod tamen necesse est ad id, vt ipsi suspensionem incurrant, de quo est clarus textus *cap. quia periculosum, de sent. excomm. in 6.* & glossa docet id expresse *in cap. cùm medicinalis, de sent. excomm. in 6. verb Iudicium.* Sayr. *lib. 1. c. 13. n. 15.* Syl. *verb. excom. 1. num. 11. vers. Hæ tamen pœna.*

Dico sextò, Prælati regulares secundùm opinionem aliquorum Canonistarum & Theologorum non tenentur, ferendo censuras, seruare hunc ordinem iuris, *cap. cùm medicinalis, de sententia excomm. in 6.* maximè si statuta suorum Ordinum, vel communiter approbata consuetudo aliud haberet. quia secundùm Pan. *in c. cum speciali, & c. quia, de appellat.* & Syl. *verb. citatio, n. 7. quæst. 9.* ordo iuris in Regularibus non seruatur ad vnguem, & ita hanc sententiam tenet Syl. *verb. excomm. 1. num. 14.* Tolet. *summa lib. 1. cap. 9. num. 3. ad finem*, contra Bonacinam *tom. 1. tract. de censuris, disp. 1. quæst. 1. puncto 8. num. 2. vers. quintò eximuntur.* Nauarr. *cap. 27. num. 8. fine.*

## Dvbitatio III.

IV. *In quibus censuris habeant locum supradictæ conditiones in titulo explicatæ?*

Dico sextò, hæc omnia, quòd scilicet in scriptis proferatur censura, quòd sit in ea expressio causæ, & quòd tradatur exemplar censuræ parti petenti infra mensem, solùm habent locum in censuris, quæ feruntur ab homine pro culpis præteritis; secus autem; in censuris, quæ feruntur pro culpis futuris ab homine, siue quæ sunt canonis, siue iuris: quia hæ censuræ sunt semper iustæ, vel saltem præsumuntur iustæ. *can. erit autem lex, dist. 4.* Tum, quia sententia hominis lata pro futuris culpis æquiparatur statuto, vt bene docet Syl. *verb. excomm. 1. num. 10.* Sayr. *lib. 1. de cens. c. 6. n. 39.* Vnde infertur, quòd si iudex Ecclesiasticus per viam constitutionis aliquem excommunicaret sine scripto, sequendo opinionem, quòd valet constitutio non scripta, agens contra talem constitutionem incurreret sententiam excommunicationis, & ipse proferens non incurreret pœnam suspensionis, *cap. sacro, de sententia excomm. & cap. cùm medicinalis, eod. tit.* quia decretales istæ loquuntur de censura lata pro culpis præteritis ab homine, non autem per viam iuris. Videatur Syl. *excomm. 1. n. 13.* Sayr. *lib. 1 de cens. cap. 8. n. 17.* Suarez *tom. 5. de cens. disp. 3. sect. 13. num. 1.*

Dico septimò, censura lata ab homine pro culpis præteritis, debet ferri in scripto, quia debet esse determinata quoad speciem, quoad tempus, & quoad personam: hæc autem magis per scripturam cognoscuntur. Debet in ea, culpa illius, contra quem

applicatur,

applicatur, exprimi; quia censura applicatur, vt peccator resipiscat. ergo est explicanda culpa, à qua debet resipiscere. Debet tradi exemplar censuræ parti petenti infra mensem, quia is, contra quem est applicata censura, si est innocens, est defendendus; si nocens à culpa, debet resipiscere; sed faciliùs fieri possunt tradito censuræ exemplo. ergo. Videatur Rastell. *tract. de censuris in genere, quæst. 3. art. 6. num. 1.*

## DVBITATIO IV.

### V. *An pœna suspensionis ab ingressu Ecclesiæ per mensem, &c. liget quoscumque iudices non ferentes censuram iuxta ordinem iuris?*

Dico octauò, pœna hæc suspensionis ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis Officiis per mensem locum habet, à quocunque iudice ordinario, aut delegato, censura feratur, vt colligitur ex *cap. sacro, de sent. excomm. in verbo, ne quis.* Quod quidem habet etiam locum, siue censura sit excommunicatio, siue suspensio, siue interdictum, vt patet euidenter ex *cap. cum medicinalis, eod. tit. 6. vers. & hac eadem.* Item pœnam hanc incurrunt omittentes aliquod horum trium, etsi non omnia tria. Sayr. *lib. 1. de censur. cap. 13. n. 14. & 15.* Item hæc pœna tenet, & ligat, siue censura feratur ab homine speciatim in personam certam, siue generaliter in personam incertam, vt si à iudice excommunicarentur omnes, qui tale furtum commiserunt. Tabien. *excomm. 4. q. 2. num. 1.* Sayr. nouissimè cit. *num. 7.*

Iudex igitur Ecclesiasticus, seu eius delegatus ferens censuram quamcunque contra tenorem *cap. cum medicinalis, de sententia excomm. in 6.* incurrit per mensem suspensionem ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis Officiis, quam si per mensem à die sententiæ seruauit, liber, & immunis remanet à tali suspensione sine alia absolutione, vt docet gloss. *in d. cap. cum medicinalis, in verbo per mensem.* Tabiena *vbi supra.*

### VI. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

## DVBITATIO V.

### *An sententia censuræ non lata in scriptis sit valida, & iusta?*

Nec officit ratio in contrarium. Nam fatemur censuram latam à iudice Ecclesiastico sine scriptura, & sine expressione causæ non esse irritam, & inualidam, quia omissio scripturæ, seu causæ, non censetur omissio formæ substantialis, sed tantùm accidentalis, & sic esset valida sententia licèt iniusta, si absque rationabili causa, sine scriptura, & sine expressione culpæ ferretur: & sic argumentum non obstat nostris assertionibus. Videatur Syl. *verb. excomm. 1. n. 12.* Tabien. *loc. cit. in arg. sed contra.* Suarez *tom. 5. de censur. c. 13. n. 8.*

---

## ARTICVLVS XIX.

## An ante censuram ferendam præcedere debeat canonica admonitio?

### SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, & explicatur, quid & quotuplex sit admonitio.*
3. *Dubitatio resoluitur quoad censuras latas ipso facto pro futuris culpis à iure, vel ab homine in generali, vel in particulari.*
4. *An ex sola transgressione simplicis præcepti Ecclesiastici absque comminatione censuræ censeatur homo contumax, ita vt contra illum possit ferri censura absque canonica admonitione.*
5. *Dubitatio deciditur, quoad censuras latas ab homine pro culpis præteritis, vel præsentibus.*
6. *An necesse sit quòd illa admonitio fiat in scriptis, & an debeat esse trina, & inter vnam, & aliam, tempus mediare.*
7. *Rationibus in contrarium à principio respondetur.*
8. *Explicatur an in censura materiali requiratur admonitio antecedens.*

### I. *Pars negatiua probatur.*

NAm D. Paulus 1. *Corinth. 5.* excommunicauit publicum fornicatorem sine admonitione, & habetur etiam *cap. cùm sit Romana. §. præterea, de appellat.* Et similiter sine admonitione canonica fuit suspensus quidam Archipresbyter, vt patet *cap. tam litteris, de testibus, & attestat.* Similiter ciues innocentes ciuitatis interdictæ non possunt canonicè admoneri, cùm non habeant culpam, à qua debeant resipiscere, & tamen supponuntur interdicto in sua ciuitate interdicta. *cap. si sententia, de sententia excomm. in 6.*

### II. *Veritas aperitur, & explicatur*

## DVBITATIO I.

### *Quid & quotuplex sit admonitio?*

Dico primò, duplicem esse admonitionem: altera est non canonica, & est præceptum iuris, tum hominis generaliter prohibens futura sub pœna censuræ; vel est præceptum hominis præcipientis aliquid in specie, seu in particulari tali personæ, vt hoc, vel illud faciat, aut vitet sub tali censura ipso facto incurrenda. Alia verò est admonitio canonica, quæ est actio regulata, per quam Superioris auctoritate admonetur reus sub pœna censuræ ter formaliter, vel virtualiter, testibus præsentibus, vt à culpa in monitione explicata resipiscat, & hæc admonitio propriè canonica & competens appellatur: vt benè docet Soarez *tom. 5. de cens. disp. 3. sect. 12. n. 3.* Vide Rastell. *de cens. in genere, quæst. 3. art. 4. num. 1.*

### III. *Dubitatio resoluitur, quoad censuras latas ipso facto pro futuris culpis à iure, vel ab homine in generali, vel in particulari.*

Dico secundò, ad incurrendam censuram latam ipso facto pro futuris culpis, à iure non requiritur admonitio canonica, sed sufficit monitio non canonica, scilicet præceptum iuris prohibens futura sub pœna censuræ. Probatur, quia lex ipsa sufficienter admonet non semel, aut iterum, sed quasi continuè. ergo tunc omnino cessat ratio, vel necessitas alterius admonitionis canonicæ. Syl. *verb. excomm. 1. n. 13.* Sayr. *lib. 1. de censuris, cap. 12. num. 6.*

Dico tertiò, idem dicendum de censuris latis ab homine per sententias generales pro peccatis futuris, etiamsi tales sententiæ omninò non attingant statum, & perpetuitatem legum, & ideo *ab homine* vocentur: nam huiusmodi sententiæ sunt simillimæ censuris à iure latis, & dum permanent per sese admonent subditos non tantùm semel, aut iterum, sed continuè. ergo in tali modo ferendi censuras non requiritur admonitio canonica; sed non

canonica sufficit. Videatur Syl. nuperrimè adducta *num.12.& 13.*

Dico quartò, idem ferè asserendum mihi videtur de censuris latis ab homine pro futuris culpis, etiamsi in specie, seu in particulari ferantur per præceptum tali personæ impositum, vt hoc, vel illud faciat, aut vitet, sub tali censura incurrenda, quia tunc re vera illam incurret si fuerit contumax absque alia canonica admonitione præuia; satis enim admonet ipsum præceptum impositum sub pœna censuræ ipso facto incurrendæ. Vide Suarez *tom.5. de cens.disp.3.sect.8.num.5.*

## DVBITATIO II.

**IV.** ***An ex sola transgressione simplicis præcepti Ecclesiastici absque comminatione censuræ, censeatur homo contumax, ita vt contra illum possit ferri censura absque canonica admonitione?***

Dico quintò, ex sola tamen transgressione simplicis præcepti Ecclesiastici absque comminatione censuræ, non censetur homo sufficienter contumax, vt absolutè statim censura feratur, ideo admonitiones siue canonicæ, siue non canonicæ, præcedentes censuram latam à iure, vel ab homine pro futuris culpis, seu præteritis, fieri debent sub expressa comminatione, & nota censuræ. quia aliàs pro transgressione cuiuscunque legis Ecclesiasticæ, vel simplicis præcepti iudicis Ecclesiastici posset quis statim excommunicari, vel interdici: quod non est in vsu Ecclesiæ, nec iure ordinario fieri potest. Ita optimè Sotus *in 4.dist.22.q.1.art.2.concl.3.fol.1065.col.2.mihi.* Suarez *tom.5.de censuris,disp.3.sect.12. num.7.*

**V.** ***Dubitatio deciditur quoad censuras latas ab homine pro culpis præteritis, vel præsentibus?***

Dico sextò, in censuris verò latis ab homine pro culpis præteritis, vel præsentibus, requiritur admonitio canonica; quæ est actio regulata, per quam Superioris auctoritate admonetur reus sub comminatione censuræ incurrendæ ter formaliter, vel virtualiter testibus præsentibus, vt à culpa in monitione explicata resipiscat. Ita colligitur apertè *ex cap. cum medicinalis, de sententia excommunic. 6. & cap. sacro, eodem titulo, & cap. constitutionem, eodem tit. in 6.* Syl. *verb. excommunic.1. numero 12. versiculo videtur autem mihi.* Tol. *summa lib.1. cap. 9.num.1.*

## DVBITATIO III.

**VI.** ***An necesse sit quòd ista admonitio fiat in scriptis, & an debeat esse trina, & inter vnam, & aliam tempus mediare?***

Dico septimò, non est necessarium quòd admonitio fiat in scriptis. Syl. *loc. nouissimè cit. n.12. vers. non est tamen*; quando præmittitur vna tantùm admonitio absque necessitate vrgente, etsi valida sit censura, quia tunc nullo iure cauetur esse validam, Sayr. *lib.1. de cens. cap.12.num.26.* Peccat et tamen iudex illam ferens sine triplici admonitione lethaliter, quia faceret contra prohibitionem iuris in re graui. Sotus *in 4.dist.22.quæst.1.art.2.concl.3.vers. ex quo colligitur.*

Dico octauò, aliquod temporis spatium pro singulis monitionibus est constituendum. *cap. constitutionem, de sententia excom. in 6.* & saltem duo dies sunt constituendi pro singulis monitionibus, siue separatim, siue simul illæ fiant: separatim, vt si index moneat reum primò sic: Admonemus te sub pœna talis censuræ, vt intra duos dies satisfacias offenso, ad iudicium accedas, aut resipiscas. quo termino elapso iterum alio spatio totidem dierum manebit, quo præterito, si reus in contumacia perseuerat, tertio eodem modo manebit; quòd si tunc reus non satisfaciat, aut resipiscat, nulla alia præmissa monitione, excommunicari, suspendi, vel interdici potest, iuxta comminationem censuræ, quam iudex expressit in monitione.

Aliqua tamen necessitate cogente vna monitio pro tribus fieri potest, assignato vno tantùm termino, qui valeat pro prima, secunda, & tertia monitione, cum interuallo saltem duorum dierum, vt dicendo: Sic admonemus te N. sub pœna talis censuræ, vt intra sex dies, quorum duos pro prima, duos pro altera, reliquos pro tertia monitione damus, vt Petro satisfacias, ad iudicium accedas, aut resipiscas. Videatur glossa *in c. constitutionem, de sententia excomm.6.* Nauar. *sum. c.27. n.11.* Sayr. *lib.1.de cens. cap.12.n.34.& 35.*

**VII.** ***Rationibus in contrarium à principio respondetur.***

Ad primum fundamentum adductum à principio ex epistola D. Pauli 1. *Cor.5.* respondetur negando D. Paulum excommunicasse sine admonitione fornicarium illum; quia licèt in illa epistola non admonuerit, admonuerat tamen in alia epistola citata in illis verbis, *scripsi vobis ne commisceamini fornicarys.* vbi D. Thom. intelligit D. Paulum mentionem facere alterius epistolæ prioris, quæ tamen non extat, in qua scripserat huiusmodi peccatores esse separandos, & excommunicandos. D.Thom. sequitur Suarez *tom.5. de cens. disp.3. sect. 11.n.9.* Sayr. *lib.1. de censuris cap.9.num.25.*

## DVBITATIO IV.

**VIII.** ***An in censura materiali requiratur admonitio antecedens?***

Ad secundum fundamentum respondetur, quòd quamuis Archipresbyter ille fit suspensus sine admonitione; illa tamen suspensio erat censura materialis, vt quædam pœna, quia erat vindicatiua falsitatis, quam ille Archipresbyter Romano Pontifici Innocentio III. exposuerat: secus autem dicendum est in suspensione, quæ est censura formalis, quæ est pœna medicinalis, & hæc requirit præuiam monitionem. quia censura formalis, seu censura vt censura est, ex primario fine suo fuit instituta ad comprimendam contumaciam, & extorquendam ab homine obedientiam Ecclesiæ debitam, & mediante illa resipiscentiam à peccato commisso, seu satisfactionem, aut aliquid simile, & sic censura vt censura, formaliter loquendo, non potest imponi pro peccato præterito in puram vindictam, & pœnam eius. At materialiter sub ratione pœnæ vindicatiuæ fatemur posse imponi aliquam censuram, puta suspensionem absque præcedenti monitione in vindictam commissi criminis. Videatur Rastell. *de cens. in genere, quæst.3.art.4.num.6.fol.71.mihi.* Tol. *summa lib.1.cap.44. num.3.* Suarez *tom.5. de censuris disp.4. sect.5.num.27.& 28.*

Ad tertium fundamentum respondetur, quòd cùm interdictum propter vnius culpam toti vniuersitati possit imponi, iuxta *cap. si sententia, de sententia excommunic. in 6.* Ideo admonitio non omnibus, sed illi, ob cuius culpam censura fertur, facienda est, vt patet ex *cap. statutum, de sententia excommunic. in 6.*

Vide

Vide Suarez *tom. 5. in 3. part. de censuris, disp. 3. sect. 8. num. 3.*

## ARTICVLVS XX.

### An trina illa monitio sit de essentia censuræ latæ ab homine pro culpa præterita, ita vt illo iuris ordine prætermisso, sententia sit nulla?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Dubitatio deciditur; & insuper explicatur, an omissa omni monitione, censura sit valida.*
3. *Rationibus in contrarium à principio respondetur, & explicatur, an sit nulla sententia à iudice lata contra participantes cum excommunicatis, si illam tulerit absque monitione.*

### I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm *in cap. statuimus, de sententia excommunicat. in 6.* cauetur, ne participantes cum excommunicatis ab aliquo iudice innodentur excommunicatione maiori ab eodem iudice antequam canonica monitio præcedat, quòd si aliter fiat, excommunicatio non teneat: ergo. Tum, quia trina hæc monitio videtur esse de iure diuino expressa in ordine illo correptionis fraternæ, *Matth.* 18. vbi peccantem fratrem admonetur Petrus corripere priuatim, & si tunc non audierit, iubetur secundò adhibere duos testes, quos si non audierit, iubetur denunciari Ecclesiæ; cùm sit ergo de iure diuino, seruandus erit talis ordo in ferendis censuris, & si non seruatur, nulla erit sententia lata.

### II. *Veritas aperitur, & insuper explicatur*

#### DVBITATIO I.

##### *An omissa omni monitione censura sit valida?*

Dico primò, licèt iudex, siue sit ordinarius, siue delegatus, malè faceret, & grauiter peccaret, ferendo censuræ sententiam in casibus non permissis, non præmissa trina, vel vna pro trina, cum interuallis, canonica monitione; vt probatum est *dub. præcedenti, assertione* 7. Sententia tamen sic lata esset valida. Probatur euidenter ex *cap. sacro, de sententia excomm.* vbi dicitur, quòd si prætermittatur canonica monitio, quamuis sententia sit iusta, iustitia scilicet distributiua, & commutatiua, punitur tamen iudex qui illam tulit, quia facit contra iustitiam legalem contra ordinem iuris. Si ergo sententia sic lata prætermissa monitione canonica est iusta, igitur est valida, quia sententia iusta est sententia, propositio enim de tertio adiacente, supponit illam de secundo; sed si sententia est inualida, non est sententia. *l. 4. §. condemnatum, ff. de re iud.* quia inualiditas est adiacens distrahens rationem formalem sententiæ, sicut mors distrahit rationem formalem hominis: & ita hanc sententiam docet Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 2. concl. 3. §. Quòd si sciscitaris, fol. 1065. mihi.* Sayr. *lib. 1. de censur. cap. 12. num. 16.*

Dico secundò, pro peccato præterito etsi ferri non debeat censura nisi præcedente canonica monitione, vt dubio præcedenti probatum est, tamen sine vlla monitione lata, neque trina, neque vna pro trina, neque bina, neque vnica de plenitudine potestatis Ecclesiæ tenet & ligat: vnde si iudex aliquis ordinarius, vel delegatus excommunicaret sibi subditum sine vlla monitione præmissa, eo quòd, e.g. non soluit id, quòd verè debebat, & terminus soluendi lapsus erat, excommunicatio teneret, & esset valida: quia vis censuræ non ab admonitione, aut ordine iuridico, sed à Clauibus Ecclesiæ, & iurisdictione ferentis dependet. ergo, &c. Hæc assertio non est eadem cum præcedenti; nam in illa loquuti sumus de trina, vel de vna pro trina monitione; in præsenti verò loquimur exclusa omni monitione, etiam vnica, & dicimus censuram sic latam esse validam, & ligare; cum Caiet. 2. 2. *quæst. 69. art. 1.* Syl. *verb. excommunicat. 1. notabil. 2. num. 12.* Tabiena *excommunic. 1. num. 1.* Nauarr. *tom. 2. consil. lib. 5. de sententia excomm. consil. 4. num. 1.* Suarez *tom. 5. de censuris, disp. 3. sect. 8. num. 7. fine.*

### III. *Rationibus in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

#### DVBITATIO II.

##### *An sit nulla sententia à iudice lata contra participantes cum excommunicatis, si illam tulerit absque monitione?*

Ad primum fundamentum fatemur, quòd si iudex excommunicet participantes cum excommunicato à se, si omittat canonicam monitionem, sententiam esse nullam. quia hoc est expressum in iure, *d. cap. statuimus, de sententia excommunicat. in 6.* & docet *ibi* glossa *verb. monitionem canonicam.* Dixi, *cum excommunicato à se*, quia secus in excommunicatione lata contra participantes cum excommunicatis ab alio, vt aduertit Nauarr. *summa cap. 27. num. 4.* & hoc, quia iudices sunt magis accensi ad excommunicandos eos, qui cum excommunicatis à se participant, quàm eos, qui participant cum excommunicatis ab alio, cùm in hoc casu contemnatur auctoritas aliorum; in primo verò auctoritas propria. Videatur Sayr. *lib. 1. de cens. cap. 12. num. 29.* In aliis verò casibus, qui non sunt in iure expressi, iudex ferens censuram sine præuia monitione, etsi iniustè agat, validè tamen operatur.

Ad secundum fundamentum desumptum ex 18. *cap. D. Matth.* respondetur, quòd licèt ordo ille Euangelicus sit in præcepto in correptione fraterna, & secundùm iura, *cap. cum medicinalis, de sententia excomm. in 6. & cap. sacro, eod. tit.* sit seruandus etiam in censuris ab homine ferendis, tamen non eo ipso, quod prætermittitur, irritatur & est inualida censura lata, sed tantùm iniusta, vt patet legenti *cap. sacro, de sententia excommunicat.* Videatur pro hac solutione Magister Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 2. concl. 3. §. Quòd si sciscitaris. vers. Vnde ad ordinem Euangelicum*, licèt hic auctor *concl. 4. sequenti, loc. nuperrimè cit.* apertè tenuerit, quòd pro nullo peccato præterito, quantumuis grauissimo, & enormissimo, cuius nulla monitio præcessit sub excommunicationis nota, possit excommunicatio ferri, imò, inquit ipse, adeò de essentia est monitionem aliquam præcedere, vt absque illa excommunicatio non teneat. hæc ille formaliter, quem sequitur Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 32. n. 13. vers. Tertiò quia.* Sed explicandus est doctissimus Sotus, ait Nauarr. *tom. 2. consil. lib. 5. de sententia excommun. consil. 4. n. 3.* in illis quatuor casibus, de quibus gloss. *in cap. reprehensibilis, de appellationibus.* Sed vt hoc explicetur, est

## ARTICVLVS XXI.

## An dentur aliqui casus, in quibus censuræ sententia ab homine lata, sit nulla, & inualida?

### SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *An censura lata sine cognitione causæ sint nullæ, & an declaratoria excommunicationis ipso iure incursæ facta, parte non citata, sit nulla.*
3. *An censura lata à iudicibus interdictis, vel excommunicatis, sint valida.*
4. *An censuræ lata à Delegato non ostendente suam facultatem, sint validæ.*
5. *An valeat censura lata post appellationem.*
6. *An saltem appellatio suspendat declarationem censuræ, post illam incursam.*
7. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & quomodo intelligatur dictum illud,* Excommunicatio semper timenda est, *explicatur, & an debeat quæri absolutio, quando de illa dubitatur, an liget.*

I. *Pars negatiua probatur.*

EX illo communi elogio, & vulgato D. Gregorij *homil. 26. in Euang.* & refertur 11. *q.* 3. *cap.* 1. Sententia Pastoris siue iusta, siue iniusta fuerit, timenda est, ergo semper valida, & ligans.

### DVBITATIO I.

II. *An censura lata sine cognitione causæ sint nullæ, & an declaratoria excommunicationis ipso iure incursæ facta, parte non citata, sit nulla?*

Dico primò, censuræ latæ à iudicibus per præcepta de re aliqua facienda, vel danda sine causæ cognitione sunt ipso iure nullæ, nisi temperentur per clausulam iustificatiuam, Si te senseris grauatum, compareas, dando terminum ad allegandas iustas causas, si quas habueris, per quam præceptum, vel condemnatio resoluitur in vim simplicis citationis, vel monitionis; quia sicut condemnatio & præceptum sic latum sine causæ cognitione est nullum, ita etiam excommunicatio tanquam ei accessoria est nulla. Vide Sayr. *lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 18.

Dico secundò, declaratoria excommunicationis ipso iure incursæ facta, parte non citata, est nulla: declaratio igitur excommunicationis incursæ sine citatione, & auditione illius, qui est declarandus talis, est ipso iure nulla, & nullum impedimentum facit, quo minus facta per indicem ligatum censuris valeant. Vide gloss. *in Clem. de censibus, cap. præsenti, in verbo constiterit,* Nauar. *tom.* 2. *consil. lib.* 5. *de sententia excomm. consil.* 56. *num.* 5.

### DVBITATIO II.

III. *An censura lata à iudicibus interdictis, vel excommunicatis, sint validæ?*

Dico tertiò, censuræ latæ à iudicibus excommunicatis, suspensis, vel interdictis non toleratis sunt inualidæ: dicuntur autem tales non tolerati, quia vel sunt notorij Clericorum percussores, aut denunciati, quia hi omnem iurisdictionis vsum amittunt. *can. audiuimus* 24. *quæst.* 1. Tabiena *Excommunic.* 1. *num.* 11. latæ verò censuræ ab excommunicato, suspenso, vel interdicto, tolerato tamen, valent. Ratio est, quia dum aliquis sustinet & exercet in Republica, vel aliqua communitate munus publicum, licèt habeat defectum toleratum, vel occultum, acta tamen illius, ex eiusdem Reipublicæ, & communitatis interpretatione, & concessione valida sunt, vt apud legis peritos ex *l. Barbarius, ff. de officio Prætoris*, probatur: quam legem Gratianus *can. infamis, §. veruntamen* 3. *quæst.* 7. ad res Ecclesiasticas accommodat; quia Ecclesia non minori prouidentia vtilitati fidelium prospicit, quàm Respublica ciuilis vtilitati suorum membrorum. Vide Sayr. *lib.* 2. *de censuris, cap.* 6. *num.* 1. Nauar. *vbi suprà num.* 4.

Dico quartò, censuræ verò latæ ab excommunicato suspenso, vel interdicto nominatim, ac proinde iure publico, de facto verò occulto, quia ab aliis, vel omnibus, vel saltem pluribus, ac publicè ignoratur, sunt validæ: siue hoc accidat in diuerso loco, vt si in vno denunciatus sit, in alio verò pro non excommunicato publicè habeatur, vel etiam in eodem loco pro diuerso tempore, vt si iam denunciatio memoria excidit, vel iam publicè creditur absolutus. Nam, iuxta antiquum ius, excommunicatus publicus in vno loco, si in alio esset occultus, & ibi publico officio fungeretur, validas actiones efficeret, iuxta communem Canonistarum sententiam, quam refert, & sequitur Panormitanus *in cap. ad nostram el* 3. *de iureiurando num.* 6. ergo post ius nouum valebunt actus iurisdictionis effecti ab excommunicato nominatim, ac proinde de iure publico, de facto tamen occulto. Probatur consequentia, nam ius antiquum in hac re per nouum non est restrictum, sed potiùs ampliatum. Idem dicendum est de factis per iudicem percussorem Clericorum notorium in vno loco, & occultum in alio. Quia in Extrauagante *Ad euitanda*, æquiparantur nominatim excommunicatus, & manifestus percussor Clerici. ergo si acta per iudicem de iure publico excommunicatum, de facto verò occultum, sunt valida, similiter valebunt per iudicem percussorem Clerici notorium in vno loco, occultum verò in alio. Videatur Suarez *tom.* 5. *de censuris disp.* 15. *sect.* 3. *num.* 16. Ad maiorem præcedentis assertionis claritatem,

Dico quintò, iudex denunciatus nominatim excommunicatus, seu Clerici percussor notorius in vno loco, si alibi existat, vbi denunciatus non est, neque ibi delictum percussionis fuit perpetratum, si tamen per publicam famam censura, & denunciatio, & percussio Clerici in vno loco notoria, ad alia loca peruenit factitata à tali iudice denunciato, vel Clerici notorio percussore, vbi per publicam famam ipsius denunciatio, vel percussio Clerici notoria peruenit, inualida sunt. quia sicut excommunicatus alicubi, & percussor Clerici alicubi vbique excommunicatus est, & vbique percussor Clerici dici potest; ita denunciatus, & percussor notorius Clerici alicubi per se ex vi denunciationis, & notoriæ Clerici percussionis vbique denunciatus est, & percussor Clerici notorius dici potest, si per publicam famam eius denunciatio & percussio Clerici notoria ab eo perpetrata peruenerit. ergo factitata à tali iudice, vbi per publicam famam ipsius denunciatio, vel pecussio Clerici notoria peruenit, inualida sunt. Quia vbicunque scitur iudicem esse nominatim excommunicatum, vel publicum Clerici percussorem; suspenditur eius iurisdictio, & sic non potest validè sui officij munera exercere. Vide Suarez *vbi suprà num.* 17.

Dvat

DVBITATIO III.

IV. *An censura lata à Delegato non ostendente suam facultatem sint valida?*

Dico sextò, censuræ latæ à Delegato, qui copiam suæ delegationis, siue suæ commissionis petenti non dedit, nec ostendit, secundùm Innocentium *in cap. Venerabilis, num. 5. de censibus*, sunt nullæ. quod probari posset ex *cap. cùm in iure peritus, de officio, & potestate iudicis delegati*: vbi dicitur, nisi de mandatis Sedis Apostolicæ certus extiteris, exequi non cogeris, quod mandatur. Æqua, inquit Nauarrus *tom. 1. consil. lib. 5. de sententia excomm. consil. 5.* videtur hæc Innocentij determinatio, quæ potius auctoritate eius, & vsu, quàm iure defendi potest. Hæc Nauarr. videatur. In hanc sententiam Innocentij videtur inclinare Syl. *verb. delegatus, num. 5.* vbi optimam rationem affert. nam Delegatus non potest ferre censuras, maximè excommunicationem, nisi contra rebelles, & contumaces; sed qui petit fidem de mandato, non est contumax, neque rebellis, quia facit quod sibi permittitur. *cap. cùm in iure peritus, de officio & potestate iudicis delegati.* ergo, &c.

DVBITATIO IV.

V. *An valeat censura lata post appellationem?*

Dico septimò, censura lata post legitimam appellationem nulla est. *cap. ad præsentiam nostram, de appellationibus*; quia per appellationem suspensa est iudicis iurisdictio. *cap. si à iudice, de appellat. in 6.* Appellatio verò est à minore iudice ad maiorem, vel superiorem prouocatio. Syl. *verb. appellatio, num. 1.* Secus autem esset quando appellatio fieret post sententiam censuræ ipso iure, & absolutè latam: quia tunc non suspenderet censuram, nec tolleret ipsius effectum. Tabien. *excomm. 2. num. 15.* Sayr. *lib. 1. de censuris, cap. 16. num. 18.*

Dico octauò, appellatio ex causa probabili interposita annullat censuras omnes post eam latas, etsi postea declaretur causam appellandi non fuisse iustam. *cap. per tuas, de sententia excommunicat.* Nauarr. *tom. 1. consil. lib. 1. de officio iudicis delegati, consil. 9. num 5.* Appellatio igitur si fuerit interposita post sententiam latam sub conditione, ante conditionis existentiam, quamuis deinceps adueniat conditio, excommunicatio nulla est: si verò sententia excommunicationis purè, & simpliciter sit lata, trahit secum executionem, nec suspenditur per sequentem appellationem. *cap. pastoralis, de appell.* Armill. *verb. appell. n. 4.* Sayr. *vbi suprà num. 35.*

DVBITATIO V.

VI. *An saltem appellatio suspendat declarationem censuræ post illam incursam?*

Dico nonò, licèt à sententia excommunicationis purè & simpliciter lata, non possit appellari ad effectum suspendendi eam, *cap. is cui, de sent. excomm. 6.* à declaratione tamen, qua quis declaratur eam incurrisse, potest appellari etiam ad effectum suspendendi eam, ita quòd appellatione pendente nihil ei obsit. Nauarr. *tom. 2. consil. lib. 5. de sententia excommunicat. consil. 9. num. 5.* Vnde appellatione pendente talis excommunicatus non deberet vitari. Nauarr. *loco cit. consil. 6. num. 2.* propter concessionem *Extrauag. ad euitanda scandala*; ipse tamen vitare alios teneretur. quia aliàs contemnere videtur excommunicationem, & vsurpare communionem fidelium sibi interdictam. Sayr. *lib. 2. de cens. c. 11. num. 34.* Dixi *fidelium*, quia excommunicatus communione infidelium non priuatur: vt optimè aduertit D. Thom. *in addit. ad 3. partem quæst. 23. art. 2. ad primum argumentum.*

Immò lite pendente super declaratione excommunicationis, si talis excommunicatus esset iudex; eius iurisdictio non suspenderetur, & sic declaratio lite pendente nullum impedimentum faceret, quo minus facticata per iudicem ligatum censuris, valeant. Vide Nauarr. *in consimili casu, tom. 2. consiliorum lib. 5. de sententia excomm. consil. 56. num. 5. fine.* Ratio huius est; quia huiusmodi excommunicatus lite pendente super declaratione excommunicationis censetur adhuc toleratus, sed gesta per excommunicatum toleratum valida sunt. ergo. sic Bonacina *tom. 1. tract. de censuris, disp. 1. quæst. 2. puncto 2. num. 7.* Alij casus, in quibus censura lata nulla est, videantur apud gloss. *cap. præsenti, de sententia excomm. 6. verb. ad cautelam.* Nauarr. *summ. c. 27. num. 4.*

VII. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

DVBITATIO VI.

*Quomodo intelligatur dictum illud*; Excommunicatio semper timenda est; *& an debeat quæri absolutio, quando de illa dubitatur, an liget?*

Ad fundamentum à principio positum, quod pugnare videtur contra primum, & secundum pronunciatum, respondetur quòd dictum illud D. Gregorij intelligitur, quando dubium est, an sententia lata censuræ sit valida, vel inualida, tunc validam esse, & ligare tenendum est. quia in dubiis præsumendum est pro sententia iudicis, vt benè docet Sotus *in 4. dist. 22 q. 1. art. 3. concl. 2. vers. Secundo modo*; quem sequitur Sayr. *lib. 1. de censuris, cap. 17. num. 14. & 15.* Vel dicamus sententiam Pastoris, siue iusta, vel iniusta fuerit, esse timendam; dum adhuc non constat de nullitate sententiæ ad euitandum scandalum, & ne videamur Ecclesiæ censuras contemnere, & sic sententiam iudicis in publico seruare debemus, licèt in foro animæ certò sciremus esse nullam. Videatur Syl. *verb. correctio §. 9. & verb. excomm. 2. notabili primo, casu 8.* Sayr. *loco cit. num. 16.*

Immò tunc in foro exteriori petenda est absolutio à censuris quando de nullitate sententiæ publicè non constat, vt videre est *in c. per tuas, de sententia excomm.* vt docet Sayr. *vbi suprà num. 20.* Cæterùm si in vtroque foro constaret de nullitate & iniustitia sententiæ; tunc non esset timenda, nec absolutio ad cautelam est necessaria, vt annotauit Henriquez *lib. 13. de excomm. cap. 15. §. Quarto.* Sayr. *lib. 1. de censuris, cap. 16. num. 44. ad finem.*

ARTICVLVS XXII.

An censura sit valida, quando causa propter quam fertur, non est iusta?

SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Explicatur quot modis possit esse iniusta censura.*

3. *Veritas aperitur, explicando, an censura lata ex odio sit valida.*
4. *An censura lata non seruato ordine iuris, sit valida & iusta.*
5. *An censura lata sine causa sit valida.*
6. *Rationi in contrarium a principio respondetur.*

### I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm D.Th. *in addit. 3. part. q. 21. art. 4. ad primum,* ait, Quamuis homo gratiam Dei iniustè amittere non possit, potest tamen illa amittere, quæ ex parte nostra sunt, quæ ad gratiam Dei disponunt, sicut patet si subtrahatur alicui verbum doctrinæ quod ei debetur, & hoc modo excommunicatio gratiam Dei subtrahere dicitur. hæc D. Thom. ergo excommunicatio secundùm Doctorem Angelicum iniustè lata est valida, & ligat.

## DVBITATIO I.

### II. *Quot modis possit esse iniusta censura?*

Dico primò, tribus modis censuram posse esse iniustam, ex animo, ex ordine, & ex causa; vt colligitur ex D.Thom. *loc. cit. in corpore.* Ex animo est iniusta, quando etsi ex causa iusta, & rationabili à iudice feratur, tamen ex fomite indignationis, odij, vel inuidiæ promulgatur; ex ordine verò dicitur iniusta, quando etiamsi causa iusta illam ferendi existat, & proferens ad illam charitate moueatur, non tamen præcessit monitio competens, seu canonica, vt statuitur *in cap. sacro, de sententia excom. & cap. cùm medicinalis, eodem tit. 6.* Ex parte causæ censura dicitur iniusta, quando causam, ob quam fertur, aut nulla est, aut non æqua, & legitima, sed solùm præsumpta, vt cùm innocens verè iudicatur nocens secundùm allegata, & probata, & censura aliqua innodatur. Videatur Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 3. in principio.*

### III. *Veritas aperitur, & explicatur*

## DVBITATIO II.

### *An censura lata ex odio sit valida?*

Dico secundò, quando censura lata est iniusta, quia indignatione, odio, vel inuidia promulgatur, nullo tamen alio vitio polluitur, valida est, & suum sortitur effectum: quamuis iudex proferens illam quoad Deum iniquus sit, & peccatum committat, quia mentis illa corruptio iniqui iudicis non tollit, quin sententia seruet æqualitatem iustitiæ, quæ inter homines est necessaria. Ita benè Sotus *vbi suprà, conclusione prima.*

## DVBITATIO III.

### IV. *An censura lata, non seruato ordine iuris, sit valida, & iusta?*

Dico tertiò, quando censuræ sententia est iniusta ex defectu ordinis iuris, ex eo scilicet, quòd non præcedat trina monitio, aut vna pro tribus, aut nulla, aut non proferatur in scriptis, & sine traditione exemplaris censuræ parti petenti infra mensem, vt habetur *cap. cùm medicinalis, de sententia excommun. 6.* valida est; quia vis censuræ non ab admonitione, aut ordine iuridico, sed à clauibus Ecclesiæ & iurisdictione ferentis dependet. Vide Caiet. *2. 2. quæst. 69. art. 1. §. ad 2. dicitur,* Nauarr. *tom. 2. consil. lib. 5. de sententia excommunicat. consil. 4. num. 1.* Sayr. *lib. 1. de censuris, cap. 17. num. 6. & eodem lib. 1. cap. 7. num. 15.* vno tamen casu excepto, quando scil. quis excommunicat participantes cum excommunicatis à se, non præmissa canonica monitione, talis enim excommunicatio non solùm est iniusta, sed etiam nulla, & irrita, vt habetur *cap. statuimus, de sententia excom. 6.*

## DVBITATIO IV.

### V. *An censura lata sine causa sit valida?*

Dico quartò, inualida tamen est censura materialiter iniusta, quando scil. causa, propter quam fertur, non subsistit. quia nemo ligatur censura maiori, nisi propter peccatum mortale; sed quando censura est materialiter iniusta, non adest peccatum mortale, cùm censura feratur ob causam, quæ non subsistit, & ob peccatum quod verè non fuit commissum; quamuis in indicio probetur commissum, ergo, &c. Sic habet Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 3. concl. 2.* Bonacina *tom. 1. tract. de censuris disp. 1. quæst. 1. puncto 10. num. 4.*

Dico quintò, consequenter iniustè materialiter ex parte causæ excommunicatus, suspensus, vel interdictus, dummodo certus sit de sua innocentia, etiamsi secundùm allegata, & probata nocens sit repertus: quamuis ex contemptu publicè celebrando, aut communicando cum aliis in Diuinis mortaliter peccaret ob contemptum & scandalum; neque tamen in conscientia, & animæ iudicio esset censura ligatus. quia Ecclesia non censetur velle aliquem iniustè tanta censurarum læsione afficere, nec ob iniustam causam à participatione Ecclesiastica illum excludere, quem Deus non excludit. Neque talis in foro animæ irregularitatem incurreret, quoniam verè censuras non violaret, irregularitas autem in casu nostro non ratione scandali, aut contemptus, sed ratione violationis censuræ incurreretur. At cùm hic non sit verè censura ligatus, non esset in foro animæ irregularis celebrando, etiamsi cum scandalo, & contemptu. Ita optimè Caietanus *2. 2. quæst. 70. art. 4. §. in responsione ad secundum,* Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 3. concl. 4.* hos sequitur Suarez *tom. 5. de censuris disp. 4. sect. 7. num. 20.* Sayr. *lib. 1. de censuris, cap. 17. num. 17.*

### VI. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

Ad rationem in contrarium desumptam ex auctoritate D. Thomæ quatenus militare videtur contra quattam nostram assertionem, respondetur censuram excommunicationis à iudice latam materialiter, & ex parte causæ iniustam non tollere gratiam gratum facientem, aut generalia Ecclesiæ suffragia, sed solùm dum adhuc non constat de eius nullitate, tollit aliquam dispositionem illius, puta communionem cum fidelibus per participationem Sacramentorum, & Officiorum diuinorum in foro exteriori: nam cùm inualiditas censuræ non constet, pro excommunicato in foro exteriori talis habetur, & ideo ratione obedientiæ, & ad scandalum vitandum parere debet sententiæ excommunicationis iniustæ, licèt in foro animæ cum causa, propter quam censura fertur, non subsistat, verè iste non esset illa ligatus, nec celebrans fieret irregularis, cùm verè censuram non violaret. hæc solutio colligitur ex verbis D. Thomæ, si attentè legantur, vt subtiliter tradit Sotus *in relect. de tegendo, membr. 3. quæst. 1. concl. 4.* Sayr. *lib. 1. de censuris, cap. 17. num. 15. propè finem.* Videatur etiam Syl. *verb. correctio, §. 9. & verb. excommunic. 2. notabili 1. casu 8.*

## Articvlvs XXIII.

## An ille, contra quem lata est censura, debeat se gerere tanquam censurâ ligatum, quando causa, seu materia, propter quam lata est censura, est dubia, vel sub opinione, an sit censura digna, nec ne?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur, an dubitans, vtrùm iudex censuram tulerit, vel habuerit intentionem ligandi, debeat se gerere tanquam censurâ ligatum.*
3. *An patre, vel viro obtinente sub pœna excommunicationis edictum ad reuelandum furtum, in ipso includantur filij & vxor nisi apponatur in edicto aliqua particularis clausula.*
4. *An quando verba censuræ sunt dubia, vtrùm contineant excommunicationem latam, vel ferendam, dubitans debeat reputari excommunicatus.*
5. *An dubius de absolutione debeat reputari excommunicatus.*
6. *An dubius de adimpletione conditionis in censura contenta sit excommunicatus reputandus.*
7. *An dubitans, vtrùm appellatio præcesserit excommunicationem latam sub conditione, tanquam excommunicatus sit habendus.*
8. *An dubius de potestate ferentis censuram, debeat reputari, vt censura ligatus.*
9. *Titulo dubitationis respondetur.*
10. *Si duobus litigantibus fundum, & suis Aduocatis dicentibus quemlibet illorum habere ius, iudex præcipiat vni, vt alteri fundum cedat, sub pœna excommunicationis, an iste non cedens ligetur censura.*
11. *An quando probabilius creditur in casu superioris assertionis quòd causa excommunicationis sit iniusta; illi contra quos est lata, ligentur censura.*
12. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, quomodo quis possit secundùm suam opinionem probabilem operari.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm, iuxta commune Theologorum dogma; vnusquisque operari potest iuxta probabilem suam opinionem, relicta aliorum sententia probabiliori, quia nec temeritatis, neque imprudentiæ notam incurrit quis sequendo opinionem probabilem, vt benè docet Magister Medina 1.2.*q.*19.*art.*6. *dub. antepen.* Bannes 2.2.*quæst.* 10. *art.* 1. *dub.* 3. in obiectione contra quartam concl. hos sequuntur Sayr. *lib.* 1. *Clauis, cap.* 9. *n.* 13. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *p. disp.* 32. *sect.* 5. ergo similiter, quando materia, seu causa est dubia & sub opinione digna sit censura, nec ne; non temere, neque imprudenter facit ille, contra quem lata est censura, si se gerat tanquam non censura ligatum, sequendo opinionem probabilem, quòd materia non sit æqua, & legitima pro ferenda censura, & gerendo se tanquam non censura ligatum.

### Dvbitatio I.

II. *An dubitans, vtrùm iudex censuram tulerit, vel habuerit intentionem ligandi, debeat se gerere tanquam censura ligatum?*

Dico primò, quoties dubitatur an iudex sententiam censuræ in aliquem protulerit, non teneri hunc, quando præmissa diligentia, adhuc manet dubius, se gerere tanquam censura ligatum: quia hoc est dubium iuris, sed non obligat ius in dubio, si post adhibitam diligentiam adhuc manet dubium: ergo, &c. Ita præclarè D. Thom. *quodl.* 4. *art.* 14. Sanchez *lib.* 1. *oper. mor. cap.* 10. *num.* 56.

Dico secundò, quando dubium est, an iudex, qui excommunicationem tulit, vel pars, ad cuius instantiam est lata, habuerit intentionem ligandi, an solùm ad terrorem illam promulgauerit, tunc is, in quem fertur excommunicatio, tanquam censura ligatum se gerere debet, quia in dubio præsumitur lata, vt verba sonant: nemo enim dicere præsumitur, quæ in corde nō habet. *l. Labeo* 7. *vers. idem Tubero. ff. de supellect. legat.* Tum, quia, vt disertè ait Sotus *lib.* 8. *de iust. q.* 1. *art.* 7. *fol.* 559. *mihi, ad finem*, quæcumque actio exterior deliberata secum natura sua affert agendi intentionem, & ideo nisi per formalem negationem mentis excludatur, semper intelligitur vnà concurrere cum actione. ergo in dubio ea intentio præsumitur, & pro ea est possessio. ergo similiter dicendum in casu nostro. Videatur etiam pro hac ratione Sanchez *lib.* 3. *de matrimonio, disp.* 15. *num.* 9. & *lib.* 1. *de matrimonio, disp.* 9. *num.* 13.

### Dvbitatio II.

III. *An patre, vel viro obtinente sub pœna excommunicationis edictum, ad reuelandum furtum, in ipso includantur filij, & vxores, nisi apponatur in edicto aliqua particularis clausula?*

Dico tertiò, si tamen pater, vel maritus obtineat à Superiori edictum, quo sub pœna excommunicationis præcipiatur, vt qui furta commiserit, teneatur illa manifestare, non comprehenduntur filij, & vxores, nisi in edicto habeatur expressè, vt teneantur omnes, quantumuis coniuncti: quia non est credendum, quando solùm vtuntur in edictis clausula generali contra furantes in genere, quod Superior, pater, & vir intentionem habeant tam grauiter, & acriter propter huiusmodi furta filios, & vxores excommunicationis censura ferire: quia cùm hos intendant etiam censura ligare, soleant in consimilibus edictis apponere clausulam specialem exprimentem personas quantumuis coniunctas. Ita benè aduertit Sotus *lib.* 5. *de iustitia, quæst.* 3. *art.* 1. *vers. Tamen si.* Addit tamen Sayr. *lib.* 9. *Clauis, cap.* 16. *num.* 19. In dubiis securiùs, & salubriùs esse absolutionem petere.

### Dvbitatio III.

IV. *An quando verba censuræ sunt dubia, vtrùm contineant excommunicationem latam, vel ferendam, dubitans debeat reputari excommunicatus?*

Dico quartò, quando verba, quibus iudex aut ipsum ius excommunicationem, seu aliam censuram tulit, sunt in iure dubia, an excommunicationem latam, an potiùs ferendam contineant, in hoc dubio non debet quis reputari excommunicatus: quia tunc reuera est dubium iuris, sed in dubio iuris nemo tenendus est censuram incurrisse: ergo, &c. Vide Sanchez *lib.* 1. *oper. mor. cap.* 10. *num.* 56. *propè finem.*

## DVBITATIO IV.

V. *An dubius de absolutione debeat reputari excommunicatus?*

Dico quintò, si dubium sit de absolutione censuræ qui fuit censura ligatus, dubitans de eius absolutione, tanquam illa ligatus est reputandus. quia tuoc possessio est pro censura, quæ certa fuit: tum, quia absolutio est quid facti. ergo non præsumitur nisi constet, cùm possessio stet pro censura. Videatur Couarr. *in cap. Alma mater p. 1. §. 1. num. 6.*

## DVBITATIO V.

VI. *An dubius de adimpletione conditionis in censura contentæ sit excommunicatus reputandus?*

Dico sextò, quando dubium est de censura, eo quòd conditionalis fuerit, dubitatúrque de conditionis impletione, tunc dicendum censeo, hunc non reputandum censura ligatum: quia cùm censuræ valor pendeat ex conditionis impletione, & impletio conditionis in hoc casu non sit quid facti, sed potiùs quid iuris, nulla est pro censura possessio, donec constet conditionem esse impletam; ergo prævalet possessio illius, de quo dubitatur, an sit censura ligatus. Vide Couarr. *assertione præcedenti* relatum. Sanchez *vbi supra, num. 58.*

## DVBITATIO VI.

VII. *An dubitans vtrùm appellatio præcesserit excommunicationem latam sub conditione, sit habendus tamquam excommunicatus?*

Dico septimò, quando dubitatur de valore censuræ eo quòd dubitatur an appellatio ab ea interposita præcesserit, an sequuta sit, tunc in vtroque foro præsumitur censura lata ante appellationem, ac proinde valida: quia tunc possessio est pro censura, cùm constet eam latam: excusatio autem sit dubia, nempe illi præmissam esse appellationem, quæ illam redderet nullam. Ita gloss. *in cap. Venerabilis, de sent. excom. in 6. verb. postquam.* Sayr. *lib. 1. de cens. c. 16. n. 30.*

## DVBITATIO VII.

VIII. *An dubius de potestate ferentis censuram, debeat reputari vt censura ligatus?*

Dico octauò, si dubium sit de valore censuræ, eo quòd dubitatur de potestate iudicis ferentis censuram, tunc si iudex ille sit in possessione ferendi censuras, validæ sunt censendæ censuræ; quia possessio est pro potestate iudicis ferentis censuras. Secus autem si dubitatur de potestate, nec iudex est in ipsius possessione, quia cùm de illius potestate non constet, est dubium iuris. ergo non sunt validæ reputandæ censuræ, consistente hoc iuris dubio. Ita benè Sanchez nuper relatus *num. 60.*

IX. *Titulo dubitationis respondetur.*

Dico nonò, directè respondens quæsito: quando certum est censuras à iudice competenti latas esse, ac dubitatur an sit iusta, ac sufficiens censuras ferendi causa, & sunt opiniones hinc inde: tunc tales censuræ sunt validæ, & ligant, & manens sic dubius, tanquam censura ligatum se gerere debet. quia cùm non sit subditi, sed iudicis hoc examinare, & subditi sit obedire, dum illi non constat iniustitia, est in hoc dubio tota pro iudice, ac eius sententia possessio. Sic benè Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 3. concl. 2. vers. Secundo modo.* Sayr. *lib. 1. de cens. cap. 17. n. 14.* Bonacina *tom. 1. tract. de cens. disp. 1. q. 1. puncto 10. n. 11.*

## DVBITATIO VIII.

X. *Si duobus litigantibus fundum, & suis Aduocatis dicentibus quemlibet illorum habere ius, iudex præcipiat vni, vt alteri fundum cedat sub pœna excommunicationis, an iste non cedens ligetur censura?*

Dico decimò, consequenter, si duo litibus contendant circa aliquem fundum, Aduocatis peritis ex vtraque parte asserentibus fundum spectare ad suum clientem, ille ligatur censura, contra quem iudex fert sententiam sub pœna talis censuræ ipso facto incurrendæ, si fundum non cedat alteri, in cuius fauorem tulit sententiam, quia in dubio standum est iudicio Superioris, illique parendum. Similiter dicendum, si debitor iussus à iudice sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, vt debitum soluat, vel si non soluit, compareat, licèt ægrè, & difficulter soluere, aut comparere possit, in dubio se pro excommunicato habere debet: quia in dubiis possessio est pro sententia iudicis. Ita colligitur ex Soto nuperrimè relato, Bonacina *vbi supra.* Sayr. *lib. 1. de censuris, lib. 1. cap. 17. n. 15.* Quòd si talis esset Clericus, & consecraret, fieret irregularis, & orationibus, & suffragiis Ecclesiæ priuaretur. Ita addunt DD. citati; & Syl. *verb. excomm.* 10. *num. 1. ad finem.*

## DVBITATIO IX.

XI. *An quando probabilius creditur in casu superioris assertionis, quòd causa excommunicationis sit iniusta, illi, contra quos est lata, ligentur censura?*

Dico vndecimò, si verò probabilior est sententia, & opinio affirmantium causam, propter quam lata est censura, esse iniustam, tunc valdè probabiliter sustineri potest, subditos, contra quos lata est, non esse ligari quoad Deum; quia tunc posset se excusare in foro animæ ab obseruatione talis censuræ, sequendo illam sententiam, si manifestè sit probabilior. Ita aduertit Suarez *tom. 5. in 3. part. de censuris, disp. 4. sect. 6. n. 6. fine.* Bonacina *vbi supra.*

XII. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

## DVBITATIO X.

*Quomodo quis possit secundùm suam opinionem probabilem operari?*

Ad rationem in contrarium respondetur vnumquemque posse licitè operari iuxta suam opinionem probabilem, quando practicè est probabilis, & non in sola speculatione: in præsenti autem licèt speculatiuè possit esse vtrinque controuersia probabilis, an causa propter quam fertur censura, iusta sit, nec ne? practicè tamen non est ita: quia ius, & potestas Superioris præeminet, semperque præferri debet. Vnde practicè standum est pro sententia Superioris ferentis censuram, quando causa ferendi sententiam dubia est, vel sub opinione, an sit iusta; vel breuiter sic respondetur,

detur, in pari causa possumus tutè sequi sententiam, & opinionem probabilem; secus autem quando est imparitas. In casu nostro est imparitas, quia possessio est pro sententia iudicis. Videatur pro hac solutione Suarez *ubi supra.*

## ARTICVLVS XXIV.

### An error intolerabilis in sententia censuræ faciat censuram nullam?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur quid sit censuram continere errorem intolerabilem, & quot modis hoc possit accidere.*
3. *Dubitatio resoluitur.*
4. *An quando error intolerabilis in censura non exprimitur, licèt illum contineat, sit valida in foro exteriori; & an indigeat absolutione, dum censuræ nullitas per appellationem constat.*
5. *An quando error intolerabilis in censura non exprimitur, sed aliunde constat de censura iniustitia, talis censura sit nulla, & absolutionem petere sit necesse.*
6. *An reuocatio priuilegij, facultatis, & iurisdictionis sit valida si fiat à iudice sine causa legitima.*
7. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm Gregorius IX. *cap. Odoardus Clericus, de solution.* mandat, quòd excommunicatus aliquis propter hoc, quòd debebat aliquid creditori, esto constet, quòd nec in totum, nec in parte poterat soluere, absoluatur; sed euidens est talem censuram continere errorem intolerabilem, cùm notoriè impotens ad soluendum non possit iustè excommunicari, vt bene docet Syl. *verb. excomm.1.num.22.§.Duodecimum est.* ergo censura à iudice lata extante errore intolerabili ligat: nam Pontifex mandat si excommunicetur impotens ad soluendum, quòd absoluatur. ergo priùs fuit censura ligatus.

## DVBITATIO I.

II. *Quid sit censuram continere errorem intolerabilem, & quot modis hoc possit accidere?*

Dico primò, sententiam censuræ continere errorem intolerabilem, tunc est, quando iudex eam fert non habens, neque indicans se habere rationem, & iustam causam ad censuram ferendam: vt si dicat se excommunicare Caium, eo quòd aliquid rectè fecerit, vel eo quòd non fecerit aliquod illicitum, vel impossibile, vel eum excommunicare sua voluntate. Vide Syl. nuperrimè relatum. Sayr. *lib.1.de censuris, cap.16.n.32. cap. Venerabilibus, de sent.excomm.6.§.potest.*

Dico secundò, duobus modis potest iudex proferre censuræ sententiam errorem intolerabilem continentem; primò modo explicando in ipsa sententia causam, vel prorsus iniquam, vt si iudex excommunicet aliquem, quia pro tali hæretico non celebrauit, vel quia credit in Deum, vel quia pœnitentiam agit, vel exprimendo causam in sententia non legitimam, vel insufficientem, vt si excommunicet aliquem quia non audit concionem omnibus diebus festis. Alio modo contingit iudicem proferentem sententiam non exprimere in illa positiuè hunc errorem, sed quasi præcisiuè se habere proferendo sententiam, & nullam declarando causam, licèt aliunde constet de iniustitia causæ, propter quam fertur ab eo sententia. Vt si Titius iudex excommunicet Caium, quia spoliauit Sempronium, non exprimendo in sententia causam, notoriè tamen aliunde constet, quòd Caius non commisit tale crimen, sed alius. Vide D. Antoninum *3.part.summæ tit.24.cap.73.§.Primo, vers.Quintus casus.* Paludanus *in 4.dist.18.quæst.1.art.4.concl.3.* Sayr. *lib.1.de censuris, cap.16.num.31.& 34.*

III. *Dubitatio resoluitur.*

Dico tertiò, quando in sententia censuræ expressus est error intolerabilis, tunc censura est nulla iam in interiori foro, vt per se patet, quàm in foro exteriori; quia ius ipsum ita disponit, vt patet *cap. solet, de sententia excomm. in 6.* Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 1. art.2. concl.4. vers. iam verò diximus.* Suarez *tom.5. de censuris, disp.4. sect.7. num.32.* & quando censura est ita nulla in vtroque foro, non est necessarium petere absolutionem ad cautelam. Ita Henriquez *lib.13. de excomm. cap.15.§.Quarto.* Sayr. *lib.1.de cens. cap.16. num.44. fine.*

## DVBITATIO II.

IV. *An quando error intolerabilis in censura non exprimitur, licèt illum contineat, sit valida in foro exteriori? & An indigeat absolutione dum censuræ nullitas per appellationem constat?*

Dico quartò, si error intolerabilis in sententia iudicis non contineatur, neque de eo aliunde notoriè constet, tunc sententia quoad Ecclesiam in foro exteriori tenet; vt si Prælatus dicat, Excommunico te, quia furtum fecisti, cùm tamen furtum non commiseris. quia nisi error in sententia sit expressus, vel aliunde notoriè constet, non reddit sententiam nullam saltem quoad Ecclesiam & in foro exteriori, quamuis quoad Deum, non sit iste censura ligatus. Tum quia, etsi talis causa assignata in sententia sit in re falsa, est tamen possibilis, & pro sententia iudicis, cùm oppositum notoriè non constet, præsumitur. Ita D. Antoninus *loco ubi supra.*

Dico quintò, quando error intolerabilis non est expressus in sententia, neque aliunde constat de iniustitia, iniustè censura ligatus licèt sit verè innocens, ad euitandum scandalum publicè se pro censura innodato gerere debet. Vnde tenetur petere ab Ecclesia absolutionem in foro exteriori, quando de nullitate sententiæ publicè non constat. quia licèt is coram Deo per sententiam iniustam censura ligatus non sit; Ecclesia tamen cùm de nullitate non constet, innodatum esse præsumit. Videatur *cap. per tuas, de sent.excomm.* Sayr. *lib.1.de cens.c.17.n.10.*

Dico sextò, quando error intolerabilis in sententia non est expressus, nec aliunde à principio notoriè constat de sententię nullitate, si appelletur à tali sententia, & coram iudice superiori defectus nullitatis postea sufficienter probetur, is, in quẽ lata est talis sententia, non indigebit absolutione. quia à principio sententia censuræ coram Deo fuit nulla, & postea auctoritate superioris iudicis notoriè coram hominibus declaratur nulla; ergo non indiget is absolutione, non enim absoluitur quis nisi coram Deo sit ligatus, vel in facie Ecclesiæ præsumatur talis. Ita apertè colligitur ex *cap. cui est, 11.q.3.* & docet Suarez *tom.5. de censuris, disp.4. sect.7. num.35.*

DVBI

DVBITATIO III.

V. *An quando error intolerabilis in censura non exprimitur, sed aliunde constat de censura iniustitia, talis censura sit nulla, & absolutionem petere sit necesse?*

Dico septimò, si error intolerabilis non est io sententia manifestus, aliunde tamen constat de sententiæ iniustitia: vt si quis excommunicetur pro re minima, aut pro re, quæ est virtus, aut pro culpa, quam manifestum est, & notoriè constat non habere, vt si excommunicet pro debito, quod omnibus est euidens persoluisse, tunc sententia nulla. quia præsumptio, quòd iudex exercuerit diligenter officium suum, cedit notorietati: arg. *can. veritate manifesta, dist.* 8. quod docet apertè Sotus *in 4. dist. 22. q. 1. art. 3. vers. Neque verò secunda. §. Tertiò ex parte.* Neque tunc absolutiooem petere sit necesse; quia in hoc casu non esset scandalum, nec contemptus Ecclesiæ, cùm notoriè constaret de nullitate censuræ, vt colligitur ex Sayr. *lib. 1. de cens. cap. 17. n. 44. fine.*

DVBITATIO IV.

VI. *An reuocatio priuilegij facultatis, & iurisdictionis, sit valida si fiat à iudice sine causa legitima?*

Dico octauò, quamuis censura lata à iudice solùm ex libera sua voluntate, absque legitima, & rationabili causa, sit iniusta, & nulla, tamen reuocatio priuilegij, facultatis, vel iurisdictionis, quæ suo modo *suspensio* potest appellari, valida est ex sola voluntate concedentis, etiamsi ipse ex solo odio, vel ex alia iniqua causa, vel insufficiente moueatur, hæc per se loquendo non est pœna, sed est cessatio cuiusdam gratiæ, & liberalitatis, aut delegationis dependentis à voluntate dunantis. ergo mutatio eiusdem voluntatis sufficit, vt auferatur, etiamsi nulla causa, vel culpa ex parte alterius interueniat. quod secus est de propria censura suspensionis, excommunicationis, vel interdicti, quæ cùm intrinsecè sint pœnæ, necessariò supponunt culpam. Vide Suarez *vbi suprà, num.* 33.

VII. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

Ad rationem in contrarium, quæ militare videtur contra sextam & septimam nostras assertiones, respondetur Summum Pontificem Gregorium IX. mandasse absolui Clericum Odoardum ab excommunicatione, quam contra cum tulerat Archidiaconus Remensis; quia illius impotentia ad soluendum non erat expressa in sententia, neque aliunde euidens, & notoria, ideoque licèt in re esset impotens, & coram Deo non ligatus censura, tamen in foro exteriori tanquam innodatum censura se gerere debebat, cùm non constaret de eius inopia. Ideirco Pontifex mandat cum absolui propter scandalum, & ne contemnere videatur censuras Ecclesiasticas, vt diximus *assertione* 5. in hoc dubio: quòd si euidens fuisset eius inopia ad soluendum in sententia, vel aliunde notoria, tunc in vtroque foro nulla esset excommunicatio: ideoque absolutione non indiguisset, quia nullum præsumeretur tunc scandalum, nec contemptus Ecclesiæ. Videatur pro hac solutione Sotus, & Sayr. relati *assertione* 7. & Suarez *vbi suprà, num.* 35.

ARTICVLVS XXV.

Verùm Superior possit ferre censuras dum existit extra proprium territorium?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Explicantur diuersi modi agendi aliquid extra territorium; & etiam quid sit iurisdictio contentiosa.*
3. *In quo differant censura lata per modum sententia, & per modum statuti, & quasnam personas ligent; explicatur.*
4. *Dubitatio resoluitur.*
5. *An iudex Ecclesiasticus possit ferre censuras extra proprium territorium.*
6. *An Prælati Regularium habeant facultatem ferendi censuras in suos subditos delinquentes extra monasteria.*
7. *An Episcopus impeditus in proprio territorio, ab exercitio sua iurisdictionis, possit hanc exercere in alio viciniori.*
8. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, an possit Superior extra suum territorium absoluere ab excommunicatione.*
9. *An Parochus possit audire confessiones suorum subditorum extra proprium territorium.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

Nam extra proprium territorium potest absoluere subditum à censuris. ergo etiam poterit ligare eundem censuris extra proprium territorium, eadem enim videtur ratio.

II. *Explicantur diuersi modi aliquid agendi extra territorium, & etiam*

DVBITATIO I.

*Quid sit iurisdictio contentiosa.*

Dico primò, ea, quæ fiunt extra proprium territorium, esse in duplici differentia. Alia pertinent ad iurisdictionem gratiosam, & voluntariam, quæ scilicet non requirunt causæ cognitionem, seu processum, seu strepitum iudicialem: alia verò pertinent ad iurisdictionem contentiosam, & hæc fiunt cum causæ cognitione, & strepitu iudiciali. Iurisdictio verò contentiosa, seu necessaria illa dicitur, quæ habet contradictionem, & inter contendentes exercetur: quia actor contendit contra reum, & hæc dicitur etiam necessaria. nam reus in iudicium vocatus tenetur ibi respondere, & in subditos inuitos exercetur. Voluntaria verò iurisdictio illa dicitur, quæ in solos subditos volentes, vel sine strepitu iudiciali exercetur. Vide Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 19. num. 7.*

DVBITATIO II.

III. *In quo differant censura lata per modum sententia, & per modum statuti, & quasnam personas ligent?*

Dico secundò, censuram aliquando ferri per modum sententiæ, aliquando per modum statuti: hæc est autem differentia inter censuram latam per modum sententiæ, & latam per modum statuti, quòd lata per modũ statuti, obligat, & ligat solùm existẽtes, & delinquentes

quentes in territorio legislatoris: quia statutum primò, & per se pro ipso territorio datur; vt in eo scilicet homines tali modo, ac ordine operentur, etiam peregrinantes, si ibi per aliquod notabile tempus, id est, per maiorem anni partem, degerint: censura verò lata per modum sententiæ respicit, & afficit personas subditas tunc temporis, quando fertur. Quare si quis post censuram latam per modum sententiæ fiat subditus iudicis illam ferentis, illa non ligatur. Vt si Episcopus generali edicto excommunicet omnes, qui scientes talem scripturam non manifestauerint, illud edictum non nisi subditos eius tunc temporis existentes obligabit: hinc si post edictum latum aliquis ratione domicilij, & inhabitationis fiat eius subditus, excommunicationem non incurret, si sciens scripturam non manifestauerit, quia sententia sumit vires incontinenti, & ad tempus, quo pronunciatur, refertur: videatur Tabiena *verb. excomm. 1. vers. Decimò dicendum, circa medium.* Sayr. *lib. 1. de censuris, cap. 7. num. 22.*

Sed verius, & probabilius est asserere sententiam generalem latam ab homine pro futuris culpis non solùm ligare eos, qui, dum fertur, sunt re ipsa, & actu subditi, sed etiam, qui spe futuri sunt subditi, vt vel qui nascentur, vel eò transferent domicilium, si tempore, quo sententia durat, fiant subditi, vt dicemus etiam infrà cum Suarez *tom. 5. de censuris, disp. 5. sect. 5. num 9.*

Ad maiorem explicationem huius assertionis, obseruandum quòd sententia censuræ alia dicitur esse iudicis, seu hominis; alia verò canonis, iuris, seu statuti. Illa dicitur sententia iudicis, seu hominis, quæ fertur intentione non faciendæ perpetuæ constitutionis, sed ad tempus, vt alicui personæ particulari, vel personis, vel alicui negotio consulatur: illa verò dicitur ferri à iure, seu à canone, seu per modum statuti, cùm ab eo, qui potest condere constitutionem, statuitur aliquid in perpetuum, & generaliter in omnes subditos suos, & statutum illud roboratur per sententiam censuræ prolatam in futuros transgressores illius statuti. Vide Sayr. *lib. 1. de censuris, cap. 18. num. 7.*

IV. *Dubitatio resoluitur.*

Dico tertiò, in ferenda censura, seruanda est circunstantia loci, seu proprij territorij, quando ad illam ferendam opus est iurisdictione contentiosa: quia iurisdictio contentiosa non potest exerceri extra proprium territorium absque licentia Ordinarij, sicut neque potest exerceri in loco exempto, *cap. vt animarum, de constitutionibus in 6.* vt docet Nauarr. *cap. 17. summa, num. 6.*

DVBITATIO III.

V. *An iudex Ecclesiasticus possit ferre censuras extra proprium territorium?*

Dico quartò, licèt iudex Ecclesiasticus non possit extra propriam diœcesim, & in loco exempto ferre censuras sedendo pro Tribunali, & cum causæ cognitione, quia tunc opus est iurisdictione contentiosa; tamen sine causæ cognitione non sedendo pro Tribunali potest illas ferre, quia tunc nullius territorium læditur. Vnde potest ferre censuras per modum statuti, aut pro re manifesta, quæ non requirit causæ cognitionem, vel si eam requirit, facta est in proprio territorio; sicut etiam eam potest ferre, dum habet licentiam Ordinarij illius loci. Similiter potest in alieno territorio in foro conscientiæ ab excommunicatione, aliisque censuris absoluere, quia hoc fit sine causæ cognitione, & sine strepitu iudicij, iurisdictione voluntaria, non autem contentiosa. Vide Sayr. *lib. 1. de censuris, cap. 14. num. 6.*

DVBITATIO IV.

VI. *An Prælati Religiosorum habeant facultatem ferendi censuras in suos subditos delinquentes extra monasteria?*

Dico quintò, Prælati Religiosorum extra sua monasteria, & loca vbique terrarum habent potestatem ferendi in suos subditos censuras, etiamsi delinquant extra monasteria, quia eorum iurisdictio nullis finitur locis, vt iurisdictio Episcoporum. Syl. *verb. excommunicat. 1. num. 15 & verb. sententia, n. 7.* Rodriquez *tom. 1. qq. Regul. quæst. 30. art. 6.* Sanchez *lib. 6. oper. mor. cap. 8. num. 33.*

DVBITATIO V.

VII. *An Episcopus impeditus in proprio territorio ab exercitio suæ iurisdictionis possit hanc exercere in alio viciniori?*

Episcopus tamen à sua sede expulsus, impeditúsque ne iurisdictionem in proprio territorio exerceat, potest illam exercere in alieno, in loco vicino suo Episcopatui, vt *in Clement. vnica, de foro compet.* seruata forma, quæ ibi præscribitur. Vide etiam Bonacinam *tom. 1. tract. de censuris, disp. 1. q. 1. puncto 11. num. 3.* Sayr. *vbi supra.*

VIII. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

DVBITATIO VI.

*An possit Superior extra suum territorium absoluere ab excommunicatione?*

Ad rationem in contrarium positam ab initio respondetur, quòd Superior non potest iudicialiter sedendo pro Tribunali absoluere à censuris extra proprium territorium, sicut neque potest iudicialiter ligare, quia tunc læderetur territorium alterius. Cæterùm extraiudicialiter, sicut potest ligare, ita etiam potest absoluere, vt sic enim exercet iurisdictionem voluntariam & gratiosam, quæ potest in alieno territorio exerceri.

DVBITATIO VII.

IX. *An Parochus possit audire confessiones suorum subditorum extra proprium territorium?*

Sicuti Parochus potest in aliena diœcesi excipere confessiones suorum subditorum, illósque absoluere; quia cùm exercetur iurisdictio voluntaria, nulla irrogatur iniuria iudici alieni territorij, cùm absque strepitu, & figura iudicij exerceatur: tum, quia quando exercetur iurisdictio voluntaria, attenditur magis conditio personæ, si sit subdita, quàm conditio proprij territorij. Videatur pro hac solutione Syl. *verb. confessor 1. quæst. 3.* Suarez *tom. 4. in 3. part. disp. 30. sect. 2. num. 3.* Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 34. num. 2.*

ARTI

## ARTICVLVS XXVI.

### An censura lata per modum statuti liget subditos existentes in alieno territorio?

#### SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Explicatur an Episcopus habeat iurisdictionem in suos subditos extra suum territorium.*
3. *An ligetur excommunicatione lata ab Episcopo contra furantes, vel ludentes aleis, qui in loco exempto hac operatur.*
4. *An loca Religiosorum sint verè exempta à iurisdictione Episcoporum, & quidnam sit locus exemptus.*
5. *An accedens ad monasteria, quorum ingressus est prohibitus sub excommunicatione, sit excommunicatus, si Ecclesias ingrediatur.*
6. *An Episcopus excommunicans non residentes liget suos subditos, existentes extra suum territorium.*
7. *Si iudex Ecclesiasticus praeciperet sub pœna censurae, vt furtum faciens vbicunque compareat infra mensem, an illius subditus ligetur, si furtum fecit in alieno territorio, & non comparet.*
8. *An incipiens stuprum virginis per oscula, vel tactus in vno territorio, in quo est excommunicatio in hoc, & postea perficiat delictum in alio territorio, in quo non adest talis excommunicatio, sit excommunicatus.*
9. *An incurrat excommunicationem latam contra occidentes in Ecclesia, qui in ea existens, iaciendo sagittam, occidit hominem extra Ecclesiam.*
10. *An subditus Episcopi vulnerans aliquem in illius territorio, in quo est censura contra homicidas, si vulneratus moriatur in alio territorio, percutiens incurrat excommunicationem.*
11. *An innodetur censura subditus extra territorium extrahens triticum, si Episcopus praecipiat id non fieri.*
12. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, an Clerici vocati per statutum ab Episcopo ad Synodum sub pœnam excommunicationis, illam incurrant, si in aliena reperiuntur diœcesi.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm si Episcopus statutum sub pœna excommunicationis ferat quo beneficiorum Rectores ad residentiam personaliter faciendam intra certum tempus astringat: tunc Clerici huiusmodi sententiae notitiam habentes si non resideant, etiamsi extra territorium fuerint, excommunicationem incurrunt: vt docet Tabien. *verb. excomm. 4. §. Quartò quaeritur*, quem sequitur Sayr. *lib. 1. de censuris, cap. 6. num. 41.* & ferè communiter DD. ergo censura lata per modum statuti ligat subditos existentes in alieno territorio.

#### DVBITATIO I.

II. *An Episcopus habeat iurisdictionem in suos subditos extra suum territorium?*

Dico primò, Episcopus, siue quilibet alius Superior, non habet iurisdictionem obligandi per statutum suos subditos in alieno territorio existentes, modò re vera existant extra territorium; & simul etiam res, circa quam delinquunt, sit extra territorium. Vnde subditus Episcopi non ligatur pœna statuti prohibentis sub pœna excommunicationis, ne quis tali tẽpore vadat de nocte, si extra diœcesim vadat de nocte, quia statutum Superioris sicut limites suos habet quoad personas, ita etiam quò ad loca, & territorium limitatur: tum, quia Bonifacius VIII. *in cap. vt animarum, de constitutionibus in 6.* haec formaliter asserit: *statuto Episcopi, quo in omnes qui furtum commiserint, excommunicationis sententia promulgatur, subditi eius furtum extra ipsius diœcesim committentes minimè ligari noscuntur.* Ita etiam docet Sotus *in 4. dist. 22. quaest. 2. art. 1. §. Respondetur ergo.* Scot. *vers. tamen si.* Sayr. *lib. 1. de cens. cap. 7. n. 10.* Syl. *verb. excomm. 2. n. 9.*

#### DVBITATIO II.

III. *An ligetur excommunicatione lata ab Episcopo contra furantes, vel ludentes aleis, qui in loco exempto hac operatur?*

Dico secundò, si Episcopus statutum ferat, vt qui furatur, vel aleis ludit, ipso facto sit excommunicatus, si subditus eius in loco diœcesis exempto ludat aleis, vel furetur, in excommunicationem latam per modum statuti contra furantes, vel ludentes aleis, non incidit: quia locus extra diœcesim, & locus exemptus aequiparantur, vt docet Syl. *verb. excomm. 2. n. 12.* ergo si statutum sub pœna alicuius censurae non ligat subditum delinquentem extra territorium, neque ligabit eum si delinquat in loco exempto: sic Syl. nouissimè relatus. Sayr. *lib. 1. de censuris, cap. 7. num. 9.* Tum, quia locus exemptus etsi sit in diœcesi materialiter, non tamen est in ea formaliter, cùm non pertineat ad diœcesim quoad iurisdictionem; ergo. Ita Palud. *in 4. dist. 18. quaest. 2.* Tab. *excomm. 4 §. Quaeritur quartò.* pro maiori huius assertionis intelligentia Azor. *p. 1. instit. mor. lib. 5. cap. 25. dub. 4.*

#### DVBITATIO III.

IV. *An loca Religiosorum sint verè exempta à iurisdictione Episcoporum, & quidnam sit locus exemptus.*

Dico tertiò, locus exemptus ille propriè dicitur in casu nostro, qui est plenè exemptus à iurisdictione Episcopali, ita vt non possit Ordinarius ferre in eo leges obligantes incolas illius loci, vt sunt Parochiae aliquae, aut oppida intra terminos territorij alicuius Episcopi materialiter contenta, exempta tamen formaliter quò ad ordinariam eius iurisdictionem, siue locus ille sit subiectus alteri Episcopo, vel summo Pontifici reseruatus. Vnde per locum exemptum non intelliguntur Ecclesiae, aut monasteria Religiosorum exemptorum, quae non nisi ratione talium personarum exempta vocantur, & ideò si aliae personae subditae Episcopis intra eos frangerent statuta Episcoporum, censuras eorum sine dubio incurrerent: & consequenter si statutum ferat Episcopus, vt ludentes aleis ipso factu sint excommunicati, eius subditi ludentes aleis in territorio intra monasteria Religiosorum incurrunt excommunicationem. Vide Suarez *tom. 5. de cens. in 3. p. disp. 5. sect. 4. n. 6.*

Dico quartò, probabilius tamen dicendum mihi videtur, Ecclesias, & monasteria Religiosorum maximè Mendicantium, exempta à potestate, & iurisdictione Episcoporum, esse propriè loca exempta. Vnde si Episcopus per statutum excommunicet furtum committentes, vel ludens aleis, subditus in Ecclesiis, vel monasteriis Religiosorum furtum committens, aut ludeos

ludens aleis, non comprehenderetur, quia Ecclesiæ, & monasteria Religiosorum Mendicantium sunt propriè loca exempta & quoad personas, & quoad loca, cùm nullam iurisdictionem, vel potestatem habeant Episcopi in illis: & ita hanc assertionem docet apertè Syl. *verb. excomm. 1. num. 12.* Tabien. *verb. excommunic. 4. §. Quæritur 4. vers. ex his solui potest.* Sayr. *lib. 1. de censuris, cap. 6. num. 40. & cap. 7. eodem libro num. 9.* Videatur etiam Rodriquez *tom. 1. qq. Reg. quæst. 36. art. 3.* fauet huic nostræ assertioni sacrum Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 5. de Reformatione propè finem; & sess. 25. cap. 20. de Regularibus*, quibus in locis nedum personas regulares exemptas esse dicit, sed etiam loca regularia; ergo si Episcopus per statutum excommunicet omnes committentes furtum, vel ludentes aleis, subditi illius, si in Ecclesiis, vel in Monasteriis Regularium, quæ sunt loca exempta, furentur, vel ludant aleis, non incident in excommunicationem. nam statutum non ligat subditos extra territorium, vel in loco exempto delinquentes; locus enim extra territorium, & locus exemptus æquiparantur. Videatur pro hac assertione omninò Lopez *tom. 1. instruct. de Clauibus, c. 15. §. Secundò dicimus, fol. 897. col. 2. mihi.*

### DVBITATIO IV.

V. ***An accedens ad Monasteria, quorum ingressus est prohibitus sub excommunicatione, sit excommunicatus, si Ecclesias ingrediatur?***

Dico quintò, si Episcopus per statutum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ præcipiat in generali, ne quis Monasteria Monialium ingrediatur, adiens portam, vel ingrediens Ecclesiam Monialium, non ligatur excommunicationis censura. quia nomine Monasterij, vt dicit Nicolaus III. *in cap. exijt, de verb. signific. in 6.* intelligitur Claustrum, domus, officinæ interiores. ergo ingrediens portam, vel Ecclesiam, non incidit in excommunicationem. Tab. *excomm. 4. §. Quæritur 4. vbi suprà.*

Dico sextò, si verò Prælatus condens statutum non solum ingressum in Monasterium, sed etiam accessum ad illud prohiberet, tunc subditus adiens portam Monasterij, & intrans Monialium Ecclesiam, incideret in excommunicationem latam per statutum; quia omnia ista sunt de integritate Monasterij, quod prohibetur adiri. Syl. *vbi suprà excomm. 1. num. 13.*

Dico septimò, si statutum loquatur de Monasteriis Monialium in generali, nullam mentionem faciens de Monasteriis exemptarum contrafacientes ingredientes Monasterium exemptarum, vel adeundo portam, vel earum Ecclesiam, si prohibeatur accessus, licèt malè facerent sine licentia eius, ad quem spectat, accedendo, non tamen subiacerent pœnæ excommunicationis. quia delictum in loco exempto committitur, in quo delinquens non ligatur per pœnam statuti sui Ordinarij. Ita Syl. Tab. relati. Sayr. *lib. 1. de cens. c. 6. n. 40. fine.* Azor. *part. 1. inst. mor. lib. 5. c. 15. dub. 4.*

Dico octauò, si verò statutum specialiter exprimeret Monasteria exempta, dicendo, nullus furetur, aut fornicetur in Monasterio aliquo exempto, vel non exempto, vel nullus ingrediatur, vel accedat, ad Monasteria exempta, vel non exempta, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ; tunc contrafacientes, furantes, fornicantes, ingredientes, vel accedentes ad Monasteria exempta, inciderent in pœnam excommunicationis. quia sicuti ciuitas potest statuto imperare ciuibus, ne eant ad certum oppidum; vt in *l. mercatores, C. de commercijs, & mercat.* prohibentur ciues Romani habere commercium cum Persis, qui non erant Romano Imperio subiecti. ergo poterit etiam Episcopus ex causa prohibere sub pœna excommunicationis ne quis ingrediatur, vel accedat ad Monasteria Monialium exemptarum, & tunc contrafaciens ligabitur, quia ob commune bonum diœcesis tale statutum Episcopus condere potuit, vel in odium Monialium exemptarum, quæ aliquando sua irreligiositate hoc merentur. Syl. *num. 13. vbi suprà.* Armilla *verb. excomm. num. 30.* Azor. nouissimè relatus.

### DVBITATIO V.

VI. ***An Episcopus excommunicans non residentes, liget suos subditos existentes extra suum territorium?***

Dico nonò, si Episcopus statutum condidit, quò excommunicationem in omnes Clericos, qui in Ecclesiis sibi commissis non resident, eo tenentur Clerici extra diœcesim commorantes, & ligarentur censura excommunicationis perperam facientes contra statutum extra territorium: quia peccatum non residentiæ non solùm inchoatur, sed etiam completur intra diœcesim in damnum ouium. Tum, quia Clerici extra diœcesim commorantes, licèt non ratione personæ, ratione tamen rei, id est, beneficiorum intra diœcesim, seu territorium existentium intra diœcesim esse censentur, & Ordinario subiecti esse dicuntur. Tab. *verb. excomm. 4. §. Quæritur 4. n. 3.* Suarez *tom. 5. disp. 5. sect. 4. num. 8.* Azor. *vbi suprà dub. 2.*

### DVBITATIO VI.

VII. *Si iudex Ecclesiasticus præciperet sub pœna talis censuræ, vt furtum faciens vbicumque, compareat infra mensem, an illius subditus ligetur si furtum fecit in alieno territorio, & non comparet?*

Dico decimò, si statuto alicuius iudicis Ecclesiastici sub pœna talis censuræ ipso iure incurrendæ statuatur, quòd ipsius subditi facientes furtum vbicunque intra mensem à die commissi criminis compareant coram iudice delicti, vel coram nobis, subditi facientes furtum si non compareant, ligantur non ratione furti, si fiat in alieno territorio, sed ea ex parte, quia non comparent, cùm comparere sit factum affirmatiuum faciendum in limitibus territorij statuentis. Ratio est, quia per tale statutum poterunt ad hoc arctari. arg. ex *cap. ex tua, de Clericis non resident.* Tum, quia delictum completur intra diœcesim, eùm non obediant comparendo intra diœcesim. Syl. *verb. excomm. 2. n. 8. §. Primus est.* Sayr. *lib. 1. de cens. c. 6. n. 44.*

### DVBITATIO VII.

VIII. ***An incipiens stuprum virginis per oscula, vel tactus in vno territorio, in quo est excommunicatio in hoc, & postea perficiat delictum in alio territorio, in quo non est ista excommunicatio, sit excommunicatus?***

Dico vndecimò, consequenter si stuprum, e. g. sit prohibitum sub censura in aliquo Episcopatu, & quis decipiens virginem, eam traheret extra diœcesim, quamuis in territorio per tactus, & oscula inchoaret

inchoaret delictum ; si tamen non consummaret, nisi donec esset in alieno territorio, non incurreret censurá: quia non contrahitur censura propter inchoationem delicti, sed propter actum consummatum, propter quem est lata. ergo attendendum est territorium in quo consummatur, etiamsi extra illud inchoatum sit, ergo, &c. Vide Suarez *tom. 5. de cens. disp. 5. sect. 5 n. 9.*

## DVBITATIO VIII.

IX. *An incurrat excommunicationem latam contra occidentes in Ecclesia, qui in ea existens, iaciendo sagittam, occidit hominem extra Ecclesiam?*

Dico duodecimò, sequitur ex præcedenti assertione, quòd si existens in Ecclesia iaciat sagittam ad occidendum hominem deambulantem extra Ecclesiam, non incurrit censuram latam per statutum contra occidentem in Ecclesia. nam illius delictum consummatur extra Ecclesiam, licèt inchoetur in Ecclesia: è contra verò incurrit censura ab eo, qui dum extra Ecclesiam existit, sagittam iecit intra Ecclesiam, ibique hominem existentem occidit. nam homicidium completur in Ecclesia, licèt sit inchoatum extra Ecclesiam. Bonacina *tom. 1. tract. de censuris disp. 1. quæst. 1. punct. 11. num. 11.*

## DVBITATIO IX.

X. *An subditus Episcopi vulnerans aliquem in illius territorio, in quo est censura contra homicidas, si vulneratus moriatur in alio territorio, percutient incurrat excommunicationem?*

Dico decimotertiò, si subditus alicuius Episcopi vulneret aliquem lethaliter in territorio eiusdem, in quo lata est censura contra homicidas, quamuis vulneratus recedens ab eo territorio moriatur in alia regione, vbi nulla censura posita est contra homicidas, censura innodatur. quia homicidium etiam quo ad actionem externam homicidij censetur consummatum in eo territorio, in quo lata est censura: tum, quià valdè accidentarium est, & extrinsecum, quòd effectus extrinsecæ vulnerationis lethalis sequatur in hoc, vel in illo loco, sed considerandum est, vbi delictum commissum est, & consummatum, quoad actionem externam. ergo. Salas *de legibus disp. 14. sect. 5. num. 73.* Suarez *loco cit. num. 10.* Bonacina *vbi suprà num. 12.*

## DVBITATIO X.

XI. *An innodetur censura subditus extra territorium extrahens triticum, si id non fieri Episcopus præcipiat?*

Dico decimoquartò, infertur ex præcedenti assertione, quòd si Episcopus per statutum sub censura prohibeat, ne triticum, vel aliquid simile extra suom territorium feratur, contrauenientes censura innodantur, quia delictum extrahendi triticum extra diœcesim quoad actionem consummatur in territorio diœcesis, licèt quo ad terminum extrinsecum consummetur in alieno. Ita benè infert Suarez nuperrimè relatus *num. 11.*

XII. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

## DVBITATIO XI.

*An Clerici vocati per statutum ab Episcopo ad Synodum, sub pœna excommunicationis illam incurrant, si in aliena reperiuntur diœcesi?*

Ad rationem in contrarium patet quid dicendum ex noua assertione. licèt enim statuto non ligentur extra territorium delinquentes, quando delinquens, & res, circa quas delinquit, & ipsum delictum sunt extra prouinciam & territorium statuentis totaliter. Tamen subditi delinquentes extra diœcesim si res circa quas delinquunt sit intra limites territorij, statuto ligantur, quia ratione rei, circa quam delinquunt, peccare censentur in diœcesi. Vnde si Clerici sint vocati à proprio Episcopo per statutum sob pœna censuræ ad Synodum ligantur censura, si non interfuerint, quamuis tempore celebrationis Synodi sint extra diœcesim. quia delictum omissionis interessentiæ censetur ibi committi, vbi actus præceptus exercendus erat. Cæterùm si Clericus Neapolitanus, e. g. gestaret sclopum extra diœcesim, non ligaretur censura lata per modum statuti ab Archiepiscopo Neapolitano contra Clericos huiusmodi genus armorum gestantes. quia ratione personæ, & ratione rei, circa quam delinquit totaliter esset extra territorium statuentis censuram per modum statuti. At non parens statuto sui Ordinarij totaliter existens extra territorium non incurrit pœnas statuti; nam, vt dicitur *in cap. vt animarum, de constitutionibus in 6.* extra territorium ius dicenti non paretur impunè, id est, sine pœna, id est, non parens ex eo pœnam non patitur, vt explicat glossa *cap. verbo impunè.* Videatur pro hac solutione Syl. *verb. excomm. a. num. 9.* & alij DD. *assertione 9.* te lati.

## ARTICVLVS XXVII.

## An subditus Episcopi agens in alieno territorio contra sententiam generalem sui Prælati, per quam censura fertur in eos, qui hoc agunt, vel omittunt, talem censuram incurrat?

### SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, & explicatur, an mutans domicilium ligetur censuris territorij à quo recessit.*
3. *An furans in alieno territorio, si conueniatur coram suo Ordinario, possit ab illo cogi ad restituendum sub pœna censuræ.*
4. *An iudex Ecclesiasticus per sententiam generalem, vel specialem excommunicans pro culpa præterita, liget subditum, qui culpam cõmisit extra territorium.*
5. *An sententia specialis, vel generalis lata à iudice Ecclesiastico sub aliqua censura ad præcauendum delictum futurum, liget subditos extra diœcesim degentes.*
6. *An quilibet Christianus vbique existens ligetur censuris Sum. Pontificis.*
7. *An Religiosi vbique ligentur suorum Superiorum censuris.*
8. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm extra territorium nemo potest dicere ius. *c. vt animarum, de constitutionibus 6.* ergo.

II. *Veritas*

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

DVBITATIO I.

*An mutans domicilium ligetur censuris territorij à quo recessit?*

Dico primò, ciuis Tiburtinus, e. g. qui mutato domicilio extra diœcesim Tiburtinam furatur, non incurrit censuras latas ab Episcopo Tiburtino, siue sint latæ per modum statuti, siue per modum sententiæ generalis, seu specialis: nam censura est veluti quoddam præceptum, quod obligat, & afficit tantummodo subditos; sed qui mutauit domicilium, non remanet subditus Superioris illius loci, de quo recessit. ergo Superior illius loci non potest in ipsum suam iurisdictionem extendere: videatur pro hac assertione Nauarr. *tom. 1. consil. lib. 1. de constitutionibus, consil. 4. num. 7.* Bonacina *tom. 1. tract. de censuris, disp. 1. quæst. 1. puncto 11. num. 14.*

Dico secundò, quando censura lata est propter actum præteritum patratum eo tempore, quo delinquens erat subditus Episcopo, e. g. Tiburtino, contraueniens adhuc ligatur censura, etiamsi extra territorium Tiburtinum existat. Vt si Episcopus Tiburtinus fert statutum, seu sententiam generalem sub pœna excommunicationis latæ sententiæ contra eos, qui furati sunt, vel specialem sententiam contra Titium sibi subditum, qui furtum commisit, nisi restituant intra mensem; qui furtum commiserunt ligantur excommunicatione, non restituendo intra mensem, quamuis nondum elapso mense, seu termino mutent domicilium. quia licet per mutationem domicilij desinant esse subditi Episcopi Tiburtini ratione domicilij; nihilominus remanent subditi ratione delicti in illius territorio commissi. Sic benè Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 1. §. Respondetur.* ergo. Scot. *vers. & econuerso.* Sayr. *lib. 1. de censuris, cap. 7. num. 18.* Bonacina *vbi suprà. §. Dixi in quinto.* Ad maiorem duorum præcedentium pronunciatorum claritatem,

Dico tertiò, sequitur ex dictis, quòd si aliquis Superior per speciale præceptum sibi subdito præcipiat aliquid agendum, vel omittendum in futurum sub tali censura sine vllo ordine, vel habitudine ad præteritum factum, non ligabitur postea iste talis contraueniens si mutauit domicilium, vel desinit esse subditus; quia præcepta solùm possunt obligare subditos. ergo si cessat subiectio, cessabit etiam obligatio, & vis præcepti. Videatur Sotus nuperrimè relatus, §. *Virum autem.* Suarez *tom. 5. de cens. disp. 3. sect. 5. num. 4.*

DVBITATIO II.

III. *An furans in alieno territorio, si conueniatur coram suo Ordinario, possit ab illo cogi ad restituendum, sub pœna censuræ?*

Dico quartò, quando delictum, puta furtum, est omninò commissum extra territorium, in quo reus habet domicilium, si delinquens postea conueniatur coram suo Prælato intra proprium territorium, tunc potest Ordinarius cogere delinquentem sub pœna censuræ, vt restituat, & non parendo post clapsum terminum, incurret censuram. Ita quotidiana praxis confirmat, & docet Sotus *vbi suprà, vers. si autem Salmantinus.* Sayr. *lib. 1. de censuris, cap. 6. num. 42.* Subditus igitur alienus Ordinarij extra diœcesim delinquens ligari censura non potest ob delictum præteritum commissum extra territorium, nisi pars læsa ius suum requirat ab Ordinario delinquentis, & tali conuentione, seu instantia coram legitimo iudice supposita, habet Ordinarius delinquentis iurisdictionem ad vindicandum, vel emendandum delictum commissum extra territorium, excommunicando delinquentem, nisi satisfaciat parti læsæ. Sotus *vbi suprà, vers. Hæc autem sententia.* Suarez *tom. 5. in 3. part. disp. 5. sect. 5. num. 5.*

DVBITATIO III.

IV. *An iudex Ecclesiasticus per sententiam generalem, vel specialem excommunicans pro culpa præterita liget subditum, qui culpam commisit extra territorium?*

Dico quintò, iudex Ecclesiasticus si per sententiam generalem, seu specialem excommunicet pro culpa, vel offensa præterita, non ligat subditum, qui eam commisit extra territorium excommunicantis: & sic, Episcopus Tiburtinus nequit excommunicare suum subditum, qui furtum commisit in alieno territorio, quia, vt dicitur *in cap. vt animarum, de constitutionibus in 6.* extra territorium ius dicenti non paretur impunè, id est, nulla pœna imponitur non obedienti proprio Superiori extra ipsius iurisdictionem: tum, quia iurisdictio sicut limites suas habet quoad personas, ita etiam quoad loca limitatur. ergo subditus si delinquit extra territorium, præcisè pro culpa præterita extra diœcesim commissa non potest à suo Ordinario censura ligari. Ita hanc assertionem docuit Sotus apertè *vbi suprà.* Lopez *tom. 2. instr. tract. de clauibus, cap. 15. §. Secundò dicimus, vers. Primò quod si iudex, fol. 896. mihi.*

Dico sextò, potest tamen iudex Ecclesiasticus per sententiam generalem, seu specialem cogere suos subditos sub pœna censuræ pro culpa præterita extra territorium commissa, puta pro furto, vt restituant, si pars læsa ab ipso ius suum requirat sic promulgando, & ferendo sententiam generalem, vel specialem: Nostræ iurisdictioni subiecti vbicunque furtum commiserunt, nisi intra mensem restituant, ipso facto sint excommunicati. Vel sic: N. qui furtum commisit, nisi infra mensem satisfaciat, sit ipso iure suspensus, & tunc subditi etiamsi extra territorium deliquerint, censura ligantur, si non obedierint intra mensem satisfaciendo. quia tunc subditi non pro furto præterito extra territorium commisso censura innodantur, sed pro culpa inobedientiæ, quæ quodammodo completur intra diœcesim, non obediendo proprio Superiori talem sententiam ferenti intra proprium territorium, vt bene obseruauit Conradus noster *tom. 1. respons. quæst. 79. in addit. ad finem.* Salon. *2. 2. quæst. 69. art. 2. controuers. 7. vers. Vnde respondent, fol. 519. col. 1. mihi.* & sic hoc pronunciatum docent Sotus, & Lopez nuperrimè citati. Suarez *tom. 5. de cens. disp. 5. sect. 5. num. 5.*

DVBITATIO IV.

V. *An sententia specialis, vel generalis lata à iudice Ecclesiastico sub aliqua censura ad præcauendum delictum futurum liget subditos, degentes extra diœcesim?*

Dico septimò, quando sententia specialis, siue generalis à iudice Ecclesiastico sub pœna censuræ ipso iure incurrendæ fertur in futurum ad præcauendum delictum, & non ad illud emendandum, vt est illa *cap. à nobis, de sententia excommunicat. Qui furtum commiserit, ipso iure sit excommunicatus*; non ligat subditos

subditos in aliena diœcesi agentes contra illam, siue in loco exempto. quia sententia iudicis pro futura culpa vitanda, siue generaliter, siue specialiter feratur, & quoad subditos, æquiparatur statuto in hoc, vt non liget probabiliter ignorantes; neque extra territorium, seu in loco exempto contra illam agentes. Sic Syl. *verb. excomm.* 2. *num.* 10. *vers. in tertio verò*, Lopez *vbi suprà, vers. tertiò dicitur*.

Dico octauò. Probabiliter etiam dici potest, quòd quando sententia sub censura specialis, siue generalis fertur in futurum ad præcauendum delictum, ligat subditos in aliena diœcesi, seu in loco exempto agentes contra illam. quia sententia generalis, siue specialis, fertur in personas, secundùm se, vt subditas; sed licèt versentur in alieno territorio, siue in loco exempto, adhuc remanent subditæ. ergo ligantur, si agunt contra sententiam generalem, seu specialem sui proprij Ordinarij. Ratio enim generalis, vel particularis non variat iurisdictionem, aut potestatem, & ita hanc sententiam tenet Bonac. *tom.* 1. *tract. de cens. disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 11. *n.* 14. Suarez *vbi suprà num.* 15.

Dico nonò, ex præcedenti assertione octaua infertur consequenter, quòd si aliquis Episcopus præcipiat sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ alicui, vel omnibus Clericis sibi subditis, ne extra diœcesim Sacrum faciant, celebrando extra diœcesim, seu in loco exempto, incurrunt suspensionem. Similiter si deferant tormentum igneum extra diœcesim, incidunt in excommunicationem, si contra gestantes huiusmodi genus armorum per modum sententiæ lata esset excommunicatio à proprio ipsorum Ordinario. nam censura, quæ fertur per modum sententiæ, sequitur personas subditas, vbicumque existant. Sic Bonacina nuperrimè relatus *num.* 15. & 17. & Suarez *vbi suprà num.* 18.

Sustinendo tamen sententiam oppositam cum Lopez & Syluestro adductis *assertione septima*, quos sequuntur Coninchus, & Auila, vt refert Bonacina *q.* 1. *cit. punct.* 11. *num.* 14. & 17. sic respondeti potest ad rationem adductam pro contraria sententia, quòd licèt sententia specialis, seu generalis primò, & per se respiciat personas subiectas, illam ferenti, tamen non excludit propriam diœcesim, seu territorium. quia iurisdictio sicut limites suos habet quo ad personas, ita etiam quo ad loca limitatur; sicuti etiam sententia per modum statuti lata primò, & per se datur pro ipso territorio, non tamen excludit conditionem personarum, cùm liget personas subditas delinquentes in territorio, & peregrinantes, qui per aliquod notabile tempus, id est, maiori anni parte, in alieno territorio fuerint versati, si ibi delinquant. Videatur pro hac solutione Nauar. *tom.* 2. *consil. lib.* 5. *de priuilegijs, consil.* 6. *num.* 1. Sayr. *lib.* 1. *de censuris, cap.* 6. *num.* 39.

## DVBITATIO V.

### VI. *An quilibet Christianus vbique existens ligetur censuris Sum. Pontificis?*

Dico decimò, quilibet Christianus vbicumque existit, ligatur censuris latis à summo Pontifice, siue latæ sint per statutum, siue per sententiam. nam fideles vbicumque versentur, dicuntur existere in territorio summi Pontificis, cùm summus Pontifex non habeat particulare territorium, sed totus mundus illi seruiat pro suo territorio. Videatur Sotus *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 2. *art.* 1. Sayr. nouissimè cit. *num.* 3.

## DVBITATIO VI.

### VII. *An Religiosi vbique ligentur suorum Superiorum censuris?*

Dico vndecimò, subditi Religiosi extra septa loci in quo degunt, & extra eorum clausuram, suorum Prælatorum sententiis generalibus, seu specialibus ligantur, & eis obedire tenentur. quia totus mundus est Prælatis Religiosorum pro territorio: vnde si Prouincialis sub excommunicatione præcipit subditis, vt ieiunent semel in hebdomada, id facere tenentur, etiam si extra Prouinciam versentur, & vbique locorum, quia eorum iurisdictio nullis finitur terminis. Ita benè D. Anton. 3. *part. summæ tit.* 24. *c.* 75. §. 1. *ad finem, versic. Nota etiam.* Syl. *verb. excomm.* 2. *num.* 15.

Dico duodecimò, si esset statutum in Capitulo prouinciali Religiosorum ab ipsis conditum ieiunandi, e. gr. in Prouincia, sub pœna censuræ, feria sexta, subditus, qui extra illam versatur, non tenebitur illo statuto, nec incurret censuram non ieiunando; quia tunc statutum illud primò, & per se respiceret Prouinciam, vbi conditum est, vt scil. in ea commorantes ieiunent feria sexta. Secus autem si fuisset præceptum septimam directè impositum personis subditis religiosis, quia tunc respiceret personas directè, & per se, quæ cùm vbique sint subditæ, & totus mundus sit Prælatis Religiosorum pro territorio, vbique locorum talia personalia præcepta seruare tenebuntur. Vide Syl. *verb. sententia num.* 7. Suarez *tom.* 5. *de censuris disp.* 5. *sect.* 5. *num.* 18. *medio.*

### VIII. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

Ad rationem in contrarium respondetur, probare nostram septimam assertionem; quatenus verò militat contra octauam, & nonam conclusionem, respondetur quòd extra territorium ius dicenti non paretur impunè, quando per statutum ius dicitur, quia extra territorium statutum non ligat, & consequenter neque censura lata per viam statuti subditum extra territorium delinquentem obligabit. quia statutum fertur pro territorio, vt ritè gubernari possit, & à malis defendi. Secus autem si ius dicitur per viam sententiæ generalis, seu specialis, quæ cùm respiciat personas subditas, si remanent subditæ, vbicunque erunt agentes contra illam ligabuntur: at quid dicendum ad hoc, tenendo septimum pronunciatum, iam diximus *in fine nonæ assertionis, §. sustinendo.*

## ARTICVLVS XXVIII.

## An subditus vnius diœcesis existens in altera diœcesi, & ibi agens contra statuta, & præcepta Episcopi illius diœcesis, incurrat censuras ab eo latas?

### SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, & declaratur an censura lata ab Archiepiscopo nedum liget suos subditos, sed etiam subditos suffraganeorum.*
3. *An censura lata pro futuris culpis nedum liget subditos præsentes, sed etiam futuros, vel peregrinantes.*
4. *Quid requiratur vt delinquentes in alieno territorio, ligentur censuris latis ibi ab Ordinario.*
5. *An vagi teneantur seruare statuta loci, vbi inueniuntur.*

6. *An*

6. *An sententia generalis lata ab homine pro futuris culpis, nedũ liget subditos præsentes, sed etiam forenses.*
7. *An sententia lata ab homine nedum liget subditos præsentes, sed etiam nascituros.*
8. *An extranei ligentur censuris, ob aliquod delictum latis, si sint præsentes dum censura fertur.*
9. *An sententia lata ab homine contra extraneos delinquentes in territorio ferentis, illos liget, si fuerint citatione præuenti, antequam à territorio recedant.*
10. *Ad rationem in contrarium a principio respondetur, & explicatur, quibúsnam legibus teneantur forenses.*
11. *An extraneus degens breui tempore in alieno territorio, illius censuras incurrat.*
12. *An forenses teneantur ad leges diœcesis in qua reperiuntur.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm qui in alieno Episcopatu transgreditur statutum, & præceptum sui Ordinarij, non incurrit censuram eius. ergo obligandus est ad seruanda statuta, & præcepta alterius Episcopatus, alioquin ille fiet melioris conditionis, seu extra omne iugum & legem solùm, quia in alieno territorio peregrinatur.

II. *Veritas aperitur, & declaratur*

DVBITATIO I.

*An censura lata ab Archiepiscopo nedum liget suos subditos, sed etiam subditos suffraganeorum?*

Dico primò, statutum, & censura lata per canonem ab Archiepiscopo in Concilio prouinciali non solùm ligat subditos proprios ipsius Archiepiscopi delinquentes in diœcesi, sed etiam subditos ipsius Prouinciæ, & suffraganeorum, existentes in territorio Archiepiscopi. quia tale statutum, & canon facta sunt à maiori parte Concilij prouincialis in vtilitatem ipsius Prouinciæ. ergo obligant in omni loco Prouinciæ. nam territorium adæquatum, in quo seruari debent, est tota Prouincia. gloss. *in cap. Romana, de sententia excommunicationis 6. verb sententia.* Sayr. *lib. 1 de censuris, cap. 7 num. 23.*

Dico secundò, sententia verò Archiepiscopi, siue generalis, siue specialis sit, ligat tãtùm subditos ipsius, qui iure distinctæ diœcesis sunt subditi: inde non ligat subditos suffraganeorum si agant contra illam in territorio, ac diœcesi Archiepiscopi. quia sententia non respicit nisi subditos, sed subditi suffraganeorum non sunt subiecti Archiepiscopo, nisi in aliquibus casibus, vt docet Syl. *verb. Archiepiscopus, n. 1.* ergo agentes contra sententiam generalem, seu specialem illius in Prouincia, ea non ligantur. Syl. *loc. cit.* gl. *in c. Romana, de sent. excom. 6. verb sententia.* Sayr. *vbi suprà.* Lopez *tom. 2. instruct. tract. de clauibus, c. 15. § Secundò dicimus.*

DVBITATIO II.

III. *An censura lata pro futuris culpis nedum liget subditos præsentes, sed etiam futuros, vel etiam peregrinantes?*

Dico tertiò, censura generaliter lata per statutum pro futuris culpis contra delinquentes non solùm obligat eos, qui statuti lati tẽpore respectu domicilij subditi sunt, & etiam eos, qui futuris temporibus dum lex ipsa vim habuerit, eidem diœcesi, & legi subditi fuerint; lex enim futura considerat nedum subditos actuales, verùm etiam, & extraneos non subditos, intra territorium delinquentes. quia statutum primò, & per se datur pro ipso territorio, scilicet vt in eo tali ordine ac modo homines operentur etiam peregrinantes, qui in illo versantur per aliquod tempus. nam pro illo tempore tenentur se conformare legibus illius territorij. Sic docet Syl. *verb. excom. 2. n. 5. §. Sciendum est tertiò.* Sayr. *lib. 1. de cens. c. 7. n. 22.* Suarez *tom. 5. in tertiam partem, disp. 5. sect. 5. n. 14. & 15.*

DVBITATIO III.

IV. *Quid requiratur vt delinquentes in alieno territorio ligentur censuris latis ibi ab Ordinario?*

Dico quartò, extranei verò delinquentes in alieno territorio, vt ligentur censuris latis per statutum in eo loco, in quo reperiuntur, requiritur, vt ad illum perueniant intentione ibi manendi maiori anni parte. Nam, vt quis ligetur aliqua lege, requiritur iurisdictio in obligante, & subiectio in eo qui obligatur ad illam seruandam: at per breuem moram præcisè non acquiritur iurisdictio, & subiectio; ergo vt extranei ligentur statutis loci, ad quem declinant, requiritur saltem intentio ibi manendi maiori anni parte; per quam intentionem acquiritur quasi domicilium in loco, ad quem declinant, & sic aliquo modo fiunt ibi subditi, vt docet Syl. *verb. domicilium, num. 2.* Tabien. *excommunicat. 5. casu 11. num. 4.* Tum, quia qui transit, aut breui tempore diuertit ad aliquem locum, non dicitur moraliter ibi esse. *l. quæsitum 76. §. final. ff. de legatis 3.* ergo si transeuntes non dicuntur moraliter esse in eo loco, ad quem breui tempore diuertunt, minimè æquum est, vt ipsius loci leges obseruare astringantur, cùm solos in eo moraliter existentes obligent: & ita hanc sententiam tenent, Syl. *verb. Ieiunium, n. 7.* Magister Medina *1. 2. q 98. art. 5. propè finem commenti. §. Dubitatur præterea, vers. Secundò verò.* Sanchez *de matrim. lib. 3. disp. 18. num. 6. & 16.*

Dico quintò, probabiliter etiam dici potest extraneum ligari censuris latis per statutum in loco, in quo reperitur agens contra illud in alieno territorio, etiamsi non habeat intentionem ibi commorandi maiori anni parte, nisi probabiliter illud ignoret: & sic quamuis illo statuto non esset annexa censura, talis homo peccaret frangendo statutum, e. g. comedendo carnes die prohibito in alieno Episcopatu ex peculiari statuto illius. quia subiectio ad illud statutum seruandum oritur præcisè ex actuali existentia, & conuersatione in tali diœcesi, & ex obligatione quasi naturali, quæ inde nascitur, vt vnusquisque sese conformet moribus eius regionis, in qua degit pro eo tempore, quo ibi versatur. Tum, quia statutum obligat omnes, qui versantur in territorio ratione territorij. ergo. & ita hanc sententiam tenuit Lopez *p. 1. instr. c. 52. §. Vnaquæque ciuitas.* Suarez *tom. 5. in 3. part. disp. 5. sect. 5. num. 14. & 15.*

DVBITATIO IV.

V. *An vagi teneantur seruare statuta loci, vbi inueniuntur?*

Dico sextò, vagi, qui nullibi certam sedem habent, absque omni opinione tenentur seruare leges, & consuetudines loci, in quo etiã obiter reperiuntur, & incidũt in censuras latas per statuta agentes cõtra illa vbi versantur. quia cùm nullũ peculiare domiciliũ habeãt, illud quoad omnia acquirunt vbicunque reperiuntur. ergo: ita apertè colligitur ex doctrina Magistri Soti *in 4.*

*in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 2. §. est hic tamen, versic. secus autem.*

## Dvbitatio V.

**VI.** *An sententia generalis lata ab homine pro futuris culpis nedum liget subditos præsentes, sed etiam forenses?*

Dico septimò, sententia generalis lata ab homine pro futuris culpis sub pœna censuræ solùm ligat eos, qui tempore sententiæ re, aut spe sub iudicis eam proferentis iurisdictione continentur, eique subditi sunt, non autem obstringit forenses. quia sententia generalis lata ab homine respicit personas, vt subditas. Hinc infertur, quòd Clericus extraneus, qui causa transitus commoratur Tiburi, si deferat tormentum igneum, non subiacet excommunicationi latæ ab Episcopo Tiburtino contra deferentes huiusmodi tormentum. Ita Syl. *verb. excomm. 2. num. 10. ad finem.* Lopez *part. 2. instruct. tract. de clauibus, cap. 15. §. Præterea illud dubium, vers. at verò sententia.*

## Dvbitatio VI.

**VII.** *An sententia lata ab homine nedum liget subditos præsentes, sed etiam nascituros?*

Dico octauò, sententia generalis lata ab homine directè ligat, & fertur in personas subditas, re, aut spe, id est, in eos, qui tunc subditi sunt, vel qui nascentur, vel eò transferent domicilium. nam sententia generalis lata ab homine pro futuris culpis non solùm habet vim, & efficaciam cùm primùm fit, sed toto etiam tempore quo durat. ergo non solùm fertur, & obligat eos, qui sunt subditi eo tempore, quo ipsa primum pronunciatur, sed omnes, qui toto illo tempore denuò incipiunt esse subditi, siue per mutationem domicilij, siue per generationem, vel nouum vsum rationis. Videatur Suarez *tom. 5. disp. 5. sect. 5. num. 9.* contrarium tamen tenet Sayr. *lib. 1 de cens. cap. 7. num. 22. vers. at verò sententia generalis.*

## Dvbitatio VII.

**VIII.** *An extranei ligentur censuris latis ob aliquod delictum, si sint præsentes dum censura fertur?*

Dico nonò, extraneus existens in alieno territorio, etiamsi tempore quo pronunciatur sententia aliqua generalis continens censuram ab Ordinario illius loci, sit ibi præsens, non tenetur sub censura ad seruandum id, quod in ea sententia continetur, quia sententia fertur in eos, qui sunt subditi, sed extranei, etiamsi quando fertur sententia sub pœna censuræ ab Ordinario loci, in quo reperiuntur, contingat ibi versari, non sunt subditi. ergo non tenentur illam seruare, & multò minus si post latam sententiam ad illam diœcesim postea venerint. Ita colligitur apertè ex *cap. à nobis el 1. de sententia excommunic.*

Dico decimò, si verò extranei venerint in alienam diœcesim, animo ibi inhabitandi maiori anni parte, tenentur ne dum seruare leges, & statuta illius territorij, in quo reperiuntur, sed etiam sententias generales ab homine latas; quia eo ipso, quo maiori anni parte habent animum ibi versandi, fiunt parochiani, & subditi illius diœcesis. ergo cùm sententia generalis obliget subditos diœcesis, ligabit etiam extraneos intentionem habentes ibi versandi maiori anni parte. Ita Bonacina *tom. 1. tract. de cens. disp. 1. quæst. 2. punct. 6. num. 43.* Videatur etiam Syl. *verb. excomm. casu 14. dub. 7. num. 31. ad finem.* Sanchez *lib. 3. de matrimonio disp. 23. num. 13.*

Dico vndecimò, extraneus si in alieno territorio delictum committat, in quo per breue tempus versatur, licèt in ea diœcesi per sententiam sit lata censura ob illud delictum, illam non incurrit, quamuis talis sententia omnes subditos comprehendat. quia sententia generalis, quæ lata est ante commissum delictum, solùm potest obligare eos, qui sunt subditi absque tali delicto; non verò eos, quia postea subiiciuntur ratione delicti, sed extranei ante delictum commissum, non subduntur iudici territorij, in quo delinquunt. ergo. Ita benè Suarez *tomo 5. disp. 5. sect. 5. num. 12.* Syl. *verb. excomm. 2. num. 10. vers. quantum verò ad forenses, prope finem.*

## Dvbitatio VIII.

**IX.** *An sententia lata ab homine contra extraneos delinquentes in territorio ferentis, illos liget si fuerint citatione præuenti, antequam à territorio recedant?*

Dico duodecimò, sententia tamen generalis, siue specialis, lata ab homine sub censura pro culpis præteritis cum ordine ad satisfactionem, vel restitutionem, ligat quidem extraneos, qui deliquerunt in territorio eam ferentis, si non satisfecerint, vel restituerint; si tamen fuerint citatione præuenti, antequam è territorio recederent. quia delictum commissum in alieno territorio potest facere subditum extraneum, si non recessit citatione præuentus à territorio vbi deliquit. ergo, &c. Ita communiter DD. *in c. licèt, fin. de foro comp.* & speciatim Syl. *verb. excomm. num. 10.* Lopez noster *part. 2. instr. tract. de Clauibus cap. 15. §. secundò dicimus, versic. sed tamen non.*

Dico decimotertiò, extraneus delinquens in alieno territorio, & inde recedens, si ante exitum non fuit citatione præuentus à iudice delicti, non ligatur censura lata à iudice delicti pro culpa præterita: potest tamen iudex delicti requirere iudicem loci, vbi degit delinquens, vt eum citet, vel remittat id, quod de iure requisitus iudex facere tenetur. Quòd si citatus per iudicem vbi degit comparere recusat, per iudicem delicti excommunicari potest, & alius processus fieri contra personam, in quantum status causæ patitur: quia iam constitutus est in contumacia per citationem iudicis vbi degit. Sic benè Tabiena *verb. excom. 4. §. quæritur 6.* Sayr. *lib. 1. de cens. cap. 6. n. 43.*

**X.** *Ad rationem in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

## Dvbitatio IX.

*Quibúsnam legibus teneantur forenses?*

Ad rationem in contrarium positam à principio quatenus militat contra quartum pronunciatum, respondetur concedendo antecedens iuxta ea, quæ diximus *assertione* 7. dubij immediatè præcedentis; & negando consequentiam: licèt enim forenses sint exempti à legibus, & statutis proprij domicilij, & à legibus loci, ad quem per modum transitus diuertunt. Tamen tenentur seruare leges iuris communis latas à summo Pontifice pro vniuersis Christi fidelibus. Item tenentur legibus, quæ in suo domicilio, & in loco, in quo reperiuntur, obligant; quia tunc nulla esset ratio

ratio excuſans extraneos ab obſeruantia harum legum, cùm obligent tam in loco domicilij, quàm in territorio alieno, vbi reperiuntur, vt benè aduertit Sanchez *lib. 3. de matrim. diſp. 18. num. 3. & num. 24. ſolut. ad tertium argumentum.*

Neque inde ſequitur quòd foreſes ſint melioris conditionis quàm indigenæ, ex eo, quòd non ligantur legibus, & præceptis territorij alieni, dum in eo verſantur ad breue tempus; quia eodem modo indigenæ alicuius diœceſis ſi per modum tranſitus diuertant ad alienum territorium, ſimiliter & ipſi non obſtringuntur legibus illius loci, ſed ſolùm tunc tenentur legibus, quæ in ſuo territorio, & in loco, in quo reperiuntur, obligant. Videatur Sanchez nouiſſimè relatus. Bonacina *tom. 2. tract. de legibus, diſp. 1. quæſt. 1. puncto 6. num. 49. verſ. Reſpondeo incredibile, & num. 52. eodem loco.*

### Dvbitatio X.

**XI.** ***An extraneus degens breui tempore in alieno territorio, illius cenſuras incurrat?***

Hinc infertur, quòd extraneus degens breui tempore in alieno territorio, contraueniens ſtatutis, & præceptis illius loci, non incurrit cenſuras latas per illas leges, & ſtatuta, quia non habet animum ibi verſandi maiori anni parte. Neque ligatur cenſuris latis per præcepta, ſeu ſententias generales iudicia illius loci, vbi per modum tranſitus reperitur. Nam cenſuræ latæ per præcepta, ſeu ſententias hominis directè cadunt in perſonas ſubditas, ſiue ſubditæ ſint tunc temporis, quo fertur ſententia, ſiue poſtea fiant ſubditæ per conſtitutionem domicilij in eo loco, aut per natiuitatem, aut per intentionem ibi manendi maiori anni parte cum inchoatione inhabitationis, cùm ſolus animus in aliquo loco inhabitandi maiori anni parte non ſufficiat, vt quis fiat ſubditus illius loci, ſed requiritur etiam inchoatio inhabitationis, vt benè docet Syl. *verb. domicilium, num. 1.* Leſſ. *lib. 4. de iuſt. cap. 2. dub. 7. num. 46.* Extraneus igitur ſi ad breue tempus diuertit ad alienum territorium, non obſtringitur cenſuris per ſententiam latis.

### Dvbitatio XI.

**XII.** ***An foreſes teneantur ad leges diœceſis, in qua reperiuntur?***

Vnde forenſis committens factum damnatum in aliena diœceſi, puta furtum, vel homicidium ibi prohibitum ſub pœna cenſuræ, incurrit quidem pœnam diuini ſtatuti, nempè reatum pœnæ æternæ, non tamen obſtringitur pœna cenſuræ ibi lata per ſtatutum humanum contra fures, vel homicidas, vt adnotauit egregiè Syl. *verb. excomm. 2. num. 6.*

Quid? ſi aliquis decreuit perpetuò commorari media anni parte in vna diœceſi, & media in alia? Reſpondetur hunc teneri ſeruare leges, & præcepta vtriuſque territorij; & ſi leges, & præcepta vtriuſque loci præcipiant aliquid faciendum, vel omittendum ſub pœna cenſuræ incurrendæ, violans illas leges, & ſententias ligabitur cenſuris in vtroque territorio latis; quia qui alicubi habitat, & alibi incipit habere intentionem habitandi viciſſim, in vtroque loco contrahit domicilium, vt docet Syl. *verb. domicilium, n. 1.* & Leſſ. nouiſſimè citatus. ergo obligatur legibus & præceptis locorum, in quibus pro tempore reperitur, & ſi ſtatutis, & ſententiis ab homine latis ſint annexæ cenſuræ, illis tenebitur, ſi extiterit contumax, & violator: vide Bonacinam *tom. 2. tract. de legibus, diſp. 1. quæſt. 1. puncto 6. num. 42.*

## Articvlvs XXIX.

## An cenſura per vim metúmque illata valida ſit?

### Svmmarivm.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Declaratur, quotuplex ſit metus.*
3. *Dubitatio reſoluitur.*
4. *Rationibus in contrarium reſpondetur, & explicatur an abſolutio ex metu data ſit valida.*

**I.** *Pars negatiua probatur.*

Nam abſolutio à cenſura per vim metúmque in virum conſtantem cadentem obtenta nulla eſt, vt expreſsè habetur *in cap. vnico, de his quæ vi metúſve cauſâ fiunt 6.* Imò qui per vim, metúmque abſolutionem extorquet, non ſolùm à priori excommunicatione non ſoluitur, ſed etiam nouam excommunicationem incurrit. ergo ſimiliter cenſura lata per vim, metúmve nulla eſt. Nam poteſtas ligandi ſemper coniuncta eſt cum poteſtate abſoluendi, *can. verbum, de pœnit. diſt. 1.* vbi dicitur: Dominus par ius, & ſoluendi, & ligandi eſſe voluit. ergo hi actus abſoluendi, & ligandi cenſuris in iure cenſentur æquales. ergo ſi abſolutio à cenſuris, quæ fauorabilis eſt in iure, nulla eſt ratione metus, & violentiæ, multo magis idem cenſendum erit de ipſa cenſura, quæ odioſa, & pœnalis eſt, & ita hanc ſententiam tenent aliqui DD. quos tacito nomine refert Suarez *tom. 5. de cenſuris, diſp. 2. ſect. 5. num. 3.*

### Dvbitatio I.

**II.** *Quotuplex ſit metus.*

Dico primò, metus eſt duplex, vnus leuis, quo timetur leue malũ, vel graue malum, ſed leuiter, id eſt, ex cauſa leui, & improbabili, qui cadit in virum lenem timentem vbi non oportet. Alius dicitur grauis cadens in virum conſtantem, quòd timetur graue malum, grauiter, id eſt, ex cauſa probabili, qui ſecundùm iura dicitur metus iuſtus, ſiue cadens in virum conſtantem; intellige etiam mulierem, licèt minor timor excuſet magis mulierem, quàm virum. Metus grauis eſt quando mors ipſa, aut corporis cruciatus grauis, aut vniuerſorum bonorum, aut partis eorum amiſſio ex probabili cauſa intentatur, Vide Syl. *verb. Metus, in princ.* Sayr. *lib. 2. de cenſuris, cap. 21. num. 32.*

**III.** *Dubitatio reſoluitur.*

Dico ſecundò, cenſura, quæ non omninò liberè, ac voluntariè fertur, ſed potiùs per metum iuſtum incuſſum iudici à cauſa libera per iniuriam ad cenſuram extorquendam valida eſt; quia tunc cenſura ſic lata, vel eſſet inualida iure naturæ, vel iure humano poſitiuo; ſed neutro iure eſſet inualida. ergo, &c. Probatur minor, quòd non ſit inualida iure naturæ, quia geſta per metum etiam iuſtum iure naturæ ſunt valida, cùm metus non tollat voluntarium ſimpliciter, vt docet Ariſt. *3. Ethic. cap. 1.* D. Thom. *1. 2. q. 6. art. 6.* Sed voluntarium ſimpliciter ſufficit ad validitatem actus iure naturæ, vt docet gloſſ. ſolemnis *in cap. Abbas, de his, quæ vi metúſve cauſâ fiunt.* Nauarr. *tom. 1. conſil. lib. 1. de his, quæ vi, metúſve cauſa fiunt, conſil. 4. num. 6.* ergo. Quòd verò non ſit inualida iure poſitiuo, probatur, quia nullus textus afferri poteſt

ex iure, qui asserat illam sic latam esse inualidam; hanc assertionem renuit gloss. *in cap. vnico, de his, qua vi, metúsue causa fiunt 6. verb. vacuamus.* Bonacina *tom. 1. tract. de censuris, disp. 1. q. 1. puncto 12. n. 1.*

## IV. *Rationibus in contrarium respondetur, & explicatur*

### DVBITATIO II.

*An absolutio ex metu data sit valida?*

Nec officit ratio in contrarium, concedimus enim antecedens, & negamus consequentiam. Nam omnia metu facta regulariter ipso iure naturali valent, vt resoluit gloss. cit. *in cap. Abbas, de his, qua vi, metúsue causa fiunt*, cùm metus non tollat voluntarium simpliciter: nisi in contrarium sit in iure aliquis textus expressus, & quia est textus manifestus, *d. cap. vnic. de his, qua vi, metúsue causa fiunt 6.* quòd absolutio à censuris metu extorta non valeat; non autem reperitur ius inualidans censuram metu latam: ideircò, &c. Sicuti iuramentum rei licitæ, quod non vergit in dispendium salutis æternæ, ex parte iurantis metu ab extrinseco, & per iniuriam extorium, obligat *cap. verum, & cap. si verò, de iureiurando*, vt docet D.Th. *2.2. q. 89. art. 7. ad 3.* Votum verò emissum ex metu cadente in constantem virum incusso ab homine per iniuriam, licèt iure naturæ non sit irritum, auctoritate tamen Ecclesiæ, & iure canonico positiuo relaxatur, vt patet ex *cap. perlatum, de his, qua vi, metúsue causa fiunt*, vbi Alex. III. determinat profitentem Religionem ex tali metu per iniuriam incusso liberè matrimonium contrahere, & è Religione exire posse; ita similiter accidit in casibus in argumento positis.

Et ad instantiam ibi factam ex *can. verbum, de pœnitentia, dist. 1.* respondetur, vtique in Ecclesia esse par ius & soluendi, & ligandi, quia ad eam pertinet instituere censuras, & illas ferre, & sic ligare fideles, & eiusdem est illos à censuris absoluere, iuxta potestatem sibi traditam à Christo Domino Matth. 18. *Quacunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo; & quacunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo.*

Ad aliud fundamentum ibi positum respondetur quòd si censura metu illata esset ipso iure nulla, esset quidem fauor eius, in quem ferretur, non tamen esset fauor Ecclesiasticæ potestatis. Nam Ecclesiæ interest, vt eius potestas semper fortiatur effectum, si aliter in iure non sit expressum ad coërcendos sibi subditos, cùm in ea maneat facultas ad renocandum illud si oportuerit, & delinquens resipuerit, & ideo cùm hoc sit Ecclesiæ fauorabile, standum est pro validitate censuræ, etiamsi metu extorqueatur à iudice Ecclesiastico, cùm nullus in iure sit textus in contrarium, & voluntas coacta simpliciter sit voluntas. Videatur pro hac solutione Suarez *tom. 5. de censuris, disp. 2. sect. 5. num. 7.*

---

## ARTICVLVS XXX.

## An qui censuras contraxerunt sint denunciandi?

### SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur an ante denunciationem debeat citari & audiri delinquens.*
3. *Titulo dubitationis respondetur, & explicatur, an semper iudex teneatur ad denunciationem.*
4. *A quonam denunciatio fieri debeat.*
5. *Rationi in contrarium a principio respondetur, & explicatur, circa quas personas debeat fieri denunciatio.*

## I. *Pars negatiua probatur.*

NAm finis denunciationis est, vt populus admoneatur, ne cum his, qui censuris ligati sunt, communicet; sed sæpè contingit personas censuris obstrictas esse ignotas, ergo denunciatio frustrà fieret, cùm vitari nequeat is, qui nescitur.

### DVBITATIO I.

## II. *An ante denunciationem debeat citari, & audiri delinquens?*

Dico primò, qui censuram à iure, vel ab homine latam ipso facto contraxit, non est declarandus statim post delictum, etiamsi sit publicum, & notorium, sed præmittenda est citatio, & auditio eius, qui illam incurrisse præsumitur. Probatur nam denunciatio censuræ incursæ est quædam exequutio pœnæ, & exequutio pœnæ requirit cognitionem causæ, quæ nequit haberi, si non citetur reus, & audiatur. ergo citandus est, & audiendus, antequam quis denuncietur incurrisse talem censuram. Tum, quia quandoque contingit factum esse notorium, cui est annexa censura, non tamen est notum illud fuisse crimen, quod supponitur, vt incurratur censura. e.g. notorium est Caium occidisse Clericum, non tamen manifestum est illud fuisse crimen, nã excusari potest Caius, quòd in suam defensionem fecerit. ergo citandus est, & audiendus reus, antequam denuncietur censura ligatus. Ita benè Nauarr. *tom. 2. consil. lib. 5. de sententia excomm. consil. 56. num. 5.* Addens, quòd si quis declaretur incurrisse censuram absque præuia citatione, & auditione, declaratio est ipso iure nulla, quamuis censuræ latæ sine monitione valeant ipso iure.

## III. *Titulo dubitationis respondetur, & explicatur*

### DVBITATIO II.

*An semper iudex teneatur ad denunciationem?*

Dico secundò, qui censuram contraxit, denunciari debet. *cap. peruenit el 1. de appellationibus, & cap. Pastoralis. §. fin. eod. tit.* Quia sic rubore perfusus citiùs forsitan resipiscet, cùm videat omnes eius consortium post denunciationem fugere. *cap. pia consideratione, de exceptionibus 6.*

Dico tertiò, ad declarationem, & denunciationem ferendam non semper tenetur iudex, nisi vel ad petitionem partis, vel quando ad commune bonum est ita necessarium, vt ratione sui publici muneris ad id obligetur. quia nullum ius assignari potest, quod rigorosam obligationem huius denunciationis faciendæ inducat: nam *in can. cura 11. q. 3.* vbi præcipuè de hac denunciatione sermo est, dicitur, *cura sit.* ergo. Videatur Suarez *tom. 5. de cens. disp. 3. sect. 14. n. 6.*

### DVBITATIO III.

## IV. *A quonam denunciatio fieri debeat?*

Dico quartò, hæc denunciatio fieri debet à legitimo Superiore, siue de auctoritate legitimi Superioris; quia denunciatio est pœnæ exequutio: & exequutio pœnæ facienda est à legitimo Superiore, siue de eius mandato. ergo, &c. In censuris latis iure communi denunciatio

denunciatio fieri potest vel à proprio Episcopo ipsius delinquentis, vel si in alterius diœcesi delinquit, & consequenter ibi censuram incurrit, ab Ordinario illius loci poterit denunciari. nam ratione delicti quoad hoc factus est ei subditus, vt habetur *cap. 1. de raptoribus, & ex Clem. secunda, vers. locorum, de pœnis.* Vide Sayr. *lib. 1. de cens. cap. 13. num. 21.*

Dico quintò, in censuris verò latis abj homine, primò & per se denunciatio fieri potest ab eo, qui censuram intulit: nam ad illum pertinet exequi sententiam suam, vt colligitur ex *cap. pastoralis, §. verum, de appellationib.* Deinde verò ab aliis pastoribus, & Episcupis fieri poterit, & debebit, qui fuerint ab excommunicatione requisiti, vt dicitur *in Clement. quamuis, de foro compet. §. eorundem.* Idem erit dicendum in censuris ipso facto contractis per violationem statuti proprij Episcopi: nam eadem proportionalis ratio esse videtur. Videantur Sayr. & Suarez *locis citatis.* Bonacina *tom. 1. tract. de cens. disp. 1. quæst. 1. puncto 13. propositione secunda.*

V. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

## Dubitatio IV.

*Circa quas personas debeat fieri denunciatio.*

Ad rationem in contrarium respondetur denunciationem fieri solere dumtaxat in censura lata contra determinatam personam, non verò in censura edita contra indeterminatas personas, dum notæ non sunt personæ quæ deliquerunt. nam, vt benè probat argumentum suprà positum, denunciatio fit, vt fideles moueantur, ne cum eo, qui censura est obstrictus, communicent; hæc autem admonitio frustrà fieret, cùm vitari nequeat is, qui nescitur, an sit irrodatus censura. Ita benè aduertit Bonacina nuperrimè relatus *propositione prima.*

---

# *De causis excusantibus ab incurrenda censura.*

## Articulus XXXI.

## An ignorantia inuincibilis à censuris incurrendis excuset?

*Summarium.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur quid sit ignorantia iuris, facti, vel pœna; & quid sit ignorantia iuris communis, & iuris particularis.*
3. *Quid sit ignorantia crassa, supina, affectata, & probabilis, vel inuincibilis.*
4. *An omnis ignorantia affectata, crassa, & supina sit vincibilis, & econtra, & an differant.*
5. *Quid sit ignorantia antecedens, concomitans, & consequens; & an omnis ignorantia vincibilis sit consequens.*
6. *An ignorantia concomitans possit esse antecedens, & consequens.*
7. *Titulo dubitationis respondetur.*
8. *An excommunicationem incurrat ignorans inuincibiliter canonem summi Pontificis illam imponentem.*
9. *An affixio ad valuas S. Petri sufficiat ad incurrendam excommunicationem.*
10. *An ignorantia probabilis iuris particularis, vel communis, vel facti, vel qualitatis facti, excuset ab incurrendis censuris.*
11. *An rem habens cum Moniali, nesciens inuincibiliter, ipsam esse Monialem, committat sacrilegium, & censuras incurrat, si hoc sub censuris prohibeatur.*
12. *An percutiens vnum Clericum, credens inuincibiliter, illum esse alium Clericum, sit excommunicatus.*
13. *An projiciens sagittam in Clericum, si casu occidat alium Clericum transeuntem, censura ligetur.*
14. *Rationi in contrarium à principio posita respondetur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

Nam quamuis quis probabiliter ignoret pœnam ciuilem, puta quòd fur, aut homicida, suspendendus sit, si tamen furtum, aut homicidium committat, pœnam legis non euadet, cùm satis sit scire actum, quem committit esse malum, & iure diuino, vel naturali damnatum. ergo pari ratione licèt quis probabiliter ignoret pœnam censuræ à lege Ecclesiastica, vel ab homine inflictam pro actu iure diuino, vel naturali damnato, delictum committens censuræ pœnam non euadet, & ita hanc sententiam tenuit Couarr. *in c. alma mater 1. part. §. 10. num. 12. vers. Secundò principaliter;* cum limitatione tamen, quando scilicet ignorantia est circa legem ferentem censuram pro peccato damnato iure diuino, vel naturali.

## Dubitatio I.

II. *Quid sit ignorantia iuris, facti, vel pœnæ; & quid sit ignorantia iuris communis, & iuris particularis?*

Dico primò, ignorantia alia est iuris, alia facti, & alia pœnæ. Ignorantia iuris est quando nescitur, statutum, præceptum, vel prohibitio, vt accidit quando quis percutit Clericum nesciens prohibitam esse ab Ecclesia percussionem Clerici. Ignorantia facti contingit quando adest scientia, & notitia legis, seu præcepti, sed ignoratur factum, quod prohibetur in dicta lege, vt accidit quando quis scit latam esse censuram contra percussores Clericorum, sed nescit hunc esse Clericum. Ignorantia pœnæ contingit quando nescitur latam esse talem pœnam contra delinquentes, vt quando quis percutit Clericum sciens prohibitum esse ab Ecclesia percutere Clericum, & sciens hunc esse Clericum, sed ignorans prohibitum esse sub censura percutere Clericum. Vide Sotum *in 4. dist. 22. q. 1. art. 2. §. Quarimus demum casus.* Nauarr. *summ. c. 27. n. 274.*

Dico secundò, ignorantia alia est iuris communis, alia iuris particularis. Ignorantia iuris communis contingit, quando ignoratur ius, seu lex vniuersalis, quæ vniuersaliter obligat. Ignorantia iuris particularis est illa, qua ignoratur ius obligans particulares aliquas personas, vel tantùm in aliquo particulari territorio: & sic ignorans excommunicationes latas in Bulla Cœnæ Domini, dicitur habere ignorantiam iuris communis: si verò nesciat excommunicationes latas ab Ordinario alicuius loci in suo territorio, dicitur habere ignorantiam iuris particularis. de hac distinctione meminit Sotus nuperrimè relatus. Sayr. *lib. 1. de censuris, cap. 18. num. 21.*

## Dubitatio II.

III. *Quid sit ignorantia crassa, supina, affectata, & probabilis, vel inuincibilis?*

Dico tertiò, ignorantia alia crassa, & supina est, alia

alia affectata, alia probabilis, vt Canonistæ loquuntur, seu, vt Theologi volunt, inuincibilis. Ignorantia crassa,& supina est, qua quis ignorat id, quod communiter omnes sui Ordinis sciunt, & quod ipse scite debet,& potest. Affectata est, vbi quis ignorat, quia scite non vult, quod scite debet,& potest, vt liberiùs, absque conscientiæ remorsu, aut alia de causa iniusta peccet, iuxta illud Psalm. 35. *noluit intelligere, vt benè ageret*. Inuincibilis dicitur, non quòd simpliciter vinci non possit, sed quæ manet, postquam homo debitam diligentiam adhibuerit, & qua homines sui status communiter post adhibitam debitam diligentiam, laborant, qualis est ignorantia eius, qui homines doctos,& timoratos consulens non rectè instruitur. Vide Medinam *part. 2. quæst. 6. art. 8. §. rursus ignorantia.* Nauarr. *tom. 1. consil. lib. 1. de constitutionibus, consil. 1. num. 2.*

## Dvbitatio III.

IV. *An omnis ignorantia, affectata, crassa, & supina, sit vincibilis, & econtrà; & an differant?*

Dico quartò, licèt ignorantia affectata, crassa, & supina sit vincibilis, non tamen omnis ignorantia vincibilis est affectata, crassa,& supina. Nam ignorantia affectata, vt diximus, tunc contingit, quando quis eligit nescire quæ tenetur scite, vt liberiùs agat, & peccet. Ignorantia crassa, & supina accidit, quando ignorans nimiam,& summam negligentiam exhibuit vt sciret quod nosse tenetur. Ignorantia verò vincibilis quatenus distinguitur à crassa, & supina, illa est, quando quis mudicam, & mediocrem adhibuit diligentiam, non tamen sufficientem morali, & humano modo ad sciendum necessarium id, quod scite tenetur. ergo licèt ignorantia affectata, crassa,& supina, sit vincibilis, quia per adhibitam sufficientem,& necessariam diligentiam vinci potest, non tamen omnis ignorantia vincibilis, vt distinguitur ab aliis, est affectata, crassa, & supina, propter differentiam assignatam. Videatur pro hoc Magister Sotus *in 4. dist. 28. quæst. vnica, art. 1.-6. Ex his primùm colligitur*, quem sequitur,& adducit Sanchez *lib. 9. de matrimonio, disp. 32. num. 33. & lib. 1. operis moralis, cap. 16. num. 7.* contra Suarez *tom. 5 de censuris, disp. 4. sect. 10. num. 10.* vbi asserit ignorantiam vincibilem non distingui formaliter à crassa, & supina.

## Dvbitatio IV.

V. *Quid sit ignorantia antecedens, concomitans,& consequens, & an omnis ignorantia vincibilis sit consequens?*

Dico quintò, ignorantiam aliquando appellari antecedentem, aliquando concomitantem,& aliquando consequentem. Antecedens dicitur illa, quæ est probabilis, & inuincibilis, qua non posita actus malus non fieret. v. g. N. percutit Clericum nesciens ipsum esse Clericum, aut specialiter prohibitum esse percutere Clericum, quod si sciret, illum non percuteret; hic dicitur habere ignorantiam antecedentem. Ignorantia comes, seu concomitans dicitur illa, quæ si non adesset, actus nihilominus fieret. Vt si Titius percutiat inimicum credens esse feram, sed nihilominus illum percussisset, si suum inimicum esse animaduerteret: dicitur habere ignorantiam comitem, seu comitantem. Ignorantia consequens est ignorantia voluntatia, quando aliquis vult ignorate; vt excusationem habeat à peccato, vel alio modo, quando potest scite,& debet, & non curat,& sic non agere, & non velle, & non scire, sunt voluntaria indirectè. Dicitur autem hæc ignorantia consequens, non quatenus est causa peccati, quia vt sic, illud antecedit, sed quia cùm sit voluntaria directè, vel indirectè, consequitur actum voluntatis, vt benè aduertit Medina *1. 2. quæst. 6. art. 8. §. Sequitur vt dicamus, fol. 686. col. 2. mihi*. Consequens igitur ignorantia dicitur ad differentiam ignorantiæ antecedentis, quæ neque directè, neque indirectè est voluntaria, sed est causa actus, qua non posita non sequeretur. Hinc egregiè Medina nupertimè relatus, *§. ex hoc sequitur*, asserit inscitè Almaynum, & quosdam alios distinxisse duplicem ignorantiam antecedentem, quandam esse vincibilem, quandam verò inuincibilem: nam omnis ignorantia vincibilis est consequens, si quidem quodammodo est voluntaria: talis autem non est ignorantia antecedens; videatur pro hac assertione, & doctrina D. Thom. *1. 2. quæst. 6. art. 8.* & *ibidem* Caiet. & Medina; & *infrà* S. Doctor *quæst. 76. art. 3.* Ad maiorem claritatem præcedentium pronunciatorum,

Dico sextò, ignorantia alia est causa eius, quod ignoranter fit, alia verò non item. Tunc ignorantia causa est eius, quod ignoranter fit, cùm opponitur cognitioni, quæ si adesset, illud factum impediisset. nam cùm ignorantia priuatio quædam sit, hac duntaxat ratione potest esse causa remouendo impediens, seu prohibens. Tunc verò ignorantia non est causa eius, quod ignoranter fit, cùm non remouet cognitionem, quæ ipsum factum impediuisset, nempè si homo id nihilominus fuisset facturus, etiamsi cognouisset quod ignorauit. Hæc ignorantia posterior vocatur à S. Thom. & à Theologis *1. 2. quæst. 6. art. 8.* ignorantia concomitans, quia scilicet comitatur quidem id, quod fit, sed non est eius causa: quia si adesset cognitio, quæ huic ignorantiæ opponitur, nihilominus factum non fuisset impeditum. Consule D. Thom. nupertimè relatum,& infrà *quæst. 76. art. 1.* Medinam, & Caietanum *ibi* & Valentiam *1. 2. disp. 2. quæst. 1. puncto 6. § Prima diuisio fol. 171. col. 1. mihi*. Prior autem ignorantia, quæ est causa eius, quod ignoranter fit, dicitur antecedens, vel consequens. Antecedens, si sit inuincibilis, & probabilis. Consequens verò, si sit affectata crassa, vel supina.

## Dvbitatio V.

VI. *An ignorantia concomitans possit esse antecedens,& consequens?*

Dico septimò, Ignorantia concomitans, seu comes, licèt secundùm se formaliter, & propriè non sit antecedens, vel consequens, cùm non sit causa eius, quod fit: non enim remouet cognitionem, quæ si adesset, ipsum factum impediuisset; tamen diuersis respectibus potest dici vtroque modo. Antecedens enim dici potest, vt cùm quis, e. g. vacans venationi, habens prauum animi affectum occidendi hostem, adhibita tamen sufficienti diligentia, credens probabiliter in syluа esse feram, emittendo sagittam interficit inimicum. Quia hæc ignorantia fuit inculpabilis respectu illius actionis formaliter consideratæ, vt nempè interfectio hominis fuit, eo, quòd sit apposita sufficienti diligentia & venationi vacans putauit probabiliter interficere feram, & non inimicum. ergo non fuit volita; nihil enim volitum, quod non est cognitum, & consequenter vt sic, erit ignorantia antecedens, antecedens omnem voluntatis actum.

Dici potest etiam consequens, vt puta quando non adhibita sufficienti diligentia, vacans venationi in

in sylua putans occidere ceruum, interficit inimicum. quia tunc hæc ignorantia est culpabilis, & indirectè, saltem volita cùm potuerit, & debuerit scire apposita diligentia illum, in quem iecit sagittam, esse inimicum, & non feram, & tamen non curauit scire; & sic consequens hæc ignorantia diceretur actum voluntaris saltem indirectum sequens: concomitans autem dicitur, quate ous prauum animi affectum inferendi necem inimico, seclusa etiam ea ignorantia, comitatur. quia vt sic non est causa eius quod fit; noo enim remouet cognitionem, quæ si adesset, interfectionem inimicī impediuisset; sed potiùs è contra si adesset talis cognitio, actus nihilominus emissionis sagittæ, & occisionis hostis fieret. Vide Suarez *tom.5. disp.4.sect.8.num.9.&* 10. Sanchez *lib.1.operum mor.c.16. n.4.ad finem*. His positis, & explicatis,

### VII. *Titulo dubitationis respondetur.*

Dico octauò. Ignorantia probabilis, quæ etiam dicitur inuincibilis, inculpabilis, & antecedens, excusat ab incurrendis censuris. Ita colligitur ex *cap. vt animarum, de constitutionibus in 6.* vbi sic habetur: Vt animarum periculis obuietur, sententiis per statuta quorumcunque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina. ergo ignorantia inuincibilis excusat. Tum, quia ad incurrendas censuras requiritur contumacia. Sed vbi reperitur ignorantia probabilis, non adest contumacia: contumacia namque est inobedientia voluntaria, qua quis monitionem iudicis, vel Superioris implere contemnit. ergo vbi reperitur ignorantia probabilis, non incurritur censura. Ita Syl. *verb.excomm.2. num.6.* & DD. communiter.

### Dvbitatio VI.

VIII. *An excommunicationem incurrat ignorans inuincibiliter canonem summi Pontificis illam imponentem?*

Dico nonò. Ignorans inuincibiliter canonem Papæ excommunicationis pœnam imponentem pro delicto, lege alioquin naturali, aut diuina damnato, quamuis sciat factum esse illicitum, malum, & damnatum, excommunicationem non incurrit, si delictum illud commiserit. quia ad censuram incurrendam requiritur contumacia, & inobedientia contra Ecclesiæ præceptum, secundùm illud Matth.18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus*; sed ignorans inuincibiliter legem Ecclesiæ prohibentem aliquid sub pœna censuræ, non potest dici inobediens Ecclesiæ; ergo quamuis committat factum aliquod lege naturali, aut diuina damnatum, si ignorat probabiliter lege Ecclesiæ esse probibitum sub pœna censuræ, illam non incurret. Ita colligitur apertè ex doctrina D.Thom. *quodl. 1. art.19.* & clarè docet Syl. nouissimè cit. & *excommunic. vlt. quæst. 3.* vbi addit.

### Dvbitatio VII.

IX. *An affixio ad valuas S. Petri sufficiat ad incurrendam excommunicationem?*

Nec obstat quòd sæpè in excommunicationibus dicitur sufficere affixionem ad valuas Ecclesiæ sancti Petri Romæ: quia hoc verbum est quoad præsumptionem fori contentiosi, & quoad eos, qui sunt in culpa, ne publicentur in suis terris, quorum scilicet ignorantia est affectata. Hanc etiam assertionem tenuit Magister Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 2. §. & reuera hæc est, fol. 1069. col. 1. mihi*; contra Scotum *in 4. dist. 6. quæst. 8.* Adrianum *quæst. 3. de clauibus.*

### Dvbitatio VIII.

X. *An ignorantia probabilis, iuris particularis, vel communis, vel facti, vel qualitatis facti, excuset ab incurrendis censuris?*

Dico decimò. Ignorantia probabilis nedum iuris particularis, & communis, sed etiam facti, & qualitatis facti, excusat à censuris incurrendis. Prima pars huius pronunciati patet ex duabus immediatè præcedentibus assertionibus. Secunda verò pars patet ex *cap. si verò, el 2. de sententia excomm.* vbi excusatur ab excommunicatione iniiciens manus violentas in Clericum, quem ignorabat probabiliter esse Clericum; ergo similiter occidens Clericum, quem inculpabiliter credebat esse feram, excusabitur à censura ratione probabilis ignorantiæ. ergo ignorantia facti, & qualitatis facti excusat à censuris incurrendis, si sit probabilis, & inuincibilis, & ita hanc assertionem docet Medina 1. 2. *quæst. 76. art. 3. in suo comment. §. Ignorantia circumstantia.* Sayr. *lib.1. de censuris, c. 18. num. 18.*

### Dvbitatio IX.

XI. *An rem habens cum Moniali, nesciens inuincibiliter ipsam esse Monialem, committat sacrilegium, & censuras incurrat, si hoc sub censuris prohibeatur?*

Dico vndecimò, cōsequenter, si quis cognosceret Monialem aliquā, ignorans probabiliter esse Monialem, sciens tamen nō esse propriam vxorem, non coitutus cum ea, si cognosceret esse Monialem, quamuis ob hanc ignorantiam inuincibilem non excusaretur à peccato fornicationis, à peccato tamen sacrilegij excusaretur, vnde si censura esset lata contra rem habentem cum Moniali, talem censuram non incurreret. Sayr. nupertimè relatus, *num.16.*

### Dvbitatio X.

XII. *An percutiens vnum Clericum credens inuincibiliter illum esse alium Clericum, sit excommunicatus?*

Dico duodecimò, percutiens Caium Clericum credens inuincibiliter illum non esse Caium, sed Titium similiter Clericum, incurreret censuram excommunicationis: quia tam intentio, quàm opus exterrnum est iniuriosum statui clericali. Sanchez *lib. 9. de matrimonio, disp. 37. num. 27.* Sayr. *lib. 3. de censuris, cap. 27. num. 4.*

### Dvbitatio XI.

XIII. *An proijciens sagittam in Clericum, si casu occidat alium ad occidendum Clericum transeuntem, censura ligetur?*

Dico decimotertiò, qui proiicit sagittam ad occidendum Caium Clericum, sed fortè fortuna, inculpabiliter percutit, vel occidit alium Clericum, cùm sufficien

sufficientem diligentiam adhibuerit, ne actus emissionis sagittæ peruenirct ad illum, non incurrit excommunicationem. Probatur, quia in priori casu duodecimæ assertionis tam intentio, quàm opus externum fuit iniustum, & iniuriosum culpabiliter statui clericali; in posteriori verò huius decimætertiæ assertionis solus affectus malus fuit. Opus autem externum percussionis fuit omnino culpa vacans, cùm fuerit apposita sufficiens diligentia, ne alius Clericus percuteretur; sed solus affectus malus, non coniunctus cum opere externo, non inducit censuram excommunicationis latam *in can. si quis 17. quæst. 4.* ergo. Suarez *tom. 5. de cens. disp. 12. sect. 1. num. 54.*

Dico decimoquartò, si verò actio illa exterior non solùm quatenus tendebat ad Caium Clericum percutiendum, sed etiam quatenus de facto attingit alium Clericum transeuntem, fuit peccaminosa eo quòd respectu vtriusque fuerit voluntaria, directè quidem respectu Caij, vt supponitur, indirectè verò respectu Clerici transeuntis, quem percussit, quia nimirum sufficientem diligentiam proiiciens, sagittam non adhibuit vt caueret, ne ob errorem ictus in alium Clericum caderet. Tunc iaciens sagittam incurrit excommunicationem canonis *si quis*, 17. *quæst.* 4. quia tunc actus ille exterior, etiam vt est actualis percussio, est voluntarius saltem indirectè. ergo cessat ratio excusationis incurrendi censuram latam per canonem *si quis*, cùm percussio ista sit culpabilis, & indirectè voluntaria, supponit enim ignorantiam crassam, & supinam, quæ non excusat ab incurrendis censuris, vt habetur *in cap. vt animarum, de constitutionibus* 6. Videantur Sanchez, & Suarez *vbi suprà*. Bonacin. *tom. 1. tract. de censuris, disp. 1. quæst. 2. puncto 1. num. 10.*

## XIV. *Rationi in contrarium à principio positæ respondetur.*

Ad rationem in contrarium positam à principio respondetur, quòd petit vt explicemus illud dubium, an ad incurrendam censuram sufficiat scientia iuris naturalis, diuini, vel positiui, prohibentis rem illam ob quam incurritur censura, vel etiam requiratur scientia pœnæ censuræ impositæ. sed de hoc statim dubio sequenti dicemus; pro nunc tamen respondetur, concedendo antecedens, & negando consequentiam, & ratio negationis est, quia censuræ Ecclesiasticæ non incurruntur nisi propter contumaciam, quæ non accidit, nisi cùm aliquis contemnit ipsam sententiam censuræ latam, atque adeò cùm illam cognoscit: ignorans autem probabiliter Ecclesiæ statutum sub pœna censuræ, non est contemnens, nec contumax, neque inobediens Ecclesiæ; & ideò, vt sic non incurrit pœnas, & censuras Ecclesiasticas, quæ latæ sunt contra inobedientes Ecclesiæ: reliquæ verò pœnæ ciuiles cùm sint ordinariæ, & proportionatæ delicto, sequuntur naturam delicti, cui per legem decretæ sunt, licèt lex ipsa ciuilis pœnalis ignoretur. Ita egregiè Magister Sotus *in 4. dist. 21. quæst. 1. art. 1. propè finem, versic. reliqua.* quem sequitur Valent. *1. 2. disp. 6. quæst. 6. puncto 1. §. Nonò intelligitur, versic. Nam hoc.*

## ARTICVLVS XXXII.

### An ad incurrendas censuras Ecclesiasticas non sufficiat scientia iuris positiui rem illam prohibentis, sed requiratur etiam scientia ipsius pœnæ; atque ita sciens ius prohibens, ignorans id prohibere sub pœna censuræ, illam minimè incurrat?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, declarando, an ad incurrendas censuras requiratur scientia illarum.*
3. *An ad incurrendam irregularitatem requiratur scientia irregularitatis ex commisso delicto prouenientis.*
4. *An ignorantia inuincibilis, de precepto Ecclesiastico prohibente actum, excuset ab incurrenda irregularitate, quando actus ab Ecclesia prohibitus, est de se malus.*
5. *An ignorantia inuincibilis excusans simpliciter à culpa, excuset etiam à pœna.*
6. *An sine culpa rebaptizatus, vel occidens hominem sit irregularis si postea approbet factum.*
7. *An pueri rebaptizati irregularitatem incurrant, si postea factum ratificent.*
8. *Rationibus in contrarium à principio respondetur.*
9. *An hæretici ignorantes, hæresi esse annexam excommunicationem, ea ligentur.*

## I. *Pars negatiua probatur.*

NAm ignorantia facti, non autem iuris, excusat, *regula ignorantia 13. de regulis iuris in 6.* ergo si quis conscius statuti prohibentis aliquid, nesciens autem probabiliter, an sub pœna censuræ prohibeat, incurrit censuram, si contrauenit illi statuto, si sub pœna censuræ latum sit. quia hæc est ignorantia iuris, non facti, quæ non excusat: tum, quia si pars affirmatiua esset vera, multi hæretici non essent excommunicati, cùm plerosque lateat, pœnam excommunicationis hæresis crimini esse annexam. Tum, quia occidens hominem, licèt nesciret canonem punientem homicidam pœna irregularitatis, tamen irregularis esset. ergo similiter, &c. & ita hanc sententiam tenuit Scotus *in 4. dist. 6 quæst. 8. in princ.* Conarr. *cap. Alma mater, part. 1. §. 10 à num. 9. vsque ad 12.* Medina *1. 2. q. 76. art. 3. in fine, concl. 3.*

## II. *Veritas aperitur, & declaratur*

## DVBITATIO I.

### *An ad incurrendas censuras requiratur scientia illarum?*

Dico primò, ad incurrendam excommunicationem non sufficit scientia iuris positiui prohibentis rem illam, cui est annexa excommunicatio, sed etiam desideratur scientia ipsius excommunicationis. quia excommunicatio est pœna medicinalis, *c. 1 de sententia excom. 6.* Sed si ignorantia incurreretur, non esset medicina, sed potius obesset. ergo, &c. Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 2. propositione 4.* Rodriquez *part. 1. summa cap. 77. num. 3.* Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 32. num. 13.*

Dico

Dico ſecundò, ſuſpenſionis, & interdicti pœnæ non incurruntur vbi adeſt probabilis ignorantia iuris poſitiui eas imponentis, etiamſi delinquens in aliud ius peccare nouerit. Quia *in cap. vt animarum, de conſtitutionibus in 6.* aſſeritur ignorantes non ligari ſententiis, vbi, non eſt ſermo de ſola excommunicationis ſententia, ſed de omnibus ſententiis, quia indefinitè textus loquitur, dum ait, *à ſententijs quorumcumque Ordinariorum*; atque ita indefinita iuris propoſitio tradens regulam, prout ibi fit, æquiualet vniuerſali. ergo. & ſic hanc aſſertionem, loquens de omnibus cenſuris, docet Tabien *excomm. 7. quaſt. 1. propè finem, verſ. & ſic omiſſis multis.* Azor. *part. 1. inſt. mor. lib. 1. cap. 15. dub. 3.* Suarez *tom. 5. de cenſuris, diſp. 4. ſect. 9. num.* 19. Sola igitur ignorantia probabilis ſolius cenſuræ vniuersè loquendo de omnibus cenſuris ſufficit, vt aliquis ab incurrenda cenſura excuſetur, etiamſi aliàs ſimplicem Eccleſiæ prohibitionem non ignoret.

## Dvbitatio II.

### III. *An ad incurrendam irregularitatem requiratur ſcientia irregularitatis ex delicto commiſſo prouenientis?*

Dico tertiò, probabiliter etiam dici poteſt ad incurrendam irregularitatem ex delicto conſurgentem, puta ex delicto violandi cenſuras, non ſufficere ſcientiam iuris poſitiui prohibentis ſimplex delictum, ſed etiam deſiderari ſcientiam ipſius irregularitatis, quæ eſt pœna delicti, & incurritur propter delictum. Probatur, quia irregularitas, quæ conſurgit ex delicto, eſt pœna contemptus, vt docet Nauarr. *ſumma cap. 27. num. 252. verſic.* 8. at ignorans probabiliter ius irregularitatem imponens non contemnit. ergo eam non incurrit, & ſic hanc aſſertionem tenere videtur Nauarr. *loc. cit.* & apertè eam docet Sanchez *lib. 9. de matrimonio, diſp. 32. num. 17. &* 20. Bonacina *tom. 1. tract. de cenſuris, diſp. 1. quaſt. 2. puncto 1. num.* 13. & eam cenſet probabilem Ledeſma 1. *part. 4. q. 7. art. 9. dub.* 2. *in fine.* oppoſitum tamen appellat ſecuriùs, & veriùs. fauet etiam huic aſſertioni Nauar. alio in loco *ſumma cap. 23. num. 47. fine.*

Dico quartò, conſultò dixi in præcedenti aſſertione, irregularitatem ex mero delicto conſurgentem eſſe probabile non incurri, ſi non adeſt ſcientia ipſius irregularitatis incurrendæ. Nam ſi ſermo ſit de irregularitate, quæ incurritur ex defectu, puta propter indecentiam, vel propter ſignificationem, conſtat eam contrahi quacumque data ignorantia, ſiue iuris, ſiue facti, ſiue ipſius irregularitatis, quia hæc ſequitur factum ipſum abſque omni culpa. Vide Caiet. 1. 2. *q. 76. art. 3. §. Ad hoc dicitur quod totaliter.* Dicitur irregularitas incurri ex defectu propter indecentiam, quia non decet, vt qui ſanguine contaminatus eſt, Sacramentorum innocentiſſimi Agni Chriſti ſit miniſter, & ſic iudex etiam propter iuſtam illatam occiſori pœnam mortis, propter homicidium commiſſum, eſt irregularis propter indecentiam, &c. Irregularitas propter ſignificationem incurritur ex bigamia, quia Chriſtus vnam Eccleſiam ſibi deſponſauit. Ideo bigamus dicitur, & eſt irregularis. quia ſtatus bigamiæ non rectè ſignificat illam vnitatem Chriſti cum Eccleſia. Conſule Medinam 1. 2. *q. 96. art. 4. fol.* 515. *mihi. §. Ad primum argumentum.*

Dico quintò, verius tamen, & probabilius dicimus ignorantiam ſolius irregularitatis, quæ conſurgit ex delicto, quantumcumque inuincibilis ſit, non impedire quin irregularitas contrahatur. Dico *ignorantiam irregularitatis*, quia ignorantia culpæ aliquando poteſt impedire irregularitatem, quæ pro culpa, vt ſic impoſita eſt, vt ſtatim dicemus. quia irregularitas conſurgens ex delicto non eſt pœna medicinalis, quæ pro contumacia formaliter fertur, &, vt ab illa recedatur, ſed fertur in vindictam delicti, vnde propriam contumaciam non requirit. ergo ignorantia ſolius irregularitatis non excuſat, quin hæc contrahatur; & ita hanc ſententiam tenet Caiet. nuperrimè cit. Sotus *in 4. diſt. 22. quaſt. 1. art. 2. ad finem. §. Reliquæ.* Syl. *verb. Ignorantia, quaſt.* 8. Suarez *tom. 5. de cenſuris, diſp.* 40. *ſect. 5. num. 9.*

## Dvbitatio III.

### IV. *An ignorantia inuincibilis de praecepto Eccleſiaſtico prohibente actum, excuſet ab incurrenda irregularitate, quando actus ab Eccleſia prohibitus eſt de ſe malus?*

Dico ſextò, ſecurius, & probabilius mihi videri ignorantiam inuincibilem de præcepto Eccleſiaſtico prohibente actum pro quo imponitur irregularitas, non excuſare ab incurrenda irregularitate; quando actus ab Eccleſia prohibitus ſub pœna irregularitatis eſt de ſe malus, & contra legem diuinam, aut naturalem. quamuis illa ignorantia inuincibilis excuſet à culpa inobedientiæ Eccleſiæ, & à tranſgreſſione legis eius, non tamen excuſat à culpa ſimpliciter: vnde pœna irregularitatis incurritur à bis baptizantibus, vel baptizatis, licèt ignorent hanc pœnam eſſe impoſitam bis baptizantibus, vel baptizatis: ſimiliter ſciens ſciens ſe eſſe excommunicatum, ſuſpenſum, vel interdictum, ſi celebrat, contrahit irregularitatem, etiamſi ignoret præceptum Eccleſiaſticum prohibens excommunicatis, ſuſpenſis, vel interdictis, ſub pœna irregularitatis, Sacrum facere. quia hi dant operam rei illicitæ, & pœna irregularitatis ſequitur naturam delicti, cui per legem Eccleſiaſticam eſt decreta, licèt lex ipſa pœnalis ignoretur, vt egregiè docet Sotus nouiſſimè relatus. Lopez *part. 2. inſtr. de Clauibus, c. 13. de excommunicatione. §. Ad argumentum tertium, fol.* 889. *mihi.* Sayr. *lib. 7. de cenſuris, cap. 8. num. 14 fine.*

## Dvbitatio IV.

### V. *An ignorantia inuincibilis excuſans ſimpliciter à culpa, excuſet etiam à pœna?*

Dico ſeptimò. Ignorantia tamen inuincibilis excuſans à culpa ſimpliciter, excuſat etiam à pœna irregularitatis. e. g. Si aliquis plebeius inuincibiliter ignorans præceptum diuinum prohibens rebaptizationem, quod poteſt euenire; non enim eſt ita notum ius diuinum prohibens rebaptizare, & rebaptizari, quin idiota, & ruſticus ignorare poſſit, tunc excuſaretur à pœna irregularitatis, quia ignorantia inuincibilis excuſans à culpa ſimpliciter, excuſat etiam ab incurrẽda irregularitate quæ prouenit ex delicto, hæc enim non niſi ob culpam grauem impoſita eſt. Ita egregiè Sotus *in 4. diſt. 3. q. vnica, art. 9. §. Igitur in ſumma reſpondetur.* Lopez nuperrimè adductus, *verſ. & certè.* Suarez *tom. 3. in 3. p. diſp. 31. ſect. 6. n. 6.* Sayr. *vbi ſuprà.*

## Dvbitatio V.

### VI. *An ſine culpa rebaptizatus, vel occidens hominem ſit irregularis, ſi poſtea approbet factum?*

Dico octauò conſequenter, ſi quis ignoranter rebaptizetur, vel occidat hominẽ abſque omni culpa, ſi poſtquam ſciuit ſe eſſe rebaptizatum, vel rebaptizaſſe,

vel occidisse hominem, secundum Baptismum ratum habeat, & gaudeat homicidio, seu meliùs occisione facta, nun erit irregularis; quia subsequuta ratihabitio, vel consensus non facit priorem actionem, vel passionem Baptismi culpabilem, nec homicidium voluntarium, cui est irregularitas tanquam pœna iniuncta, sed solùm illa ratihabitio, vel consensus est peccatum de nono commissum, cui pœna irregularitatis in iure non est imposita. Tum, quia (loquendo speciatim in casu rebaptizationis) hæc irregularitas imposita rebaptizantibus, & rebaptizatis, peccato rebaptizationis est iniuncta, & non ob aliquam specialem indecentiam, qualis est sanguinis effusio, & corporis vitium, vel ob significationem, qualis est bigamia, vt egregiè Sotus *in 4. dist. 3. q. vnic. art. 9. §. vnum hic.* ergo supponit peccatum rebaptizationis. ergo ratihabitio de rebaptizatione non causat hanc irregularitatem, cùm sit nouum peccatum distinctum à culpa rebaptizationis.

## DVBITATIO VI.

VII. *An pueri rebaptizati irregularitatem incurrant si postea factum ratificent?*

Hinc infertur, quòd infantes absque propria culpa rebaptizati pœna irregularitatis non afficiuntur, etiamsi postea certiores facti de secundo Baptismo illum ratum habeant. quia hæc irregularitas rebaptizationem scienter, & culpabiliter exercitam, vel receptam supponit. Videatur pro hac assertione Sotus nuperrimè relatus. Suarez *tom. 3. in 3. partem disp. 31. sect. 6. ad finem versic. quin potius.* Sayr. *lib. 7. de censuris cap. 8. num. 15.*

VIII. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

Ad primum fundamentum à principio positum quatenus militat contra primam, & secundam assertionem, respondetur regulam illam intelligi in foro externo, in quo iuris ignorantia non præsumitur, vnde in foro animæ nedum ignorantia inuincibilis facti, sed etiam iuris, si sit probabilis, excusabit ab incurrendis censuris, vt bene docet Syl. *verb. ignorantia q. 7. n. 12.* Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 32. num. 10.*

## DVBITATIO VII.

IX. *An hæretici ignorantes heresi esse annexam excommunicationem, ea ligentur?*

Ad secundum fundamentum, quod etiam directè militat contra primum, & secundum pronunciatum, respondetur concedendo hæreticos, & cæteros, si excommunicationem inuincibiliter ignorent, ea minimè ligari, est enim excommunicatio pœna medicinalis quæ ignorantes probabiliter factum, vel ius censuram imponens non afficit. Videatur pro hac solutione Sotus *in 4. dist. 3. quæst. vnic. art. 9. §. Habemus.* ergo. Sanchez *vbi suprà num. 14. fine.*

Ad tertium fundamentum respondetur, transeat antecedens, & nego consequentiam, etiam sustinendo tertiam assertionem. Nam irregularitas, quæ contrahitur ex homicidio voluntario, non solùm est pœna culpæ ex delicto homicidij consurgens, sed etiam ex defectu lenitatis perfectè propter indecentiam, non enim decet, vt qui sanguine humano contaminatus est, agni innocentissimi Christi sit minister. Hæc autem irregularitas incurritur posita quacunque ignorantia, quia sequitur factum ipsum absque omni culpa, vt diximus *pronunciato 4.* Cæterùm ignorantia probabilis iuris positiui prohibentis aliquid sub pœna censuræ excusat ab ea incurrenda, quia censura est pœna medicinalis, quæ nõ afficit inuincibiliter illam ignorãtes.

Respondetur secundò, & meliùs, sequendo sententiam probabiliorem, & veriorem explicatã *dicto 5. & 6.* negando antecedẽs. Nam ignorantia inuincibilis legis Ecclesiasticæ prohibentis homicidium sub pœna irregularitatis non excusat homicidam ab irregularitate, hanc enim pœnam, cùm nõ sit medicinalis, sed in vindictam delicti impositã, potuit Ecclesia sua lege imponere pro ipso actu homicidij quatenus est contra legem diuinam, aut naturalem, etiamsi non sit voluntariè, & formaliter contra legem Ecclesiasticam ignoratam: vnde non est eadem ratio. Videatur pro hac solutione Lopez noster *p. 2. Instruct. de clauibus c. 3. de excom. §. Ad argumentum 3. fine, fol. 889. mihi.* Suarez *tom. 5. de censuris disp. 40. sect. 5. num. 10.*

## ARTICVLVS XXXIII.

## An ignorantia concomitans eximat à censuris incurrendis?

### SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur, an ignorantia concomitans causet contrariè inuoluntarium.*
3. *Titulo dubitationis respondetur, & explicatur, an excusetur ab irregularitate hostem necans, credens esse feram.*
4. *An vacans venationi incurrat censuras & irregularitatem, si dubitans, an sit fera, iaciendo sagittam, Clericum occidat.*
5. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, an proponens non ieiunare diebus statutis ab Ecclesia, peccet si in aliqua die tali inaduertenter non ieiunet.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm si quis decreuit omnino non ieiunare, & perseuerans in eadem voluntate ignoraret vigiliam Apostolorum Petri, & Pauli esse diem præcepti ieiunandi, non ieiunaret, non excusaretur à peccato exteriori non ieiunandi die ab Ecclesia statuto ob ignorantiam concomitantem, quia illa impertinenter se habetet in ordine ad actum exteriorem ieiunandi; ergo similiter si quis decreuit Caium Clericum inimicum percutere, & perseuerans in eadem mala voluntate, vacans in sylua venationi, si percutit Caium Clericum hostem, quem inuincibiliter putauit esse ceruum, peccatum sacrilegum percussionis Clerici externum committet. ergo non euadet excommunicationem, & consequenter ignorantia concomitans non excusat ab incurrendis censuris, & ita hanc opinionem tenet apertè Sayr. *lib. 2. clauis cap. 9. n. 36.*

## DVBITATIO I.

II. *An ignorantia concomitans causet contrariè inuoluntarium.*

Dico primò. Ignorantia concomitans, quæ comitatur quidem id quod fit, sed non est causa actus, non enim tollit scientiam, quæ si adesset prohiberet actum, imò si adesset, sequeretur actus: vt si quis putans probabiliter se occidere feram, interficit hostem, quem tamen si cognouisset, etiam occidisset. hæc, inquam, ignorantia non causat inuoluntarium contrariè, quia non causat aliquid, quod sit repugnans voluntati illius sic operantis. mors enim inimici non est voluntati eius contraria, sed potiùs audita morte illius delectatur, neque

neque causat voluntarium; quia non potest esse actu volitum, quod ignoratum est. Ita benè D.Thom. 1.2. *quæst.6.art.*8. citans Arist. 3. *Eth. cap.* 1. dicentem, qui cùm ex ignoratione quippiam egit, factum minimè ægrè fert, is sanè neque sponte egit id, quod ignoratur, neque inuitus cùm non doleat.

III. *Titulo dubitationis respondetur, & explicatur*

## DVBITATIO II.

*An excusetur ab irregularitate hostem necans credens esse feram?*

Dico secundò. Ignorantia concomitans non eximit ab excommunicatione, cæterisque censuris Ecclesiasticis, vnde si quis Clericum cædat ignarus prorsus clericatus, non euadet excommunicationem, si tunc eo animo affectus esset, vt cognito Clericatu minimè à percussione abstineret. Nec similiter ab irregularitate excusabitur hostem necans, credens innincibiliter esse feram. quia ignorantia hæc ratione prauæ voluntatis à peccato minimè excusat, & opus ipsum externum sequutum est. ergo neque etiam à censura, & irregularitate excusabit, & sic hanc opinionem tenet expressè Sayr. *vbi suprà, & lib.* 1. *de cens. c.*18.*n.*20. Rodriquez *p.*1.*summa,c.*80.*n.*11.

Dico tertiò, verius, & probabilius mihi dicendum videtur, ignorantiam probabilem comitantem semper excusare operantem à censuris incurrendis, irregularitate, cæterisque iuris pœnis, etiamsi adsit prauus ille affectus circa obiectum quod ignoratur. Probatur, quia censuræ, & cæteræ pœnæ Ecclesiasticæ contrahuntur ob peccatum externum; sed opus externum factum cum ignorantia probabili comitante, vt sic non est peccatum: ergo. Maior est clara, Ecclesia enim suis censuris, & pœnis non punit nisi actus externos; minor verò probatur, quia non est peccatum nisi sit voluntarium; sed ignorantia probabilis concomitans non facit opus voluntarium, vt diximus *assertione* 1. Voluntarium enim, vt inquit Arist. 3. *Eth.cap.*1. est à principio cognoscente singula, in quibus est actio. ergo ignorantia probabilis concomitans formaliter, & per se excusat à peccato opus externum, & consequenter eximet à censuris, & irregularitatibus incurrendis, quæ contrahuntur ex delicto externo. Nam vt hæ pœnæ incurrantur, requiritur, vt actus externus habeat malitiam prohibitam sub censura, vel irregularitate: tum, quia licèt vacans venationi in sylua habeat affectum prauum, & desiderium occidendi Caium Clericum hostem, si tamen probabiliter adhibita sufficienti diligentia putans occidere feram, interficit Caium Clericum inimicum, actus externus occisionis non imputatur ei ad culpam, cùm non procedat ab illo interno desiderio, & prauo affectu contra inimicum, sed ab intentione occidendi feram, à qua mouetur ad sagittam iaciendam. ergo quoad actum externum occisionis inimici Clerici nec sacrilegus, nec homicida dici potest, & consequenter neque excommunicatus, neque irregularis erit; licèt habeat in mente culpam homicidij & sacrilegij interni propter prauum illum affectum, & desiderium interficiendi Caium Clericum inimicum; & ita hanc assertionem tenet Lopez noster *p.*2.*instr. de Clauibus,cap.*13.*de excomm.§. Ex prædictis sequitur fol.* 886.*mihi.* videatur, vbi benè hoc explicat, Suarez *tom.*5.*de cens.disp.*4.*sect.*8.*n.*9.10. Sanchez *lib.*1.*oper.mor.cap.*16.*n.*13.*&* 14. Bonac. *tom.* 1. *tract. de cens.disp.*1.*quæst.*2.*num.*14.

## DVBITATIO III.

IV. *An vacans venationi incurrat censuras & irregularitatem, si dubitans an sit fera iaciendo sagittam Clericum occidat?*

Dico quartò, si tamen dubitauit vacans venationi, esset ne fera, an Clericus inimicus, quem præ oculis habebat in sylua, & mittens sagittam, voluntatem actualem habuit interficiendi quemcumque in conspectu suo, siue sit hostis, siue fera: tunc non euadet excommunicationem, neque irregularitatem, si sequuto effectu iaciens sagittam interficit Clericum inimicum. quia affectus, & opus externum sunt praua, & infsta, habentia culpam sacrilegam: ita colligitur ex doctrina, quam adducit Lopez noster nouissimè relatus, quem sequitur, & citat Sanchez *lib.* 9. *de matrimonio, disp.*32.*num.*16 *fine.*

V. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

## DVBITATIO IV.

*An proponens non ieiunare diebus statutis ab Ecclesia, peccet si in aliquo die tali inaduertenter non ieiunet?*

Nec officit contra prædicta, ratio posita à principio, negamus enim antecedens, licèt enim statuens nō ieiunare diebus statutis ab Ecclesia, tunc peccet, tamen si omninò inaduertenter, & ignorantia inuincibili, quando currit præceptum ieiunandi, illud non aduertit, non committit nouum, proprium, & speciale peccatum contra præceptum ieiunandi, si non ieiunet, etiamsi non ieiunaret si aduerteret currere præceptum ieiunandi; quia in tantum transgressio alicuius præcepti est peccaminosa, in quantum est volūtaria. Omne enim peccatum necessariò debet esse voluntarium: at inaduertentia, & ignorantia inuincibilis tollit omninò voluntarium; ergo. Tum, quia per dispositionem habitualem non peccatur formaliter, donec voluntariè ea in actum prodeat; ergo quamuis statuens non ieiunare sit dispositus habitualiter ad nō ieiunandum statutis ab Ecclesia diebus, nisi adsit actualis aduertentia præcepti ieiunandi, non committit peccatum externum non ieiunandi, licèt si aduerteret, adhuc non ieiunaret; sicut assuetus blasphemare si omninò inaduertenter blasphemet, non propterea de nouo peccat, etiamsi blasphemaret si aduerteret se blasphemare, quia conditionalis nullius est meriti, vel demeriti, & ideo quidquid contingeret si homo aduerteret, nihilominus inaduertentia postquam tollit voluntarium, tollit peccatum. Ita egregiè Sotus *in* 4. *lib.*8. *de iust.q.*2.*art.*3 *fine, vers. Nam primum.* Rodriquez *part.*1. *summa c.*191.*concl.*7. Suarez *tom.*5. *de cens.disp.*4. *sect.*8. *n.*9. contra Sayr. *lib.*5. *Clau.c.*4.*n.*17.

## ARTICVLVS XXXIV.

## An ignorantia vincibilis excuset ab incurrendis censuris?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur quomodo ignorantia vincibilis affectata, & optata, vel crassa, & supina, sint volita.*
3. *Quanam sit ignorantia vincibilis culpabilis venialiter, & culpabilis mortaliter.*

4. *Veritas aperitur, & explicatur, an ignorantia crassa facti, vel iuris, vel vincibilis excuset ab incurrenda censura.*
5. *An ignorantia vincibilis non excusans à mortali eximat à censuris.*
6. *Ad rationem in contrarium à principio respondetur, & explicatur, an omnis ignorantia crassa sit vincibilis.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm ignorantia erassa, & supina non exeusat ab incurrendis censutis, vt habetur *cap. vt animarum, de const. 6.* sed ignorantia vineibilis est erassa, & supina, eùm sit culpabilis. ergo noo eximit ab incurrendis censuris.

## DVBITATIO I.

II. *Quomodo ignorantia vincibilis, affectata, & optata, vel crassa, & supina, sint volita?*

Dico primò, igoorantia vineibilis alia est affectata, siue opiata, qua quis ignorat id quod scire tenetur, quia eligit, & vult non scite, vnde hæc iguorantia est directè volita: alia verò est ctassa, & supina, quæ licèt non sit ditectè volita, est tamen indirectè volita & eulpabilis, & eonsequenter vincibilis, qua quis iguotat quæ tenetur scire, & facillimè posset eam ignorantiam vincere, nullam tamen, aut valdè modicam adhibet diligentiam ad eam vincendam. Vide D.Th. *part. 2. quæst. 76. art. 3.* Nauar. *tom. 1. consil. lib. 1. de const. consil. 1. num. 2.* Sayr. *lib. 2. Clauis cap. 9. num. 33.*

## DVBITATIO II.

III. *Quanam sit ignorantia vincibilis culpabilis venialiter, & culpabilis mortaliter?*

Dieo secundò, ignorantia vineibilis alia est eulpabilis venialiter, alia verò culpabilis mortaliter. Ignorantia vincibilis culpabilis venialiter est illius, qui aliquam adhibuit diligentiam ad seiendum id quod tenetur scire, non tamen sufficientem, & neeessariam ad illam ignorantiam vincendam. Ignorantia verò vineibilis lethaliter eulpabilis illius est, qui valde modicam, aut prorsus nullam diligentiam adhibuit ad id sciendum, quòd tenetur, & poterat seire, & sie omnis ignoraotia mortaliter culpabilis est erassa, & supina, non tamen ignorantia vineibilis venialiter tantùm eulpabilis est crassa, & supina. Ita apertè docuit Syl. *verb. Periurium, num. 1. §. secundò quando.* Suarez *tom. 5. de cens. disp. 4. sect. 10. n. 10.* Nauar. *summa c. 12. n. 6.* Valent. *1. 2. disp. 6. q. 6. punct. 3. versic. sequitur ex his.*

IV. *Veritas aperitur, & explicatur*

## DVBITATIO III.

*An ignorantia crassa facti, vel iuris, vel vincibilis leuis excuset ab incurrenda censura?*

Dieo tertiò. Ignorantia erassa, & supina facti, vel iutis positiui prohibentis, vel imponentis aliquid sub pœna censuræ, non excusat ab incurrendis eensuris. Ita colligitur apertè ex *cap. vt animarum, de constitutionibus in 6.* Ignorantia verò vincibilis, si leuis sit, & culpabilis, tantùm venialiter excusat à eensuris; quia censuræ, præcipuè graues, eùm sint pœnæ grauissimæ, minimè credendum est, piam Matrem Ecclesiam velle his plectere fideles ob culpam leuem, qualis est venialis. ergo igooraatia vincibilis, si sit leuis, excusat à censuris, cùm excuset à mortali. Lopez *part. 2. instruct. de Clauibus, cap. 13. §. sed iam ad secundum, fine, fol. 887. mihi.* Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 32. num. 29.*

## DVBITATIO IV.

V. *An ignorantia vincibilis non excusans à mortali eximat à censuris?*

Dico quartò. Iguorantia vineibilis, quæ non excusat à mortali, nec etiam à censuris incurrendis eximit. quia ignorantia vineibilis mortaliter culpabilis est ignorantia crassa, & supina, vt fateri apertè videtur Syl. *vbi suprà verb. Periurium, num. 1. §. secundò quando,* & elarè Suarez *num. 10. cit. fine.* Sed ignorantia erassa, & supina facti, vel iutis imponens aliquid sub pœna censuræ, non eximit à censutis. ergo. & ita hanc sententiam doeet Syl. *excomm. vlt. q. 3. num. 4.* vbi inquit, ignorantiam, quæ non est ctassa, vel supina, licèt sit ex negligentia, excusat ab excommunicatione, nisi peccetur mortaliter; supponit ergo ignorantiam, quæ non excusat à culpa mortali, neque exrusare à censura. Suarez *sect. 10. cit. n. 8.* Lopez noster nuperrimè relatus. Sayr. *lib. 1. de cens. c. 18. n. 8.* contra Sanchez *lib. 1. oper. mor. c. 16. n. 7. fine,* tenētem ignorantiam vincibilem mortaliter eulpabilem excusare à eensuris, modò nō sit erassa, & supina. Sed quomodo ignorantia vincibilis lethaliter culpabilis, non sit crassa, & supina, difficillimum est ostendere, licèt hoc dicat Enriquez *lib. 13. de excomm. c. 23. n. 2.* Ait enim ignorantiam vincibilem mortaliter excusare ab excommunicatione, modò non sit crassa.

VI. *Ad rationem in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

## DVBITATIO V.

*An omnis ignorantia crassa sit vincibilis?*

Ad rationem in contrarium qoatenus militat contra secundam partē tertiæ nostræ assertionis, respondetur negando minorem; omnem scil. ignorantiā vincibilem esse crassam, & supinam. nam, vt diximus cum Syl. Suarez & Valent. *assertione 2.* citatis, datur ignorātia vincibilis venialiter tantùm culpabilis, alia verò lethaliter culpabilis. Ignoraotia vineibilis venialiter culpabilis non est erassa, & supina, & hæc eximit à censuris incurrendis; si verò sit mortaliter culpabilis, nō excusat censuras, cùm hæc sit crassa, & supina. Videantur DD. cit.

---

## ARTICVLVS XXXV.

## Qualis ignorantia excuset à censuris incurrendis dum canon imponit pœnam censuræ facienti aliquid scienter?

*SVMMARIVM.*

1. *Probatur ignorantiam crassam non excusare à pœna censuræ imposita aliquid facienti.*
2. *Veritas aperitur, & explicatur, an ignorantia crassa excuset à censuris.*
3. *An transgressor incurrat censuram, ob ignorantiam illius crassam, si canon aliquid prohibens sub pœna censuræ, apponat aliquam particulam, quæ ex proprietate suæ significationis requirit scientiam.*
4. *An ignorantia affectata excuset ab incurrendis censuris.*
5. *An habens ignorantiam crassam clericatus si percutiat Clericum incurrat censuram excommunicationis.*
6. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

I. *Probatur ignorantiam crassam non excusare à pœna censura imposita aliquid facienti.*

VIdetur, quòd ignorantia crassa, & supina, & mortaliter culpabilis, nō excusat à pœna censuræ imposita scienter aliquid facienti. nam idem esse videtur, scire,

scire,& debere scire.*l.quod te mihi,ff.de rebus creditis, in fine.* ibi,*sed etiam si aliqua iusta causa sit,propter quam intelligere deberes.* ergo laborans ignorantia crassa,supina, & lethaliter culpabili, cùm scire debeat, & possit id quod nescit, non eximitur à pœna censuræ, quæ est imposita facienti aliquid scienter,quia idem est scire, & debere scire.

II. *Veritas aperitur,& explicatur*

## DVBITATIO I.

*An ignorantia crassa excuset à censuris?*

Dico primò.Ignorantia quantumcumque crassa, & lata culpa,excusat à pœna censuræ imposita scienter aliquid facienti. Probatur, quia quando canon non addit impositam esse censuram contra facientem aliquid scienter,desiderat ut ignorantia crassa,& lethaliter culpabilis,ne ignorans excusetur à censura incurrenda. ergo aliquid amplius requiritur quando imponit censuram facienti aliquid scienter;ergo sola ignorantia crassa, & lata culpa tunc eximit à censuris. Tum,quia Ecclesia tunc intendit punire delictum expressè,& formaliter volitum præmissa illius notitia; sed id non contingit,vbi adest ignorantia etiam crassa & lethaliter culpabilis , quia tunc verè, & directè non adest notitia delicti,sed solùm est virtute, & indirectè volitum ; ergo ignorantia etiam crassa,& lethaliter culpabilis excusat à censuris impositis contra scienter aliquid facientes : & sic hanc assertionem docet Lopez noster *p.2.instr.de Clauibus,c.13.de excommunicatione.§.Item etiam aduertendum,fol.*887.*mihi.* inquiens quando in iure,vel in statuto, vel in litteris ab homine latis punitur ista clausula, *si scienter fecerit:* tunc planum est in hoc casu ignorantiam crassam etiam excusare à prædicta censura incurrenda,quoniam non scienter dicitur facere aliquid, qui ex ignorantia crassa aliquid facit.Idem tenet Syl.*verb.ignorantia,q.*8. *n.*18.Sanchez *lib.*9.*de matrim.disp.*32.*n.*36.

## DVBITATIO II.

III. *An transgressor incurrat censuram,ob ignorantiam illius crassam , si canon aliquid prohibens sub pœna censura,apponat aliquam particulam,qua ex proprietate sua significationis,requirit scientiam?*

Dico secundò. Idem dicendum est, quando canon præcipit,vel punit aliquid sub pœna censuræ,si adhibeat has particulas,*si quis ausus fuerit,vel ausu temerario fecerit , si quis consultò , si quis præsumpserit, si quis contempserit , si quis temerè, si quis temerarius violator extiterit,* non incurri scilicet censuram,*si quis laborans ignorantia crassa,& supina transgrediatur legem,si lex adhibeat aliquam ex particulis enumeratis*; quia licèt ignorantia crassa,& supina,& lethaliter culpabilis sufficiat ad incurrendam censuram legum simpliciter, & absolutè præcipientium , vel punientium aliquid sub pœna censuræ, tamen si lex adhibeat aliquam particulam ex numeratis, quæ ex proprietate suæ significationis requirit scientiam, tunc etiamsi ex ignorantia vincibili id fiat,non incurretur censura, nam Ecclesia tunc intendit punire delictum formaliter , & expressè volitum,quod præsupponit illius notitiam;sed ignorantia etiamsi sit crassa,& supina, & lethaliter culpabilis,non supponit delictum directè,formaliter,& expressè volitum,sed tantùm virtute,& indirectè volitum : ergo, &c. Videatur Lopez nuperrimè allegatus. Syl. *verb. excomm.*7.*n.*35. Tabiena *excomm.*5.*casu* 11.*n.*6. Suarez *tom.*5. *de cens.disp.*4.*sect.*10.*num.*2. Sanchez nouissimè allegatus *num.*37.38.

Dico tertiò,si verò pœna censuræ imponitur scienter, aut ausu temerario,vel consultò facienti,audenti, contemnenti, aut præsumenti,non excusaretur quis à pœna censuræ , si laboraret ignorantia ita crassa , seu crassissima,quæ importaret latissimam culpam,ac dolo æquipararetur. quia hæc ignorantia nimis crassa , seu crassissima,talis esset,vt quasi scientia reputaretur. Ita egregiè noster Petrus de Ledesma *sum. Sacram. c.*30.*de excomm.dub.vlt.dicto* 3.quem adducit, & sequitur Sanchez *vbi suprà,num.*39.

## DVBITATIO III.

IV. *An ignorantia affectata excuset ab incurrendis censuris?*

Dico quartò.Ignorãtia affectata,qua videlicet ignorans eligit nescire quò liberiùs delinquat , nunquam excusat à censuris scientiam,temeritatem,ac præsumptionem exigentibus,quia hęc ignorantia non minuit culpam,nec efficit actum inuoluntarium, sed potiùs è contra auget culpam,& facit actum voluntarium;cùm directè,& per se eligatur. Vide D.Thom.*1.2.q.*6.*art.*4. *in corp.*D.Anton.3.*part.tit.*24.*cap.*34.

## DVBITATIO IV.

V. *An habens ignorantiam crassam Clericatus, si percutiat Clericum incurrat censuram excommunicationis?*

Dico quintò,ex dictis probabiliter dici potest percussorem Clerici non incurrere censuram excommunicationis latam *can.si quis suadente,*17.*q.*4.si ignorabat etiam crassè,& lata culpa Clericatum. quia is canon dolum requirit, cùm peræt suadente Diabolo id fieri; ergo si dolũ requirit,exigit,vt percussio Clerici scienter fiat. ergo ignorantia crassa excusat à tali censura, quoniam quod ex ignorantia crassa fit , non dicitur fieri scienter,& ita hanc sententiam tenere videtur D. Anton.3.*p.tit.*24.*c.*1.§.2.Rodriquez *p.*1.*summa cap.*80. *n.*11.*fine.Syl.verb.Ignorantia,q* 8.*n.*18.

Dico sextò,probabiliùs tamen, & veriùs dicendum est ignorantiam crassam, & supinam Clericatus non excusare ab incurrenda censura lata *in can. si quis suadente* 17.*q.*4.contra percussores Clericorum. quia verba illa, *suadente Diabolo*, non important dolum, sed solùm indicant quòd licita Clerici percussio,vt quando fit causa correctionis , excusat à tali censura ; ergo sic tenet expressè Tabien *excomm.*7.*num.*1. §.*Quæritur generaliter.*Sanchez *lib.*9.*de matrim.disp.*32.*n.*41.Bonac. *tom.*1.*tract.de cens.disp.*2.*q.*4. *puncto* 4.*n.*2.

VI. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

Ad rationem in contrarium respondetur verũ esse antecedens quò ad peccatũ contrahendum,secus autẽ quò ad censuras Ecclesiasticas incurrendas. Nã qui ex ignorantia crassa aliquid operatur, vel omittit facere, non dicitur propriè,scienter,& cum dolo illud facere, vel omittere ; cùm ergo Ecclesia in suis legibus non simpliciter,& absolutè præcipit,vel punit aliquid sub censura,sed adhibet aliquã particulã, quæ ex proprietate suæ significationis requirit scientiã,tunc etiã si ex ignorantia vincibili,crassa & supina id fiat, non incurretur censura , non quia hoc sit generale omnibus censuris,sed quia talis lex Ecclesiastica noluit censuram ferre nisi contra sic peccantes. Videantur DD.citati præcipuè Lopez noster,Suarez & Sanchez.

## Articulus XXXVI.

Quando ignorantia, & inaduertentia siue iuris, siue facti reputantur vincibilia, quæ à culpa non excusant, nec à censuris incurrendis?

*Summarium.*

1. *Prima sententia.*
2. *Explicatur in quo differant obliuio, & inconsideratio ab ignorantia; & quid sit ignorantia habitualis, & actualis; & an actualis possit esse inuincibilis, vincibilis, & concomitans.*
3. *An ad ignorantiam actualem mortaliter culpabilem requiratur dubium in mente operantis; & explicatur, quandonam delectatio morosa sit peccatum.*
4. *Explicatur quando obliuio praecepti impositi non sit lethalis.*
5. *Rationibus in contrarium à principio respondetur, & magis explicatur quando ignorantia excuset à culpa.*

I. *Prima sententia.*

Asserit ignorantiam, & inaduertentiam esse vincibilia, quando adest negligentia aduertendi, & inquirendi, & poterat ratio, aut debebat aduertere, & non aduertit: hinc damnatur is peccati mortalis, qui aduertens, vel debens aduertere aliquid esse mortale, id facit. Similiter ignorantia, & inaduertentia vincibilia sunt, nec excusant, quando ignorantur leges & præcepta ad statum, vel ad officium ignorantis pertinentia, quasi ea ignorantia, & inaduertentia indirectè voluntaria sint, eo quòd ille potetat, & tenebatur illa præcepta scire. Probatur hæc sententia ex *cap. si culpa, de iniurijs*, vbi dicitur ignorantiam non excusare, quando quis debuit scire. & *Instit. de lege Aquilia, §. præterea*, dicitur, imperitiam in re ad proprium officium pertinente non excusare. ergo vt ignorantia, & inaduertentia sint vincibilia, & non excusent à culpa, & censuris incurrendis, sufficit negligentia crassa inquirendi ius, vel factum, sub censura præcipiens, vel prohibens, & ita hanc sententiam tenet Adrianus *quodl. 7. art. 1. in solutione ad 1. lit. P.* & alij, quos affert Sanchez *lib. 1. oper. mor. c. 16. n. 10.*

## Dubitatio I.

II. *In quo differant obliuio, & inconsideratio ab ignorantia, & quid sit ignorantia habitualis, & actualis, & an actualis possit esse inuincibilis, vincibilis, & concomitans?*

Dico primò, obliuionem, inaduertentiam, & inconsiderantiam in hoc distingui ab ignorantia, quòd ignorantia importat habitum, obliuio verò, inaduertentia, & inconsiderantia importat actum; non tamen differunt quoad excusandum à culpa. Nam sicut ignorantia ob negligentiam affectatam, & crassam non excusat à culpa, & à censuris incurrendis, quando verò est inuincibilis eximit à peccato, & à censuris; ita eodem modo, obliuio, inconsiderantia, inaduertentia non excusat à peccato, & censuris incurrendis, si sit ex negligentia affectata, & crassa, eximit autem si sit probabilis, & inuincibilis. Vide pro hac re D. Thom. *1. 2. quæst. 88. art. 6. in corp. & ad 2.* Nauar. *tom. 1. consil. lib. 2. de iureiurando, consil. 11. num. 1.* Azor. *par. 1. inst. mor. lib. 1. c. 16. dub. 3. & 4.* Sanchez *lib. 1. oper. mor. c. 16. n. 8. 9.* Sed vt clariùs elucescat hæc prima assertio,

Dico secundò, ignorantia habitualis tunc est, quando quis omnino nihil audiuit de præcepto Superioris præcipientis aliquid, e. g. sub pœna censuræ. Actualis verò est obliuio, inconsiderantia, inaduertentia, & hæc est, quando quis iam nouit præceptum, & eius memoriam habitu retinet, tamen hic, & nunc in memoriam non reuoit, nec ad illud aduertit. Hæc actualis ignorantia, quæ propriè dicitur inconsideratio, potest esse inuoluntaria, & voluntaria saltem indirectè, & potest esse vincibilis, & inuincibilis, vel concomitans, sicuti diximus suprà de ignorantia habituali, & docent Theologi cum D. Th. *1. 2. quæst. 6. art. 8.* & Suarez *tom. 5. de censuris disp. 8. num. 5.*

## Dubitatio II.

III. *An ad ignorantiam actualem mortaliter culpabilem, requiratur dubium in mente operantis; & explicatur quandonam delectatio morosa sit peccatum?*

Dico tertiò. Hæc ignorantia habitualis, vel actualis, quæ est obliuio, inaduertentia, inconsideratio, vincibilis, & culpabilis mortaliter dici nequit, nisi in eo, qui opus aggreditur, & operatur, adsit aliqua actualis aduertentia ad obiecti malitiam, vel aliqua dubitandi ratio, aut scrupulus de eius malitia: vt puta, nisi insurgat dubium, aut scrupulus in mente operantis, an sit, e. g. præceptum Superioris prohibentis sub pœna censuræ hoc, quod modò operans intendit facere: quia dum hæc actualis aduertentia circa malitiam obiecti non adest, non est in nostra potestate proxima adhibere diligentiam ad sciendum, vel aduertendum currere tunc præceptum Superioris prohibentis opus sub pœna censuræ. ergo tunc ignorantia, & inconsideratio non est vincibilis, & mortaliter culpabilis, si dubium actuale, vel scrupulus non insurgit de præcepto Superioris, &c. & consequenter talis ignorantia, obliuio, & inconsideratio excusabit à culpa mortali, & à censuris incurrendis.

Hæc assertio expressè colligitur ex doctrina S. Th. *de veritate quæst. 15. art. 4. ad 10.* vbi loquens de delectatione morosa, ait, quòd antequam ratio delectationem perpendat, vel nocumentum ipsius non habet interpretatiuum consensum, etiam si non resistat. Sed quando iam perpendit ratio de delectatione insurgente, & de nocumento consequente, vtpote cùm percipit homo se totaliter per huiusmodi delectationem in peccatum inclinari, & in præceps ruere, nisi expressè resistat, videtur consentire. Hæc formaliter D. Thom. ergo de mente S. D. requiritur actualis aduertentia ad malitiam obiecti, vt actus imputetur ad culpam, & consequenter talis aduertentia requiritur, vt ignorantia, & inconsideratio sint vincibilia, & culpabilia implicitè, interpretatiuè, & indirectè volita; & ita nostram hanc assertionem docet D. Th. relatus. Syl. *verb. delectatio, quæst. 1. § quartum*, Armilla *ibi num. 3.* Sanchez *lib. 1. oper. mor. cap. 16. n. 11.* Ad maiorem huius assertionis claritatem,

IV. *Explicatur quando obliuio præcepti impositi non sit lethalis?*

Dico quartò, consequenter si ieiunium, e. g. vigiliæ omnium SS. esset ab Ecclesia præceptum sub pœna excommunicationis incurrendæ, si mentem alicuius fidelis statuto illo tempore nulla subiit cogitatio, nec dubitatio, nec scrupulus de tali ieiunio seruando, si ille omisit ieiunium, tunc nec peccauit mortaliter, nec pœna excommunicationis esset obstrictus. quia tunc actu non aduertit ad præceptum ieiunij, nec de illo dubium

aliquod,

aliquod, aut scrupulum concepit: tum quia id diuinæ legis suauitas persuadet, præsertim in peccatis mortalibus, quæ tanti sunt momenti, non esse credibile ea ab vllo committi, qui nec de malitia dubium, aut scrupulum concepit, sed circa ea se habuit quasi naturaliter operans. ergo aduertentia actualis dubium aliquod, aut scrupulus de malitia obiecti necessaria sunt, vt ignorantia, seu inconsideratio censeantur vincibilia, nec excusent à peccato mortali, & censuris incurrendis. Tum, quia in confessionibus audiendis Confessarius plenè satisfacit muneri suo, si à pœnitente fatente se per ignorantiam, aut obliuionem omisisse ieiunium alicuius vigiliæ, interroget, an mentem illius subierit aliqua cogitatio, vel dubitatio de tali ieiunio; & si pœnitens non venisse in mentem respondeat, prudenter indicat, nec peccasse, nec incurrisse censuram, si contra non ieiunantes tali vigilia sit imposita, excusante hac inaduertentia, & obliuione. Totum hoc pronunciatum apertè colligitur ex doctrina D. Th. *vbi suprà*, & docet Sanchez nouissimè relatus.

V. *Rationibus in contrarium à principio respondetur, & magis explicatur*

### DVBITATIO III.

*Quando ignorantia excuset à culpa?*

Nec officit primum fundamentum à principio positum. Nam quando dicitur ignorantiam, & inconsiderationem non excusare à culpa, quando quis debuit & potuit scire, quia ignorantia, & inconsideratio tunc est indirectè volita cùm homo possit, & teneatur illam vitare. ergo tunc est vincibilis, & culpabilis. Respondetur talem ignorantiam, & inconsiderationem non excusare à culpa, & esse vincibilem, & culpabilem, si præcessit aliqua cogitatio, dubium, aut scrupulus, quibus voluntas potuit moueri ad considerandum, vel ad discendum illud, quod homo tenebatur scire, concedo; secus aliàs si nulla cogitatio, dubium, aut scrupulus præcessit. Ratio huius est, quia homo non se applicat ad operandum nisi per voluntatem, & voluntas non mouetur, nisi præuia cognitione; ergo si cogitatio, dubium, aut scrupulus in mentem nun venit, vnde voluntas possit excitari ad quærendam scientiam, vel considerationem illius, quod tenetur scire, non erit in potestate proxima hominis se ad illam mouere, & consequenter non potest talis ignorantia, & inconsideratio homini imputari, sed erit inuoluntaria, ac propterea inculpabilis, & inuincibilis. Videatur pro hac solutione Suarez *tom. 5. disp. 4. sect. 8. n.* 18.

Ad secundum fundamentum, quando dicitur imperitiam in re ad proprium officium pertinente, non excusare. Respondetur eodem modo, quòd ignorantia, & inconsideratio legum pertinentium ad particulare alicuius officium, aut statum, erit similiter inculpabilis, & inuincibilis, si quãdo quis aggreditur opus, nulla cogitatio de illis in mentem venit dubium, aut scrupulus; quippè humanam diligentiam superat expellere ignorantiam illius rei, cuius nulla prorsus incidit cogitatio, dubium, aut scrupulus: erit tamen ignorantia, & obliuio earum legum culpabilis, & vincibilis, si quando quis operatur aliquam, saltem confusam notitiam de illis legibus ad suum officium pertinentibus aliquod dubium, aut scrupulum conciperet, tunc enim ignorantia, & obliuio esset indirectè, & interpretatiuè, & implicitè volita, & consequenter vincibilis, & culpabilis. Videatur pro hac re Sanchez *lib. 1. oper. mor. cap. 16. num.* 27.

## ARTICVLVS XXXVII.

## An ebrij incurrant censuram, si committunt delictum sub censura prohibitum, tempore ebrietatis?

### SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, & explicatur, quomodo mala in ebrietate non imputentur ad culpam.*
3. *An contumelia, vel blasphemia, prolata in ebrietate sint peccatum.*
4. *An præuidens mala sequenda ex ebrietate, & de illis pœnitentiam agens, si postea ebrius factus illa mala sequantur, illi ad culpam imputentur.*
5. *An opera de se mala commissa in ebrietate etiamsi non imputentur ad culpam, possint tamen dici peccati effectus.*
6. *An quis teneatur confiteri peccatã in ebrietate perpetrata.*
7. *An vulnerans lethaliter aliquem si confiteatur vulnus, & postea vulneratus moriatur, vulnerans teneatur confiteri occisionem.*
8. *Titulo dubitationis respondetur.*
9. *Explicatur quonam tempore ebrij in casu præcedentis asserti censuras incurrant.*
10. *An iaciens telum in Clericum incurrat excommunicationem, si ante percussionem conteratur.*
11. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm D. Thom. 1. 2. *quæst.* 20. *art.* 5. *in corp.* ait euentus non præuisos, frequenter tamen euenientes imputari. ergo ebrij, etiamsi non præuideant delictum sequuturum sub censura prohibitum, incurrunt censuras si tempore ebrietatis illud committunt.

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

### DVBITATIO I.

*Quomodo mala in ebrietate non imputentur ad culpam?*

Dico primò, etiamsi euentus mali, & occisiones soleant esse frequentes ei, qui inebriatur, si tamen tempore, quo inebriari voluit, non habuit prorsus vllam dubitationem, aut cogitationem de illis, nec in specie, nec in genere, minimè imputantur ad culpam, quia huiusmodi euentus post ebrietatem procedunt, & fiunt ex quadam inaduertentia naturali, ac proinde nec in se, nec in sua causa libera sunt, & consequenter cùm nullo modo sint voluntaria, non imputabuntur ad culpam. hæc assertio colligitur apertè ex doctrina Magistri Soti *lib.* 8. *de iustitia, quæst.* 2. *art.* 3. *solut. ad tertium, fol.* 577. *mihi.* Sanchez *lib.* 1. *oper. mor. cap.* 16. *num.* 45.

Dico secundò, si dum quis inebriari vult, aduertat peccata inde consurgentia, tunc si eueniunt imputabuntur ei ad culpam; si non adhibeat prudentem, & cautam diligentiam, ne aliquid illorum eueniat: ea autem adhibita, etiamsi postea eueniant, minimè culpæ imputabuntur. Probatur, quia actus exterior est peccatum, licèt non sit in se liber, sed si fficit, vt imputetur ad culpam, libertas, quæ est in actu interiori

à quo procedit; ergo pari modo mala præuisa quando quis inebriari vult, si postea eueniunt in ebrietate, imputabuntur ad culpam, nisi adhibeatur prudens, & cauta diligentia, ne illa eueniant, non propter libertatem, quæ tunc formaliter est in illis, sed propter præcedentem libertatem causæ, quæ in illis actibus adhuc manet virtute. Vide D. Thom. 1.2. *quæst.* 20. *art.* 5. Caiet. *ibi*, Sotum *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *art.* 7. §. *At quamuis nonnullus fol.* 578. *col.* 1. *mihi.*

## Dubitatio II.

III. *An contumelia, vel blasphemia prolata in ebrietate sint peccatum?*

Dico tertiò, plurima tamen dicta, & contumeliæ erga homines, quæ alioquin in sana mente iniuriosa essent, & peccata, etiamsi prænideantur quando quis inebriari vult, facta tamen in ebrietate non sunt peccata, nec imputantur ad culpam, quia verba, vel facta contumeliosa tempore ebrietatis communi hominum æstimatione non reputantur contumeliosa, sed tanquam facetiæ admittuntur. ergo etiamsi hæc præuideantur, eo ipso, quòd in ebrietate facta sunt, non reputantur iniuriosa, nec ad culpam imputantur. Ita benè Sayr. *lib.* 2. *Clauis, cap.* 9. *num.* 42. §. *Secundò verba.*

Dico quartò, blasphemiæ tamen, infidelitas, & periuria in ebrietate dicta, vel facta, culpæ imputantur, si sint præcogitata, & præuisa, quia licèt ea peccata in se non sint voluntaria, nec scienter fiant; at in causa sunt præuisa, & libera, nec Deus ea acceptat vt facetias. Vide Caiet. 2.2. *quæst.* 150. *art.* 4. *dub.* 2. *vers. ad horum euidentiam*, Sanchez *lib.* 1. *oper. mor. cap.* 16. *n.* 44. contra Sayr. *loc. cit.*

Dico quintò, fornicatio in damnum prolis nascituræ, adulterium, homicidium, aut aliud damnum temporale quod fit in ebrietate, si præuisum fuit, quando quis incipit inebriari, peccatum est si non adhibita diligentia postea in ebrietate contingat, quia tunc quodammodo voluntate censentur talia peccata saltem indirectè, quod satis est ad constituendum peccatum. Imò ebrius postea sobrius factus tenetur ad omnium damnorum restitutionem, quæ proximo intulit in ebrietate si fuerint præuisa, & non impedita. Vide Caiet. 1.2. *quæst.* 76. *art.* 4. §. *& ex hac parte*, Sayr. *vbi suprà.*

## Dubitatio III.

IV. *An præuidens mala sequenda ex ebrietate, & de illis pœnitentiam agens, si postea ebrius factus illa mala sequantur, illi ad culpam imputentur?*

Dico sextò, si quis sponte, vel culpa sua ebrius, furiosus, vel amens euaserit, & præuidit multa mala postea in ebrietate, furore, vel amentia subsequutura, si antequam fiat ebrius, furiosus, amens, voluntas illa, in qua illa mala indirectè volita sunt, per pœnitentiam fuerit interrupta, mala postea si sequantur, nullo modo ei imputantur ad culpam. Probatur, quia sicuti mandanti hominem occidi, si antequam cædes sit sequuta, efficaciter reuocauit mandatum, etiamsi mandatarius occidat inimicum, cædes non imputatur ad culpam. ergo similiter; & ita docet hanc sententiam Sotus *in* 4. *dist.* 12. *q.* 1. *art.* 7. §. *Hinc fit.*

Dico septimò, quando voluntas per pœnitentiam non est interrupta in casu præcedentis assertionis, peccata illa præuisa sunt quidem in se peccata, quia tunc adest voluntarium sufficiens ad constituendum peccatum, non tamen habent distinctam malitiam à malitia suæ causæ, sed dicuntur peccata denominatione, & imputabilitate extrinseca, quam contrahunt ex præterita negligentia voluntaria: quia cùm in sola causa sint voluntaria, nequeunt habere aliam malitiam, quàm habent in causa. Mala igitur in ebrietate commissa, sunt quidem peccata, non propter libertatem, quæ tunc est formaliter, sed propter præcedentem, quæ manet in virtute; cùm ergo non habeant in se nouam libertatem, neque habent nouam malitiam, nisi malitiam, quam habuerunt in causa, & ideo denominantur peccata à macula, quæ est in causa. Ita Nugnus *tom.* 1. *in* 3. *part. quæst.* 78. *art.* 7. *dub.* 1. *concl.* 2. *fol.* 440. *col.* 1. *mihi.* Sotus nouissimè relatus §. *Posterior propositio, fol.* 578. *col.* 2. *mihi.* Videatur etiam Medina 1.2. *quæst.* 71. *art.* 5. §. *est aliud fol.* 363. *col.* 1. *mihi.*

## Dubitatio IV.

V. *An opera de se mala commissa in ebrietate, etiamsi non imputentur ad culpam, possint tamen dici peccati effectus?*

Dico octauò, probabiliter etiam dici potest, opera, quæ ex se sunt peccata, puta blasphemiæ, homicidium, adulterium, contingentia tamen in ebrietate in se non informari morali aliqua malitia, neque esse formaliter peccata, sed solùm esse quosdam peccati effectus; etiamsi fuerint præuisa, & hoc quamuis voluntas mala non sit per pœnitentiam interrupta: sicut quando quis vulnus lethale homini intulit, mors postea subsequuta non est peccatum, sed peccati effectus. Ita etiam mala illa contingentia in ebrietate non sunt in se peccata, sed peccati effectus, præteritæ scilicet prauæ voluntatis per pœnitentiam non interruptæ. Probatur hæc assertio, quia tandiu actus externus est capax malitiæ moralis existentis in interiori mala voluntate, quandiu liber est, & in potestate operantis. At actus in ebrietate contingentes quando iam vitari nequeunt, liberi non sunt, nec in potestate operantis. ergo malitiæ moralis sunt incapaces, quamuis fuerint præuisi, & mala voluntas per pœnitentiam non fuerit interrupta. Sic docet Azor. *part.* 1. *instit. mor. lib.* 1. *cap.* 7. *quæst. vnica*, §. *In hac re, vers. Denique mihi fol.* 10. Sanchez *lib.* 1. *oper. mor. cap.* 16. *num.* 46. *fine.* At verior, communior, & probabilior est sententia affirmans, quam assertione præcedenti adduximus. Nam Arist. 3. *Ethic. cap.* 5. asserit quòd ebrios leges duplici pœna puniunt, vbi insinuat actus ebriorum esse peccata. Videantur Sotus, Nugnus, & Sayr. *vbi suprà.*

## Dubitatio V.

VI. *An quis teneatur confiteri peccata in ebrietate perpetrata?*

Dico nonò, quando quis dat causam ebrietati futuræ, & præuidet adueniente ebrietatis statu multa mala subsequutura, si antequam fiat ebrius confiteretur, & legitimè facti pœniteret, mala quæ in ebrietate postea subsequerétur, non tenetur confiteri: quia tunc mala in ebrietate subsequentia, non sunt formaliter peccata, eo quòd causa eorum, quæ fuisset mala voluntas, in qua indirectè fuerunt volita per pœnitentiam sacramentalem, fuerit intercisa: & hoc asserere est satis probabile. Tutius tamen est postea subsequentia futura mala esse fatenda. quia apertiùs facto sequuto innotescit prior culpa. Ita egregiè Lopez noster *part.* 2. *cap.* 76. *de Eucharistia*, §. *Sequitur etiam secundò, fol.* 248. *col.* 2. *mihi.* Sotus *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *art.* 7.

*art.7.§.Hinc fit,fol.579.col.1.mihi.* hos sequitur Sanchez *lib.9.de matrim. disp.* 45. *num.*30. Pro maiori claritate præcedentis assertionis,

## DVBITATIO VI.

VII. *An vulnerans lethaliter aliquem, si confiteatur vulnus, & postea vulneratus moriatur, vulnerans teneatur confiteri occisionem?*

Dico decimò,si quis lethaliter vulneret Caium,deinde Caio ex vulnere in lecto decumbente peccatum suum Sacerdoti facta confessione fateatur, postea verò Caius ob vulnus intereat,debet vulnerans de integro confiteri se hominem occidisse; nec satis ei est priùs fuisse confessum, se lethaliter homini vulnus inflixisse. quia per priorem confessionem expressè non constitit percussionem illam lethalem fuisse homicidium;ergo illo sequuto iterum confiteri debet ad expressiorem explicationem culpæ præteritæ.Ita DD. nuperrimè relati, & expressiùs Lopez noster *p.* 1. *instr. c.*31.§.*Præterea,quia omnibus.* contra Azor.*par.*1.*instit. mor.lib.*1.*cap.*7.*quæst.vnic. ad finem.* Satis,inquit,est in priori confessione expressisse se causam idoneam, & efficacem mortis præbuisse; sed verior est prior sententia. nam apertiùs iterum confitendo homicidium sequutum,prior culpa innotescit.

Dico vndecimò, in omnium opinione actus malus exterior proficiscens voluntaria potestate, in sacra confessione est explicandus.quia actus malus exterior voluntariè elicitus est capax malitiæ moralis existentis in interiori mala voluntate. Tum,quia dum actus exterior voluntariè fit, semper intenditur actus interior voluntatis, vt benè docet Sotus *in* 4. *dist.*12. *q.*1. *art.*7.§.*Posterior propositio.* quod non contingit in actibus contingentibus in ebrietate: ergo si specificè, & obiectiuè per se actus externus malus est,vt est occisio hominis,si opere compleatur, malitia actus interioris augebitur, & consequenter exponendus est in confessione non solùm actus internus, voluntas scilicet efficax occidendi hominem, sed etiam effectus subsequutus,homicidium factum transfundens, & causans obiectiuè in actum mentis internum, deformitatem, & turpitudinem. Videatur pro hac assertione Sotus nuperrimè relatus,Azot.*vbi suprà*, Sanchez *lib.*1. *oper. mor.cap.*16.*num.*46.*medio.*

VIII. *Titulo dubitationis respondetur.*

Dico duodecimò,directè respondens quęsito:Ebrij incurrunt censuras si committunt delictum sub censura prohibitum tempore ebrietatis, modò præuiderint delictum sequuturũ, illúdque noluerint præcauere. nam ad incurrendas censuras nihil aliud requiritur,quàm peccatum,& factum ipsum,sub censura prohibitum ; sed ebrij peccauerunt quando ante ebrietatem præuiderunt delictum sequuturum tempore ebrietatis, & nihil aliud deerat ad incurrendam censuram præter factum sub censura prohibitum. ergo incurrunt censuram quando tempore ebrietatis sequitur factum sub censura prohibitum, Suar.*tom.*5.*de censf.disp.*5.*sect.*1.*n.*10.Bonacin.*tom.*1 *tract.de cens.disp.*1. *quæst.*1.*puncto* 4.*num.*8.

## DVBITATIO VII.

IX. *Quónam tempore ebrij in casu præcedentis assertionis censuras incurrant?*

Dico decimotertiò, ebrij in casu, de quo diximus præcedenti assertione, incurrunt censuras non tempore, quo se inebriarunt, quia tunc non est consummata transgressio,nec causa censuræ: licèt quoad interiorem culpam idem peccatum commiserint ratione periculi,cui se exposuerunt: censuras igitur eo tempore contrahunt, quo re ipsa fit factum sub censura prohibitum, etiamsi tunc ebrij in ebrietate constituti,vsu rationis sint priuati: quia sufficit quòd factum prohibitum sub censura fuerit indirectè voluntarium in sua causa. Vide Beiam *in simili casu* 3. *parte casuum casu* 21.Suarez *loc.* nuperrimè *cit.*

## DVBITATIO VIII.

X. *An iaciens telum in Clericum incurrat excommunicationem si ante percussionem conteratur?*

Dico decimoquartò,si quis telum in Clericum iaciat,& mox antequam ad ipsum perueniat per contritionem verè doleat de peccato,adhuc incurrit censuram excommunicationis si postea telo Clericus vulneratur. Similiter si quando quis incipit inebriari, præuidet Clerici percussionem in ebrietate subsequuturam,etiamsi antequam ebrius fiat,causæ datæ ebrietati per veram contritionem verè pœnituit, si postea in ebrietate sequitur Clerici percussio, incidit in excommunicationem. quia ad censuras incurrendas satis est quòd quis liberam causam factis sub censura prohibitis dederit, & quòd effectus sit sequutus.Medin. 1.2. *quæst.*71. *art.*5. *versic. ad primum respondetur, fol.*363. *col.*2. *mihi.* Sanchez *vbi suprà*, *num.*47.Azor. *part.*1. *instit. mor. lib.* 1. *cap.* 7. *quæst. vnica.* §. *Quòd si obijcias.*

Dico tamen decimoquintò, qui culpa sua incipit inebriari,si aduertit adesse periculum , se factum prohibitum sub censura in ebrietate commissurum, si diligentiam sufficientem adhibuit, vt prædictum periculum euitaretur, puta si inclusit se in cubiculo obserato , si præuidisset periculum percutiendi , vel occidendi Clericum , si postea in ebrietate constitutus percutit, & occidit Clericum, neque excommunicationem,neque irregularitatem incurreret. quia percussio, & homicidium illud tanquam omninò inuoluntaria reputarentur post adhibitam diligentiam ad euitandum illa. Vide Sayr.*lib.* 6. *de censuris*, *c.*17.*n.*43. *dub.*13.§.*Secundum est.*Tolet.*lib.* 1. *summæ c.*78. *n.*4.

XI. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

Ad rationem in contrarium quatenus directè pugnare videtur contra primam nostram assertionem, respondetur,euentus non præuisos,frequenter tamen euenientes,imputari ad culpam, quia circa illos ferè semper solet aliqua periculi cogitatio, & aduertentia in vniuersum occurrere,etsi in singulari , & in specie non occurrat;quòd si neutro modo circa illos cogitatio occurrat,non imputabuntur culpæ, & sic respondetur ad auctoritatem illam D.Thom.

## ARTICVLVS XXXVIII.

### An appellatio expressa, vel tacita sententiam censuræ postea latam annullet?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur quid sit appellatio, & quotuplex, & quomodo debeat fieri vt licitè fiat.*

3. Quo

3. *Quomodo sit licita appellatio in sententia diffinitiua, & interlocutoria.*
4. *Resoluitur dubitatio.*
5. *Quaenam requirantur ad legitimam appellationem.*
6. *An appellatio à sententia censura sub conditione lata ab homine, excuset ab incurrenda pœna, si appellatio non prosequatur.*
7. *An sit valida appellatio, non exprimendo ad quem, & an appellatio sit facienda gradatim.*
8. *An sit licita appellatio à sententia declaratoria, vel à sententia in causa fidei.*
9. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur quomodo intelligatur illud dictum,* Sententia Pastoris, siue iusta, siue iniusta fuerit, timenda est.

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm effectus sententiae iuris per appellationem nec suspenditur, nec irritatur. quia sententia canonis semper praesumitur iusta: arg. *can. erit autem lex, dist.* 4. Sed semper praesumendum est pro iustitia iudicis ferentis censurae sententiam; vnde habetur ex illo vulgato D. Greg. *hom.* 26. *in Euang.* & refertur *can.* 1. 11. *quaest.* 3. *Sententia Pastoris, siue iusta, siue iniusta fuerit, timenda est.* ergo effectus sententiae iudicis nec suspenditur per appellationem.

## DVBITATIO I.

II. *Quid sit appellatio, & quotuplex, & quomodo debeat fieri, vt licitè fiat?*

Dico primò, appellatio, quae est à minore ad maiorem Superiorem prouocatio, seu translatio causae, vt docet Syl. *verb. appellatio, num.* 1. alia est explicita, vt quando fit per verbum *appello*; aliquando est tacita, & implicita, vt quando fit per arreptionem itineris ad Superiorem, quod fieri potest. quia plus est aliquid facto explicare, quàm verbo. Tabiena *excomm.* 2. *casu* 16. *num.* 15.

Dico secundò, appellatio aliquando fit à sententia interlocutoria, aliquando à sententia definitiua. Sententia interloquutoria dicitur, quae non fertur in tota causa, de qua agitur coram iudice, sed quae circa aliquem eius articulum interponitur. Diffinitiua verò sententia appellatur illa, quae respectu totius causae iuridicè tractatae fertur à iudice. Quando appellatio fit à sententia interloquutoria, oportet in appellatione causam eiusdem proponere coram iudice à quo, & illam probare coram iudice ad quem appellatur, iuxta tradita *in cap. vt debitus, de appellationibus.* At verò quando appellatio est à sententia definitiua, vt admittatur, & valeat in foro externo, non est necessarium causam exprimere, sed simpliciter appellare, vt est communis doctrina *in l.* 2. *ff. de appell.* & docet Syl. *verb. appell. num.* 6. Suarez *tom.* 5. *de censuris, disp.* 3. *sect.* 6. *num.* 2.

## DVBITATIO II.

III. *Quomodo sit licita appellatio in sententia diffinitiua, & interloquutoria?*

Dico tertiò, licitum est appellare viua voce à diffinitiua sententia, in qua non oportet inseri causam. A sententia verò interloquutoria appellatio debet fieri in scriptis, cùm in ista appellatione causam exprimere sit necesse: si tamen appellans viua voce exprimat causam legitimam, non videtur ratio, quare non valeat. Ita Syl. nouissimè relatus.

IV. *Dubitatio resoluitur.*

Dico quartò, si sententia excommunicationis purè, & simpliciter sit lata, trahit secum exequutionem, nec suspenditur per sequentem appellationem. *cap. si cui, de sententia excomm.* 6. vbi hoc etiam ad suspensionem, & interdictum extenditur; quia à sententia exequutioni mandata, nemo potest appellare; sed sententia censurae purè, & simpliciter lata secum trahit exequutionem. ergo. Armilla *verb. appellatio, num.* 4.

Dico quintò, si verò appellatio fuerit interposita post sententiam censurae latam sub conditione, ante conditionis existentiam, quamuis deinceps adueniat conditio, excommunicatio nulla est. *cap. praeterea, el* 2. *de appell.* Quare si fertur censura hoc modo: Praecipio tibi sub pœna excommunicationis, suspensionis, vel interdicti ipso facto, vt compareas intra mensem, censura suspenditur per interpositam appellationem intra mensem; consequenter non compareos intra mensem, non afficitur censura. Ratio huius est, quia per appellationem causa deuoluitur ad alium iudicem, & suspenditur iurisdictio prioris iudicis, qui tulerat censuram sub conditione. Syl. *verb. excomm. vlt. num.* 2.

## DVBITATIO III.

V. *Quaenam requirantur ad legitimam appellationem?*

Dico sextò, ad legitimam appellationem duo requiruntur. Primum est, vt appellatio fiat cum probabili, & sufficienti causa, vel saltem vt appellans bona fide appellet, existimans se habere sufficientem, & probabilem causam; quare qui mala fide appellat, credens se non habere sufficientem causam ad appellandum, non excusatur ab incurrenda censura per appellationem. quia per non est, vt ex dolo, & fraude commodum reportet. Vide Sayr. *lib.* 1. *de censuris, cap.* 16. *num.* 27. Secundum est, vt talis appellatio debito tempore fiat, toto scilicet tempore, quo conditio impleta non est; quia totum illud intermedium tempus est legitimum ad appellationem interponendam; vt colligitur ex *cap. praeterea el* 2. *de appellationib.*

## DVBITATIO IV.

VI. *An appellatio à sententia censura sub conditione lata ab homine, excuset ab incurrenda pœna si appellatio non prosequatur?*

Dico septimò, appellatio à sententia censurae sub conditione lata ab homine, excusat ab incurrenda pœna, etiamsi postea appellatio ipsa fuerit derelicta: vt si Titius citetur à iudice ad comparendum, vel restituendum intra mensem sub pœna excommunicationis latae sententiae, & ipse interponat appellationem, excusatur ab incurrenda censura, etiamsi appellationem non prosequatur. quia per appellationem iurisdictionis vsus impeditur, *cap. si à iudice, de appell.* 6. deuoluitùrque causa ad alium iudicem, & sententia censurae lata sub conditione tanquam à non legitimo iudice lata, statim nulla est; ergo non efficitur valida, ex eo, quòd appellatio postea fuerit derelicta, vel appellationi renunciatum sit; quod enim ab initio non valet, tractu temporis non conualescit, *in reg. non firmatur, de reg. iur. in* 6. Sic Lopez noster *part.* 2. *tract. de clauibus, cap.* 12. *ad finem.* Palud. *in* 4. *dist.* 18.

*dist.18.quæst.1.art.4.concl.2.* Sayr. *lib.1.de censuris,cap.16.num.23.* Bonacina *tom.1 tract. de censuris,disp.1.quæst.2.puncto 2.num.3.*

## DVBITATIO V.

VII. *An sit valida appellatio non exprimendo ad quem, & an appellatio sit facienda gradatim?*

Dico octauò, si aliquis appellat simpliciter, dicens: Ego appello à tali vestro præcepto sub pœna censuræ, ipso iure incurrendæ, nec dicat ad quem, valet vtique appellatio, & intelligitur appellare ad proximum Superiorem, quia in dubiis non est à iure recedendum, sed ius disponit, vt gradatim appelletur, *cap. dilecti el 3.de appellat.* ergo. Idem est si quis dicat, Subiicio me sub protectione Sedis Apostolicæ, vel alterius iudicis appellationis. D.Ant. *3.part.tit.9.cap.14.ante §.Primum.*

Dico nonò, gradatim appellatio debet fieri nullo medio omisso, nisi quis ad Papam voluerit appellare, *cap. dilecti el 3.de appell.* & *ibi* glossa. Vt si sententia censuræ sub conditione lata fuerit ab Archidiacono (potest enim Archidiaconus excommunicare, gloss. *cap.deferente, de prebendis, & dign.*) ad Episcopum est appellandum, non autem omisso Episcopo ad Archiepiscopum: ad Papam autem potest, eo quòd ipse est iudex ordinarius singulorum, *9. quæst.3. can.cuncta.* Similiter ad Legatum à latere. quia Legatus à latere concurrit cum quolibet Ordinario existente in Prouincia sua. Says. *lib.1. de censuris,cap.16.num.29.* Vnde si non fiat appellatio ex ordine gradatim, secundùm canones non valet; Syl. *verb. appellatio, num.8. versi.nec etiam.* Si verò consuetudo esset vt ad Metropolitanum ab Archidiacono, e.g. appellaretur, omisso medio Episcopo, valeret quidem appellatio, & quod per ipsum fit, nisi opponatur exceptio. gloss. *cap.dilectio el 3.de appell.& cap.deferente,de prebendis, & dignitatibus,verb.Referente.*

## DVBITATIO VI.

VIII. *An sit licita appellatio à sententia declaratoria, vel à sententia in causa fidei?*

Dico decimò, quamuis à sententia censuræ lata à iure, seu per viam statuti, non sit appellatio, quia sententia canonis semper præsumitur iusta. Armill. *verb.appellatio, num.10.* similiter nec sententia censuræ purè & simpliciter ab homine lata per appellationem suspendi possit; quia hæc secum fert exequutionem. nec à sententia sub conditione data post expletam conditionem valide appelletur; licitum tamen est à sententia declaratoria appellare. Vt si iudex declaret aliquem excommunicatum propter percussionem Clerici, potest ab hac declaratione appellare, & probare Clericum à se percussum fuisse ad sui defensionem, & consequenter in excommunicationem non incidisse. competit ergo reo à sententia declaratoria appellare. Armill. nuperrimè relatus. Suarez *tom.5.de cens.disp.3.sect.6.num.6.*

Dico vndecimò, in causa fidei nullum habet locum appellatio. *cap. vt inquisitionis, de hæreticis in 6.* D.Ant. *3.part. tit.9. cap.14.vers.Quintò non appellatur.* Præterea in causa Religiosi non admittitur appellatio, quando secundùm regulam corrigitur, vt habetur *in cap. ad nostram, & cap. reprehensibilis, de appell.* & notat Palud. *4.dist.18.quæst.1.art.4.concl.2.* Sunt etiam innumerabiles aliæ sententiæ, & causæ à quibus de iure ciuili non licet appellare, de quo videatur D. Ant. *loc.cit.*

IX. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

## DVBITATIO VII.

*Quomodo intelligatur dictum illud,* Sententia Pastoris, siue iusta, siue iniusta fuerit, timenda est?

Ad rationem in contrarium respondetur negando minorem: non enim semper præsumendum est pro iustitia iudicis, cùm aliquando contingat, iudicem ex fomite indignationis, odij, & inuidiæ moueri in ferendis sententiis contra personas particulares, quod non ita accidit in legibus, & canonibus condendis, argum. *can.illa 11. quæst.3.* Videatur D.Thom. *in addit. ad 3. part. quæst.21. art.4. in corp.* Tum, quia sententia hominis conditionata pro eo tempore, in quo nondum est impleta conditio, non simpliciter est sententia, sed secundùm quid, quia conditionalis nihil ponit in esse, & ideò quando conditio impletur, tunc ferri censetur; mirum ergo non est quòd toto priori tempore ab ea appellari possit.

Et ad illud vulgatum desumptum ex D. Greg. *Sententia Pastoris, siue iusta, siue iniusta fuerit, timenda est.* Respondetur intelligendum esse de sententia lata ab homine, quæ purè, & simpliciter lata est, & nondum constat de nullitate illius, ne videamur Ecclesiæ censuras contemnere. Cæterùm quando sententia est conditionata, possumus ab illa appellare, nec tenemur illam seruare, neque in foro externo: quia non est simpliciter sententia, sed secundùm quid.

## ARTICVLVS XXXIX.

## An impotentia faciendi quod præcipitur sub censura, excuset ab incurrenda censura?

### SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur an quoties aliquis excusatur à peccato mortali, excusetur à censura.*
3. *Titulo dubitationis respondetur, & explicatur, an nedum impotentia physica, sed etiam moralis excuset ab incurrenda censura.*
4. *An debitor impotens ad soluendum, postea potens factus, censura ligetur.*
5. *An debitor ligetur censurâ, si intra terminum præfixum sit factus impotens ad soluendum.*
6. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

EX quodam vsu practico de excommunicationibus, quæ ferri solent per Cameræ Apostolicæ Auditorem aduersùs eos, qui in forma Cameræ, vt aiunt, obligantur Romæ ad soluendam pensionem, vel aliud debitum infra certum terminum sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ; nam hi debitores, elapso termino censentur excommunicationem incurrere, & statim declarantur, nulla habita consideratione, an potuerint statuto tempore soluere, necne: ergo signum est impotentiam illius,

illius, quod præcipitur sub censura, non excusare à censuris contrahendis.

### DVBITATIO I.

II. *An quoties aliquis excusatur à peccato mortali, excusetur à censura?*

Dico primò, quoties aliquis excusatur à peccato mortali, excusatur etiam à censura graui incurrenda, præsertim in foro conscientiæ. Vnde si quis rem alterius clàm accipit non animo accipiendi alienum, sed recuperandi eandem rem, vel aliam similem, aut æquiualentem, suam, aut sibi debitam ab altero possessore, à quo non poterat altera via eam recuperare, tunc cum non ligari censura, si ei præcipiatur, vt reddat, vel restituat, licèt eam non manifestet, nec reddat, quia in eo non peccat: & præceptum illud contra iniustè retinentes talia bona fertur. Ita rectè gl. notauit *in c. Ius gentium, verb. sed cum, dist.* 1. Sotus *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 1. *art.* 2. §. *Secundum corollarium.*

III. *Titulo dubitationis respondetur, & explicatur*

### DVBITATIO II.

*An nedum impotentia physica, sed & moralis excuset ab incurrenda censura?*

Dico secundò, impotentia faciendi quod præcipitur sub censura, excusat ab incurrenda censura, quia impotentia faciendi quod præcipitur, excusat à peccato, & à contumacia, cùm ad impossibile nemo teneatur, *l. impossibilium, ff. de reg. iur.* ergo excusat ab incurrenda censura, cùm censura incurratur ob contumaciam, & ob peccatum. Sotus nupertimè relatus *vers. Secundò si feratur.* Sayr. *lib.* 1. *de cens. cap.* 18. *num.* 40.

Dico tertiò, non solùm impotentia physica, seu simpliciter ad perficiendum id, quod præcipitur sub pœna censuræ, excusat à censuris incurrendis, sed etiã impotentia moralis, quando scilicet non potest præceptum adimpleri sine graui detrimento, aut incommodo. e. g. detinens mille aureos alterius non habens pecuniam, si tamen statim restituere vellet infra tempus statutum in præcepto Superioris præcipientis fieri restitutionem intra decem dies sub pœna excommunicationis incurrendę, cogeretur vendere domum, aut agrum multò minus quàm valeat, vel quia non inueniuntur emptores, vel quia vltronea vilescunt, si tamen differret solutionem, non incurreret graue tale incommodum, tunc non soluendo intra statutum tẽpus, non incurreret censuræ pœnam: quia restitutor, cui tantum emergeret damnum in propriis bonis ex restitutione subita impotens censetur moraliter pro tunc ad restituendum, si dilatio solutionis in modicũ, aut in nullum damnum creditoris cederet. ergo sicuti ex tali impotentia excusatur pro tunc ab obligatione præcepti statim restituendi, vt egregiè docet D. Th. 2. 2. q. 62. *art.* 8. *ad secundum,* & Caiet. *ibi vers. Tertio autem modo*, consequenter etiam excusabitur à censura incurrenda. hæc assertio colligitur apertè ex doctrina D. Th. & Caiet. nouissimè relati, Soti *Relection. de secreto, membr.* 2. q. 6. *dub.* 5. Nauarr. *summa cap.* 17. *num.* 56. 57. Suarez *tom.* 5. *de cens. disp.* 22. *sect.* 3. *n.* 9.

### DVBITATIO III.

IV. *An debitor impotens ad soluendum, postea potens factus censura ligetur?*

Dico quartò, quando censura fertur, e. g. vt fiat solutio ad certum tempus, si illo tempore quis sit impotens, excusatur quidem tunc à culpa, & consequenter à censura incurrenda, non tamen propterea præcepti, & excommunicationis, seu censuræ, quæcumque sit illa, vis prorsus extinguitur, sed perseuerat potiùs, & obligat ad soluendum, cùm primùm quis possit. Vnde si quis veniens postea ad pinguiorem fortunam, non restituat, vel non soluat, censuram incurret. Ita colligitur ex *cap. Odoardus, de solut.* Ratio huius est: quia ille terminus qui designatur, non est ad finiendam obligationem, sed ad differendam executionem eius vsque ad illum, & non vltrà, & ideò si in illo termino non satisfit obligationi, siue ex impotentia, siue ex quacumque alia causa, non propterea extinguitur obligatio, sed potiùs semper obligat, ne differatur solutio si fieri possit: tum, quia post elapsum terminum signatum, illud præceptum remanet quasi præceptum negatiuum non differendi ampliùs solutionem, eùm primùm restitutor fuerit in soluendo, & ita hanc sententiam docet Lopez noster *part.* 1. *instr. cap.* 162. *num.* 3. Sotus *vbi suprà in* 4. §. *Secundò si feratur.* Tolet. *summa lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 3.

Dico quintò, vt debitor, qui non erat soluendo tempore præfixo in præcepto, si deueniat ad pinguiorem fortunam, incidat in censuram latam, si non soluat cùm primùm potest, requiritur vt iudex, qui præceptum tulit sub pœna censuræ, adhuc in officio docet, & debitor dum pecuniam habet, maneat sub eius iurisdictione: nam præceptum hominis expirat, cessante hominis iurisdictione in istum. Sayr. *vbi suprà, num.* 40. Qui verò, quando fertur præceptum, est soluendo ad aliquam partem, quamuis non ad totum, si non soluat, ligatur, & quamuis postea euadat impotens, semper manet in foro Ecclesiæ innodatus censura; licèt quoad Deum possit esse in gratia. Sotus nupertimè citat. Conrad. noster *tom.* 1. *respons. quæst.* 172.

### DVBITATIO IV.

V. *An debitor ligetur censura si intra terminum præfixum sit factus impotens ad soluendum?*

Dico sextò, debitor, cùm certum tempus, e.g. mensis, constitutum est ad soluendum sub pœna censuræ incurrendæ, incidit in censuram, si initio mensis soluere poterat, & non soluit, præuidens quidem fore, vt reliquo tempore fiat impotens ad soluendum. quia est sufficienter contumax contra præceptum, & illa omissio vetita sub censura imputatur illi ad culpam. ergo incurrit censuram si non soluit quando potest, si præuidet impotentiam postea futuram. Bonacina *tom.* 1. *tract. de censuris, disp.* 1. *quæst.* 2. *puncto* 3. *n.* 2. *versic. Respondeo.*

Dico septimò. Idem dicendum de eo, qui voluntariè, ex malitia, vel ex negligentia impotentiam faciendi id, ad quod tenetur, incurrit, vel potiùs assumit, v.g. habet quis obligationem sub pœna alicuius censuræ incurrendæ ad soluendam alteri pensionem, & nunc in principio mensis est potens ad soluendum, nihil tamen curans de solutione pensionis omnia expendit, vel omnia malitiosè donat: & ita fit impotens ad soluendum. hæc impotentia nec culpam, nec censuram incurrendam excusat: quia qui tenetur ad aliquod præceptum implendum intra certum tempus, si præuideat subsequuturum impedimentum, tenetur anticipatè præstare opus præscriptum, alioquin omissio ad culpam imputatur, vt contingit, quando quis summo manè diebus festis Sacrum

tion

non audit, vel quando quis primis Paschatis diebus non communicat, aduertens se postea Sacerdotis copiam non habiturum. Ita Nugno *tom. 1. in 3. part. q. 80. a. 11. diffic. 3. §. Secundò dico.* Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 70. sect. 2. dub. 3. vers. Nihilominus dicendum.* ergo à fortiori, si quis voluntariè, vel ex malitia se impotentem reddit ad opus præceptum sub pœna alicuius censuræ incurrendæ intra certum tempus perficiendum, nec culpam, nec excommunicationem euadit, si postea impotens factus ex malitia, & voluntariè illud intra constitutum tempus non persoluit. Vide Nugnum *loc. cit.* Suarez *tom. 5. de cens. disp. 22. sect. 1. n. 16.*

Dico octauò, in huiusmodi casibus duarum præcedentium assertionum aliud est tempus, in quo delinquitur coram Deo, aliud verò, in quo censura incurritur, delinquit enim aliquis eo tẽpore, quo fit impotẽs ad soluendum intra præfixum terminum: non incurrit autem censuram donec re ipsa talis terminus finitur, quia censura non incurritur donec omissio præcepti exteriùs sit cõsummata. Videatur pro intelligẽtia huius assertionis Medina 1. 2. *q. 71. art. 5. §. est aliud dubium, concl. 4. fol. 363.* quod dictum habet verum, etiamsi impotens factus voluntariè, vel ex malitia, postea ante finitum terminum solutionis per veram pœnitentiã de patrata culpa doleat: hic enim si non soluit termino sibi præfixo, adhuc incurrit censuram, quia ad hanc incurrendam satis est liberam illi causam dedisse, ac effectũ esse subsequutum, seu solutionem statuto tempore non esse factam, vt bene aduertit Sanch. *lib. 1. oper. mor. c. 16. n. 47.* Tum, quia ad incurrendam censuram sufficit quòd contumacia fuerit in causa, nec est opus, vt dum incurritur, reatus culpæ incurratur: contra aliquos, quos citat, & sequitur Tabien. *verb. excommun. 5. casu 1. num. 35. vers. Notandum.*

### VI. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

Nec officit ratio posita ab initio directè militans contra primam, secundam, & tertiam assertionem. Respondemus enim quòd quacũque forma aliquis obligetur, & se submittat pœnæ censuræ ipso facto incurrendæ, si statuto tẽpore non soluat, si infra talem terminũ non soluerit. quia verè euasit impotens, & non voluntariè, & ex malitia impotentiam soluendi assumpsit in foro interiori, & conscientiæ, elapso tempore solutionis censura non ligatur: quia semper subintelligenda est conditio, si eo tempore sit soluendo, vel, quod idem est, si voluntariè omiserit solutionem: vnde si egestate prorsus soluendi impotentiã casu incurrit, non afficitur censura, si elapso termino nõ soluit. quia propter factum, vel non factum inuoluntarium, nemo potest censuram incurrere. Nã in eo, quod inuoluntarium est, nemo est contumax, & ideò non potest illud esse legitima causa censuræ incurrendæ. Videatur pro hac solutione Suarez *tom. 5. de cens. disp. 22. n. 7.* Sed vt magis solutio huius argumenti intelligatur, est

---

## ARTICVLVS XL.

## An pensionarius in forma Cameræ obligatus, ad soluendam pensionem certis temporibus, sub pœna censuræ, ipso facto incurrendæ, illam incurrat ante intimationem litterarum, continentium censuræ pœnam, si elapso termino pensionem non soluerit?

### *SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Dubitatio explicatur, & resoluitur.*
3. *An ad incurrendam censuram, ipso iure latam contra pensionarium in casu non solutionis, requirantur litteræ declaratoriæ illius, cui pensio soluenda est.*
4. *An si pensionarius moriatur, ante declarationem creditoris, nisi soluerit censurâ ligetur.*
5. *Rationi in contrarium a principio respondetur, & explicatur, quomodo intelligatur illud axioma,* Qui certus est, certiorari iterum non opus habet.

### I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm secundùm regulam iuris 32. in 6. *Qui certus est, iam iterum certiorari non opus habet.* ergo pensionarius, cùm sit certus de obligatione soluendæ pensionis certis temporibus sub pœna censuræ ipso facto incurrendæ, non debet iterum per notificationem litterarum continentium censuræ pœnam certiorari de censura lata vt illam incurrat.

### II. *Dubitatio explicatur, & resoluitur.*

Dico primò, duobus modis potest pensionarius obligari in forma Cameræ ad soluendam pensionem certis tẽporibus sub pœna censuræ ipso facto incurrendæ: primò personaliter per proprium consensum immediatum; secundo modo per Procuratorem, atque adeò per alterius voluntatem, & non propriam, nisi remotè. Quando obligatio fit priori modo si pensionarius non soluerit, adueniente termino, seu infra mensem post designatum terminum, vt praxis interpretata est, ligatur censura, etiamsi litteræ censuram continentes ei non sint ostensæ. Probatur, quia tunc satis constat debitori de obligatione assumpta sub tali onere, & pœna censuræ, & per ipsammet obligationẽ, tanquam per legem, quasi continuò admonetur, vt adueniente termino, seu infra mensem post designatum terminum, debitum soluat. ergo in toto rigore iuris contrahit censuram, si statuto tempore non soluat cùm possit, quando personaliter se obligauit. Ita benè Lopez noster *p. 2. instr. tract. de clauibus, c. 13. de excomm. fol. 883. col. 1. principio mihi.* Nauarr. *summ. cap. 27. num. 174.*

Dico secundò, si verò aliquis per Procuratorem, & consensu mediato ad soluendam pensionem, vel aliud debitum sub pœna censuræ ipso iure incurrendæ tali statuto tempore se obstrinxit: tunc donec litteræ obligationis, & debiti, quibus pensio fuit instituta, sufficienter ei fuerint intimatæ, in conscientia censuram non incurrit, si adueniente statuto termino non soluit, neque etiam in foro exteriori pro censura ligato habebitur: quia is, qui per alium tantùm obligatur, per se, & ex vi illius obligationis inuincibiliter ignorat censuram, & admonitionem eius. ergo ante sufficientem, & solemnem intimationem litterarum obligationis & debiti sub pœna censuræ soluendæ pensionis, censuram non contrahit, si adueniente termino non soluat, cùm ignorantia probabilis tunc excuset. Sic Lopez nuperrimè relatus. Nauarr. *vbi suprà;* Couarr. *cap. Alma mater, part. 1. §. 10. num. 7.*

## DVBITATIO I.

### III. *An ad incurrendam censuram ipso iure latam contra pensionarium in casu non solutionis, requirantur litteræ declaratoriæ illius, cui pensio soluenda est?*

Dico tertiò, censura lata ipso iure contra pensionarium

natium in casu non solutionis certis temporibus faciendæ, etiamsi constitutus terminus sit elapsus, non censetur incursa, donec pensionario, is scilicet, cui est debita, declaret se velle illam esse incursam. quia talis est vsus, & stylus Curiæ, referente Lopez *loc. cit.* ex Cassiodoro *super regul. Cancell. titul. de pensionibus, decis.* 2. Tum, quia cùm in eius fauorem, cui debetur pensio, lata sit censura, ipse censetur dilationem solutionis permittere, donec declaret velle cum eo rigore exigere, aut petere debitum, & talis est stylus Curiæ, referente etiam Nauarro *cap. 23. summæ n.* 104. Vide Henriquez *lib. 13. de excomm. cap.* 19.

Dico quartò, hæc autem voluntas creditoris, qua vult incurri censuram à pensionario in casu non solutionis debitæ, non satis est, vt sit priuata, sed per sententiam Cameræ debet esse intimata debitori, quia sic voluntatem suam declarando iuridicè, & solemni notificatione per sententiam iudicis, meliùs poterit dignoscere, si debitor sit soluendo potens, vel impotens, & si constiterit, quòd sit potens, iustè poterit velle, vt debitor non soluendo incurrat censuram: secus autem si constiterit, quòd sit impotens, quia tunc iniustè vellet debitorem censura ligari, neque etiamsi id velit, in conscientia factum tenebit. Ita significat Cassiodorus *vbi suprà*, ex eodem vsu, & stylo Curiæ.

## DVBITATIO II.

IV. *An si pensionarius moriatur ante declarationem creditoris, nisi soluerit, censura ligetur?*

Dico quintò, consequenter. Priusquam creditor declaret se velle debitorem pensionatium censura ligari, vel ipse, vel debitor moriatur, vel soluatur pensio, vel fiat concordia, nunquam censura contrahitur: quia ante illam declarationem debitor non censetur esse contumax. Nam præceptum Camerarij sub pœna censuræ imponens solutionem pensionario intra certum terminum, ex vsu, & stylo Curiæ, censetur quasi pendens ex voluntate creditoris, & sub conditione, si ille velit, & mentem suam declarauerit. ergo ante talem notificationem non obstringit: ita habet stylus Curiæ, & affirmat Lopez noster *vbi suprà, §. cui.* adde Nauarr. nuper relatum *n.* 104. immediatè ante versic. *Itaque dici potest.*

Dico sextò, si creditor post annum, vel mensem post terminum elapsum soluendæ pensionis declaret se velle, vt debitor pensionatius non soluens statuto tempore censuram incurrat, non est censendus pro censura ligatus à priori termino elapso, etiam supposito quòd personaliter consenserit pensioni soluendæ certo illo termino, sed tunc illam contrahit, quando creditor declarat mentem suam. Probatur, quia in illo priori termino elapso non fuit contumax præcepti Camerarij, cùm illius ante declarationem non censeatur transgressor. ergo declaratio postea facta non potest retrotrahi vsque ad illum terminum, cùm ab initio ante declarationem non fuerit censura contracta. Res enim falsa aliàs tunc declararetur, debitorem scilicet ab initio fuisse censura ligatum, in quo re vera eam non contraxit. Ita benè aduertit Suar. *tom. 5. de cens. disp. 20. q. 2. n.* 11. contra Nauarrum *summ. c. 23. n.* 104. asserentem debitorem haberi pro censura ligatum iam inde à termino elapso, si is, cui pensio debetur, post mensem, vel annum declaret se velle illam esse incursam.

V. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

## DVBITATIO III.

*Quomodo intelligatur illud axioma*, Qui certus est, certiorari iterum non opus habet?

Ad rationem in contrarium positam ab initio respondetur, quòd qui certus est, iam iterum certiorari non opus habet, hoc verum habet, nisi aliter fuerit in iure expressum, vel nisi aliter stylus Curiæ, qui facit ius, præscripserit, & quia ex vsu, & stylo Curię, vt diximus, voluntas creditoris expectanda est, declarantis se velle censuram incursam ab eo, qui in foro Cameræ obligatur ad pensionem soluendam si statuto termino non soluerit, ideò elapso termino ante illam declarationem debitor non soluens, nec censetur, nec est censura ligatus: quia Camerarius illud præceptum sub pœna censuræ ad soluendum certo termino, dedit quasi pendens ex voluntate creditoris, & sub conditione, si ille velit declarare censuram esse incursam: vnde si plures sint fideiussores, & creditor vnum excipiat, eúmque admoneat, se nolle ipsum comprehendi, licèt literæ declaratoriæ censuram esse incursam generaliter promulgentur, ille non incurrit censuram, quia intelligitur lata sub conditione, si creditor velit.

Ex his deducitur, & præcipuè ex tertia nostra assertione, primum pronunciatum, elapso scilicet termino solutionis faciendæ, obligatum personaliter, & per immediatum consensum ante intimationem litterarum incurrere censuram si non soluerit, intelligendum esse de possibili, & de toto rigore. Cæterùm, quia vsu, & Curiæ praxi, vt diximus, introductum est, vt elapso termino ad pensionem soluendam designato in prædicta obligatione in forma Cameræ, censura non censeatur incursa donec creditor declaret, iuridicè se velle, vt illam incurrat; ideò ante talem declarationem, & intimationem etiam obligatus personaliter illam non contrahit. Videatur Suarez nouissimè relatus *num.* 10.

---

## ARTICVLVS XLI.

### An metus excuset ab incurrendis censuris?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur, an liceat committere peccatum mortale, vel veniale, propter metum mortis.*
3. *An lex humana, vel Ecclesiastica, possit ligare ad aliquid agendum, vel vitandum, sub pœna peccati mortalis, etiam cum periculo mortis.*
4. *An lex Ecclesiastica liget ad non communicandum cum excommunicatis, in temporalibus, vel diuinis, instante periculo mortis.*
5. *Decernitur dubitatio.*
6. *An metus incussus, in contemptum potestatis Ecclesiasticæ aut Religionis, vel fidei, excuset à peccato, & censura.*
7. *An liceat Sacerdoti denunciato excommunicato ad euitandum mortis periculum, audire confessiones.*
8. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*
9. *An Clericus incurrat censuras latas pro non ferendis armis, si illa ferat in defensionem sui.*
10. *An Parochus excusetur à censura imposita ab Episcopo nisi deferat nomina interdictorum, si id faciat ex probabili metu mortis.*
11. *An Carthusiano liceat comedere carnes graui necessitate constituto.*

1. *Pars*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm *in cap. sacris, de his, quæ vi, metúsue causa fiunt,* decernitur participantem cum excommunicato non eximi ab excommunicatione incurrenda, etiamsi participet ob metum. ergo metus nec etiam excusabit ab aliis censuris contrahendis.

## DVBITATIO I.

II. ***An liceat committere peccatum mortale, vel veniale, propter metum mortis?***

Dico primò, non est committendum peccatum mortale, aut veniale propter quemcumque metum, etiam mortis, vnde si secundùm se peccatum esset veniale communicare cum excommunicato, aut in temporalibus, aut in humanis, aut in diuinis propter quẽcumque metum, etiam mortis, cum illis communicare non liceret, quia peccatum in quantum peccatum nunquam est eligibile; si enim esset eligibile, non esset peccatum, & sic faciendo non peccaremus. ergo. sic egregiè D. Thom. *in addit. ad 3. part. q. 23. art. 3. ad primum.*

## DVBITATIO II.

III. ***An lex humana, vel Ecclesiastica possit ligare ad aliquid agendum, vel vitandum, sub pœna peccati mortalis, etiam cum periculo mortis?***

Dico secũdò, lex humana Ecclesiastica ex vi suæ potestatis, & auctoritatis ad aliquid agendum, aut vitandum sub pœna peccati mortalis, & cum periculo mortis obligare potest. quia sicut Rex temporalis, seu Respublica ob bonũ cõmune exponere potest morti vnũ, vel plures ciues; ergo à fortiori Pontif. seu Ecclesia ligare potest fideles ad suæ legis obseruantiam sub peccato mortali, & cum periculo mortis. Sic benè Caiet. *1. 2. q. 96. art. 4.* quem sequitur Sayr. *lib. 3. Clauis. c. 9. n. 8.*

## DVBITATIO III.

IV. ***An lex Ecclesiastica liget ad non communicandum cum excommunicatis in temporalibus, vel diuinis, instante periculo mortis?***

Dico tertiò, lex Ecclesiastica per se non prohibet communicare cum excommunicatis in temporalibus, & humanis instante metu cadente in virũ constantem, neque etiam in Diuinis cum periculo mortis; quia piè credendum est nolle Ecclesiam quempiam ad vitandum excommunicatum cum tam graui periculo obligare: vnde si aliquis Princeps excommunicatus non in odium legis, sed ad ostendendum, se non esse censura ligatum, metu cadente in constantem virum cogeret Sacerdotem, vt coram ipso Missam celebraret, tunc Sacerdos celebrans nec peccaret, nec minorem excommunicationem incurreret. Sic probè Syl. *verb. excom. 5. n. 23.* Sayr. *lib. 2. de cens. cap. 14. num. 41.*

Dico quartò, si verò aliquis tyrannus metum mortis incuteret Sacerdoti, nisi coram excommunicatis celebraret, idque in contemptum Ecclesiasticarum legum, & odium Ecclesiæ, ad ostendendum vanam esse eius potestatem, tunc Sacerdos celebrans per accidẽs, sacrilegium committeret, non ratione præcepti Ecclesiastici prohibentis communicationem cum excommunicatis in Diuinis; sed ratione præcepti diuini, quo tenemur confiteri fidem, non obstante periculo mortis. Peccat igitur mortaliter tunc Sacerdos, quia facit contra ius diuinũ de confessione fidei. Sic egregiè



Sotus *in 4. dist. 22. q. 1. art. 4. post 5. conclusionem, § sed quia de hoc, vers. simili ergo ratione.* Syl. *verb. metus num. 7.* hũs sequitur Valent. *1. 2. disp. 7. q. 5. punct. 6. q. 4. §. cæterùm.*

V. *Dubitatio decernitur.*

Dico quintò, clariùs, & directè respondens quæsito, metus grauis, seu cadens in constantem virum, porè, & simpliciter illatus excusat ab incurrendis censuris; quia metus grauis excusat à transgressione, & contumacia contra legem purè Ecclesiasticam, cùm præcepta Ecclesiæ benignè sint accipienda, nec credibile sit Ecclesiam velle obligare cum tanto rigore. ergo metus grauis excusat etiam ab incurrendis cẽsuris, cùm censuræ incurrantur, ob transgressionem, & contumaciam contra legem Ecclesiasticam. Sic Syl. *verb. excom. 5. loc. cit.* & Sotus nouissimè relatus. Suarez *tom. 5. de censuris disp. 4. sect. 3. num. 13.*

## DVBITATIO IV.

VI. ***An metus incussus in contemptum potestatis Ecclesiasticæ, aut Religionis, vel fidei excuset à peccato, & censura?***

Dico sextò, si metus grauis incutiatur in contemptum potestatis Ecclesiasticæ, aut Religionis, seu fidei, tunc metus incussus, sicut non excusat à peccato, ita nec excusat à censura. quia quoties metus non excusat à peccato mortali contra Ecclesiæ prohibitionem, cui est annexa aliqua censura, nec etiam excusat à censura incurrenda: sed quando metus incutitur in contemptũ potestatis Ecclesiasticæ, aut Religionis, seu fidei, non excusat à peccato mortali, tenetur enim vnusquisque fideliũ tueri potestatem Ecclesiasticam, Religionem, & confiteri fidem, non obstante periculo mortis. ergo neque etiam tunc excusabit metus, & periculum mortis à censuris incurrendis. Quare si Ecclesia præciperet, e. g. tali die ieiunium, & mihi metus mortis incuteretur ad frangendum illud, non peccarem frangendo ieiunium, eo quòd Ecclesia non obligat cum tanto incommodo; si verò metus incuteretur ad frangendum ieiunium in contemptum potestatis Ecclesiasticæ, Religionis, aut fidei, mortaliter delinquerem, frangendo ieiunium. tenemur enim potiùs obire mortem ob seruandum bonum commune potestatis Ecclesiasticæ, Religionis, seu fidei, quàm frangere ieiunium, & consequenter non euaderem censuram, si frangenti ieiunium constituta esset pœna censuræ, & ita hanc sententiam videtur tenere Suarez *tom. 5. de cens. disp. 6. sect. 3. n. 10. ad finem.* Bonacin a *tom. 1. tract. de cens. disp. 1. quæst. 2. punct. 3. n. 2.*

Dico septimò. Probabilius tamẽ mihi videtur, quòd licèt is, qui per grauem metum compellitur in contemptum Ecclesiæ, Religionis, seu fidei committere, e. g. furtum prohibitum ab Ecclesia sub pœna censuræ, peccet lethaliter, committendo furtum. quia delinquit contra præceptum naturale, & contra præceptum diuinum tuendæ potestatis Ecclesiasticę, Religionis, & fidei, quod obligat etiam cum periculo vitæ: non tamen contraheret censuram, quia præceptum Ecclesiasticum, quale est hoc ad non furandum sub pœna censuræ purè, & simpliciter, vt præceptum Ecclesiasticum est, non obligat cum tanto detrimento. Vnde si herus compelleret famulum metu graui ad legendos libros hæreticorum hæresim continentes, aut de Religione tractantes, etiam in contemptum fidei, etsi famulus tunc illos legens peccaret mortaliter, non tamen incurreret excommunicationem Bullæ Cœnæ latam contra legentes libros hæreticorum hæresim continentes, aut de Religione tractantes. quia hic non delinquit in præceptum

Ecclesiæ hanc lectionem interdicentis, cuius transgressioni statuta est excommmunicationis pœna, sed in præceprum diuinum tuendæ fidei, & Religioois, quod obligat etiam cum periculo vitæ. Similiter dicendum est de Christianis remigaotibus in Turcarum triremibus, quando Christi fideles aggrediuntur, etiamsi asseramus, cum probabili opinione Suarez *tom. 5. de censuris disput.* 21. *sect.* 2. *num* 60. eos culpa lethali non liberari. quia, inquit, in actu exercito præbent auxilium tunc remigando infidelibus cootra Christianos: liberantur tamen ab excommunicatione Bullæ Cœnæ, quia non sunt contumaces, nec inobedientes Ecclesiæ, cùm non operentur in eo articulo, in quo mandatum Ecclesiasticum obligat: cùm lex humana etiam Ecclesiastica non liget cum periculo mortis. Sic Nauar. *summa cap.* 27. *num.* 63. *vers. septima quòd.* Sanchez *lib.* 2. *oper. mor. cap.* 10. *n.* 49. Suarez nouissimè relatus *num.* 61. 62. Ad maiorem claritatem præcedentium dictorum,

## Dubitatio V.

VII. ***An liceat Sacerdoti denunciato excommunicato, ad euitandum mortis periculum audire confessiones?***

Dico octauò, quamuis excõmunicato liceat, vt mortis periculum vitet, communicare cum aliis, & etiamsi sit Sacerdos, & aliàs oon sit in peccato mortali sacrum facere etiam coram aliis excommunicatis iostante eodem periculo vitæ. quia hæc solo iure Ecclesiastico ipsi interdicta sunt, quod non obstringit cum tanto periculo: at minimè ei liceret ob id periculum, si denunciatus sit, aut notorius Clerici percussor, audire alicuius confessionem, & ipsum absoluere. quia tunc Sacerdos intentaret sacramentum, quod nullum futurum est ex defectu iurisdictionis, quod est intrinsecè malum, & contra præceptum Religionis obligans cum periculo vitæ, vt non reddatur irritum sacramentum. At verò Sacerdotem excommuoicatum siue publicè, siue occultè communicare cum aliis, & Sacrum facere coram aliis excommunicatis, non est intrinsecè malum, sed solùm malum, quia prohibitum, si aliàs ipse noo sit in peccato mortali, nec adsit scandalum. Idcircò licitè tunc posset communicare cum aliis, & coram excommunicatis celebrare, vt vitet periculum vitæ absque peccato, & absque eo, quòd incurrat excommunicationem minorem. quia hæc solùm prohibeotur iure Ecclesiastico, quod non obligat, vt sæpe diximus, cum periculo vitæ. Videatur pro hac assertione Sotus *vbi suprà in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 1. *art.* 4. *post* 5. *conclusionem, vers sed quia de hoc.* Suarez *tom.* 5. *de censuris, disp.* 6. *sect.* 3. *num.* 3. Sanchez *lib.* 2. *oper. mor. cap.* 18. *num.* 8.

VIII. ***Rationi in contrarium à principio respondetur.***

Nec officit contra hanc, & præcedentes assertiones, textus *cap. sacris, de his, quæ vi metúsve causa fiunt.* non enim in illo textu loquitur Summus Poorifex Innocentius III. de metu graui cadeote in coostantem virum, sed potiùs de metu leui, qui cùm non excuset commuoicantem cum excommunicatis, maximè in Diuinis à culpa, nec etiam eximit à censura excommunicationis minoris incurrenda: vt benè obseruauit Toletus *summa lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 6. *fine.* Suarez nooissimè relatus *num.* 11. *ad finem.*

Solùm enim Pontifex ibi statuere voluit discrimen intar vim, & metum, vt illa semper excuset à culpa, & consequenter ab excommunicatione ob participationem cum excommunicato: hic autem non semper excusat à culpa, ac proinde nec ab hac excõmunicatione incurreoda. Quando autem non excuset, non explicat Pontifex, sed interpretibus iodicandum relinquit: qui textum illum explicantes asserunt metum leuem nec à culpa, oec à censura incurrenda participantem in Diuinis cum excommunicatis eximere; metom verò cadentem in constantem virum & à culpa, & à censura contrahenda excusare: dummodo non incutiatur in odium fidei, & contemptum legis, vt egregiè addit Sotus interpretans textum illum *vbi suprà, in fine illius, art.* 4. immediatè ante solutionem ad primum argumentum. Videatur alia explicatio apud Syl. *verb. excomm.* 5. *n.* 6. *in fine, & n.* 23. *propè finem.*

## Dubitatio VI.

IX. ***An Clericus incurrat censuras latas pro non ferendis armis, si illa ferat in defensionem sui?***

Ex dictis deducitur Clericum deferentem aliquod genus armorum prohibitum sub pœoa censuræ ipso facto incurrendæ à suo Superiori, si metu mortis ad propriam vitam tuendam illud deferat, non delinquere lethaliter, nec affici censura lata. Nam lex humana etiam Ecclesiastica purè, & per se, non obligat cum tanto incommodo, & periculo, & cùm censura non contrahatur nisi ob violationem legis humanæ, quæ non obstringit cum periculo vitæ; ideò, &c. Vide pro hac re Syl. *verb. metus, n.* 7. Bunacin. *tom.* 1. *tract. de cens. disp.* 1. *quæst.* 2. *puncto* 3. *num.* 3.

## Dubitatio VII.

X. ***An Parochus excusetur à censura imposita ab Episcopo nisi deferat nomina interdictorum si id faciat ex probabili metu mortis?***

Eadem ratione Parochus excosatur à peccato, & à censura incurrenda, si probabili mortis metu tempore Paschatis non deferat ad Episcopum, vel tanquam interdictos non denunciet eos, qui tempore ab Ecclesia præscripto Pœnitentiæ, vel Eucharistiæ Sacramentum non susceperint, si contra non deferentes esset imposita aliqua censura ipso iure incurrenda. Hoc idem valet in his, qui non deferunt sacro Inquisitionis Officio, aut legitimo Superiori eos, quos ex edictis, vel monitoriis præcipitur ad Soperiores sub pœna excõmunicationis deferre. Vt si Episcopus, vel Inquisitor conderet edictum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ vt blasphemantes deferantur ad sactũ Tribunal Inquisitionis, vel ad legitimum eorũ Superiorem, tunc si incutiatur à blasphemis metus mortis, vel periculum vitæ illos denunciando timeatur, nõ tenemur eos deferre, & consequenter neque delinquimus, neque censurã incurrimus, cùm lex, & præceptũ purum Ecclesiasticum cum periculo vitę non obliget. Vide laudatissimum Pegnam *in secundam partem Directorij, scholio* 59. *vers. at non videtur.* Bonac. *tom.* 2. *tract. de legib. disp.* 1. *q* 8. *puncto* 2. *num.* 9. Sotum *relectio. de secreto, memb.* 2. *q.* 6. *dub.* 5. Hæreticos tamen cum periculo vitæ tenemur denunciare, præcipuè si non solùm sibi ipsis, sed etiam aliis suis hæresibus ooceant. quia bonum commune fidei Christianæ vitæ propriæ corporali est præferendum. Syl. *verb. Bellum* 2. *q.* 2. Suarez *tom.* 5. *de cens. disp.* 20. *sect.* 3. *num.* 9.

## Dubitatio VIII.

XI. ***An Carthusiano liceat comedere carnes graui necessitate constituto?***

Ex dictis etiam colligitur Carthusianũ posse vesci

carnibus

carnibus in extrema necessitate, siue ea necessitas proueniat ex morbo (quam quidem putant non dari si alij cibi suppetant) siue ex aliorum ciborum inopia, etiamsi ex statuto suæ regulæ sub pœna excommunicationis esus carnium ipsi prohiberetur: & sic nec peccaret, nec censuram incurreret, quia statutum humanum non obligat cum periculo mortis. Nec refert etiamsi illud statutum voto, aut iuramento firmatum sit, quia periculo mortis censetur exceptum: vt patet in voto ieiunij, peregrinationis, obedientiæ, quæ vota seruanda non sunt cum discrimine vitæ, quòd si expressè vouisset, se nullo euentu, etiamsi mors impenderet, carnes esurum, præcipuè si ob commune decus suæ Religionis tuendum tali voto se obstrinxisset, tunc esset validum, & teneretur illud seruare.

Imò absolutè potest etiā Carthusianus in extrema necessitate abstinere à carnibus propter virtutis exemplum ob reuerentiam statuti, quod strictissimè abstinentiam à carnibus præcipit, & etiam in extremis morbis in suo ordine seruatur: quia possumus vitam negligere, quando honesta ratio suppetit. Tum, quia licet singulis vitam periculo exponere pro amico tuendo. ergo licebit etiam Carthusiensi cum periculo vitæ à carnibus abstinere, vt statutum sui Ordinis seruet. Ita probè Victor. *in relectione de temperantia, n.10.* quem sequitur Azor. *part.1. inst. mor lib.5. cap.6. q.7.* Less. *lib.4. de iust. cap.3. dubio 1. num.12.*

## ARTICVLVS XLII.

## An manente censura per dispensationem fieri possit vt effectus alioquin per illam prohibitus licitè fieri possit?

### SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur quónam iure sit prohibitum communicare cum excommunicatis? & an liceat recipere Ordines ab Episcopo censuris inuolute.*
3. *An Episcopus excommunicatus denunciatus ordinans conferat ordinato characterem, & eius exequutionem? & an Ordines ab hoc scienter recipiens sit ipso iure suspensus, & possit absolui ab alio, quàm à Romano Pontifice, & an idem dicendum sit de recipiente Ordines cum ignorantia probabili.*
4. *An suspensio incursa à suscipiente Ordines ab Episcopo excommunicato non tolerato sit censura.*
5. *Dubitatio deciditur.*
6. *An Episcopi prohibentes ludum alearum sub censura Clericis, si ipsi cū subditis ludāt, censurā incurrant.*
7. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

### I. *Pars negatiua probatur.*

NAm communicare, e.g. eum excommunicatis in Diuinis est peccatum contra ius diuinum, vt colligitur ex illo Christi Domini Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus.* ergo summus Pontifex conditor canonum sua dispensatione nemini facultatem concedere potest, vt manente censura cum excommunicato communicet in Diuinis; imò nec ipse absque peccato audire Missam ab excommunicato potest, quia ageret contra ius diuinum, quamuis non contraheret propter illud delictum excommunicationem minorem, quia hæc pœna tantùm est de iure positiuo, & ita hanc sententiam tenet Couarr. *cap. Alma, part.1. §.1. num.1.*

*Disquis. moral. Tom. I.*

### DVBITATIO I.

II. *Quónam iure sit prohibitum communicare cum excommunicatis? & an liceat recipere Ordines ab Episcopo censuris inuolute?*

Dico primò, solùm iure Canonico prohibitum est communicare etiam in Diuinis cum excommunicatis, suspensis, seu interdictis. Probatur euidenter: nam in Concilio Constantiensi edita est constitutio, cuius initium est, *Ad euitanda*: vt vitare solùm debeamus etiam in Diuinis duo genera excommunicatorum, vel qui sunt manifesti Clericorum percussores, vel qui sunt specialiter denunciati. At si iure diuino esset prohibita excommunicatio in Diuinis, cum excommunicatis, suspensis, vel interdictis, id Ecclesia constituere non posset, non enim potest Ecclesia contra ius diuinum statuta condere: ergo solo iure Ecclesiastico est prohibitum cum censura ligatis communicare in Diuinis: & ita hanc sententiam tenet Sotus *in 4. dist.22. quæst.1. art.4. immediatè ante secundam conclusionem, fol.1076. mihi.* Victoria *in summa de excommunic. quæst.11. & 12.*

Dico secundò, consequenter post Concilium Constantiense, si quis ordinetur ab Episcopo excommunicato, suspenso, vel interdicto, qui tamen non est denunciatus, vel notorius Clericorum percussor, Ordinis vsum, & functionem recipit. quia post dictum Concilium vitare non tenemur nisi specialiter denunciatos, vel notorios Clericorum percussores. Ita Syl. *verb. Irregularitas, q.7.* Sotus *in 4. dist.25. q.1. art.1. concl.3.* Sayr. *lib.1. de cens. cap.1. num.13. fine.*

### DVBITATIO II.

III. *An Episcopus excommunicatus denunciatus ordinans conferat ordinato characterem, & eius exequutionem? & an Ordines ab hoc scienter recipiens sit ipso iure suspensus, & possit absolui ab alio, quàm à Romano Pontifice, & an idem dicendum sit de recipiente Ordines cum ignorantia probabili?*

Dico tertiò, Episcopus tamen excommunicatus, denunciatus talis, vel manifestus Clerici percussor, vel à Diuinis suspensus, interdictus, depositus, degradatus, declaratus talis, iure non potest ordinare, quòd si ordinet, confert quidem Ordinis characterem, sed non Ordinis exequutionem, quia eam non habet, atq. ex *can. gratia, 1. q.1.* Ita ex *cap. innotuit, de eo, qui furtiue ord. recep.* & docet Sayr. nouissimè *cit. n.11.*

Dico quartò, scienter, vel per ignorantiam affectatam participans in Diuinis cum Episcopo excōmunicato, vel hæretico nominatim, vel publico Clericorū percussore, Ordines ab eo suscipiens est ipso iure suspensus ab Ordine, nec potest absolui à tali suspensione, nisi Romani Pontificis auctoritate, *c. cum Clericis, de ord. ab Episcopo qui renunc. Episc.* post Conc. Trident. *sess.24. c.6. de Reform.* etiam Episcopus ab hac suspensione potest absoluere, quando est occultum delictum. Eadem est ratio si participat in Diuinis suscipiendo Ordines ab Episcopo suspenso ab Ordinum collatione, interdicto schismatico, deposito, degradato: quando est talis post denunciationem. Vide Toletum *summ. lib.1. cap.71. num.4.*

Dico quintò, si verò ignorantia probabili participet quis in Diuinis cum Episcopo excommunicato, suspenso, vel interdicto non tolerato; suscipiendo ab eo Ordines, debet adhuc ab vsu Ordinum

 abstinere

abstinere, potest tamen per Episcopum à tali suspensione absolui, quia cùm Episcupus excommunicatus, suspensus, & interdictus nominatim talis non habeat vsum Ordinum, nec illum iura aliis ab eo ordinatis date permittunt. Ita expressè dictum *cap. cum Clericis, de ord. ab Episcop. qui renunciauit Episcop.* Tum, quia talis suspensio ab vsu Ordinis non contrahitur tunc ob culpam Ordines suscipientis, cùm ignorantia inuincibilis ab ea excuset. Sed in vituperium, & opprobrium collatoris, non potest suscceptor exequi, nec vti susceptis Ordinibus, quousque obtineat dispensationem, vel relaxationem ab Episcopo. Ita Sayr. *lib. 4. de censuris cap. 14. num. 1. fine.* Suarez *tom. 5. de censuris disp. 31. sect. 1. num. 62. propè finem.* Bonaçina *tom. 1. tract. de censuris disput. 3. puncto 5. §. 1. num. 7. versic. sed iuxta.* licèt Innocentius, & Abb. quos adducit Couar. *in cap. Alma mater, part. 1. §. 6. num. 6.* asserant tunc suspensionem non contrahi, quia est pœna, quæ cessat excusata culpa per ignorantiam inuincibilem; ideo mitiùs, & fortè veriùs.

## Dvbitatio III.

### IV. *An suspensio incursa à suscipiente Ordines ab Episcopo excommunicato non tolerato sit censura?*

Dico sextò. Hæc suspensio, quam incurrit communicans cum Episcopo excommunicato, suspenso, vel interdicto non tolerato ab eo Ordines suscipiendo, si laborat ignorantia inuincibili, non est verè censura: quia celebrando in sacris Ordinibus ab illo susceptis non fieret irregularis; sed est quædam inhabilitas ex prohibitione Ecclesiæ in vituperium, & opprobrium ordinantis, qua in foro tantùm exteriori ordinatus impeditur ab exercitio Ordinum, donec ad ministrandum in illis à legitimo iudice facultatem acciperet. Ita benè obseruauit Rainerius *in suo catalogo censurarum cap. 2. de suspensionibus contra Clericos, §. prima suspensio, fol. 204. mihi*, citans Coninch. *disp. 15. de suspens. dubio 5. num. 31.* pro maiori huius assertionis explicatione ponitur sequens pronunciatum.

Dico septimò, si excommunicatus, inuincibiliter tamen non aduertens censuram, communicet in Diuinis cum Episcopo tolerato Ordines sacros ab eo suscipiendo, nullam in conscientia contrahit irregularitatem, vel suspensionem: quia ignorantia inuincibilis excusat ne quis incurrat irregularitatem, etiamsi excommunicatus celebret. ergo etiam excusabit hanc suspensionem. Sic probè D. Anton. *3. part. tit. 24. cap. 76. vers. sextò excommunic.* quem sequitur Suarez *vbi suprà num. 59.*

### V. *Dubitatio deciditur.*

Dico octauò, directè respondens quæsito per dispensationem legitimam habitam à Summo Pontifice, fieri potest, vt quis sine peccato exerceat actum censura prohibitum, etiamsi à censura non absoluatur, & similiter Papa exstante aliqua rationabili causa dispensare potest, vt quis cum excommunicatis denunciatis participet etiam in Diuinis, ipse quoque participare poterit sine culpa, neque minorem excommunicationem incurret, quia hæc prohibitio tantùm est de iure humano. Sic egregiè Syl. *verb. excomm. 5. num.* 10. Sayr. *lib. 2. de censuris cap. 11. num. 28.*

Dico nonò, Prælati tamen R.P. inferiores non habent hanc potestatem dispensandi cum censura ligatis, vt actus eis prohibitos sine absolutione exerceant, vel vt cum eis communicemus si sint denunciati manente censura. Imò Episcopus, vel alius Prælatus inferior Papa communicans cum excommunicatis à se ipso, contrahit excommunicationem minorem. quia pœna hæc non ab excommunicatore per suam sententiam, sed à iure profertur, vt habetur *cap. nuper, de sententia excommunic.* ergo Prælati Papa inferiores communicando cum excommunicatis denunciatis etiam à se ipsis, ante absolutionem manente censura incidunt in excommunicationem minorem, non secus ac alij, & propter eandem rationem euidenter sequitur illos non posse dispensare, vt excommunicatus, suspensus, vel interdictus actus ei prohibitos sine absolutione exerceat. hæc assertio colligitur ex Syl. nuperrimè relato, & eam docet apertè Sayr. *lib. 2. nouissimè cit. num. 30. & 31.* Suarez *tom. 5. de censuris disp. 5. sect. 4. num. 7.*

## Dvbitatio IV.

### VI. *An Episcopi prohibentes ludum alearum sub censura Clericis, si ipsi cum subditis ludant, censuram incurrant?*

Dico decimò. Episcopi & cæteri similes Ecclesiarum Antistites, qui statuunt interdicunt Clericis aleæ ludum, alioqui si luserint ipso facto sint excommunicati, si contrafecerint suis statutis, ludendo aleis, nec graue peccatum, nec excommunicationem contrahunt, quamuis ex quadam æquitate, & honestate sua statuta seruare debeant. quia vnusquisque superior est solutus statutis suis & aliorum sibi parium, & æqualium. lex enim & statutum non obligat nisi subditos: nullus autem est sibi subditus. ergo. Syl. *verb. lex, quæst.* 14. Azor. *part. 1. institut. moral. cap. 11. dubio 2.* ludens verò aleis cum Episcopo condente tale statutum manente edicto continente excommunicationem, & grauiter peccat, & excommunicationem incurrit. quia facit contra edictum Episcopi, Episcopo edictum suum non suspendente. Præsumitur tamen suspendere, quia non præsumitur velle alterum ad graue peccatum, & censuram excommunicationis contrahendam inducere. Vide Bonacinam *tom. 2. tract. de legibus, disput. 1. quæst. 1. puncto 6. num. 17.*

Dico vndecimò, Episcupus verò, vel alius Antistes ludens cum eo, qui iam contraxit excommunicationem à se latam contra ludentes, grauiter peccat, & incurrit excommunicationem maiorem positam à iure communi, *cap. nuper, de sententia excommunicat. & cap. concubina, eodem tit.* quia tunc Episcopus ludendo cum suo subdito iam excommunicato propter ludum participat cum eo in crimine criminoso, id est, in crimine, ob quod subditus est excommunicatus. Sed iura communicit. hoc prohibent sub pœna excommunicationis maioris ipso facto incorrenda; ergo cùm Episcopus teneatur seruare ius commune, grauiter peccat, & afficitur excommunicatione maiori si ludat cum excommunicato à se propter ludum participando in crimine criminoso. Ita apertè colligitur ex doctrina D. Th. *3 part. in addit. quæst. 23. art. 2. cap.* Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 1 art. 4. concl. 4.* Requiritur tamen, vt talis excommunicatus propter ludum sic denunciatus talis, vt communicantes cum eo in crimine criminoso incidant in excommunicationem maiorem. Vide Sanchez *lib. 1. oper. mor. cap. 10. num. 50.*

VII. *Ratione*

**VII.** *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

Ad rationem in contrarium, quatenus pugnat cum octaua nostra assertione, respondetur negando antecedens: nam licèt potestas ferendi censuras sit de iure diuino, quia illam tradidit Deus Ecclesiæ, *cap.* 18. *Matth.* in illis verbis, *quodcumque ligaueris*; tamen institutio, & applicatio censuræ est de iure positiuo, vt benè docet Sotus *in 4. dist.* 22. *quæst.* 1. *art.* 1. *vers. Ex his autem.* Sayr. *lib.* 1. *de censuris, cap.* 4. *num.* 8. Consequenter prohibitio, ne cum excommunicatis participemus, etiam in Diuinis, est de iure positiuo: & sic Summus Pontifex manente censura potest dispensare, vt cum excommunicatis communicemus; & ad illa verba Christi Domini Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus*; respondetur sensum illorum verborum esse, inobedientes esse cauendos, sicut peccatores, quales sunt Ethnici, & publicani, non quia iure diuino sint excommunicati. Videantur Syl. & Sayr. *assert.* 8. relati.

## ARTICVLVS XLIII.

## An consensus illius, in cuius fauorem lata est censura, excuset ab incurrenda censura, eámque suspendat?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur sensus tituli dubitationis.*
3. *An illaqueet censura lata à iudice, absque animo ligandi? & an censura lata ad instantiam partis obliget vltra intentionem ipsius partis.*
4. *Veritas aperitur, & explicatur, an prorogatio, inscio iudice, facta à parte, censuras suspendat.*
5. *An censura prorogata de consensu partis obliget absque noua sententia iudicis.*
6. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur an censurã suspendere sit actus iurisdictionis.*

**I.** *Pars negatiua probatur.*

NAm suspendere censuram, est actus iurisdictionis; sed creditor laicus, in cuius fauorem lata est censura, non habet potestatem iurisdictionis in creditorem; ergo nec tollere, nec suspendere potest censuram latam in sui fauorem contra creditorem. & ita hanc sententiam tenuit Innocentius *in cap. preterea, el* 2. Ioannes Andreas, & Host. *ibi n.* 4. *de appell.* referente Sayro *lib.* 1. *de censu. cap.* 11. *n.* 20.

**II.** *Explicatur sensus tituli dubitationis.*

Dico primò, sensus huius difficultatis est, an si iudex Ecclesiasticus Petrum debitorem excommunicet, nisi infra mensem satisfaciat Ioanni creditori, si Ioannes proroget terminum illum tantum præterito mense ob factam à creditore prorogationem, Petrus debitor excommunicationem non contrahat.

### DVBITATIO I.

**III.** *An illaqueet censura lata à iudice absque animo ligandi? & an censura lata ad instantiam partis obliget vltra intentionem ipsius partis?*

Dico secundò, censura lata nulla est, si habens iurisdictionem illam ferendi, non habeat animum, vt liget. Nam voluntas iudicis censuram ferentis est necessaria, vt censura liget, cùm hæc sumat vires ab intentione illam ferentis. Sic Nauarr. *summa c.* 27. *n.* 11. *vers. Septimò quod excomm.*

Dico tertiò, censura lata ad instantiam partis non ligat vltra intentionem requirentis: & sic non ligabit nisi quos, & quot, qui fert censuram, aut qui eam petit, obstringere intendit: quia officium iudicis requisitum ad censuram ferendam non debet excedere intentionem requirentis. ergo per censuram à iudice latam illi soli ligantur, quos pars petens censuram ferri intendit ligare. Sayr. *lib.* 1. *de censuris, cap.* 16. *n.* 9. Nauarr. *summa cap.* 17. *num.* 4. *vers. Quartò, quod.* Videatur Syl. pro duabus his assertionibus, *verb. excommunicatione* 2. *num.* 1. *casu* 14. vbi egregiè illas explicat, & proponit.

**IV.** *Veritas aperitur, & explicatur.*

### DVBITATIO II.

*An prorogatio inscio iudice, facta à parte, censuras suspendat?*

Dico quartò, voluntas, seu consensus illius, in cuius fauorem concessa fuit censura, sufficit ad suspendendam censuram, ne incurratur: vnde si Petrus, e.g. obtenta à summo Pontifice excommunicatione contra suos debitores non restituentes intra sex menses, proroget, inscio summo Pontifice, terminum vsque ad annum, debitores elapsis primis sex mensibus non afficiuntur excommunicatione. Probatur. nam si inscio iudice ferente censuram creditor debitoribus condonaret absolutè debitum, censura omninò cessaret ratione materiæ ablatæ, supra quam cadebat, vt probè docet Syl. *verb. excomm.* 2. *num.* 1. *casu* 13. Bonac. *tom.* 1. *tract. de censuris, disp.* 1. *quæst.* 2. *puncto* 4. *num.* 1. ergo si suspendatur à creditore obligatio debiti, concessa prorogatione termini inscio iudice ferente censuram, suspenditur etiam ipsa censura: quia iudex non magis intendit obligare debitorem, quàm velit & intendat ipse creditor: ergo si pars vult terminum differre, etiam iudex videtur differre velle, cùm nihil aliud agat nisi vt partes ad concordiam deducat. Syl. nouissimè cit. Suarez *tom.* 5. *de censuris, disp.* 3. *sect.* 6. *num.* 8. contra Sayr. *lib.* 1. *de censuris, cap.* 11. *num.* 20. asserentem creditorem terminum prorogare non posse, quantum ad sententiam censuræ vitandam, nisi iudex prorogationi consentiat.

Dico quintò, præcedens immediatè assertio est intelligenda quando sententia censuræ adæquatè data est in fauorem talis personæ, quæ dominium habet, seu potestatem ad remittendum, vel differendum debitum, seu satisfactionem: nam si illa non sit causa totalis, sed partialis, tunc non sufficiet consensus partis, quæ non est causa totalis censuræ latæ ad suspendendam censuram. Vt si censura lata sit à iudice in fauorem duorum creditorum contra aliquem vnum debitorem, si ambo creditores non conueniunt ad prorogandum terminum censuræ latæ ob consensum vnius creditoris, non censetur prorogatus terminus, nec suspensa censura: quia voluntas, & consensus vnius partis, quæ non est causa totalis censuræ latæ, non sufficit ad suspendendam censuram vltra terminum in sententia præfixum. Vide Bonacinam & Suarez *vbi suprà.*

## DVBITATIO III.

V. *An censura prorogata de consensu partis obliget absque noua sententia iudicis?*

Dico ſcatò, quando ſententia cenſuræ lata eſt à iudice in Titium debitorem, niſi intra decem dies ſatisfecerit Caio creditori, ſi illi decem dies in alios decem proferantur à creditore, etiamſi dicta prorogatio auctoritate iudicis minimè ſit facta, finito dicto termino prorogationis, ſi debitor non ſatisfecerit, & aliàs ſit potens ſoluendo, ipſo iure cenſura ligatur ſtatuta in ſententia, etiamſi iudex nouam non ferat ſententiam. quia ſi creditor prorogans terminum in ſententia præfixum, expectaret à iudice, vt ampliorem terminum parti concederet, indulgeret vtique; ergo protogante parte ipſum terminum, cenſebitur à iudice prorogatus; ergo elapſo termino prorogato à creditore, tenetur debitor ſatisfacere, & non ſatisfaciendo, ligatur cenſura, quæ adhuc viget, & non eſt extincta per lapſum termini. Ita benè Rodriquez *tom. 1. qq. reg. quæſt. 61. art. 6. fol. 354. col. 1. mihi.* Tum, quia, qui promiſit alicui ſub iuramento ſe ſoluturum centum aureos intra 20. dies, ſi poſtea termino à creditore prorogato, intra tale tempus prorogatum non ſoluit, periurus eſt. ergo ſimiliter ſi ſententia excommunicationis, e. g. lata ſit in Titium, niſi intra decem dies ſatisfecerit, ſi illi decem dies in alios decem profetantur, hoc vltimo termino prorogato elapſo erit excommunicatus, ſi debitor erit ſatisfaciendo, & minimè ſatisfecerit. Videatur pro hac ratione Sayr. *lib. 5. Clauis, cap. 3. num. 11.* quamuis Syl. *verb. excom. 2. num. 1. caſu 13. fine,* & Sayr. *de cenſuris lib. 1. cap. 11. n. 20.* requirant, quòd prorogatio fiat de conſenſu iudicis, vt adueniente, & elapſo ſecundo termino prorogato ſi non ſatisfaciat debitor, incidat in cenſuræ ſententiam. Secus autem ſi facta ſit fine iudicis ſententia propter rationem allatam à principio, & quidem ſatis probabiliter. At verius, & probabilius eſt quod diximus; vnde

VI. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur*

## DVBITATIO IV.

*An cenſuram ſuſpendere ſit actus iuriſdictionis?*

Ad rationem ab initio poſitam reſpondetur, quòd ſuſpendere cenſuram directè, & poteſtatiuè, eſt quidem actus iuriſdictionis: ſuſpendere verò cenſuram per ſubtractionem materiæ, & cōdonationem debiti, non eſt actus iuriſdictionis, ſed dominij, qui competit creditori, vnde creditor prorogando terminum non exercet actum iuriſdictionis, nec ſuſpendit cenſuram directè, & poteſtatiuè, ſed illam tantummodò ſuſpendit indirectè, quatenus condonat ſolutionem debiti intra certum terminum. Adueniente tamen poſtea, & finito ſecundo termino protogationis, ſi debitor non ſatisfacit, & ſit potens, contrahit cenſuram, etiamſi iudex iterum non ferat illam. Sicuti ſi præcipiatur ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda Caio debitori, vt intra tres menſes ſolnat debitum centum aureorum Titio creditori, ſi intra talem terminum in ſententia præfiꝰum, Caius non eſt potens ad ſoluendum, excuſatur ab incurrenda cenſura durante tempore impotentiæ: at ſi poſtea deuenerit ad pinguiorem fortunam, ſi non ſoluit, contrahit cenſuram, quia ius cenſuræ ſemper durat, & obligat debitorem pro tempore, quo fuerit potens ad ſoluendum. Ita ſimiliter ſi ſuſpendatur, & protogetur terminus præfixus in ſententia à parte, in cuius fauorem fertur; adueniente poſtea, & elapſo ſecundo termino prorogationis, ligat cenſura debitorem ſi ſit potens ad ſatisfaciendum. quia vis cenſuræ ſemper durat, & obligat pro tempore quo creditor incipit eſſe inuitus, & debitor eſt potens ad ſatisfaciendum. Nam in cenſura incurrenda poſt tempus in ea præfixum, lata à iudice in fauorem creditoris, ſubintelligitur ſemper conditio, vt ſcilicet non differatur ſatisfactio, vel ſolutio, vltra terminum in ſententia præfiꝰum, inuito domino; & ſic poterit is, in cuius fauorem ſententia fertur, protogare illius terminum, & ſtatim ac poſtea incipit eſſe inuitus, finito tempore prorogationis cenſura ligabit, cùm impleatur conditio ſubintellecta, quæ erat, vt non differatur ſatisfactio vltra terminum præfiꝰum in ſententia, vel vltra tempus prorogatum à creditore ipſo inuito; & quia finito termino prorogato creditor incipit eſſe inuitus, & vis cenſuræ cùm duret, debitor ſi tunc non ſoluat, cenſura ligatur: videatur pro hac ſolutione Sotus *in 4. diſt. 22. quæſt. 1. art. 1. § Secundò ſi feratur fol.* 1068. Lopez noſter *part. 1. inſtruct. cap. 163. num. 3.* vbi apertè docent, quòd quando debitor propter impotentiam non eſt ſoluendo intra terminum præfiꝰum in ſententia, excuſatur à cenſura incurrenda. At ſi poſtea finito termino ſit ſoluendo, ligatur cenſura, quia vis illius ſemper durat, quoad vſque debitor ſatisfaciat. Sic ſimiliter in caſu noſtro Sotum ſequitur Suarez *tom. 5. de cenſ. diſp. 3. ſect. 6. num. 11.* Bonae. *tom. 1. tract. de cenſuris, diſp. 1. quæſt. 2. puncto 4. num. 2.*

Licet Nauarr. *ſumma cap. 27. num. 15.* contrarium teneat, inquiens quòd cenſura lata ad petitionem partis tolli poteſt antequam incurtatur de conſenſu eiuſdem, non tamen ſuſpendi, neque differri, neque ita mutari, vt ſemel ſublata iterum incurratur, quia ait, id iuriſdictionis eſt, quam pars non habet, ſed iudex ſententiam ferens: & quidem hoc eſt ſatis probabile, quod ante Nauarrum docuit Syl. *verb. excom. 2. num. 1. caſu 13. fine,* & ſequitur Sayr. *lib. 1. de cenſuris, cap. 11. num. 20.*

Sed ſententia Soti, Lopez, & Suarez probabilior in hoc mihi videtur: quia ſicut impotentia debitoris effectum cenſuræ ſuſpendit pro tempore, quo durat, at poſt terminum in ſententia præfixum ſi fiat potens ad ſoluendum, & non ſatisfaciat, abſque noua iudicis ſententia, ſtatim cenſura ligatur; quia vis illius ſemper durat, vt benè ait Sotus nuper relatus. Ita ſimiliter ſi poſt tempus prorogatum non ſatisfacit, incidit debitor in cenſuram abſque eo, quòd iterum index ferat cenſuræ ſententiam. Hæc enim præſumitur intentio iudicis, vt vis cenſuræ ſemper duret, quoad vſque ſublatis impedimentis debitor ſatisfaciat. Tum, quia terminus præfiꝰus in ſententia cenſuræ, vel tempus prorogatum non fuit appoſitum, vel conceſſum, ad finiendam obligationem ſatisfactionis, ita vt debitor non ampliùs teneretur ſatisfacere ſub cenſura, ſi non ſoluerit intra terminum præfiꝰum, vel tempus prorogatum, ſed fuit appoſitus terminus, vel tempus prorogatum, vt debitor ſolueret intra illum terminum, vel intra tempus illius prorogationis; ſed quando apponitur terminus, vel fit prorogatio temporis, non ad finiendam, ſed ad ſollicitandam obligationem, obligatio non ceſſat lapſo illo termino, vel finita illa prorogatione. ergo debitor elapſo termino, vel finito tempore ſibi prorogato à creditore, tenetur ſoluere, & non ſatisfaciendo cenſura ligatur, quæ adhuc viget, & non eſt extincta poſt lapſum termini, vel poſt finitam protogationem. Saluo ſemper meliori iudicio.

ARTI

## De absolutione censurarum.

### ARTICVLVS XLIV.

### A quo possit auferri censura.

SVMMARIVM.

1. *Probatur censuram ab imponente tantùm auferri posse.*
2. *Dubitatio resoluitur quoad iurisdictionem ordinariam absoluendi à censuris.*
3. *An Sacerdotes communem tantùm auctoritatem habentes possint absoluere à censuris.*
4. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

I. *Probatur censuram ab imponente tantùm auferri posse.*

Videtur, quòd censurarum absolutio solùm ab eo haberi possit cuius est illas ferre: & consequenter solùm illi, qui habent iurisdictionem in foro externo, censuras habent auferre. Nam Dominus pat ius & soluendi esse voluit, & ligandi, vt dicitur *dist.* 1. *de pœnitentia, can. verbum*; sed solùm hi, qui habent iurisdictionem in foro exteriori, ferre possunt censuras: ergo tantùm hi valebunt illas auferre: & ita hanc sententiam tenere videtur Durand. *in 4.dist.*18.*quæst.*4.*num.*7.

II. *Dubitatio resoluitur quoad iurisdictionem ordinariam absoluendi à censuris.*

Dico primò, directè, & ex potestate, seu iurisdictione ordinaria in foro interno, & externo, illi tantùm habent absoluere à censuris, qui tanquam Prælati Ecclesiasticam habent iurisdictionem in foro exteriori in ipsum hominem censura ligatum: quia absolutio à censuris est actus iurisdictionis Ecclesiasticæ, *cap. vnico, de maior. & obed. in 6. & cap. venerabilibus, §. porrò, de sententia excommunicationis in 6.* ergo illi tantùm directè, & ex potestate ordinaria habent facultatem in foro interno, & externo, qui habent iurisdictionem absoluendi in foro exteriori. hæc assertio clarè colligitur ex doctrina D. Thom. *in addit. ad tertiam part. quæst.*24. *art.*1. *ad primum.* Valent. *tom.*4. *disp.*7. *quæst.*17. *punct.*8. *in princ. § Qua distinctione posita.*

### DVBITATIO VNIC.

III. *An Sacerdotes communem tantùm auctoritatem habentes possint absoluere à censuris?*

Dico secundò, ex delegata verò iuris facultate possunt proprij Sacerdotes, id est, qui potestatem habent absoluendi à peccatis mortalibus absoluere à censuris non reseruatis à iure latis, siue ab homine per sententiam generalem pronunciatis indirectè, per respectum scilicet, & ordinem ad absoluendum à peccatis in foro interno; quia Superior eo ipso, quo non reseruat sibi absolutionem censurarum per statutum, seu per sententiam generalem latarum, censetur cuicumque Confessario à se exposito concedere facultatem ab eis absoluendi in foro interno. ergo. Videatur D. Thom. *vbi suprà in corpore*, & Porrecta Commentator illius loci, *verb. examen.* Syl. *verb. absolutio* 1. *num.*5. Valentia nuper relatus; Sotus *in* 4. *dist.*22. *quæst.*2. *art.* 3. *concl.* 3. Hæc assertio clariùs patebit ex sequentibus dubiis explicandis.

IV. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

Nec contra illam officit textus *can. verbum, dist.* 1. *de pœnitentia.* Nam textus ille loquitur de habente potestatem à censuris directè, & propria auctoritate in foro contentioso, non autem intelligitur de Sacerdote proprio absoluente à censuris indirectè in foro interno, & ex commissione. Videatur Syl. *cit.* Tol. *lib.* 1. *summæ cap.*16. *num.*2. Sayr. *lib.* 2. *de censuris, cap.* 19. *num.*13.

### ARTICVLVS XLV.

### Quis possit à censuris ab homine latis absoluere?

SVMMARIVM.

1. *Probatur solùm à ferente censuras, posse à censuris absolui.*
2. *Veritas aperitur, & explicatur, an omnis ferens censuram possit ab eadem absoluere.*
3. *An Superior possit absoluere à censuris latis ab inferiore, & an Pœnitentiarij summi Pontificis possint absoluere à censuris latis ab inferioribus iudicibus.*
4. *An Episcopus possit absoluere à censuris latis à sibi subiectis? & peccet id faciendo irrequisita parte.*
5. *An Superiores Religionum possint absoluere sibi subditos à censuris latis ab inferioribus, his non requisitis.*
6. *An Archiepiscopus possit absoluere censura ligatos ab Episcopis sibi suffraganeis.*
7. *An Vicarius generalis Episcopi, possit absoluere à censuris ab alijs iudicibus inferioribus latis, ex generali mandato ab Episcopo habito.*
8. *An successor in dignitate possit absoluere à censura lata à suo prædecessore, licèt sit successor ad tempus.*
9. *Episcopo iurisdictione priuato, potest adhuc successor ad tempus absoluere à censuris ab eo latis.*
10. *An administrator positus ab Archiepiscopo, Sede vacante, in aliqua Cathedrali, possit absoluere à censuris, vel hoc potius pertineat ad Capitulum.*
11. *An absoluere à censuris, mortuo summo Pontifice, conueniat Collegio Cardinalium, vel maiori Pœnitentiario.*
12. *An mortuo summo Pontifice, remaneat illius auctoritas, in Collegio Cardinalium.*
13. *An facultas Pontificia conferatur Pontifici à Cardinalibus eligentibus.*
14. *An in aliquo casu Collegium Cardinalium, Sede vacante, possit absoluere à censuris.*
15. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

I. *Probatur solùm à ferente censuras, posse à censuris absolui.*

Videtur quòd solus ille, qui eas tulit, & non alius: nam *in cap. cum ab Ecclesiarum, de offic. ord.* Alexander III. præcepit Episcopo Florentino, ne iustam sententiam censuræ à Plebano sibi subiecto latam sine conscientia proferentis, relaxet. ergo solus, qui tulit, à censuris ab homine latis potest absoluere; nam si alius posset eas auferre, esset Superior proferente; sed huic præcipi

præcipitur, oc eas sine conscientia proferentis relaxet. ergo.

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

## DVBITATIO I.

*An omnis ferens censuram possit ab eadem absoluere?*

Dico primò, omnis, qui tulit censuram, ab eadem absoluere potest, & hoc siue sit homo singularis, qui sententiam tulit, siue Coocilium generale, siue prouinciale, siue Synodus diœcesana, siue Collegium, aut Capitulum Ecclesiæ Cathedralis. Probatur, par enim potestas est ligandi, atque soluendi. arg. *can. verbum, de pœnit. dist.* 1. D. Thom. *in addit. ad* 3. *part. q.* 24. *art.* 1. *in corp.* & est communis ioter DD.

## DVBITATIO II.

III. *An Superior possit absoluere à censuris latis ab inferiore? &, An Pœnitentiarij summi Pontificis possint absoluere à censuris latis ab inferioribus iudicibus?*

Dico secundò, à censuris latis ab homine absoluere potest etiam Superior iudicis ferentis censuræ sententiam, si tameo habet omnem iurisdictiooem, & plenam potestatem super ceosora ligatum, æquè, inquam, potest absoluere, ac ipse iudex, qui tulit censuræ sententiam, siue hæc sit specialis, siue generalis; quia absolutio à censuris est actus iurisdictionis Ecclesiasticæ, *cap. vnic. de maior. & obed.* 6. ergo Superior iudicis ferentis censuræ sententiam, siue hæc sit specialis, siue sit generalis, si habet plenam iurisdictionem super censura ligatum à suo inferiore, poterit illum absoluere. D. Thom. *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 2. *art.* 5. *in corpore.* Vnde Papa, qui est Superior omni alio, potest à sententia cuiuscumque censuræ à quocumqoe iudice Ecclesiastico lata absoluere, siue sit generalis, siue specialis. quod etiam aliis committere potest: nec alicui inferiori facit iniuriam, quia vtitur iure suo. Pootifex enim super omnes Christi fideles iurisdictionem habet omnimodam, & immediatam, quoad omnia spiritualia; vt optimè docet D. Thom. relatus à Nauarr. *tom.* 1. *consil. lib.* 5. *de pœnit. & remiss. consil.* 30. *num.* 1. vnde eius Pœoitentiarij sæpè absoluunt à sententiis censurarum latis ab aliis inferioribus iudicibus Ecclesiasticis, vt Palud. *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 5. *art.* 2. & Sayr. *lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 14. *fine*, testaotur.

## DVBITATIO III.

IV. *An Episcopus possit absoluere à censuris latis à sibi subiectis? & peccet id faciendo irrequisita parte?*

Dico tertiò, consequenter Episcopus respectu alicuius Prælati ordinarij inferioris, & sibi subiecti, licèt hic non habeat iurisdictionem ab ipso Episcopo, sed ex vi sui Officij, vt sunt aliqui Abbates, Archidiaconi, vel Archipresbyteri, qui generali nomioe Plebani dicuntur, *in cap. cùm ab Ecclesiarum, de offic. ord.* potest latas censurarum sententias etiam speciatim ab huiusmodi inferioribus ordinariis sibi subiectis relaxare, & censura ligatum absoluere, quia Episcopus est ordinarius totius diœcesis, vt ex *c.* 1. *de offic. ord.* colligitur, & plenam habet in illius subditos iurisdictionem. Ita benè Tabien. *verb. Absol.* 2. *num.* 10.

Dico quartò, delinqueret tamen Episcopus, si irrequisito Ordinario sibi inferiori, & non præmissa satisfactione absolueret à censuris sibi subiectum ab ioferiori ordinario sibi subdito censura ligatum, quia contra legem *d. cap. cùm ab Ecclesiarum*, & contra debitum ordinem operaretur, nihilominus tamen valida esset absolutio; quia in illo textu *cap. cùm ab Ecclesiarum*, nullum est verbum irritans. Ita glossa *ibi verb. relaxet*. Syl. *verb. absolutio* 2. *num.* 1.

## DVBITATIO IV.

V. *An Superiores Religionum possint absoluere sibi subditos à censuris latis ab inferioribus, his non requisitis?*

Dico quintò, idem asserendum est de Prælatis regularibus: potest enim Generalis absoluere à censuris, quem inferior Prælatus, puta Prouincialis eiusdem Ordinis, censura ligauit; & similiter Prooincialis quem Superior localis eiusdem Prouiociæ excommunicauit, vel alia censura obstrinxit, potest absoluere. quia hi habent iurisdictionem inter se subordinatam; quamuis non deceat Superiores, inuitis, & irrequisitis inferioribus Prælatis hoc agere, quia suorum subditorum, quoad possunt, iurisdictionem seruare debent, vt colligitur apertè ex *cap. ad hæc, de excessibus Prælatorum.* Sic probè Syl. nuperrimè relatus, quem sequitur Suarez *tom.* 5. *de censuris, disp.* 7. *sect.* 2. *num.* 18. *propè finem.*

## DVBITATIO V.

VI. *An Archiepiscopus possit absoluere censura ligatos ab Episcopis sibi suffraganeis?*

Dico sextò, Archiepiscopus tamen ad suum arbitrium non potest ab Episcopis suis suffraganeis, aut eorum Vicariis censura ligatos absoluere, nisi in casu, quo per appellationem causa censuræ ad eum delata fuerit; tunc enim potest, vocatis tamen partibus, & cognito de appellatione, aliàs non valet absolutio, *cap. Romana, & cap. Venerabilibus, de sententia excomm.* 6. quia Archiepiscopus non est iudex, aut Ordinarius suorum Suffraganeorum. ergo nec eos censura ligare, nec ab excommunicatione absoluere valet, nisi quando ad eum fuerit appellatum, vel dum iure concedente visitat diœcesim sui Suffraganei. Sic D. Ant. 3. *part. summa tit.* 21. *cap.* 77. *ferè in princ.* Tabien. *verb. absolutio* 2. *num.* 9. Videatur etiam Nugno *tom.* 2. *in tertiam part. q.* 8. *art.* 4. *dub.* 1. *concl.* 4. *fol.* 267. *col.* 1. *mihi.* Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 30. *sect.* 2. *n.* 8.

## DVBITATIO VI.

VII. *An Vicarius generalis Episcopi possit absoluere à censuris ex alijs iudicibus inferioribus latis ex generali mandato ab Episcopo habito?*

Dico septimò. Similiter is, cui Episcopus committit vices suas, vt est Vicarius generalis, licèt is habeat iurisdictionem ordinariam in totum territorium Episcopo subiectum; vt docet Iooc. Hostien. Abb. *in cap. sua nobis, de officio Vicarij*, & habet Syl. *verb. Vicarius, num.* 4. Azor. *part.* 2. *instit. mor. lib.* 3. *cap.* 6. *dub.* 12. non valet absoluere nominatim censura ligatos à subditis Episcopi, puta ab Archidiacono: quia noo intelligitur Episcopus in generali commissione, quam facit suo Vicario generali, ea committere, quæ verisimiliter

militer in specie non fuisset commissurus, sed non est verisimile, quòd in specie Episcopus commisisset suo Vicario generali aliquid cum iniuria alterius; ergo non intelligitur in mandato generali commisisse suo Vicario, quòd possit absoluere censura ligatos ab Ordinariis inferioribus sibi subiectis, quia hoc cederet in eorum iniuriam. Hæc ratio tota fundatur *in c. si Episcopus, de pæn. & remiss.* 6. & ita hanc assertionem docet Syl. *verb. absolutio* 2. q. 1. n. 1.

Dico octauò, Vicarius generalis Episcopi sua ordinaria iurisdictione, quam accepit à iure eo ipso, quòd ab Episcopo instituitur, vt probè Azor. *part. 2. lib. 3. cap. 43. dub. 5.* non potest absoluere ex generali mandato nominatim censura ligatos ab Episcopo, cuius est Vicarius, benè tamen ex mādato speciali, & ex iurisdictione delegata. Prima pars huius assertionis probatur: nam Vicarius Generalis ex generali commissione non potest absoluere à casibus ipsi Episcopo reseruatis, sed tantùm ex mandato speciali, vt benè docet Azor. *part. 1. instit. mor. lib. 3. cap. 46. dub. 1. fine, vers. & à quibusdam.* Nauarr. *tom. 2. consil. lib. 5. de pœnit. & remiss. consil. 22.* ergo similiter non poterit ex generali commissione sui Vicariatus absoluere à censuris speciatim in personas particulares, ab Episcopo latis; quia hæ sunt reseruatæ ipsi ferenti, vel eius Superiori. Secunda verò pars, quòd scilicet ex speciali mandato possit, patet, quia hæc iurisdictio est delegabilis, vt aduertit Suarez *tom. 5. de cens. disp. 7. sect. 2. n. 8.*

## DVBITATIO VII.

VIII. ***An successor in aliqua dignitate possit absoluere à censura lata à suo Prædecessore, licèt sit successor ad tempus?***

Dico nonò, successor in onere, & dignitate illius, qui censuram tulit, absoluere potest à censura quam tulit ille, cui succedit, vt colligitur ex *can. si Episcopus* 11. *quæst.* 3. quia successor eadem censetur persona cum eo, cui succedit, argum. *cap. 1. de solutionibus*, & docet Palud. *in 4. dist. 18. quæst. 5. art. 2.* D. Ant. 3. *part. summæ tit. 24. cap. 77.* Vnde mortuo Abbate, Episcopo, Archiepiscopo, aut Papa, successor eorum in officio, & dignitate absoluit, quod procedit non solùm in successore ob mortem alterius, sed etiam vbi ob aliam causam succedit: scilicet, quia vel Episcopus, e. g. Episcopatui renunciauit, aut ad alium locum translatus est, vel depositus, vel al ia de causa iurisdictione priuatus. Syl. *verb. absolutio 2. num. 6.* Idque procedit in successore iudicis delegati; poterit enim iste à sententia censuræ à Prædecessore delegato lata absoluere. Sayr. *lib. 2. de cens. cap. 10. num. 19. medio.*

Dico decimò, successor etiam ad tempus ille, qui iure communi exercet iurisdictionem, donec successor perpetuus constituetur, absoluere potest à censuris, quas tulit is, cui succedit; & sic mortuo Episcopo, Archiepiscopo, Patriarcha, successor eorum ad tempus, scilicet Capitulum Ecclesiæ Cathedralis absolueret, *cap. vnic. de maiorit. & obedient.* 6. A Capitulo verò hodie iure nouo Concilij Tridentini *sess. 24. cap. 16. de Reformatione*, eligi debet Vicarius, qui ea, quæ iurisdictionis sunt, exercere debet: si Episcopus à paganis, aut schismaticis capiatur, non Archiepiscopos, sed Capitulum in spiritualibus, & temporalibus ministrare debebit, ac si Sedes per illius mortem vacaret, donec libertati fuerit restitutus, vel per Sedem Apostolicam prouisum, *cap. si Episcopus, de supplenda negl. Prælatorum* 6. Syl. nouissimè relatus.

IX. ***Episcopo iurisdictione priuato, potest ad huc successor ad tempus absoluere à censuris ab eo latis?***

Dico vndecimò. Idem asserendum mihi videtur si Episcopus alia de causa fuerit iurisdictione priuatus, vt si sit publicè denunciatus, excommunicatus, suspensus, vel interdictus ab officio, vel notorius Clericorum percussor, donec fuerit absolutus, tunc successor ad tempus, Capitulum scilicet Ecclesiæ Cathedralis, absoluere poterit à censuris ab eo latis, arg. *dicti cap. si Episcopus, de supplenda negl. Prælatorum*, iuncta gloss. *verb. mortem*, inquiens, si Sedes vacauerit per mortem, renunciationem, translationem, depositionem, vel alio modo, Capitulum in spiritualibus ministrare debebit. ergo Episcopo censura ligato non tolerato cùm quodammodo Sedes Episcopalis vacet (non enim tunc Episcopus exercere valet ea, quæ sunt iurisdictionis, & si exerceat, factitata ab eo sunt inualida) Capitulum à censuris ab eo latis absoluere poterit. Videatur pro hac assertione Sayr. *lib. 1. de cens. c. 8. num. 13.* Suarez *tom. 5. de censuris, disp. 7. sect. 2. num. 3. & 4.*

## DVBITATIO VIII.

X. ***An administrator positus ab Archiepiscopo Sede vacante, in aliqua Cathedrali, possit absoluere à censuris, vel hoc potiùs spectet ad Capitulum?***

Dico duodecimò, si à Romano Pontifice, Sede vacante, vel quasi vacante, detur visitator in Ecclesia Cathedrali, aut ob Capituli negligentiam ab Archiepiscopo datus sit Administrator, quia fortè Capitulum in spiritualibus negligenter, aut perperam administrat: tunc talis visitator, & administrator à censuris absoluet, & non Capitulum, *cap. is, cui, de elect. 6. & cap. final. de supplenda negligentia Prælatorum 6.* & docet Sayr. *lib. 2. de censuris, cap. 10. num. 19. propè finem.*

## DVBITATIO IX.

XI. ***An absoluere à censuris, mortuo summo Pontifice, conueniat Collegio Cardinalium, vel maiori Pœnitentiario?***

Dico decimotertiò, mortuo summo Pontifice maior Pœnitentiarius iuxta potestatem, quam, viuente Pontifice, habebat, absoluere potest à censuris, & casibus Pontificiis, iuxta *Clem. ne Romani, §. eo tamen, de elect.* quia priuilegium non extinguitur morte concedentis: Collegium verò Cardinalium, Sede vacante, Pontificiam iurisdictionem exercere non valet, ea præcipuè, quæ sunt Romano Pontifici reseruata, & sic nequit à censuris Pontifici reseruatis absoluere; ita habetur *in Clem. ne Romani, §. irritam, de electione*, & docet Syl. *verb. Cardinalis*, Suarez *tom. 5. de cens. disp. 7. sect. 2. num 5.*

Dices, inferiora Canonicorum Collegia post obitum sui Antistitis Episcopali iurisdictione funguntur: ergo & Collegium superius Cardinalium hoc poterit Sede vacante. Respondetur concedendo antecedens, quia hoc illis de iure conceditur, vt patet *cap. si Episcopus, de maior. & obed. 6. & c. is cui, de elect. 6.* Collegio autem Cardinalium à iure denegatur *in d. Clem. ne Romani*, idque meritò factum est, vt Cardinales Romani Pontificis electionem maturent. Azor. *p. 2. instit. mor. lib. 4. cap. 3. dub. 1.*

DVBI

## DVBITATIO X.

XII. *An mortuo summo Pontifice remaneat illius auctoritas in Collegio Cardinalium?*

Dico decimoquartò, mortuo Pōtifice, licèt actualis iurisdictio Pontificia in Collegio Cardinalium non remaneat; habitualis tamen, seu quantum ad radicem proximam remanet in Collegio Cardinalium; quia Papa vita functo Cardinales Pontificem eligendi habent facultatem. Syl. *vbi suprà, verb. Cardinalis.* Sicut ob eandem rationem Ecclesia suo Pastore viduata est visibilis; quia in ea est cœtus visibilis Cardinalium, qui diuino iure coguntur vnum visibile caput Ecclesiæ præficere, vt benè Azor. *part. 2. instit. mor. lib. 5. cap. 21. dub. 5.*

## DVBITATIO XI.

XIII. *An facultas Pontificia conferatur Pontifici à Cardinalibus eligentibus?*

Dico decimoquintò, consequenter licèt Collegium Cardinalium potestatem habeat eligendi summum Pontificem, electo tamen R.P. iurisdictionem Pontificiam non tribuit, quia nemo plus iuris in alium transferre potest, quàm ipse habet, *c. nemo, de reg. iur. in 6.* at Cardinales non habent iurisdictionem Pontificiam. ergo: tum, quia electio facta à Cardinalibus alicuius in R.P. est veluti conditio, sine qua R.P. à Christo Domino iurisdictionem Pontificiam non acciperet: vt benè Azor. *p. 2. lib. 5. inst. mor. c. 30. dub. 13. §. Secundo obijcies, propè finem.* Electo igitur in Romanum Pontificē nihil de suo tribuunt Cardinales, sed potiùs Christus Dominus per ipsus dat electo Pontificiam potestatem: sicuti si mandato meo vt certum aliquid à me relictū vni ex pluribus pauperibus, quem tu elegeris, coofeatur, id à me, & non à te eligente habere intelligitur electus: sic eligunt Cardinales Pontificem, sed potestatem Pontificiam ei non conferunt; confert autem Christus Dominus. Vide Azor. *lib. 4. cap. 2. part. 2. dub. 14. §. Dicendum igitur.*

## DVBITATIO XII.

XIV. *An in aliquo casu Collegium Cardinalium Sede vacante possit absoluere à censuris?*

Dico decimosextò, Sede vacante Collegium Cardinalium in certis casibus & magna ex causa à casibus, & censuris absoluere potest, à quibus Pontifex absoluere potuit. Probatur. nam mortuo Pontifice, Sede vacante Collegium Cardinalium graui ex causa, vt causa schismatis, tollendi, & sedandi delinquentes, anathematizare potest, vt patet ex *can. si quis pecunia, dist. 79.* ergo graui causa existente, & in certis casibus absoluere potest à censuris, à quibus Pontifex absoluere valet. Sic glossa *in cap. vnico, de schismaticis 6. in verb. Sede vacante, propè finem.* Idque colligitur ex *cap. vbi periculum, de elect. 6. §. Idem quoque Cardinales.* Videatur pro hac assertione Syluest. *verb. Cardinalis, ad finem.* Azor. *part. 2. lib. 4. c. ... dub. 1.* Suarez *tom. 5. de censuris, disp. 7. sect. 2. num. 5.*

XV. *Rationi in contrarium à principio respondetur.*

Ad rationem in contrarium patet quid dicendum ex quarta nostra assertione. Vnde in forma ad argumentum, respondeo, negatur consequentia. Nam, etsi delinquat Superior si irrequisito Ordinario sibi inferiori, & non præmissa satisfactione absoluens sibi subditum censura ligatum ab inferiori Ordinario, sibi subiecto tamen, absolutio esset valida; hæc enim habet vires à iurisdictione, quam habet Superior in sibi subiectum. Videatur glossa, & Syl. *assertione 4. cit.*

## ARTICVLVS XLVI.

### An censura per generalem sententiam lata solùm à ferente auferri possit?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, & explicatur, an sententia censura lata ab homine contra particularem personam possit ab eodem, vel à Superiore auferri.*
3. *An excommunicatus ab vno Episcopo, si mutet domicilium, possit absolui ab Episcopo in cuius diœcesim venit.*
4. *An incurrens in vna diœcesi excommunicationem non reseruatam, si transferat domicilium, possit à quolibet Confessario diœcesis, ad quam venit, absolui.*
5. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur an censura lata ab homine per sententiam generalem sit idem, quod censura lata per canonem, vel statutum.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

Quia talis censura est simpliciter ab homine, & non à iure; ergo generalis regula in iure fundata, quòd censura ab homine, à solo ferente, vel à Superiore tollatur, in illa etiam locum habet; & ita hanc sententiam tenuit Suarez *tom. 5. de cens. disp. 7. sect. 2. num. 11.*

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

## DVBITATIO I.

*An sententia censura lata ab homine contra particularem personam, possit ab eodem, vel à Superiore auferri?*

Dico primò, censura ab homine lata per sententiam specialem determinatè contra particularem aliquam personam, ab eo tantùm auferri potest qui eam tulit, vel ab eius successore, vel Superiore in iurisdictione, vel ab habente facultatem delegatam à iudice illam ferente. quia aliàs perturbaretur iurisdictio, & fieret iniuria Iudici ferenti censuram, si ab alio, quàm ab ipso, vel ab eo delegato, vel à Superiore in iurisdictione posset auferri censura lata determinatè contra personam aliquam particularem. Videatur Sotus *in 4. dist. 22. q. 2. art. 3. concl. 2.* Nauar. *in summ. c. 27. n. 40.*

## DVBITATIO II.

III. *An excommunicatus ab vno Episcopo, si mutet domicilium, possit absolui ab Episcopo in cuius diœcesim venit?*

Dico secundò, censura ligatus nominatim à suo Episcopo per sententiam specialem, si postea transtulit domicilium in alienam diœcesim, à priori Episcopo debet absolui, & non ab Episcopo in cuius diœcesim post censuram incursam transtulit domicilium; quia licèt ratione domicilij desinat esse subditus prioris Episcopi, qui contra eum determinatè censuræ sententiam

sententiam tulit, tamen ratione delicti commissi, & censuræ incursæ adhuc remanet subditus illi. ergo ab illo priori, in cuius diœcesi deliquit, & censuram contraxit, debet absolui, & non ab alio indice, in euius territorium transtulit domicilium, nisi aliàs sit Superior in iurisdictione, & ita hæc assertio apertè colligitur ex doctrina Soti *in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 1. §. Respondetur ergo.* Scot. *versic. & è conuerso.* Suarez *tom. 5. de cens. disp. 7. sect. 2. num. 26.*

## DVBITATIO III.

IV. *An incurrens in vna diœcesi excommunicationem non reseruatam, si transferat domicilium, possit à quolibet Confessario diœcesis in quam venit, absolui?*

Dico tertiò, qui in vno loco contraxit excommunicationem non reseruatam latã ab Episcopo illius loci per sententiam generalem, si postea motet domicilium, séque transferat ad aliam diœcesim, potest iure communi absolui à Confessariis illius loci, ad quem se transfert. quia sententia generalis in multis æquiualet statuto, & canoni, vt ait Syl. *verb. excomm. 2. n. 10.* quamuis ipsa esset per mortem conditoris; sed censura canonis & statuti iure communi potest auferri ab habente potestatem absoluendi à peccatis mortalibus, vt habetur ex *cap. nuper, de sententia excommun. §. In secundo verò casu*, vbi proprio Sacerdoti datur facultas absoluendi à censuris iuris non reseruatis: qui autem facultatem habet absoluendi à mortalibus, dici potest proprius Sacerdos; ergo iure communi censura lata per sententiam generalem potest auferri ab habente facultatem absoluendi à mortalibus. Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 3. post secundam conclusionem. § Sed aliud est; & in sequenti 3. conclusione.* Lopez *part. 2. instruct. tract. de Clauibus, cap. 19. §. Præterea, fol. 930. col. 2. mihi.* Valent. *tom. 4. disp. 7. quæst. 17. puncto 8.*

Dixi, per sententiam generalem, quia censura lata per sententiam particularem nominatim contra personam aliquam particularem, etiamsi ferens eam sibi non reseruet, ab eo tantùm auferenda est, qui eam tulit, vel ab eius successore, vel Superiore in iurisdictione, vel ab habente iurisdictionem delegatam, vt dictum est in prima nostra assertione, vt docent Sotus, & Lopez nouissimè relati. Bonacina *tom. 1. tract. de cens. disp. 1. q. 3. n. 5. puncto 1.*

Dico quartò, censura non reseruata lata per sententiam generalem siue pro culpis futuris, vt si Episcopus generali edicto excommunicaret omnes, qui in sua diœcesi in futurum commiserint homicidium, siue sit lata pro commisso iam delicto sub conditione satisfaciendi, vt si excommunicaret omnes, qui furati sunt, nisi alienum intra decem dies restituerint, tolli, & auferri potest à quocumque potestatem habente absoluendi à mortalibus. hoc pronunciatum sustinent DD. relati pro tertia assertione, & præter illos Sayr. *lib. 5. de censuris, cap. 15. num. 22.* loquendo vniuersim non distinguentes de censura lata per sententiam generalem pro culpis futuris, vel pro delictis commissis. Alij verò, quos tacito nomine refert Suarez *tom. 5. de censuris, disp. 7. sect. 2. num. 25.* speciatim, & expressim tenent illud, etiam loquendo de censura lata per sententiam generalem pro commisso delicto, extendentes ad hanc censuram concessionem *d. cap. nuper, de sententia excommunicat.* quia hæc sententia cùm generalis sit, in pluribus æquipollet canoni, & statuto: tum, quia absoluens à censura non reseruata generaliter lata non videtur iniuriam inferre iudici Ecclesiastico illam ferenti; nam eo ipso quo eam sibi non reseruat, censetur cuicomque proprio Confessario facultatem concedere absoluendi ab illa, cùm aliàs posset eam sibi reseruare: secus autem si sententia censuræ speciatim contra personam particularem esset lata, quia tunc illi esset contestata inter partes, & Tribunal iudicis illam ferentis læderetur. Videatur Sotus citatus *in 4. dist. 22. q. 1. art. 3. § Sed aliud, propè finem.*

Contrà Suarez *loco nuper citato n. 22.* quia, inquit, standum est proprietati verborum, & sententia in rigore, siue sit generalis, siue sit particularis, non est statutum; ergo non potest fieri extensio concessionis *d. cap. nuper*, ad sententiam generalem, propter solam similitudinem. Respondetur tamen quòd cùm illa concessio sit fauorabilis, potius est extendenda, quàm restringenda, vti illam extendunt DD. relati, Sotus, Lopez, Sayr. Bonacina, Nauarr. *summa cap. 27. num. 42. versic. Septimo.* Couarr. *cap. Alma, part. 1. §. 12. num. 4.* Ipse etiam Suarez *vbi suprà, num. 13. fine*, fatetur quòd qui voluerit in praxi sequi hanc opinionem, potest sine scrupulo.

V. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

## DVBITATIO IV.

*An censura lata ab homine per sententiam generalem sit idem, quod censura lata per canonem, vel statutum?*

Et per hæc patet ad rationem in contrarium à principio positam. fatemur quidem censuram latam per sententiam generalem simpliciter esse ab homine, tamen secundùm quandam similitudinem æquipollet censuræ latæ per statutum, & canonem, & sic concessionem *d. cap. nuper*, vbi proprio Sacerdoti datur facultas absoluendi à censuris iuris non reseruatis, extendunt DD. grauissimi relati ad censuram latam per sententiam generalem, quòd scilicet possit tolli, & auferri in sacramentali confessione ab habente facultatem absoluendi à mortalibus.

## ARTICVLVS XLVII.

## An *cap. nuper, de sententia excommunicationis*, concedens proprio Sacerdoti facultatem ad absoluendum à censura iuris, per contrariam consuetudinem sit abrogatum?

### SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas explicatur, declarando, quis sit proprius Sacerdos, & quam habeat facultatem.*
3. *An omnes Confessarij expositi possint absoluere à censuris.*
4. *Titulo dubitationis respondetur.*
5. *An proprij Sacerdotes, habentes auctoritatem communem, possint absoluere à suspensione, & interdicto si non reseruentur.*
6. *An ligatus censura suspensionis, possit confiteri, & communicare corpori Dominico, & omnia, quæ potest laicus.*
7. *An interdicti excludantur à participatione sacramenti Pœnitentiæ.*
8. *An consuetudine introduci possit, vt Parochi, vel alij Sacerdotes expositi, à nulla possint cẽsura absoluere.*

9\. *Ad rationem in contrarium à principio respondetur, & explicatur, an Regulares possint absoluere à censuris.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm *in Extrauaganti 1. de priuilegiis, §. obseruent, & in Clem. 1. de priuilegijs, & excessibus priuilegiatorum, in principio*, interdicitur Religiosis Confessoribus, ne ab excommunicatione, præcipuè iuris, pœnitentes absoluant, & *in ead. Extrauag. §. vt autem*, Confessores Religiosi quo ad facultatem absoluendi æquiparantur Parochis. ergo si Religiosi Confessarij nequeũt censuras à iure latas auferre, neque parochi, neque alij Confessarij non curati. ergo *c. nuper*, ne dum per contrariam consuetudinem, sed etiam per contrarium ius est reuocatum, & ita hanc sententiam tenuit Couarrouias *in c. Alma, part. 1. §. 11. n. 5. de sententia excomm. 6* Sayr. *lib. 1. cap. 19. num. 14.*

II. *Veritas explicatur, & declaratur*

DVBITATIO I.

*Quis sit proprius Sacerdos, & quam habeat facultatem.*

Dico primò, appellatio proprij Sacerdotis extenditur ad omnem illum qui iurisdictionem habet absoluendi à peccatis mortalibus. quia quatenus Sacerdos iurisdictionem habet absoluendi à peccatis mortalibus, & istud munus exercet, subit vicem, & modum Sacerdotis proprij. Ita Toletus *summa lib. 1. c. 16. num. 2.* Suarez *tom. 5. de cens. disp. 7. sect. 4. num. 9.* Proprius igitur Sacerdos dicitur non solùm ille, qui ratione beneficij est proprius Ordinarius, sed etiam qui per delegationem efficitur quasi proprius quo ad hoc munus absoluendi à peccatis mortalibus.

DVBITATIO II.

III. *An omnes Confessarij expositi possint absoluere à censuris?*

Dico secundò, iure communi proprius Parochus simplex Sacerdos, etiam Religiosus expositus ad audiendas fidelium confessiones in foro interiori absoluere possunt à censuris iuris communis, aut à Synodis, vel generaliter ab homine latis non reseruatis. Probatur, quia omnes expositi ad audiendas Confessiones absoluere valent à quocumque peccato non reseruato. ergo similiter saltem ex implicita commissione absoluere poterunt à quacumque censura non reseruata, quatenus impedit beneficium absolutionis sacramentalis; nam conditor canonis, & index generaliter ferens censuræ sententiam, si censuræ absolutionem sibi non retinuit, expositis ad audiendas confessiones in foro pœnitentiæ absolutionem ab ea indulsisse videtur; quæ est ratio *d. c. nuper, de sententia excomm.* & ita hanc sententiam tenere videtur expressè D. Thom. *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 5. in corp.* Syl. *verb. absol. 2. n. 4. §. & simpliciter, vers. sed tu adde.*

IV. *Titulo dubitationis respondetur.*

Dico tertiò, capitulum *nuper, de sententia excomm.* concedens proprio Sacerdoti facultatem ad absoluendum à censuris canonis, & à generaliter latis ab homine non reseruatis, quo ad forum internum communi praxi, & consuetudine non est reuocatum, benè tamen quo ad externum. Probatur, quia vsus receptus, & communis praxis interpretatur ius, *d. cap. nuper*, concedens facultatem absoluendi à censuris canonis, & à generaliter latis ab homine, valere quidem talem absolutionem in foro conscientiæ, non autem in foro externo, sed communis praxis, & consuetudo est optima legum interpres. ergo. Minor admittitur communiter à DD. Maiorem docet expressè Lopez noster *part. 2. Instruct. tract. de clauibus cap. 19. de absolutione ab excommunic. §. secundò dicitur, vers. quoniam vsus interpretatur.* Nauar. *in summa cap. 27. num. 39. vers. quarto.* vbi ait, quòd id ipse aliis consuluit, valere scil. iuxta communem vsum talem absolutionem quantum ad forum conscientiæ, non autem quantum ad forum exterius. quæ quidem limitatio mihi legitima videtur, quia cùm hæc facultas, *cap. nuper*, videatur præcipuè concessa in ordine ad absolutionem à peccatis, quod ad forum internum pertinet, iure optimo praxis communis, & consuetudo admittit talem absolutionem in foro conscientiæ, non autem in foro externo, ne perturbetur iurisdictio Ecclesiastica in foro exteriori, ibi enim non admittitur, qui sic absolutus fuerit à Curato, vel ab exposito, nisi fuerit absolutus ab Episcopo vel ab alio iudice Ecclesiastico habente iurisdictionem in foro contentioso. Ita benè Lopez *loc. cit.* Nauar. *vbi suprà*, quibus etiam fauet Suarez *tom. 5. de censuris disput. 7. sect 4. num. 21.* quamuis iste author *ibi num. 19.* teneat valere hanc absolutionem nedum in foro interiori, sed etiam exteriori. Sed limitatio Lopez & Nauar. verior, & communior est, non enim admittere tur sic absolutus in foro contentioso, vt communi vsu est receptum.

DVBITATIO III.

V. *An proprij Sacerdotes habentes tantùm auctoritatem communem, possint absoluere à suspensione, & interdicto, si non reseruentur?*

Dico quartò, licèt Parochi, & Sacerdotes expositi ex facultate *d. c. nuper*, & ex tacita commissione Ordinarij exponentis ad audiendas confessiones absoluere possint in foro interno ab excommunicatione iuris, & à generali hominis si non reseruetur, ab interdicto tamen, & suspensione eisdem absoluere non conceditur. Ratio discriminis est, quia ideò conceditur facultas absoluendi à censuris Parocho, & Sacerdotibus expositis, eo quòd earum absolutio ad receptionem sacramenti Pœnitentiæ omnino prærequiritur: absolutio verò suspensionis, & interdicti, si sit interdictum generale personale, vel locale, non est necessaria ante absolutionem à peccatis. ergo Parochi, & Sacerdotes expositi non habent facultatem absoluendi à suspensione, neque ab interdicto personali generaliter lato. quia hæ censuræ non impediunt absolutionem sacramentalem. Sic benè, vt mihi videtur, aduertit Sayr. *lib. 1. de cens. cap. 15. n. 22.* citans Henriquez *lib. 13. de excomm. & interdicto cap. 51. §. 31.* Ad maiorem huius immediatè præcedentis assertionis intelligentiam,

DVBITATIO IV.

VI. *An ligatus censura suspensionis, possit confiteri, & communicare corpori Dominico, & omnia, quæ potest laicus?*

Dico quintò, censura suspensionis, non impedit, quin suspensus possit confiteri, & communicare corpori Dominico, nec quidquam illi per eam prohibetur, quod potest vt laicus exercere: quia suspensio sic diffinitur à Syl. *verb. suspensio*, & communiter

ab

ab omnibus, est censura Ecclesiastica, qua alicui personæ Ecclesiasticæ prohibetur exercitum sui officij, vel beneficij Ecclesiastici in totum, vel in partem. ergo actiuè tantùm suspensus prohibetur exercere Diuina, non autem passiuè illa suscipiendo vt laicus, etiamsi suspensus esset à Diuinis. Ita benè Nauarr. *tom.* 2. *consil. lib.* 5. *de Cler. excommunic. consil.* 4. *num.* 3. & 4.

### DVBITATIO V.

VII. *An interdicti excludantur à participatione sacramenti Pœnitentiæ?*

Dico sextò, interdictum generale locale & generale personale neminem excludit à participatione sacramenti Pœnitentiæ passiuè loquendo: nisi illum qui causam interdicto dedit, vel est specialiter personaliter interdictus. Prima pars huius assertionis probatur ex *cap. quoniam, de sententia excomm.* 6. vbi textus simpliciter dicit, tempore interdicti neminem excludi à participatione sacramenti Confirmationis, non distinguens de interdicto ciuitatis quo ad terram, vel quoad populum; ergo interdictum generale locale, vel generale personale à fortiori neminem excludit à sacramento Pœnitentiæ, propter summam huius sacramenti necessitatem; & quia tale sacramentum post Baptismum est præparatio, & dispositio ad alia sacramenta dignè ab adultis suscipienda. Vide Suarez *tom.* 5. *de censuris, disp.* 33. *sect.* 1. *num.* 9. Probatur modò secunda pars nostræ assertionis. nam qui causam dedit interdicto generali locali, vel generali personali, non potest absolui, nisi priùs satisfaciat. Similiter interdicitur quis specialiter personaliter propter culpam propriam, vel propter contumaciam; ergo absolui nequit à peccatis, nisi deposita contumacia. Ita colligitur apertè ex *cap. Alma mater, de sententia excomm.* 6. §. *Quia verò.* Clariùs tamen

Dico septimò, iure nono certum est interdictis interdicto generali loci, vel generali personali concessum esse sacramentum Pœnitentiæ. Sic Tabien. *verb. interdictum* 5. *num.* 5. & *in d. cap. Alma.* Excipiuntur tamen illi, quorum culpa, dolo, vel fraude latum est interdictum, siue fuerint causa interdicti generalis loci, vel generalis personalis, siue sint in sua persona specialiter interdicti, qui quidem si non sint culpabiles, simpliciter admitti possunt ad sacramentum Pœnitentiæ; vt docet Sayr. *lib.* 5. *de cens. cap.* 6. *n.* 12. Si verò sint culpabiles, nequaquam admitti possunt ad confessionis Sacramentum, nisi priùs satisfecerint, vel idoneam saltem cautionem dent de satisfaciendo. Probatur hæc vltima pars, nam priores colliguntur claré *in d. cap. Alma mater.* Nam qui ligantur generali interdicto, siue locali, siue personali, cui ipsi per propriam culpam causam dederunt, non possunt recipere sacramentum Pœnitentiæ, nisi forma iuris *cap. Alma mater*, seruata nisi scilicet priùs satisfaciant, vel idoneam cautionem dent de satisfaciendo. ergo multò magis id dicendum de speciali interdicto. Videatur Sayr. nouissimè relatus Suarez *vbi suprà, n.* 10. Ex dictis deducitur, quòd cùm facultas absoluendi à censuris non reseruatis Parochis, & Sacerdotibus expositis sit concessa, ex *d. c. nuper*, & ex tacita commissione Ordinarij exponentis in ordine ad receptionem sacramenti Pœnitentiæ; & absolutio suspensionis, & interdicti non sit necessaria ante absolutionem à peccatis, deducitur, inquam, ex his, quòd Parocho, & Sacerdoti exposito non conceditur absoluere à censuris suspensionis, & interdicti, vt diximus *assertione* 4. licèt alij, quos tacito nomine Sayr. *lib.* 5. *de cens. cap.* 15. *num.* 22. refert, partem tenuerint affirmatiuam.

### DVBITATIO VI.

VIII. *An consuetudine introduci possit, vt Parochi, vel alij Sacerdotes expositi à nulla possint censura absoluere?*

Dico octauò, licèt iure communi Parochis, & Sacerdotibus expositis, per dictum *cap. nuper*, sit concessa facultas absoluendi à censuris non reseruatis impedientibus sacramentalem à peccatis absolutionem, iure tamen particulari in aliquibus diœcesibus sancitum est ab ordinariis diœcesanis, ne Parochi, vel alij Sacerdotes expositi absoluant à censuris, excepta minore excommunicatione, idque consuetudine introduci potuit: quia cùm facultas absoluendi à censuris non reseruatis, Parochis, & Sacerdotibus expositis in illo *cap. nuper*, concessa sit humana, per contrariam consuetudinem abrogari potuit, Episcopis illam interdicentibus Parocho, & Sacerdoti exposito in aliquibus locis, vt benè annotauit Bonacina *tom.* 1. *tract. de censuris, disp.* 1. *quæst.* 3. *puncto* 1. *n.* 9. *vers. Dixi, iure communi.*

IX. *Ad rationem in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

### DVBITATIO VII.

*An regulares possint absoluere à censuris?*

Ad rationem in contrarium quatenus directè militat contra nostram tertiam assertionem, respondetur, quòd post illa iura plurimum aucta fuere à Romanis Pontificibus Regularium priuilegia, & ideò ex illis, & ex consuetudine, quam nunc habent, absoluere possunt à censuris iuris, vel hominis generaliter latis, non reseruatis absolutionem sacramentalem impedientibus; & sic ex priuilegiis de nouo concessis, & ex consuetudine, quam nunc habent Religiosi expositi absoluendi à talibus censuris, vt ait Suarez *tom.* 5. *de censuris, disp.* 7. *sect.* 4. *num.* 21. non potest sumi argumentum ad Parochorum & Confessorum sæcularium expositorum consuetudinem, & facultatem eliciendam circa absolutionem à censuris non reseruatis. Nauarr. tamen, & Lopez *vbi suprà*, censent Parochos, & alios expositos modò facultatem haberi vi concessionis *d. c. nuper*, absoluendi in foro interiori à censuris iuris, & hominis generaliter latis, non reseruatis beneficium absolutionis sacramentalis impedientibus, non tamen in foro externo. & hoc est, quod communi praxi est abrogatum, non autem primum. Quòd si priuilegium *cap. nuper*, in aliqua diœcesi etiam in foro interno per contrariam consuetudinem sit reuocatum, quilibet consulat consuetudinem in vnoquoque Episcopatu receptam, & illam obseruet. nam consuetudo sicut dare potest iurisdictionem, ita & auferre, *cap. cùm contingat, de foro compet.* & ibi glossa *verb. vel consuetudine*, Sayr. *lib.* 1. *de cens. cap.* 6. *num.* 31.

Respondetur secundò, quòd licèt Pontifex Benedictus XI. *in Extrauag.* 1. *de priuilegijs*, §. *vt autem*, dicat se non intendere vt Religiosi plus habeant in audiendis confessionibus, quàm Parochi, non tamen dicit se velle, vt habeant omnia, quæ habent Parochi, & ita licèt Religiosis potestatem illam absoluendi; scilicet à censuris iuris, & hominis generaliter latis non reseruatis, ibi non concesserit, non satis infertur Parochos eam non habere: & sic Parochi, & alij Sacerdotes sæculares expositi

poterunt per concessionem *d.c. nuper*, absoluere à censuris iuris,& hominis generaliter latis non reseruatis, & Religiosi expositi per priuilegia de nouo illis concessa, eandem habebunt facultatem. Videatur Lopez noster *tertia assertione* relatus. Suarez *vbi suprà sect.3.num.32.*

Neque obstat contra id qood diximus, Religiosos scil. expositos posse vi suorum priuilegiorum absoluere sæculares pœnitentes à censuris iuris, & hominis generaliter latis non reseruatis; non,inquam, officit decretum sacræ Congregationis Cardinalium negotiis Episcoporum ac Regularium præpositorum de sanctissimi D. N. Pauli Papæ V. mandato editum die 7. Ianuarij 1617. cuius initium est, *Quoniam sacra Congregatio*; nam in illo decreto tantùm interdicitur Regularibus ne absoluere valeant ab excomunicationibus reseruatis,& càsibus similiter reseruatis Sedi Apostolicæ & locorum Ordinariis, non autem ibi prohibetur, quòd non possint, vi suorum priuilegiorum à non reseruatis absoluere.

Imò per prædictum decretum priuilegia Regularium, quo ad eorumdem absolutiones, non sunt ablata, sed tantùm quo ad sæculares personas sunt limitata: sic eadem sacra Congregatio viuæ vocis oraculo declarauit, mentem scil. Summi Pontificis non fuisse tollere, & anoullare priuilegia Regularium, quo ad eorumdem absolutiones, sed tantùm quo ad sæculares personas limitare. Ita refert *in Thesauro Religiosorum* D. Bartholomæus à S. Fausto *lib.8. de voto paupertatis, quæst.132.num.3.* quæ est vltima, & finis illius libri.

## Articvlvs XLVIII.

### An excommunicatus, suspensus, vel interdictus ab homine, si ingreditur Religionem, possit absolui à Prælato Religionis, qui videtur succedere in iurisdictione in illum?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Dubitatio resoluitur quo ad censuras non reseruatas.*
3. *An Prouincialis Ordinis Prædicatorum, & Prouinciales aliorum Ordinum, communicantes in eorum priuilegijs, vel eorum vicarij, possint absoluere Nouitios à quibusuis censuris? & an possint absoluere eosdem nominatim denunciatos tales.*
4. *An ingredientes Religionem Prædicatorum, vel Minorum, dum sunt censura ligati, si aduertant, se in sæculo incurrisse irregularitatem Ordines suscipiendo, vel diuina Officia celebrando, possint dispensari à Superioribus Religionum quas ingrediuntur.*
5. *An Prælati Regularium possint absoluere tam Nouitios, quàm Professos, à censuris & pœnis, tam antè, quàm post ingressum in Religionem incursis, & super quibus irregularitatibus, cum illis dispensare.*
6. *An Prælati Regularium possint dispensare cum suis subditis super irregularitatem ortam ex homicidio voluntario.*
7. *An Prælati Mendicantium possint absoluere suos subditos à censuris, extra forum sacramentale, licèt in eorum priuilegijs ponatur clausula, in foro conscientia.*
8. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, quomodo ingrediens Religionem mutet iurisdictionem.*

I. *Pars negatiua probatur.*

Qvia per mortem naturalem non fit vt possit quis absolui à censuris ab alio, quàm à iudice illas ferente, si sint illi reseruatæ, vel ab homine latæ specialiter contra specialem aliquam personam, vt docet Sayr. *lib.1. de cens. cap.8. num.* 10. Nauar. *summa cap.* 26. *num.* 32. ergo per mortem ciuilem, quæ est, quando quis ingreditur, & vouet in aliqua approbata Religione, non fit vt quis possit absolui à censuris ab alio, &c. & ita hanc sententiam tenuit Vgolinus *tabul.1.cap.4.num.10.*

II. *Dubitatio resoluitur quoad censuras non reseruatas.*

Dico primò, à censuris latis per sententiam generalem, siue per statutum, non reseruatis, ingrediens Religionem potest à Superiore illius Religionis absolui, non solùm post professionem, sed etiam antea; quia tunc Prælatus illius Religionis, quam quis ingreditur, est eius Ordinarius: tum, quia Nouitij gaudent priuilegiis illius Religionis, quam ingrediuntur, vt bene tradunt Azor. *part.1. inst. mor. lib* 7. *cap.30. fine, & lib.12. cap.2. quæst.10.* Sanchez *lib.4. oper. mor. cap.* 39. *num.* 17. ergo cùm perfectè subditi qui iam professionem emiserunt, à censuris generaliter ab homine latis, siue etiam per statutum, à suis Prælatis possint absolui, & similiter Nouitij: ita tenet expressè Tabien. *verb. suspensio num.* 13. Suarez *tom.5. de cens. disp.7. sect.2. num.19.*

### Dvbitatio I.

III. *An Prouincialis Ordinis Prædicatorum, & Prouinciales aliorum Ordinum, communicantes in eorum priuilegijs, vel eorum vicarij, possint absoluere Nouitios à quibusuis censuris? & an possint absoluere eosdem nominatim denunciatos tales?*

Dico secundò, Prouinciales Ordinis Prædicatorum, ac vicarij Prouinciarum absentibus Prouincialibus, & quibus ipsi specialiter commiserint in quocumque loco quarumcumque Prouinciarum in toto Orbe existentes, licèt non iure communi, ex priuilegio tamen Nouitios absoluere valent nedum à censuris iuris, & hominis generaliter latis non reseruatis: sed etiam à censuris, & casibus Sedi Apostolicæ reseruatis. Ita concessit Clemens VII. anno millesimo quingentesimo trigesimo, vt videre est apud Rodriquez *tom.1. qq. Reg. quæst.* 20. *art.* 21. & absoluti virtute huius concessionis etiam si retrocedant ab Ordine, non reinciduot in censuras: quia priuilegium absolutè conceditur absque clausula, quòd si non permanserint, in pristinas censuras relabantur; vt benè perpendit Rodriquez nouissimè relatus. licèt Syl. *verb. absolutio* 5. *num.7.* contrarium senserit; quia, inquit, in concessione priuilegiorum pro Nouitiis, semper intelligitur inclusa conditio, si perseuerauerint: excepti tamen semper intelliguntur casus Bullæ Cœnæ, vti de facto excipit Clemens VII. in hac sua concessione; videatur etiam pro hac assertione noster Ioannes de la Crux *de voto obedientia lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 15. *concl.4. fol.64. mihi.*

Dico tertiò, virtute superadictæ concessionis Clementis VII. possunt prædicti Prælati, & communicantes in priuilegiis Mendicantium absoluere ingredientes Religionem, etiam si fuerint nominatim & specialiter ab homine excommunicati, suspensi, vel interdicti, si priùs ab eis satisfactio fiat parti læsæ.

quia

quia in eo priuilegio conceditur ingredientibus Religionem, quòd possint absolui ab omnibus censuris Papæ reseruatis, quod est maius. ergo conceditur etiam id quod est minus, scilicet absolui à censuris latis specialiter à quocumque alio iudice contra particularem aliquam personam; quia plus semper in se continet quod est minus, prout dicitur in iure *de reg. iuris in 6. reg. 35.* Tum, quia etsi aliquod præiudicium iudici nominatim ferenti censuras inferatur, Pontifex tamen in fauorem animarum, & alicuius piæ causæ potest cum paruo præiudicio alterius, tale concedere priuilegium, vt benè obseruauit Rodriquez *tom. 1. qq. Reg. quæst. 20. art. 6. fine.* vbi hanc assertionem docet, *& infra art. 21. eiusdem quæstionis*, quem sequitur, & adducit noster de la Crux *vbi suprà*, contra Couarruuiam *in cap. Alma mater 2. part. §. 11. num. 16.* Gutierrez *in quæst. Can. cap. 5. iuxta finem*, quos citat Rodriquez *art. 6.* tenentes non posse absolui nominatim censuris ligatos in foro exteriori, virtute cuiuscumque priuilegij, etiamsi sit satisfacta pars, nisi priùs iudex ferens censuras consentiat. Sed prior sententia verior, & rationabilior mihi videtur, quia cùm summus Pontifex possit per se absoluere, præsertim satisfacta parte, quoscumque fideles censuris ligatos specialiter, & nominatim à quocumque iudice Ecclesiastico latis cùm sit ordinarius ordinariorum, plenissimam habens in omnes fideles iurisdictionem, poterit hoc etiam ex speciali priuilegio Prælatis Religionum concedere, maximè cùm hoc cedat in fauorem, honorem, & clausuram Religionum. Tum, quia in hoc nulla iniuria fit iudici nominatim ferenti censuras cùm ipse specialiter, & nominatim censuras tulerit ad petitionem partis, quæ, vt supponitur, iam est satisfacta; vt probè asserit Rodriquez *art. 6. vbi suprà.*

## Dvbitatio II.

IV. ***An ingredientes Religionem Prædicatorum, vel Minorum, dum sunt censura ligati, si aduertant, se in sæculo incurrisse irregularitatem, Ordines suscipiendo, vel diuina Officia celebrando, possint dispensari à Superioribus Religionum, quas ingrediuntur?***

Dico quartò, ingredientes Religionem Ordinis Prædicatorum, vel Minorum, si post susceptum habitum, vel professionem emissam, recoluerint se in sæculo censurarum sententiis irretitos diuina Officia celebrando, vel Ordines recipiendo, irregularitates incurrisse, Prælati Regularium dictorum Ordinum, Generalis, Prouincialis, & eorum vices gerentes, etiam Priores locales valent eisdem Nouitiis, vel perfectè Religiosis post professionem emissam, dispensationis beneficium super irregularitatibus contractis impartiri, nedum ortis ex delicto occulto, sed etiam ex delicto notorio: cum reincidentia tamen, vt si retrocedant à Religione habitum dimittendo, in pristinas irregularitates relabantur. Ita concessit Prædicatoribus & Minoribus Clemens IV. vt habetur in eorum Mari magno, de quo Manuel Rodriquez *in qq. Reg. tom. 1. q. 20. art. 1. & 2. & art. 21.* Ioannes de la Crux *de voto obedientiæ, lib. 1. cap. 6. dub. 16. concl. 2. fol. 67. mihi.* Referens ad idem priuilegium Sixti IV. cuius etiam meminit Lodouicus Beia *part. 4. casuum casu 37. §. Aduertendum quòd Concilium fol. 471. mihi.*

## Dvbitatio III.

V. ***An Prælati Regularium possint absoluere, tam Nouitios, quàm Professos, à censuris & pœnis, tam ante, quàm post ingressum in Religionem incursis: & super quibus irregularitatibus cum illis dispensare?***

Dico quintò, Prælati Regularium Mendicantium nedum absoluere possunt tam Professos, quàm Nouitios in Religione perseuerantes à quibuscumque criminibus, censuris, & pœnis, tam ante, quàm post ingressum in Religionem incursis, & in futurum incurrendis, ob quemcumque excessum & delictum publicum, vel occultum, & etiam à casibus reseruatis Sedi Apostolicæ. His tamen exceptis, quæ continentur in Bulla, quæ singulis annis die Cœnæ legi consueuit toties, quoties opus fuerit: sed etiam dispensandi habent facultatem cum Professis, & Nouitiis super irregularitate orta ex homicidio voluntario, seu membri mutilatione in foro conscientiæ: si tamen homicidium sit occultum, & non post ingressum in Religionem fuerit subsequutum. Ita concessit Sanctissimus Pius V. Abbatibus, & Prælatis Congregationis Cassinensis modernis, & pro tempore existentibus, vt videre est in Bullario *tomo 2. Bulla 219.* cuius initium est, *Dum ad Congregationē Cassin.* edita anno Domini 1571. Sed Prælati Religionum Mendicantium ferè omnes communicant in priuilegiis concessis, & concedendis Mendicantibus, & non Mendicantibus, vt patet ex Bullis diuersorum Pontificum relatis à nostro Ioanne de la Crux *lib. 2. de statu Religionis, cap. 4. de communicatione priuilegiorum.* ergo communicant etiam in hoc priuilegio à Sanctissimo Pio V. concesso Congregationi Cassinensi, & consequenter illo vti poterunt in fauorem suorum Professorum & Nouitiorum in Religione perseuerantium. Aliud consimile priuilegium eidem Congregationi Cassinensi concessum ab Eugenio IV adducit Sayr. *lib. 7. de cens. c. 9. n. 31.* Aliud simile concessit Martinus V. Abbati Benedictino Vallisoletano. Videatur apud Rodriquez *tom. 1. qq. Reg. q. 24. art. 12.* Huius priuilegij meminit Suarez *tom. 5. de cens. disp. 7. sect. 2. num. 30.* asserens, illo per viam communicationis multæ aliæ Religiones vtuntur. Idem concessit Iulius II. Ordini Prædicatorum, vt refert Rodriquez nuperrimè relatus, & Ioannes de la Crux *de statu Religionis, lib. 1. cap. 6. dub. 15. concl. 2. & dub. 19. concl. 3.* & habetur *in Compendio Societatis, verb. Dispensatio, §. 1.*

## Dvbitatio IV.

VI. ***An Prælati Regularium possint dispensare cum suis subditis super irregularitatem ortam ex homicidio voluntario?***

Dico sextò, Prælati Regularium nedum possunt dispensare cum Professis, & Nouitiis in Religione perseuerantibus super irregularitate in foro conscientiæ orta ex occulto homicidio voluntario, vt ad Ordines promoueri, & in susceptis liberè ministrare possint, sed etiam cum eisdem dispensare valent ad Prælaturas, vt in Religione possint esse Prælati; sunt enim homicidæ inhabiles ad Ordines recipiendos, & administrandum in susceptis, & ad beneficia Ecclesiastica etiam curam animarum non habentia, vt habetur in Concilio Tridentino *sess. 14. cap. 7. de Reformatione*, & consequenter inhabiles ad Prælationes in Ordine regulari, vt bene deducit Rodriquez *tom. 1. qq. Regul. quæst. 24. art. 9. fine.*

Auctot Compendij Bullarij *scholio 2. super Bulla 229. Pij V.* ita concessit Sanctissimus Pius V. Prælatis congtegationis Cassinensis in Bulla cit. 229. quæ etiam facultas pet communicationem ptiuilegiotum conceditur Prælatis Otdinum Meudicantium.

## Dvbitatio V.

VII. *An Prælati Mendicantium possint absoluere suos subditos à censuris extra forum sacramentale, licèt in eorum priuilegio ponatur clausula in foro conscientiæ?*

Dico septimò, Prælati Otdinum Meudicantium à dictis censuris virtute dictorum priuilegiorum absoluere possunt suos subditos, & Nouitios iu Ordine petseuetantes extra fotum sactameotale, etiamsi in illis clausula esset apposita absolueodi tantùm in foro conscientiæ. quia illa verba, *in foro conscientia tantùm*, solùm important, & sigoificant quòd absolutis suffragabitur absolutio data in sacramento; vel extra sacramentum, in foto couscientiæ tantùm, & non in soro externo, vt probè aduertit Nauarrus *tom. 2. consil. lib. 5. de priuilegijs consilio 11. num. 2.* Tum, quia si vellet Summus Pontisex quòd dicta absolutio à Prælatis Mendicantium conferretut in soto sacramentali, adderet in sua concessione, in foro conscientiæ tantùm, & pœuitentiali, sicut expressit Sanctissimus Pius V. in Iubilco ab ipso concesso anno millesimo quingentesimo sexagesimo octauo, quarto Calendas Nouembt, Pontificatus sui anno tertio, in quo postquam concessit Confessoribus apptobatis ab Ordinatiis auctoritatem ad absoluendum à quacumque censura, addidit clausulam, *In foro conscientia tantùm, & pœnitentiali.* verba Iubilei sanctissimi Pij refert Rodriquez *tom 1. qq. Reg. quæst. 20. art. 6.* Tum, quia secundùm omnes absolutio à ceosuris non est absolutio sacramentalis. ergo si in concessione priuilegij non apponitur clausula *in foro conscientiæ tantùm, & pœnitentiali*, poterunt ij, quibus fit talis concessiu, absoluere extra sacramentum. Hanc assertionem docet nostet Ioannes Dela Ctux *lib. 1. de statu Religionis, cap. 6. dub. 15. concl. 2. fine.* Rodriquex *tom. 1. qq. Reg q. 20. art. 7. & infrà q. 61. art. 7.*

VIII. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

## Dvbitatio VI.

*Quomodo ingrediens Religionem mutet iurisdictionem?*

Ad rationem in contrarium à priocipio positam, respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam, & tatio dispatitatis est, quia homo per mortem natutalem non transfettur in alium statum, ueque sub nouo iudice, & iurisdictione constituitur; Deus enim est iudex viuorum & mortuorum. Cæterùm pet mortem ciuilem, quæ euenire censetur in ingressu Religionis, constituitur homo quo ad absolutionem à censuris sub iurisdictione Prælati Otdinis, quem ingteditut, quia ille tunc censetur Ordinarius eius: præsertim cùm Mendicantium Superiotes otdinatij priuilegium habeant ad absoluendum professos, & Nouitios in ordine perseuctantes ab omni censura ante, & post ingtessum Religionis contracta, exceptis his quæ continentur in Bulla Cœnæ, ne detur Religioso occasio vagandi. Videatut pro hac solutione Suatex *tom. 5. de censuris disp. 7. sect. 2. 28. & 30.*

## Articvlvs XLIX.

## An Prælati Regularium possint absoluere suos subditos à censuris, excommunicatione scil. suspensione & interdicto, ac ab aliis priuationibus & inhabilitatibus?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas explicatur, declarando an Prælati Mendicantium habeant auctoritatem Episcoporum in suos subditos, & an hanc auctoritatem possint Confessarijs inferioribus delegare.*
3. *Veritas aperitur, & explicatur, An Prælati Regulares possint absoluere suos subditos à delictis deductis ad forum contentiosum, & cum illis dispensare in irregularitatibus & alijs suspensionibus, vel per se, vel per alios.*
4. *Explicatur quodnam sit delictum deductum ad forum contentiosum, & an subditus absolutus in foro contiosо, possit absolui ab habente facultatem absoluendi in casibus occultis.*
5. *Quid sit absolui in foro contentioso per sententiam diffinitiuam, vel interloquutoriam? & an dicatur occultum delictum illius, cuius socij crimen deduxerunt in iudicium.*
6. *An possit absolui reus, cuius delictum est deductum ad forum contentiosum, si fugiat in locum vbi delictum est occultum.*
7. *An possit absolui ab habente facultatem solùm super occultis reus cuius delictum diffinitiuè damnatum est; & ab eodem dispensari super irregularitatem, si quam contraxerit.*
8. *An absolutus ab occultis gaudeat priuilegio absolutionis, si delicta postea deferantur ad forũ cõtentiosum.*
9. *Quid sit delictum occultum, vel notorium, & an hoc possit absolui ab habente tantùm auctoritatem super occulta.*
10. *An delictum alicubi publicum, si in aliquo loco distantissimo sit occultum, possit absolui ab habente auctoritatem super occultis.*
11. *An delictum deductum ad forum contentiosum possit absolui ab habente facultatem super occulta, si deductio sit sortita suum effectum.*
12. *An actus delicti materialiter publicus, non autem formaliter, dicatur delictum publicum, & an qui illud commisit, possit absolui ab habente facultatem super occulta.*
13. *An Episcopi, & Prælati Regularium possint dispensare in priuationibus, & inhabilitatibus contractis, ob delictum occultum.*
14. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, An cum simoniacè ordinatis possit Episcopus, vel Prælatus Regularis dispensare.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm Sixtus V. *in constitutione 91.* quam edidit contra malè promotos ad Otdines, cuius initium est, *Sanctum, & salutare*, inquit, Regulares, qui per saltum, vel furtiuè Otdines susceperint, aut ante ætatem per sacri Concilij Tridentioi decreta primæ tousuræ, aut cuicumque Ordiui perscriptam, vel absque veris sui Otdinarij litteris Otdines susceperint, vel extta tempora statuta, sint perpetuò suspensi ab exercitio Ordinum susceptorum, & siue spe ascendendi remaneant ad alios Superiotes, etsi in eis

mioistrare

ministrare præsumpserint irregulares effecti, omnibus iam obtentis dignitatibus, & officiis Ecclesiasticis, ac etiam actiua, & passiua voce ipso facto sint priuati, & ad impostetum obtinenda in perpetuum inhabiles, & incapaces remaneant, & prædictarum pœnarum suspensionis, inhabilitatis, & irregularitatis absolutionem, & dispensationem etiam in foro conscientiæ sibi reseruat summus Pontifex, reuocans omne priuilegium quomodolibet nuncupatum, etiam Mare magnum, cuius concessione Regulares possent absolui, & cum eis à suis Prælatis dispensari. ergo Prælati Regularium, etiamsi non sit sermo de casibus, & censuris Bullæ Cœnæ Domini, non possunt absoluere suos subditos ab aliis censuris, & ab inhabilitatibus eos liberare, cùm non possint virtute cuiuscumque priuilegij subditos malè promotos ad Ordines à suspensione quam incurrunt absoluere, nec ab inhabilitate ad officia, & dignitates regulares, quam contrahunt, si in Ordinibus malè susceptis ministrauerint, eos absoluere, & liberare.

## II. *Veritas explicatur, & declaratur*

### Dubitatio I.

*An Prælati Mendicantium habeant auctoritatem Episcoporum in suos subditos, & an hanc auctoritatem possint Confessarijs inferioribus delegare?*

Dico primò, Generales, Prouinciales, & Superiores locales Ordinis Prædicatorum, & fruentium eorum priuilegiis, per quandam concessionem & Motum proprium Pij V. fel. record. cuius verba refert Rodriquez *tom. 1. qq. reg. quæst. 61. art. 9.* gaudent prorsus eadem facultate erga sibi subiectos regulares, quam habent Episcopi virtute Concilij Tridentini *sess. 14. cap. 6. de Reformatione*: erga suos subditos, optimam huius concessionis rationem in suo Motu proprio Pontifex Sanctissimus assignat, quia alias subditis istorum Prælatorum non esset ita, ac sæcularibus prouisum, & essent in hoc deterioris conditionis, quàm sæculares, quod esset incongruum, cùm Religioso occasio euagandi tolli debeat: videatur pro hac assertione noster Ioannes de la Crux. Rodriquez *vbi suprà.* Sanchez *lib. 6. oper. mor. cap. 15. num. 78.*

Dico secundò, dicti Prælati, & communicantes in eorum priuilegiis possunt committere suis Confessariis, vt cum ipsis dispensent in iis omnibus, in quibus possunt cum suis subditis ipsi dispensare, & vt ipsos absoluant ab omnibus casibus, censuris, & pœnis, à quibus valent ipsi subditos absoluere vi decreti Concilij Tridentini *sess. 24. cap. 6. de Reform.* per extensionem Sanctissimi Pij V. ad ipsos factam. quia aliàs essent deterioris conditionis subditis. Tum, quia sacra Congregatio Cardinalium super Concil. Trident. decreuit, quòd Episcopi incidentes in casus ipsis commissos erga subditos in sacro Concilio Tridentino relatos, possint absolutione, & dispensatione suorum Confessorum ad id ab ipsis electorum vti. Ita refert Suarez *tom. 5. de cens. disp. 41. sect. 2. n. 9.* Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 3. num. 3.* ergo idem potetunt Prælati Regularium, &c. vt elatè docent Henriquez, & Emanuel Sà relariâ Sanchez nouissimè cit. Videantur pro hac assertione D. Ant. 3. *part. tit. 17. cap. 2. §. 2. statim in principio.* Sayr. *lib. 7. de censuris, cap. 14. num. 5.* Suarez & Sanchez *vbi suprà, & lib. 4. oper. mor. cap. 37. num. 41.*

## III. *Veritas aperitur, & explicatur*

### Dubitatio II.

*An Prælati Regulares possint absoluere suos subditos à delictis deductis ad forum contentiosum; & cum illis dispensare in irregularitatibus, & alijs suspensionibus, vel per se, vel per alios?*

Dico tertiò, prædicti Prælati Regularium vi decreti Concil. Tridenr. *sess. 24. cap. 6. de Reform.* in irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispẽsare possunt cum suis subditis, & in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, delinquentes Regulares sibi subiectos per se ipsos absoluere: quia totum hoc conceditur Episcopis in diœcesi sua erga suos subditos. ergo cùm per Motum proprium Pij V. Generales, Prouinciales, & Superiores locales Ordinum Mendicantium gaudeant prorsus eadem facultate erga alios Regulares subditos, qua gaudent Episcopi erga sibi subiectos in sua diœcesi, poterunt totum quod valent Episcopi, &c. per se ipsos tamen. quia Sanctissimus Pius V. in eo priuilegio id expresse dicit, vt per se ipsos id possint: Episcopi verò nedum per se ipsos, sed etiam per Vicarium ad id specialiter deputatum in foro conscientiæ in prædictis dispensare, & subditos absoluere possunt. Videatur Rodriquez *vbi supra, tom. 1. qq. Reg. quæst. 61. art. 9.* Sanch. *lib. 6. oper. mor. cap. 15. num. 78.* Pro maiori huius assertionis intelligentia, explicatur

### Dubitatio III.

## IV. *Quodnam sit delictum deductum ad forum contentiosum, & an subditus absolutus in foro contentioso possit absolui ab habente facultatem absoluendi in casibus occultis?*

Dico quartò, delictum deductum ad forum contentiosum dicitur quando in id forum deductum est, etiamsi vno teste probetur, nec refert siue iustè, siue iniustè res in iudicium sit delata. quòd si delinquens ob defectu plenæ probationis in foro externo absolutus, etiamsi falsis testibus se defenderit, non dicitur delictum ampliùs deductum ad forum contentiosum, quia eo ipso, quo reus ob defectum plenæ probationis est absolutus in foro externo, remanet delictum occultum, & redactum ad statum pristinum, manens occultum sicut priùs; & sic poterit istos delinquentes absoluere, & cum ipsis dispensare, qui aliàs habet auctoritatem super delicta occulta, & non deducta ad forum contentiosum: quia delictum deductum ad forum contentiosum, si postea reus in foro externo absoluatur ab eo, remanet occultum sicut priùs. Ita benè Viualdus *tract. de excomm num. 42.* vbi ait grauissimos DD. Salmanticenses ita censuisse: & sic Episcopi, & Prælati Regularium per concessionem Sanctissimi Pij V. vi Concilij Tridentini *sess. 24. cap. 6. de Reformatione*, poterunt suos subditos absoluere ab omnibus casibus occultis Sedi Apostolicæ reseruatis, & cum eis dispensare in irregularitatibus omnibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario: etsi delicta eorum fuerint ad forum contentiosum delata, si tamen in foro externo fuerint ab eis absoluti. Sic benè

deducit Sayr. *lib.7. de censuris, cap.7. num.* 12. citans alios DD.

Dico quintò, etiamsi delictum ad forum contentiosum delatum, fuerit semipleuè probatum per testimonium vnius testis oculati, iurati, & omni exceptione maioris, qui nullum scilicet patitur defectum, ob quem possit à testimonio repelli: si reus in foro externo absoluitur, siue diffinitiuè, siue ab instantia iudicij, quia delictum non est plenè probatum, adhuc delictum remanet occultum, & ab eo reum absoluere potest, qui aliàs habet facultatem absoluendi ab occultis: quia per absolutionem in foro exteriori factam per sententiam diffinitiuam, siue per sententiam interloquutoriam sublata est ea infamia orta ex deductione delicti in id forum contentiosum, & sic delictum remanet occultum vt priùs. Ita bene Sanchez *lib.2. oper. mor. cap.11. num.* 21. contra Suarez *tom.5. de censuris, disp.41. sect.2. num.6.* Sanctarellum *tract. de heresi dub.6. num.27. fine*, asserentem sufficere solam deductionem delicti ad forum contentiosum, vt delictum remaneat reseruatum, quidquid inde sequatur, & refert sacram Concilij Tridentini Congregationem ita respondisse de illis, qui occasione delictorum occultorum fuerunt inquisiti, sed quia non potuerunt delicta probari, ipsi rei non fuerunt diffinitiuè absoluti, sed simpliciter dimissi cessando ab instantia iudicij recepta promissione de se præstando; hos non posse vti beneficio decreti Concilij Tridentini *sess.* 24. absolui scilicet ab his, qui habent facultatem in occultis, quia eorum delicta fuerunt deducta ad forum contentiosum. Sed quia hæc declaratio authenticè nobis non constat, plus placet prior sententia, quia delictum per solam deductionem ad forum contentiosum non fit publicum, neque notorium, nisi sententia diffinitiua iudicis accedat, aut confessio rei in iudicio, aut per claram testium probationem, vt bene Rodriquez *tom 2. qq. Reg. quæst.6. art.*4. ergo inquisiti occasione delictorum occultorum si ex defectu plenæ probationis dimittantur, eorum delicta remanent occulta vt priùs; nam perinde est ac si in id forum non fuissent deducta, cùm non fuerint probata, nec deducta cum effectu, & sic poterunt absolui, &c. Videatur etiam Bonacina *tom.1. tract. de censuris, disp.1. quæst.3. puncto 2. num.1.*

## Dubitatio IV.

V. *Quid sit absolui in foro contentioso per sententiam diffinitiuam, vel interloqutoriam; & an dicatur occultum delictum illius, cuius socij crimen in iudicium deduxerunt?*

Dico sextò, reum in iudicio absolui diffinitiuè tunc est, quando illius crimen, à quo absoluitur, nunquam potest in iudicium iterum deduci: quia sententia diffinitiua est plena diffinitio, qua principalis quæstio, de qua agitur, diffinitur, vt bene Syl. *verb. sententia, num.*4. Liberari verò reum, & absolui non diffinitiuè, sed per sententiam interloquutoriam, tunc est quando iudicium terminatur quidem, minimè tamen diffinitiuè, & totaliter. Potest enim illud idem crimen ex nouis indiciis, nouisque probationibus superuenientibus iterum in iudicium deduci. quia sententia interloquutoria est non plena, sed semiplena diffinitio causæ, de qua agitur, vnde, qui eam tulit, potest eam reuocare etiam post decennium, & sic iterum crimen in iudicium deduci poterit: videatur Couarr. *lib.1. variarum, cap.1. num.*8. Syl. *loc. cit. num.3. & 4.* Sanchez *lib.8. de matrim. disp.34. num.57.*

Dico septimò, si duo eiusdem criminis sint consortes, & alter solùm ad iudicium deferatur, delictum alterius rei nondum deductum ad forum contentiosum erit occultum. quia res inter alios acta aliis præiudicare nequit, quibus res iudicata non nocet. *l. 1. C. res inter alios acta.* & sic delictum istius remanens occultum, & non delatum ad forum contentiosum, subdetur potestati eorum, qui illam habent absoluendi, & liberandi ab occultis. Sic benè Nauar. *tom.1. consil. lib.2. de sententia, & re iudicata, consil.*2.

## Dubitatio V.

VI. *An possit absolui reus, cuius delictum est deductum ad forum contentiosum, si fugiat in locum, vbi delictum est occultum?*

Dico octauò, si aliquo loco res sit ad forum contentiosum delata, dum in eo pendet, quocumque delinquens fugiat, nequit habens facultatem in delictis occultis delinquentem absoluere, & cum eo dispensare; quia vbicumque crimen est deductum ad forum contentiosum, dicitur simpliciter, & absolutè in id forum delatum; ergo habens facultatem in delictis occultis, neque absoluere reos, neque cum eis dispensare poterit, quandiu crimen eorum delatum ad forum contentiosum in illo versatur, seu quandiu causæ ius agitatur, vbicumque crimen illorum in id forum fuerit delatum. Ita Sanchez *lib. 2. oper. mor. cap.* 11. *num.* 21.

## Dubitatio VI.

VII. *An reus, cuius delictum diffinitiuè damnatum est, possit absolui ab habente facultatem solùm super occultis; & ab eodem dispensari super irregularitatem, si quam contraxerit?*

Dico nonò, si delictum delatum ad forum contentiosum est iam iudicio diffinitiuè punitum, non possunt qui solùm habent auctoritatem in delictis occultis, ab illo absoluere, nec cum reis si ex illo irregularitatem contraxerunt, dispensare. quia delictum ad forum exterius deductum, & diffinitiuè punitum est iam publicum. Ita Manuel Rodriquez *summa tom.* 1. *cap.168. num.16.* licèt Sanchez nuperrimè citatus oppositum tenuerit. quia, inquit, tunc nihil authoritati iudicis in foro externo detrahitur, vtpote qui iam functus est officio suo delictum illud puniendo. ergo finito iudicio poterit habens auctoritatem in occultis ab eo sacramentaliter absoluere, & cum reo dispensare, si ex illo irregularitatem contraxit. Sed primum est verius, quia vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. ergo habens per legem solùm auctoritatem in occultis, non poterit in publicis diffinitiuè puniri.

## Dubitatio VII.

VIII. *An absolutus ab occultis gaudeat priuilegio absolutionis, si delicta postea deferantur ad forum contentiosum?*

Dico decimò, habens facultatem absoluendi, & dispensandi in occultis, si absoluit, & dispensat, quando nondum crimina erant delata ad forum contentiosum, si post absolutionem, & dispensationem ad id forum deducantur, absolutio, & dispensatio adhuc prosunt in foro interiori: quia absolutio illa & dispensa-

dispensatio non est data cum coincidentia. Tum, quia absolutus à censuris reseruatis vigore Iubilei accipiendi, si postea indulgentiam accipere pigeat nolens ieiunare,& eleemosynas facere, & de facto non accipit indulgentiam, tamen illa absolutio tenet si tunc verè absolutus intendebat indulgentiam accipere: quia dona Dei sunt sine pœnitentia,*ad Rom.* 11. vt docet Conradus noster *tom.*1. *respons. q.* 208. Sanchez *lib.*4.*oper.mor.cap.*54.*num.*41. ergo similiter si post absolutionem, & dispensationem obtentam ab habente auctoritatem in occultis crimen postea deducatur ad forum contentiosum,valebit tamen absolutio, & dispensatio facta in foro interiori, vt bene aduertit Tolet.*summa lib.*1.*cap.*89. *n.*5.*propè finem.* Sanctarellus *tract. de heresi,cap.*5.*dub.*6.*fine.*

## DVBITATIO VIII.

IX. ***Quid sit delictum occultum, vel notorium? & , an hoc possit absolui ab habente auctoritatem tantùm super occulta?***

Dico vndecimò,casus occultus, vt ab eo possit absolui, & in eo dispensari is, qui habet facultatem absoluendi,& dispensandi in casibus, seu delictis occultis, ille dicitur, qui non est publicus, & ita etiamsi ab aliquibus sciatur, etiam à quinque personis, & in iudicio probari possit, censetur occultus. At tunc tantùm occultum non est, quando in ratione delicti est publicum,vtpote quod in maiori parte viciniæ, Collegij,Monasterij, vel parochiæ cognoscitur, dummodo saltem decem personæ inueniantur in ea vicinia, parochia,Collegio, vel Monasterio: quia in facultatibus concessis ad absoluendum, vel ad dispensandum super occultis, occultum vsurpatur, non vt distinguitur contra probabile, sed vt distinguitur contra publicum, vel id, quod deductum est ad forum contentiosum. Ita circa decretum Concilij Trident. *sess.*24. *cap* 6. *de Reformatione*, docent Lopez noster *part.*1. *instruct.tract. de clauibus,cap.*8. *de Bulla,fol.* 814. *col.*2. §. *Igitur antequam Bulla, medio.* Nauarr. *summa cap.*27. *num.* 150.*vers.*10. Occultum est, inquit ibi Nauarrus, quod non est publicum. Publicum autem quod est notorium, manifestum,vel famosum, & sic, ait Nauarr. vsurpatur occultum in quibuscumque facultatibus Bullarum sacræ Pœnitentiariæ concessis ad dispensandum super occultis. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part.disp.*30.*sect.*2. *num.*1. Sanchez *lib.*2. *de matrimonio, disp.*37. *num.*11. Sanctarellus *part.* 1. *variarum resolut. quæst.*72. *num.* 13. licèt aliqui Doctores apud Sanchez *lib.*2.*oper.mor. cap.*11. *num.*19. asserant delictum occultum dici, quando ita occultum est,vt in iudicium deferri nequeat,& ita ferunt declarasse sacram Congregationem Cardinalium Concilij Tridentini *sess.*24. *cit.* occultum scilicet delictum illud esse, quod probari nequit. Sed ad hoc respondeti posset, quòd authenticè non constat de ea sacræ Congregationis declaratione, vti in simili casu respondet Sanchez *lib.*2. *nuper cit. cap.*11.*num.* 17.*vers.Tertiò,quia non authenticè.* Refert hoc speciatim Sanctarellus *tract. de heresi, cap.* 5. *dub.*6. *num.*27. his verbis. Sacram Congregationem declarasse mentem Concilij. Absolutus, vel Dispensatus à proprio Episcopo in materia delicti perpetrati coram duobus, vel tribus testibus, quod tamen non fuit notorium, non est tutus in conscientia, quia Concilium vtitur termino occulti, quod propriè loquendo dicitur, quod probari non potest. ergo si per duos, vel tres testes delictum probari potest, non dicitur occultum: hæc declaratio si authenticè nobis constaret, eidem omninò esset adhærendum, sed quia non ita constat,contrariam sententiam ob relatorum grauissimorum virorum auctoritatem damnare non audeo.

## DVBITATIO IX.

X. ***An delictum alicubi publicum, si in aliquo loco distantissimo sit occultum, possit absolui ab habente auctoritatem super occulta?***

Dico duodecimò, si delictum alicubi sit publicum,& petatur absolutio, seu dispensatio in loco ita distanti,vt non sit periculū,quòd ibi manifestetur,poterit ab illo peccato tanquam occulto absoluere, & dispensare is, qui aliàs habet facultatem in occultis sibi concessam: quia,vt benè ait Palud. *in* 4.*dist.*18. *q.*6.*a.*1.*n.*5.non ex eo,quòd aliquis sit publicus excommunicatus in vno loco,censetur publicus in alio,vnde si excommunicatus de iure publicus in vno loco,in alio de facto esset occultus,& ibi publico fungeretur officio,validas actiones efficeret, iuxta communem Canonistarum sententiam, quam refert, & sequitur Panormit.*in cap.ad nostram el* 3.*de iureiurando,n.*6. Suarez *tom.*5.*de cens.disp.*13.*sect.*2.*n.*16.ergo similiter si delictū in aliquo loco sit publicum,non censebitur publicum in alio ita distanti, ad quem non est spes fore vt facile fama perueniat. ergo habens facultatem in occultis, poterit tunc ab illo absoluere, & dispensare in loco vbi non est publicum,& ita hanc assertionem videtur tenere Nauar.*tom.*1.*consil.lib.*2.*de præsumptionib. consil.*1. *n.*1.& clariùs in fine summarij.Sanchez *lib.*2.*oper.mor. c.*11.*num.*20. quamuis id negent Suarez *tom.*4. *in* 3 *p. disp.*30.*sect.*1.*num.*2.*fine.*Bonacin.*tom.*1 *tract.de censuris, disp.*1.*quæst.*3.*puncto* 2.*num.*3.

## DVBITATIO X.

XI. ***An delictum deductum ad forum contentiosum possit absolui ab habente facultatem super occulta, si deductio sit sortita suum effectum?***

Dico decimotertiò, quando delictum fuit deductū ad forum contentiosum cum effectu,id est,deductio in foro exteriori sortita est suum effectum, quia delictū fuit plenè probatum, & propterea reus fuit punitus, absoluto iudicio, nequit habens facultatē in delictis occultis delinquentem absoluere, aut cum eo dispensare. quia delictum delatum ad forum contentiosum plenè probatum, & punitum non est occultum, sed omninò publicum, quæ enim probantur in iudicio, appellantur publica. ergo habens solùm facultatem absoluendi, & dispensandi in occultis, non potest absoluere, & dispensare in deductis ad forum contentiosum plenè probatis, & punitis etiam post finitum iudicium.Ita Rodriq.*summ part.*1.*c.*168.*n.*56. Bonacin. *tom.*1.*tract.de cens.disp.*1.*q.*3.*puncto* 2.*num.*1. *vers.Verùm verò.*Sanctarell.*tract.de heresi,c.*5.*dub.*6.*fine,*contra Sanchez *lib.*2.*oper.mor.c.*11.*num.*21.

## DVBITATIO XI.

XII. ***An actus delicti materialiter publicus, non autem formaliter, dicatur delictum publicum,& an qui illud commisit, possit absolui ab habente facultatem super occulta?***

Dico decimoquartò,si actus delicti materialiter sit publicus, non tamen formaliter, tunc delictum dicitur

dicitur occultum,& non publicum ; quia non sufficit ad hoc vt delictum dicatur publicum , quòd actus sit publicus , sed prætetea requiritur, vt sit publicum talem actum fuisse delictum : vnde si occultè excommunicatus celebret publicè , quamuis hic incurreret irregularitatem , in hac tamen irregularitate dispensare posset, qui aliàs habet facultatem in occultis dispensandi : nam licèt actus celebrandi materialiter sit publicus,at quòd ille incurrat irregularitatem,est occultum. Sic probè Nauarr.*tom.* 2. *consil. lib.*5. *de Clerico excommunic. consil.*2. Sayr.*lib.*7.*de censuris* , *cap.*13. *num.* 13.

Dico decimoquintò , licèt delictum vt delictum sit publicum,si tamen vt censuræ,vel irregularitati subiectum sit occultum , habens facultatem absoluendi à censuris occultis, vel dispensandi in irregularitatibus occultis,poterit,&c.e.g. Scitur hunc Sacerdotem esse excommunicatum, & scitur etiam censura ligato esse prohibitum celebrare , ignoratur tamen celebrantem in excommunicatione irregularitatem contrahere habens facultatem dispensandi in Irregularitatibus occultis , posset tunc in ista irregularitate dispensare; quia cùm ignoretur ob id delictum celebrandi in excommunicatione incurri irregularitatem, etiamsi delictum missandi in excommunicatione sit publicum, vt delictum in genere , non tamen est publicum in specie, vt subiectum scilicet irregularitati. ergo formaliter quodammodo in ordine ad irregularitatem incurrendam remanet occultum ; ergo poterit tunc habens auctoritatem in occultis dispensare,&c. hæc assertio colligitur apertè ex Nauarr.*consil.*2.nupertimè relato.Rodriquez *summa cap.*166.*num.*3.& eam censet esse probabilem,imò satis probabilem, Sanchez *lib.*8. *de matrim.disp.*34.*n.*56.contra additionatorem in consilium Nauarri citatum.

## Dubitatio XII.

XIII. *An Episcopi,& Prælati Regularium possint dispensare in priuationibus & in inhabilitatibus contractis ob delictum occultum?*

Dico decimosextò,in priuationibus & in inhabilitatibus contractis ob delictum occultũ potest Episcopus dispensare virtute Concilij Trident. *sess.*24. *c.*6.*de Reform.* qua facultate gaudent Generales , Prouinciales , & Superiores locales per Motum proprium Sanctissimi Pij V.cuius verba refert præter Rodriq. *tom.*1. *qq.Reg.q.*61.*art.*9.Suarez *tom.*4.*in* 3.*part.disp.*30. *sect.*2. *n.*7. quia sub nomine suspensionis, irregolaritatis , & casus occulti intelligitur etiam priuatio,& inhabilitas ob delictum occultum contracta , vt docent Sanchez *lib.*6.*oper.mor.c.*15. *n.*78. id quod etiam reputat probabile Less.*lib.*1.*de iust.c.*35. *dub.*25.*n.*140. Sed Episcopis virtute Concilij Tridentini conceditur quòd possint in omnibus irregularitatibus, & suspensionibus ortis ex delicto occulto dispensare,vna excepta , quæ contrahitur ex homicidio voluntario , & Prælatis Ord. Prædicat. & fruentibus eorum priuilegiis vi concessionis Sanctissimi Pij V.idem conceditur,& etiam absoluere ab omnibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reseruatis.ergo poterunt etiam absoluere,& dispensare in omnibus inhabilitatibus , & priuationibus prouenientibus ex delictis occultis , cùm sub nomine suspensionis,irregularitatis, & casus occulti intelligantur priuationes,& inhabilitates,& ita hanc assertionẽ docet Sanchez nouissimè relatus,quod reputatur probabile à Less.*vbi suprà*.Henriquez *lib.*13.*de excom.c.*56. *n.*1.*litt.F.*licèt Suarez *tom.de virtute, & statu Religionis*, *lib.*4.*de simonia,c.*61.*n.*11. *ad finem,fol.*775.*col.*1.oppositum sentiat, facultatem scilicet traditam Episcopis vi Conc.Trid.*sess.*24.*c.*6.*de Reform.* non extendi ad inhabilitatem ad beneficia , quæ ipso iure incurritur per simoniã.Tum,quia in Bulla Sanctissimi Pij V.229.cuius initium est, *Dum ad Congregationem Cassinensem*,cõceditur Abbatibus & Prælatis Congregationis Cassinensis, & consequenter omnibus Prælatis Mendicantium fruentium eorum priuilegiis,vt possint absoluere ab omnibus culpis, censuris , & pœnis etiam Sedi Apostolicæ reseruatis ; sed priuatio , & inhabilitas ad aliquod agendum,vel recipiendum est quędam pœna: ergo Prælati Mendicantium,communicantes in priuilegiis Mendicantibus, & non Mendicantibus cõcessis, poterunt virtute huius priuilegij Sanctissimi Pij V. absoluere,& dispensare cum suis subditis in omnibus priuationibus & inhabilitatibus prouenientibus ex delictis occultis etiam Sedi Apostolicę reseruatis,quia per priuilegium concedens absolutionem ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reseruatis,censuris, & pœnis consurgentibus ex eis , potest is, cui tale priuilegium conceditur,in foro conscientiæ absoluere à priuationibus & inhabilitatibus consorgentibus ex delictis, cùm hæ sint quædam pœnæ in iure latæ. Ita bene deducit Sanchez *vbi suprà*, *n.*78.*fine*. Videatur etiam noster Ioannes de la Crux *de statu Religionis* , *lib.* 1. *cap.*6. *dub.*15. *concl.* 3. *fine*; vbi refert Paulum III. *Bulla* 8. concessisse Præposito Generali Societatis IESV , & aliis ab eo deputatis, & consequenter per participationem priuilegiorum Generalibus Ordinum Mendicantium , & aliis ab eisdem deputatis posse absoluere suos subditos ab omnibus censuris,& pœnis Ecclesiasticis (exceptis contentis in Bulla.) Hoc idem refert Rodriquez adducens verba concessionis huius priuilegij *tom.*1.*qq Reg.q.*20. *art.*21. Idem docet D.Bartholomæus à S.Fausto *in thesauro Religiosorum*,*lib.*8.*de voto paupertatis* , *quæst.*232. adducens priuilegium à Pio V. concessum , relatum à Rodriquez *tom.*1. *de Reg. q.* 61. *art.*9.& illud concessum à Paulo III.Societati IESV, per quod datur facultas absoluendi ab omnibus peccatis , etiam Sedi Apostolicæ reseruatis , & à quibuscumque censuris ,& pœnis Ecclesiasticis ex illis resultantibus; sed priuationes,& inhabilitates sunt pœnæ impositæ contra violatores alicuius constitutionis Ecclesiasticæ. ergo si virtute suorum priuilegiorum possunt Prælati Ordinum Mendicantium absoluere ab omnibus pœnis etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, poterunt etiam à priuationibus , & inhabilitatibus liberare , quæ sunt pœnæ impositæ contra transgressores constitutionis alicuius Ecclesiasticæ. Videatur etiam Rodriquez *tom.* 1. *de Regul. quæst.* 24. *art.*17.

XIV. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

## Dubitatio XIII.

*An cum simoniacè ordinatis possit Episcopus, vel Prælatus Regulares dispensare?*

Nec contra prædicta officit constitutio Sixti V. à principio relata ; quia Clemens VIII. *Bulla* 40. cuius initium est , *Romanum Pontificem* ; prædictam constitutionem Sixti V. & eius pœnas ad terminos sacrorum Canonum,& Bullæ Pij II. atque Concilij Tridentini reduxit,illam tamen præseruat quoad pœnas inflictas simoniacè ordinatis , & ordinantibus, ita vt cum istis simoniacè ordinatis , & ordinantibus nec Episcopus virtute Concilij Tridentini , nec Prælati Regularium ex concessione Pij V. etiam in foro

conscientiæ dispensare valeant, nisi solus pro tempore Romanus Pontifex; benè tamen cum aliis malè promotis potest Episcopus dispensare vi Concilij Tridentini, & Prælati Regularium ex concessione Pij V. subditósque absoluere ab aliis casibus Sedi Apostolicæ reseruatis in foro conscientiæ. Videatur noster Ioannes de la Crux *de statu Religionis, lib. 1. c. 6. dub. 15. fine*. Rodriquez *tom. 1. de Regul. quæst. 20. art. 13.* Compendium Bullarij *tom. 3. fol. 12. mihi. Bulla* 8. Clem. VIII. Viualdus *in explicatione Bullæ contra malè promot. fine, fol. 115. mihi.*

## ARTICVLVS L.

### An virtute Concil. Trident. *sess. 24. cap. 6. de Reform.* possit absolui à suo Episcopo subditus absens à censuris occultis, Sedi Apostolicæ reseruatis? & similiter Regularis à suo Prælato vi concessionis Sanctissimi Pij V.

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Declaratur, an absens localiter possit absolui à censuris, & dispensari cum eo super irregularitatibus.*
3. *An Religiosus, qui non est præsens Capitulis, in quibus fit absolutio, absoluatur à censuris, & cum eo dispensetur super irregularitatibus, si quas contraxit, licèt non faciat quod Prælati iniungunt, vel non recordetur se esse censura ligatum, vel irregularitatibus irretitum.*
4. *An Confessarius aliquem absoluens à peccatis habentibus annexam excommunicationem, à qua non absoluit propter defectum auctoritatis, possit postea obtenta facultate hunc absoluere absentem.*
5. *An cum absente possit dispensari super irregularitatibus.*
6. *Dubitatio in titulo proposita resoluitur nedum quoad censuras, sed etiam quoad irregularitates, & an id fieri possit extra confessionem, explicatur.*
7. *An in Iubileis possint Confessarij absoluere à censuris, vel dispensare super vota, extra confessionem sacramentalem.*
8. *An Episcopi extra suam diœcesim possint absoluere suos subditos à casibus reseruatis occultis, & dispensare super irregularitatibus, etiamsi subditi sint existentes extra diœcesim? & idem inquiritur de Superioribus Regularium.*
9. *An Episcopi degentes in propria diœcesi, & subditi extra, vel Episcopi degentes extra diœcesim, & subditi intra, possint absoluere subditos à censuris occultis reseruatis, & cum eis dispensare super irregularitatibus, inhabilitatibus, &c. & idem inquiritur de Superioribus Mendicantium.*
10. *Rationibus in contrarium à principio respondetur, & explicatur, an ablata censura à peccato summo Pontifici reseruato per Episcopum, possit pœnitens ab illo absolui per Confessarium habentem tantum auctoritatem communem.*

I. *Pars negatiua probatur.*

Nam in decreto citato dicitur vt Episcopi absoluant à casibus occultis Sedi Apostolicæ reseruatis in foro conscientiæ. ergo necessariò requiritur, vt præcedat confessio; sed absolutio sacramentalis dari non potest absentibus. ergo neque Episcopi vi Concilij Tridentini, neque Prælati Regularium vi concessionis Pij V. absoluere possunt subditos absentes, cùm concessio facta Prælatis Mendicantium per extensionem sit eadem cum illa, quæ conceditur Episcopis in Concilio Tridentino. Sic docet Viualdus *in supplemento aureo, cap. 1. num. 2.*

#### DVBITATIO I.

II. *An absens localiter possit absolui à censuris, & dispensari cum eo super irregularitatibus?*

Dico primò, absens localiter à censuris potest absolui, quia per rescripta Pontificia quotidie fertur huiusmodi absolutio, præsertim ad certam causam, vel effectum, vt patet de absentibus à Pontifice obtinentibus beneficium cum clausula, *te absoluentes priùs ab omni vinculo excommunicationis ad hunc duntaxat effectum consequendum.* Vbi nota, quòd hæc clausula solita apponi, nullum aliud impedimentum, quod obest collationi, aufert, nisi solùm id, quod solæ censuræ producunt, vnde si is, cui beneficium confertur, esset irregularis, propter hoc impedimentum non esset valida collatio, vt bene notauit Nauarr. *tom. 1. consil. lib. 5. de sententia excomm. consil. 44. n. 21.* & ita hanc assertionem docet Syl. *verb. Absolutio 3. n. 9.*

Dico secundò, erit tamen absolutus tunc absens quando litteras absolutionis receperit, aut quando absolutio profertur, quod ex verbis absoluentis, & circumstantiis colligendum est, quia totum hoc dependet ex intentione absoluentis, vt probè Syl. nouissimè relatus, quem sequitur Suarez *tom. 5. de censuris, disp. 7. sect. 7. num. 4.*

#### DVBITATIO II.

III. *An Religiosus, qui non est præsens Capitulis, in quibus fit absolutio, absoluatur à censuris, & cum eo dispensetur super irregularitatibus, si quas contraxit, licèt non faciat quod Prælati iniungunt, vel non recordetur se esse censura ligatum, vel irregularitatibus irretitum?*

Dico tertiò, consequenter absolutio generalis à censuris facta à Prælatis Religiosorum in Capitulis, vel visitationibus, extenditur etiam ad absentes, si id Prælati intendant, etiamsi absentes non faciant quod Prælati iniungunt: quia etiam inuitus potest absolui; ergo multò magis volens, quamuis negligens. Ita egregiè Syl. *vbi suprà.*

Dico quartò, Religiosi, qui in Capitulis, & visitationibus ab irregularitatibus, suspensionibus, & aliis censuris generaliter à suis Superioribus absoluuntur, esto tunc non meminerint illa, sublata tamen censentur, nec tenentur aliam dispensationem, & absolutionem quærere ab eis, sed satisfaciunt confitendo simpliciter peccata, ob quæ illas incurrerunt, cuicumque alteri Confessario; quia si inuitus potest absolui à censuris, & pœnis Ecclesiasticis, vt docet D. Thom. *in addit. ad 3. partem, quæst. 24. art. 2. in corpore.* ergo multò magis is, qui generaliter petit absolui, erit ab his absolutus, quarum obliuiscitur. Sic benè Syl. *verb. Confessio 1. num. 7. quæst. 4.* Nauarr. *summa cap. 26. num. 12. fine.*

### DVBITATIO III.

IV. *An Confessarius aliquem absoluens à peccatis habentibus annexam excommunicationem, à qua non absoluitur propter defectum auctoritatis, possit postea obtenta facultate hunc absoluere absentem?*

Dico quiutò, Confessarius, qui aliquem absoluit à peccatis habentibus anneaam eacommunicationem reseruatam, à qua ipse non poterat absoluere, potest obtenta facultate absoluendi, absoluere absentem ab eacommunicatione. quia non est necesse, vt absoluendus à censuris, & pœnis acceptet absolutionem, pœnæ enim non dependent à voluntate puniti, sed punientis, vt egregiè D. Thom. docet *vbi suprà.* ergo similiter & earum absolutio ab intcutione absoluentis pender. Videatur D. Thom. *loc. cit.* Nauarr. *summa cap. 26. num.* 14. vbi hanc apertè docet assertionem. Bonacin. *tom. 1. tract. de censuris, disp. 1. quæst. 3. puncto 4. num. 4. vers. Addo.*

### DVBITATIO IV.

V. *An cum absente possit dispensari super irregularitatibus?*

Dico seatò, non solùm absens à censuris absolni potest; quia sicut absens potest ligari, ita absolui, cùm fanores sint ampliandi: sed etiam dispensatio ab irregularitatibus fieri potest circa absentem. quia iurisdictio cum aliis dispensandi ex se non pertinet ad forum pœnitentiæ. ergo æquè circa absentem, & præsentem eaerceri potest. Videatur Suarez *tom. 5. de cens. disp. 41. sect. 2. num.* 10. Bonacin. *tom. 1. tract. de cens. disp. 7. quæst. 5. puncto 1. num. 5. vers. Dixi in propositione.*

VI. *Dubitatio in titulo proposita resoluitur nedum quoad censuras, sed etiam quoad irregularitates, & an id possit extra confessionem, explicatur.*

Dico septimò, Episcopi vi Concil. Trident. *sess. 24. c. 6. de Reform.* & Prælati Regularium virtute concessionis Pij V. eatra confessionem sacramentalem suos subditos absoluere possunt ab omnibus censuris occultis Sedi Apostolicæ reseruatis, & cum eis dispensare in omnibus irregularitatibus occultis, excepta ea, quæ oritur ea homicidio voluntario. Nam si esset necessariò audienda confessio, eapressis verbis sacrum Concilium id diceret, nempè vt Episcopi absoluāt, & dispensent, audita priùs sacramentali confessione. ergo cùm verba Concilij in rigore non significent hanc absolutionem esse solùm dandam in foro sacramentali, non debemus illa ad illud forum restringere: poterūt ergo Episcopi vti illa facultate sibi tradita à Concilio Tridentino extra forum sacramentale, & Prælati Regularium erga suos subditos, cùm vi concessionis Pij V. habeant eandem facultatem. Ita noster Petrus de Ledesma *part. 2. summa tract. 1. c. 6. post 20. conclusionem, diffic.* 8. Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 34. n. 29.* vbi ait praaim esse, vt Episcopi eatra confessionem absoluant. Rodriquez *tom. 1. qq. Reg. quæst. 61. art.* 10. Nauarr. *tom. 2. consil. lib. 5. de priuilegijs, consil. 11. n. 2.* & licèt Sanctarellus *tract. de heresi, cap. 5. dub. 5. num. 23. fine*, referat sacram Concilij Tridentini Congregationem declarasse Episcopos absoluentes à peccatis reseruatis occultis vigore dicti decreti Concilij, posse solùm hoc facere in confessione sacramentali, & non extra illam: tamen quia hæc declaratio nobis authenticè non constat, non puto ita facile recedendum à sententia relatorum grauissimorum virorum.

Dico octauò, certissimum tamen est quoad dispensationem ab irregularitatibus, & suspensionibus Episcopos vi Concilij Tridentini, & Prælatos Mendicantium virtute concessionis Sanctissimi Pij V. posse vti cum suis subditis facultate sibi concessa eatra forum pœnitentiale: quia quoad dispensationem ab irregularitatibus, & suspensionibus non dicit sacrum Concilium, quòd fiat in foro conscientiæ: & sacra Congregatio, vt refert Sanctarellus, solùm dixit, Episcopi non absoluant vi decreti Concilij Tridentini extra confessionem sacramentalem à peccatis reseruatis occultis, nihil addens circa dispensationem ab irregularitatibus, & suspensionibus, vt benè aduertit Vgolinus *de irregularitate, c. 36. §. 5. n. 3.* Sanctarellus citans etiam Henriquez, nouissimè relatus *n. 24.* Videatur pro hac assertione Sotus *lib. 7. de iust. quæst. 4. art. 3. vers. Post hac de priuilegijs*, vbi ait dispensationem ad forum pœnitentiæ non pertinere.

### DVBITATIO V.

VII. *An in Iubileis possint Confessarij absoluere à censuris, vel dispensare vota extra confessionem sacramentalem?*

Dico nonò, in Iubileis tamen, quando datur facultas absoluendi à censuris, & à casibus reseruatis Sedi Apostolicæ, vigore illorum non possunt Confessarij absoluere à censuris eatra confessionem sacramentalem: quia in Iubileis licèt detur facultas absolnendi à censuris, & à casibus reseruatis, additur tamen clausula, *confessionibus diligenter auditis*; sed ablatiuus absolutus conditionem importat, *l. à testatore, ff. de condit. & demonstr.* ergo: tum quia hæc facultas in Iubileis concessa absoluendi à censuris videtur tribui vt quoddam præludium necessarium ad absolutionem peccatorum, quam constat non posse dari extra confessionem sacramentalem. Ita benè Nauar. *summ. c. 26. num. 31.* Lopez noster *part. 2. instruct. tract. de clauibus, cap. 9. versic. Præterea hic dubitatio hac obuia fit loquens de Bulla Cruciata.*

Licèt multi DD. neoterici, quos tacito nomine refert Sanchez *lib. 4. oper. mor. cap. 54. n. 16. fine*, affirment per Bullas Iubilei indulgentes, auditis confessionibus, absolutionem à peccatis & censuris, posse extra confessionem impendi absolutionem à censuris: quia, inquiunt, ablatiuus absolutus auditis diligenter confessionibus ad solam absolutionem à peccatis refertur, ad quam est opus confessione, sed absolutio à censuris non petit necessariò confessionem sacramentalem. ergo. At verius est id, quod diaimus cum Lopez & Nanarro; quia absoluere à censuris virtute Iubilei, vel alterius Bullæ, dum additur in concessione, *auditis diligenter confessionibus*, conceditur Confessariis in ordine ad sacramentalem confessionem audiendam, & non per viam authoritatis ordinariæ, vti possunt Prælati Ecclesiastici extra sacramentum ob facultatem ordinariam, quam habent suos subditos à censuris absoluere, non audita eorum confessione, vt bene aduertit Lopez nuperrimè relatus Sayr. *lib. 6. Clauis, cap. 11. num.* 106.

Dico decimò, idem dicendum, quando in Iubileo conceditur facultas vota commutandi, necessariò scilicet talem commutationem votorum debere fieri in confessione. quia licèt distent inter se absoluere à peccatis, & vota commutare, nec hoc absoluiè loquendo

confessione

confessione indigeat, nec ad forum pœnitentiæ pertineat, tamen committitur Confessori, vt dum eligitur ad confessionem audiendam, ibi post absolutionem, vel ante eam, vototum commutationem faciat. Sic egregiè Lopez noster *vbi suprà, vers. Adprimam rationem.* Sayr. nuper citatus, *& lib. 5. Clauis, cap. 8. num. 10. fine.* quia non per viam authoritatis ordinariæ habent commutate vota, ob quam à Prælatis Ecclesiasticis ex causa rationabili huiusmodi dispensationes, & commutationes pro suorum subditorum votis extra confessionis sacramentum fieri possunt, sed per viam concessionis ad tempus auditis pœnitentium confessionibus, Confessariis in Iubileo, vel aliqua Bulla facultas vota commutandi conceditur. Oppositum tenet Sanchez *lib. 4. oper. mor. c. 54. n. 16.* vbi ait per concessionem Iubilei extra confessionem sacramentalem à Confessariis votorum commutationem fieri posse: quia, inquit, non censendus est Pontifex velle totum priuilegium absoluendi à peccatis, & commutandi vota, limitare per illum ablatiuum absolutum, *auditis diligenter confessionibus,* quod est etiam satis probabile. Sed iam ex dictis patet, quid respondendum ad hanc rationem.

## Dubitatio VI.

VIII. *An Episcopi extra suam diœcesim possint absoluere suos subditos à casibus reseruatis occultis, & dispensare super irregularitatibus, etiamsi subditi sint existentes extra diœcesim? & idem inquiritur de Superioribus Regularium.*

Dico vndecimò, vigore Concilii Tridentini *sess. 24. cap. 6. de Reform.* Episcopi si existant extra suam diœcesim, non possunt in foro conscientiæ absoluere subditos suos similiter existentes extra diœcesim à censuris, & casibus Sedi Apostolicæ occultis reseruatis, quamuis possent ibi ab aliis peccatis absoluere, atque etiam à censuris Papæ non reseruatis: quia Concilium Tridentinum non concedit facultatem Episcopis absoluendi à censuris, & casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, occultis tamen extra propriam diœcesim, sed tantùm in diœcesi sua, vt ex verbis eius expressè constat: ergo.

Dico duodecimò, Prælati verò Regularium virtute concessionis Pij V. suos subditos absoluere possunt in foro conscientiæ à censuris, & casibus occultis Sedi Apostolicæ reseruatis extra sua Monasteria, & loca vbique terrarum, quia eorum iurisdictio nullis finitur locis, vt iurisdictio Episcoporum, vt benè docet Syl. *verb. excomm. 2. num. 15. & verb. sententia num. 7.* Rodriquez *tom. 1. qq. Regul. quæst. 30. art. 6.* Sanchez *lib. 6. oper. mor. cap. 8. num. 33.*

Dico decimotertiò, si verò Episcopus existat intra diœcesim, vi Concilij Tridentini potest à censuris reseruatis, & occultis suos subditos absentes in alio oppido eiusdem diœcesis existentes absoluere; quia nihil est in hoc, quod obstet Concilio Tridentino. nam absentes absolui possunt à censuris, vt diximus cum Syl. *assertione 1.* & absolutio exercetur in subditos intra diœcesim Episcopi absoluentis. Idem poterunt Prælati Regularium vi concessionis Pij V. absoluere scilicet subditos absentes à censuris occultis Sedi Apostolicæ reseruatis. Videatur Rodriquez *summa part. 1. cap. 131. num. 6.*

Dico decimoquartò, poterunt etiam Episcopi virtute Concilij Tridentini in sua diœcesi cum absentibus subditis suis in irregularitatibus & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum dispensare. Idem poterunt Prælati Mendicantium virtute Bullæ Sanctissimi Pij V. dispensare scilicet cum suis subditis absentibus; quia dispensatio ex se non pertinet ad forum pœnitentiæ, vt benè docet Sotus *lib. 7. de iust. q. 4. art. 3. vers. nam dispensatio.* ergo æquè circa absentem, & præsentem subditum exerceri poterit. Videantur Suarez, & Bonacina *assertione 6.* relati.

## Dubitatio VII.

IX. *An Episcopi degentes in propria diœcesi, & subditi extrà existentes, vel Episcopi degentes extra diœcesim, & subditi intrà, possint absoluere subditos à censuris occultis reseruatis, & cum eis dispensare super irregularitatibus, inhabilitatibus, &c. & idem inquiritur de Superioribus Mendicantium.*

Dico decimoquintò, Episcopi vi Concilij Tridentini in sua diœcesi possunt suos subditos extra diœcesim degentes à censuris occultis reseruatis absoluere, & similiter cum eisdem dispensare in omnibus suspensionibus, irregularitatibus occultis, vna excepta; & è contrario si Episcopi commorentur extra suum territorium, possunt ex vi facultatis Concilij Tridentini mittere subditis intra diœcesim existentibus absolutionem à censuris reseruatis, & dispensationem super omnibus irregularitatibus occultis, vna excepta, quia non est necesse, quòd illud verbum Concilij, *in diœcesi sua,* referatur ad vtramque personam, tum Episcopi, tum subditi: nam ex vi verborum id non significatur, neque oportet concessionem restringere plusquam verba cogant; ergo sufficiet, vel quòd Episcopi absoluentes, & dispensantes sint intra diœcesim, licet subditi recipientes absolutionem, seu dispensationem commorentur extrà, vel è contrario; vt bene aduertit Suarez *tom. 5. de cens. disp. 41. sect. 2. num. 11. ad finem.*

Dico decimosextò, ex vi huius facultatis Concilij Tridentini possunt Episcopi & per extensionem eiusdem priuilegij concessam à Sanctissimo Pio V. Prælatis Mendicantium, poterunt etiam hi absoluere, & dispensare cum suis subditis absentibus in omnibus priuationibus & inhabilitatibus prouenientibus ex delictis occultis Sedi Apostolicæ reseruatis, vna excepta, quæ prouenit ex homicidio voluntario: nam hæ absolutiones, & dispensationes ex se non requirunt sacramentalem absolutionem, & forum pœnitentiæ. ergo extra Sacramentum, & cum absentibus fieri possunt. Videantur pro hac assertione ea, quæ diximus dubio immediatè *præcedenti 16. pronunciato.* Saluo semper meliori iudicio.

X. *Rationibus in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

## Dubitatio VIII.

*An ablata censura à peccato summo Pontifici reseruato, per Episcopum possit pœnitens ab illo absolui per Confessarium habentem tantùm auctoritatem communem?*

Nec officit ratio adducta à principio, concedimus enim antecedens, & negamus consequentiam: nam verba hæc, *absoluere in solo conscientiæ foro,* non important, vt absolutio fit in solo pœnitentiæ foro, sed vt nullatenus pro foro externo prosit, & sic Nauarr. *summa cap. 27. num. 41.* cum D. Antonino *3. part. summa*

nam Epiſcopus vi Concil. Trident. cit. poteſt abſoluere ſuos ſubditos ab omnibus caſibus, & cenſuris occultis Sedi Apoſtolicæ reſeruatis; ergo à fortiori poterit abſoluere ſuos ſubditos ab omnibus caſibus, & cenſuris reſeruatis inferioribus Prælatis: non obſtante eorum reſeruatione. Sic Bonacin. *tom. 1. tract. de cenſ. diſp. 1. q. 3. puncto 2. n. 6.* ſibi ipſi contrarius loco aſſertione immediatè præcedenti cit.

Dico quartò, Epiſcopus vigore Concilij Tridentini non valet abſoluere ſubditum ſuum, ſi aliàs ab Ordinario alterius diœceſis legitima iuriſdictione acquiſita ratione delicti nominatim, & per ſententiam ſpecialem fuerit cenſura ligatus. Ratio eſt, quia Epiſcopus virtute Concilij Tridentini poteſt ſuos ſubditos abſoluere à cenſuris & caſibus ſummo Pontifici reſeruatis, vel aliis inferioribus Prælatis, modò delictum ſit occultum: at quando ſententia eſt lata per ſententiam particularem, delictum non eſt occultum, ſed publicum. ergo. Tum, quia iuriſdictio ratione cauſæ inchoatæ per cenſuræ ſententiam particularem permanet apud illum, qui eam tulit. ergo ne confundantur iuriſdictiones, non poteſt alius iudex, &c. Ita benè Suarez *tom. 5. de cenſ. diſp. 7. ſect. 2. num. 27.*

## Dvbitatio III.

V. *An Epiſcopus poßit abſoluere ab excommunicatione publica ſummo Pontifici reſeruata, & an ſemel ſic abſolutus teneatur ampliùs adire ſummum Pontificem?*

Dico quintò, Epiſcopi vigore Concilij Tridentini poſſunt ab excommunicatione publica, & alia quacumque reſeruata Papæ abſoluere ſubditum excommunicatum habentem impedimentum legitimum, propter quod non poteſt Papam adire; ceſſante tamen impedimento ſi non ſit perpetuum, tenetur Papam adire, non vt iterum ab excommunicatione abſoluatur, quia plenè ab illa eſt abſolutus, ſed vt Pontifex medicinam adhibeat conuenientem, ſatisfactionémque imponat, vt bene aduertit Sanchez *lib. 2. oper. mor. cap. 13. num. 57.* Quòd ſi non ſe præſentauerit, quamprimum commodè poterit, reincidet in eandem ſpecie excommunicationem, vt expreſsè habetur *cap. eos, qui, de ſententia excomm. 6.* & docet Syl. *verb. Confeſſio 1. num. 11* Ratio pro principali noſtro dicto deſumitur ex benigna ſummi Pontificis voluntate, qui non præſumitur voluiſſe abſolutionem reſeruare cum tanto incommodo. Ita Nauarr. *ſumma cap. 27. immediatè ante numerum 90. verſic. ad primam verò ſeptem.* Addit tamen Bonacina *tom. 1. tract. de cenſuris, diſp. 1. quæſt. 3. puncto 2. num. 4* Epiſcopum non poſſe ab excommunicatione publica Papæ reſeruata in prædicto caſu ſuum ſubditum abſoluere, ſi is poteſt adire Legatum, vel alium habentem priuilegium abſoluendi. quia in hoc euentu non cenſetur adeſſe iuſta, & legitima cauſa, vel impedimentum, propter quod ab alio abſolui poſſit.

Dico ſextò, contrahens excommunicationem publicam Papæ reſeruatam, etiamſi in ſententia reſeruationis dicatur neminem ab ea poſſe abſoluere, præterquam in mortis articulo, vt dicitur 17. *quæſt. 4. can. ſi quis ſuadente*; ſi longiſſimè abeſſet ab Vrbe in diſceſſu proficiſcens Romam, à ſuo Ordinario petere poteſt abſolutionem ab ea, quæ dari poterit, ne moriatur in itinere in excommunicatione, promittendo ſe quàm citò commodè poterit per ſe, vel per alium aditurum Pontificem, & eius mandatis pariturum. Ita apertè colligitur ex *cap. qui fronte, de appellationib.* & docet Nauarr. *tom. 1. conſil. lib. 5. de ſententia excommun. conſil. 40. num. 6.* Videatur etiam Bonacina nuper cit. *num. 4. verſic. Addit denique.*

## Dvbitatio IV.

VI. *An obtinens facultatem abſoluendi à caſibus reſeruatis, etiam poßit abſoluere à cenſuris, & diſpenſare ſuper irregularitatibus, votis & iuramentis?*

Dico ſeptimò, obtinens facultatem abſoluendi, vel vt ei beneficium abſolutionis poſſit impendi à caſibus ſummo Pontifici reſeruatis, poteſt abſoluere, & abſolui à cenſuris illis reſeruatis. Nam caſus ſummo Pontifici reſeruati cenſentur illi reſeruati ratione excommunicationis. Vnde ſublata cenſura quilibet Sacerdos approbatus poteſt ab illis abſoluere, quamuis facultatem non habeat abſoluendi à cenſuris, & caſibus reſeruatis. Vide Caiet. *verb. caſus.* Tabien. *ibi.* Nauarr. *ſumma cap. 27. num. 161.*

Dico octauò, obtinens verò ab Epiſcopo facultatem abſoluendi à caſibus ſibi reſeruatis, non poteſt abſoluere à cenſuris. quia Epiſcopi habent caſus reſeruatos abſque cenſura annexa, & ideo quamuis concedatur omnes caſus reſeruatos, non ideo cenſentur poteſtatem abſoluendi à cenſuris ſibi reſeruatis dare. nam hæc duo diſtincta ſunt apud ipſum, & à diuerſis non fit illatio. *c. ad audientiam, de decimis.* Syl. *verb. caſus,* quem ſequitur Suarez *tom. 5. de cenſ. diſp. 7. ſect. 4. n. 12.*

Dico nonò, Prælatus concedens abſoluendi facultatem ab omnibus ſuis caſibus, & cenſuris, non cenſetur concedere facultatem diſpenſandi in irregularitate, votis, aut iuramentis, in quibus ipſemet Prælatus poteſt; quia hæc ſunt diuerſa. Irregularitas enim, vota, & iuramenta non ſunt caſus, aut cenſuræ, & in huiuſmodi conceſſionibus quibus iuri communi, & poteſtati ordinariæ derogatur, cùm ſint odioſæ, interpretatio ſtrictè facienda eſt, ita vt vno conceſſo, non ſtatim intelligatur conceſſum alterum, quod eſt ab illo diuerſum. Syl. & Tabien. *locis cit.* Sayr. *lib. 1. Clauis, cap. 1. num. 6.*

Dico decimò, obtinens à ſummo Pontifice facultatem abſoluendi ab omnibus cenſuris, poteſt abſoluere à cenſuris reſeruatis; quia aliàs priuilegium redderetur inutile, ſi non poteſt abſoluere à cenſuris reſeruatis. quilibet enim Sacerdos approbatus iure communi poteſt abſoluere à cenſuris non reſeruatis, vt habetur ex *cap. nuper, de ſent. excomm.* & docet D. Th. *in 4. diſt. 18 quæſt. 2. art. 5. in corpore.* Syl. *verb. abſolutio 1. num. 4. §. & ſimpliciter, verſic. Sed tu adde.* ergo & ita hanc aſſertionem tenet Bonacin. *tom. 1. tract. de cenſ. diſp. 1. quæſt. 3. puncto 1. num. 11.* contra Suarez *tom. 5. de cenſ. diſp. 7. ſect. 5. num. 10.*

Dico vndecimò, obtinens facultatem generalem abſoluendi ab omnibus caſibus ſummo Pontifici reſeruatis, nequit abſoluere à caſibus contentis in Bulla Cœnæ, quando non eſt facta mentio in conceſſione illius Bullæ. quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ non eſſet quis veriſimiliter conceſſurus ſi ſpecialiter peterentur, *cap. in generali, de reg. iur. in 6.* Sed caſus Bullæ Cœnæ ſpecialiter reſeruantur. ergo non veniunt in generali conceſſione, ſed indigent ſpeciali expreſſione in conceſſione facultatis abſoluendi. Hugolinus *de cenſuris, tab. 1. cap. 10. §. 4. n. 8.* Suarez *tom. 5. de cenſ. diſp. 21. ſect. 3. num. 3.*

Dico duodecimò, habens facultatem abſoluendi à caſibus ſummo Pontifici reſeruatis, etiam contentis in Bulla Cœnæ, non poteſt abſoluere ab excõmunicatione ob hæreſim contracta, niſi in conceſſione

hoc exprimatur: quia absolutio huius censuræ est strictissimæ reseruationis. ergo non venit in generali concessione. Ita Azor. *part. 1. inst. mor. lib. 8. cap. 10. dub. 12.* nam beneficium Principis est latè interpretandum. Respondetur id esse verum, quando intentio Principis id patitur, & vsu non est contrarium receptum: vsu tamen receptum est in generali concessione casuum Bullæ Cœnæ non venire hæresim. Videatur etiam Sanchez *lib. 2. oper. mor. cap. 12. num.* 10. licèt Sotus *in 4. dist. 22. q. 2. art. 3. post quintam conclusionem in 1. casu Cœnæ, in fine*, & Corduba *summa quæst. 8. fine*, affirment posse tunc hæreticum absolui, non facta in concessione expressa mentione hæresis.

VII. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & magis explicantur ea, quæ dicta sunt in secunda assertione pro facultate absoluendi Episcoporum non reuocata.*

Ad rationem in contrarium à principio positam, quatenus directè militat contra nostram secundam assertionem respondetur negando consequentiam: nam licèt Clemens VIII. & Paulus V. fel. record. in decretis citatis prohibuerint, ne Confessarij tam sæculares, quàm Regulares, quibuscumque priuilegiis, indultis, & facultatibus suffulti absoluere audeant ab excommunicationibus Sedi Apostolicæ, & Ordinariis locorum reseruatis, non tamen restringunt facultates ab aliis Sūmis Pontificibus faciendas, cùm has coërcere, & restringere non valuerint, & sic virtute Iubilei, vel alterius Bullæ cōcedentis facultatem absoluendi à casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, valebunt Confessarij, tam sæculares, quàm Regulares, absoluere à censuris, & peccatis Sedi Apostolicæ reseruatis, & consequenter etiam poterunt absoluere à casibus, & censuris, quas sibi reseruant locorum Ordinarij, vt apertè probatum est *assertione* 2. Videatur pro hac solutione Magister Sotus *in 4. dist. 22. q. 2. art. 3. post quintam concl. §. Primus eius casus, vers. dixerim verò*; vbi consimilem doctrinam affert ad soluendum simile argumentum, quem adducit, & sequitur Sanchez *lib. 6. oper. mor. c. 17. n. 43. vers. secundò respondetur*, & speciatim loquendo de facultate Episcopis concessa vigore Concilij Tridentini *sess. 24. c. 6. de Reform.* per illa decreta Clementis VIII. & Pauli V. non est eis reuocata, etenim illa decreta à Summis his Pontificibus facta fuere, vt apertè constabit ea legenti non ad minuendam, sed ad corroborandam Episcoporum auctoritatem; vt probè aduertit Bonacina *tom. 1. tract. de censuris disp. 1. quæst. 3. puncto 2. num. 4 fine.*

---

## ARTICVLVS LII.

## An absolutio à censuris per expressionem falsitatis vitietur, vt si excommunicatus ob vnam causam, dum absolutionem petit, aliam causam explicet?

### *SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Explicatur quid sit absolutio subreptitia, vel obreptitia.*
3. *An per obreptionem, absolutionem obtinens, sit absolutus in foro interno.*
4. *An hæreticus, fictè petens absolutionem ab Inquisitoribus sit absolutus saltim à censuris? & si postea pœniteat, per Confessarium habentem tantùm auctoritatem communem, possit absolui à peccatis, quæ censuram habebant annexam.*
5. *An valeat absolutio à censuris si vera causa principalis profertur, & non exprimatur accidentalis, vel apponatur accidentalis non vera? vel si vna censura ligatus ob varias causas, vnam tantùm, vel alteram exprimat, & alias taceat fraudolenter.*
6. *An censuris ligatus ob diuersas causas, si vnam tantùm exprimat, & alias ignoranter taceat, si illi generaliter absolutio impendatur, sit ab omnibus absolutus.*
7. *An inualidè absolutus tempore Iubilei, habens casus reseruatos & censuras, possit postea absolui à Confessario, habente tantùm facultatem communem.*
8. *An pœnitens inculpabiliter oblitus alicuius peccati habentis annexam excommunicationem tempore Iubilei, si postea illius recordetur, possit absolui à quocumque Confessario.*
9. *An pœnitens remaneat absolutus à censuris, vel à reseruatione, si confessionem culpabiliter dimidiet.*
10. *An valeat absolutio data per habentem facultatem delegatam absoluendi à censuris in confessione, si confessio sit inualida.*
11. *Explicatur, quomodo pœnitens dispositus, quando profertur absolutio à censuris, indispositus tamen, quando absoluitur à peccatis, non remanet absolutus, neque quoad censuras, neque quoad peccata: ab vtrisque tamen liberatur, si dispositus inueniatur dum impenditur absolutio à peccatis, licèt non ita in absolutione à censuris.*
12. *Rationi in contrarium à principio respondetur & explicatur, an absolutio à censuris iniustè facta à iudice sit valida.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm mendax precator carere debet penitus impetratis. *c. super litteris, de rescriptis.* ergo absolutio censuræ obtenta ab Ordinario, vel à quocumque alio habente facultatem ab ea absoluendi per mendacium, est inualida, vt si censura ligatus petendo absolutionem à iudice Ecclesiastico falsum exponeret, dicendo se parti satisfecisse, cùm tamen vere non satis fecerit, & ita hanc sententiam tenet glossa *in c. ex parte, de officio iudicis Ordinarij. verb. Redire.* D. Ant. *3. p. tit. 24. c. 77. vers. excommunicator.* Non tenet, inquit, absolutio ab excommunicatione, quæ per subreptionem obtinetur.

## DVBITATIO I.

II. *Quid sit absolutio subreptitia, vel obreptitia?*

Dico primò, per subreptionem, vel obreptionem dicitur quis absolutionem à censuris impetrasse, quando apud iudicem Ecclesiasticum, à quo absolutio ab eis obtineri debet, incursæ censuræ vera causa subticetur, & alia explicatur, sicut rescripta, quæ ad gratias obtinendas conceduntur, dicuntur subreptitia, vel obreptitia, quando in eis tacita est veritas necessariò explicanda, vel falsum aliquid narratum est. Ita *in can. dicenti 25. quæst. 2.* Turrecrem. Decius *in cap. super litteris, de rescriptis, in noua editione, notabili 1. n. 4.* vel secundùm alios, subreptitium rescriptum dicitur, quando subticetur veritas explicanda; obreptitium verò quando narratur factum, & sic absolutio à censuris obtenta dicitur subreptitia, vel per subreptionem obtineri, quando incursæ censuræ vera causa subticetur: obreptitia, vel per obreptionem, quando aliquod falsum ad eam obtinendam explicatur. Videatur Sanchez. *lib. 8. de matrim. disp. 21. n. 2.*

## Dubitatio II.

III. *An per obreptionem absolutionem obtinens sit bene absolutus in foro interno?*

Dico secundò, absolutio censuratum obtenta ab Ordinario per obreptionem, seu per mendacium, absolutè loquendo, est inualida, puta si absoluendus mentiatur se satisfecisse, aut sibi remissam iniuriam, vel huiusmodi. nam præsumendum est Ordinarium non habuisse intentionem talem mendacem absoluendi à censuris: Ita Syl. *verb. absolutio 1. num. 13. quæst. 5.* Tolet. *summa lib. 1. cap. 14. num. 12.* Similiter in hoc consimili casu si quis occidit Clericum, allegando per mendacium se illum occidisse ad se defendendum, cùm à Clerico per iniuriam fuerit aggressus, absolutio sic obtenta per obreptionem esset inualida. quia Superior non intendit absoluere, nisi ex causa expressa: at causa expressa nulla est, & falsa. ergo Armilla *verb. absolutio, num. 65.*

Dico tertiò, valeret tamen absolutio si iudex ordinarius absolutè vellet censura ligatum absoluere, quamuis sciret in obtinenda absolutione referri falsum, tunc enim valebit absolutio: at peccabit iudex, qui illum absoluit cum iniuria partis, quia etsi iudex absoluens faciat contra ius litigatoris, non tamen contra ius constitutionis, cùm nullum sit ius talem irritans absolutionem: tum, quia sicut absolutio valida est, etiamsi causa in petitione absolutionis non exprimatur, quando eam iudex non expressa causa dare voluerit; ita etiam valida erit, etiamsi falsa causa exprimatur, dummodo iudex non obstante tali causa absoluere velit; ignorantia enim concomitans non tollit quin simpliciter absoluere velit: nec tunc præsumitur iudex deceptus, & inuitus, quia tunc reum absoluisset, etiamsi falsi expressio ei innotuisset. Syl. Armilla, Tolet. *vbi suprà.* Lopez noster *part. 1. instruct. tract. de Clauibus, cap. 19. fine.*

Dico quartò, clariùs explicans secundam assertionem. Si non constat de intentione iudicis absoluentis, an talem animum habuerit absoluendi, scilicet censura ligatum, etiamsi sciret falsam causam esse expressam in obtinenda absolutione; tunc pro non absoluto est habendus, qui per obreptionem absolutionem obtinuit. quia iudex sic deceptus non intendit verè absoluere, ignorantia enim antecedens, & fraus impedit voluntarium: ita expressè habetur diffinitum *in cap. officij, de sententia excommun.* vbi dicitur, quòd suppressio veritatem absolutio subrepta non prodest. ergo à fortiori falsum exprimenti absolutio non proderit. Sayr. *lib. 1. cap. 21. n. 27. ad finem.*

## Dubitatio III.

IV. *An hæreticus fictè petens absolutionem ab Inquisitoribus, sit absolutus saltim à censuris: & si postea pœniteat, per Confessarium habentem tantùm auctoritatem communem, possit absolui à peccatis, quæ censuram habebant annexam?*

Dico quintò, consequenter, si hæreticus fictè conuertitur, & sic fictè petit ab Inquisitoribus à censuris absolui, absolutio ei impensa in foro interiori nulla est. quia hæc absolutio obtinetur ex falsa causa, nempè ex falsa conuersione, neque præsumitur intentio hunc absoluendi, quia veritate cognita cū Inquisitores non absoluissent, nō enim mente manens hæreticus ad Ecclesiæ gremium est admittendus: posset tamen hæreticus ille fictè conuersus, & in foro externo absolutus postea resipiscens in foro conscientiæ priuatim absolui ab habente aliàs facultatem absoluendi in foro interno: quia saltim in foro externo valuit absolutio hæretico fictè conuerso ab Inquisitoribus impensa: videatur Sanchez *lib. 2. oper. mor. cap. 12. num. 8. & 9.*

## Dubitatio IV.

V. *An valeat absolutio à censuris si vera causa principalis proferatur, & non exprimatur accidentalis, vel apponatur accidentalis non vera? Vel si vna censura ligatus ob varias causas, vnam tantùm, vel alteram exprimat, & alias fraudolenter taceat?*

Dico sextò, valet absolutio à censuris si fideliter censura ligatus causam principalem incursæ censuræ expressit, etiamsi causas aliquas accidentales finxerit, vt magis iudicē alliceret ad concedendam absolutionē: quia sicut non omnis expressio falsi vitiat dispensationes, & cæteras gratias, sed solius causæ finalis expressione vitiatur gratia, & dispensatio, nimirum, quando Princeps ea falsitate non expressa, dispensationem, & gratiam minimè concessisset, non autem vitiatur, si causa falsò expressa sit tantùm accidentalis, & impulsiua, qua nimirum mouetur quidem Princeps ad faciliùs gratiam concedendam: licèt ea non narrata illam concessisset, vt docet Syl. *verb. Rescriptum, quæst. 7. initio* Sanchez *lib. 8. de matrimonio, disp. 21. num. 32.* ergo similiter absolutio à censuris non est irrita si causa principalis incursæ censuræ fideliter fuit expressa, licèt simul aliqua causa accidentalis, & impulsiua ad faciliùs absolutionem obtinendam fuerit narrata: videatur Lopez noster *part. 1. instruct. tract. de Clauibus, cap. 19. §. Circa prædictam doctrinam, fol. 935. mihi.* Sanctarellus *part. 1. variarum resolut. q. 50. n. 7. versic. valebit item absolutio, fol. 485. mihi.*

Dico septimò, si aliquis vnica tantùm censura ligatus ex pluribus causis per se sufficientibus ad illam incurrendam, puta quia legitimè citatus concubinam non dimisit, debitum creditori non soluit, & parti læsæ ob iniuriam illatam non satisfecit, si postea in impetratione absolutionis causam aliquam æquè principalem incursæ censuræ subiecerit, non censetur absolutus à censura; quia iudex Ecclesiasticus non præsumitur velle absoluere à censura nisi expressis omnibus causis si sint æquè principales, & per se sufficientes ad contrahendam censuram. Secus autem si causa suppressa non fuit æquè principalis, & per se sufficiens; quia tunc valebit absolutio. Similiter valida est absolutio, si causa, quæ expressa non fuit, minimè Prælatum ab absolutione auertisset, si expressè ei esset significata. Videatur pro hac assertione D. Thom. *in addit. ad 3. part. quæst. 24. art. 3. versic. vel nisi cum quis*, Lopez noster *part. 1. instruct. tract. de Clauibus, cap. 19. §. Circa prædicta, fol. 935. mihi*, quem sequitur & adducit Sanctarellus *part. 1. variarum resolutionum, quæst. 50. num. 7. fine*: contra Sayr. asserentem sufficere tunc vnam causam per se sufficientem exprimere ad obtinendam absolutionem. *lib. 1. de censuris, cap. 21. n. 23. versic. Si verò.*

Dico octauò, varias ob causas variis censuris, vna sententia, vel pluribus sententiis irretitus, si absolutionem petens vnam solùm causam exprimit, eius censuræ tantùm cuius causam expressit, absolutio

absolutionem consequitur, & hoc etiam si absolutio generalis fuerit,& ab eo facta,qui ab omnibus absoluere poterat: quia ad illam censuram,cuius causa fuit expressa, iudicem absolutionem suam retulisse censendum est, arg. *cap. cùm pro causa, & cap. officij, de sententia excomm.* Lopez nouissimè relatus *vers. tertiò recolendum est.* Sayr. *vbi supra num.*14. *versic.sicut.*

Dico nonò. Præcedens pronunciatum intelligendum est, quando is, qui absoluitur, censurarum suarum causas aliquas tacet fraudolenter, & alias exprimit; tunc enim absolutio sic accepta per subreptionem, & fraudem ei quo ad censuras ob alias causas tacitas non proderit: quin adhuc etiam ob illas esset vitandus si fuisset declaratus ob excommunicationem incursam; & proinde nec hominum consortio, nec Sacramentis restitutus. arg. *d. c. officij, de sententia excomm.* quia fraus,& dolus nemini suffragatur.Sayr. *vbi supra n.*24. *vers.quæ omnia.*

## DVBITATIO V.

**VI.** *An censuris ligatus ob diuersas causas, si vnam tantùm exprimat, & alias ignoranter taceat, si illi generaliter absolutio impendatur, sit ab omnibus absolutus?*

Dico decimò, indiffinita, & generalis absolutio à censuris exhibita pluribus ligato censuris ab eo, qui habet potestatem absoluendi ab omnibus, vnica tantùm nominatim expressa,quo ad alias etiam sufficit, si sic absolutus eas taceret ignoranter, quia tunc non recolit, aut ignorat, præsertim si ad hunc finem,exonerandi scil. omnino conscientiam, & consequendi absolutionem omnium censurarum, adiret supeciorem; quia tunc cùm non sit dolus, & fraus, ita præsumendum est ex animo absoluentis, habuisse scilicet intentionem absoluendi ab omnibus censuris expressis,& non expressis: videatur Rich. *in* 4. *dist.* 18. *art.*10.*q.*3. Sayr.*lib.*2.*de cens. cap.*21.*n.*24.*fine.*Lopez *suprà* citatus, *vers.sequitur ex omnibus* Syl. *in consimili casu verb. confessio* 1.*quæst.*4. Nauar. *summa cap.* 26.*n.*13.

## DVBITATIO VI.

**VII.** *An inualidè absolutus tempore Iubilei, habens casus reseruatos, & censuras, possit postea ab his absolui à Confessario, habente tantùm facultatem communem?*

Dico vndecimò. Pœnitens, qui inualidè confessus est,vel defectu contritionis,& attritionis,vel quia culpabiliter, & malitiosè prætermisit in confessione aliquod peccatum mortale Sacerdoti habenti facultatem absoluendi à peccatis reseruatis,& à censuris virtute Iubilei,non remanet absolutus à peccatis, quoad reseruationem,neque à censuris. Probatur,quia tempore Iubilei non conceditur facultas absoluendi à censuris, & à casibus reseruatis quoslibet pœnitentes, sed verè pœnitentes; sed qui inualidè confitetur defectu doloris, vel integritatis,non est verè pœnitens.ergo à nulla censura tunc qui inualidè confitetur,remanet absolutus, neque ab illa, quam expressit, & multò magis,neque ab illa, quam reticuit, neque à reseruatione casuum: & sic tenebitur postea resipiscens iterum confiteri omnia peccata, censuras, & casus reseruatos, non cuicumque Confessario habenti iurisdictionem communem,sed habenti facultatem absoluendi à censuris, & casibus reseruatis; & ita hanc assertionem docet Nugnus noster *tom.*1.*in* 3.*part.in expositione Bullæ cruciatæ*, §.11. *vers.dubium tamen est,fol.*488.*mihi.*Rodriquez *tom.* 1. *summæ*, *cap.* 184. *num.* 13. licèt *tom.*1. *qq. Regularium quæst.* 21. *art.* 7. contrarium asserere videatur.

Dico duodecimò,absolutus tempore Iubilei à Confessario approbato,vel ab alio extra Iubilei tempus facultatem habente circa censuras, & casus reseruatos, remanet absolutus à censuris, & casibus reseruatis, quæ per obliuionem inculpabilem prætermisit in confessione; quia tunc Confessarius habens iurisdictionem, intendit, & vult pœnitentem liberum relinquere, quantum potest; & pœnitens fecit quantum in se vt ab omnibus censuris, & casibus reseruatis absolueretur. ergo cùm Confessor possit tollere vinculum cuiuscumque excommunicationis,& reseruationis,vt supponimus, & pœnitens fecit quantum in se est,vt à tali vinculo absoluatur, remanebit absolutus,à vinculo cuiuscumque excommunicationis expressæ,& oblitæ, & similiter reseruationis. Vide Syl. *Confessio* 1, *quæst.*4. Sayr. *lib.*2. *de casibus cap.* 20. *num.* 35. Sanchez *lib.*8.*de matrim. disp.*15.*num.* 10. *& lib.* 4. *oper. moral. cap.*54.*num.*45.

## DVBITATIO VII.

**VIII.** *An pœnitens inculpabiliter oblitus alicuius peccati habentis annexam excommunicationem tempore Iubilei, si postea illius recordetur, possit absolui à quocumque Confessario?*

Dico decimotertiò, absolutus à censuris inculpabiliter oblitis in sacramento Pœnitentiæ,si post confessionem recordetur alicuius censuræ, tenetur quidem confiteri peccata oblita, vt ab ipsis directè absoluatur; non verò tenetur confiteri censuras illis peccatis adnexas,quãdo confessus est Sacerdoti habenti facultatem absoluendi ab illis censuris oblitis. Prima pars huius assertionis probatur, qoia per se iure diuino institutum est,vt omnia peccata mortalia Clauibus in sacramento Confessionis subijciantur. ergo si post confessionem oblitorum peccatorum recordatur,tenetur illa directè Clauibus in sacramẽto Pœnitentiæ subijcere, illa de nouo confitendo. Altera verò pars sic probatur, quia ad absoluendum à censuris non est necessaria ex parte absoluentis scientia talis censuræ in particulari, imò sæpè datur absolutio generalis à censuris, conditionata, Absoluo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, si indiges,quæ nullam cognitionem supponit alicuius censuræ, quæ tali personæ insit,sed solùm quod potest inesse.ergo absolutus generaliter à censuris in sacramento Pœnitentiæ ab eo,qui alias habet facultatẽ absoluendi ab omnibus censuris,si postea recordetur alicuius censuræ in particulari,non tenetur iterum ab ea petere absolutionem; quia nullum est tale præceptum Ecclesiasticum impositum.Videatur Suarez *tom.*5.*de cens. disp.*7 *sect.*5.*n.*17. 18.Bonac.*tom.*1.*tract.de cens.disp.*1.*q.*3. *punct.*6.*n.*5.

## DVBITATIO VIII.

**IX.** *An pœnitens remaneat absolutus à censuris, vel à reseruatione,si confessionem culpabiliter dimidiet?*

Dico decimoquartò.Pœnitens,qui confessus est extra Iubileum legitimo Superiori habenti facultatem ordinariam, seu delegatam absoluendi à casibus, & censuris reseruatis, remanet absolutus, quo ad reseruationem in confessione manifestatorum, & censuris, quas expressit, licèt confessio fuerit inualida, vel defectu contritionis, vel attritionis, vel quia culpa

culpabiliter prætermissum est in confessione aliquod peccatum mortale. Hæc conclusio non est eadem cum octaua in hoc dubio posita; ibi enim loquuti sumus de absolutione censurarum extra sacramentum: hic autem loquimur de absolutione in confessione. Probatur modò conclusio, quia quod non valet vt agitur, valet saltem vt valere potest. *cap. vnico, de dispensatione impuberum* 6. ergo licèt absolutio de qua loquimur, non valeat quoad remissionem culparum, videtur saltem valere quoad ablationem reseruationis; & quoad absolutionem censurarum quas pœnitens sic fictè confessus expressit. Videatur noster Nugno *tom. 2. in addit. ad 3. part. quæst. 9. art. 2. dub. 4. in princ. fol. 338. mihi.* Syl. *Confessio 1. q. 19. ad finem.*

Dico decimoquintò. Pœnitens, de quo *suprà assertione immediatè præcedenti*, qui inualidè est confessus, non remanet absolutus à censuris, quas voluntariè maliriosè in confessione subticuit; quia Confessarius, per se loquendo, non præsumitur habere intentionem absoluendi à censuris, quas sponte pœnitens sine iusta causa malitiosè reticet. noster Nugno nupertimè relatus *dub. 4. verss. Sed potest esse dubium.* Bonacina *tom. 1. tract. de conf. disp. 1. quæst. 3. puncto 6. num. 11. versic. Observa tamen.*

Dico decimosextò, assertio 14. intelligitur si absolutio detur ab habente potestatem delegatam absoluendi à censuris, nedum in sacramento Confessionis, sed etiam extra sacramentum: quia sicut hic extra sacramentum validè potest absoluere ligatum pluribus censuris ab vna tantùm, quam expressit, manentibus aliis non expressis: ita similiter in confessione, etiamsi sit inualida, potest absoluere à censura, quæ exprimitur, licèt aliis, quas culpabiliter pœnitens subticuit, remaneat irretitus. Tum, quia licèt absolutio tunc ex defectu pœnitentis non valeat, vt absolutio sacramentalis, valere tamen potest vt absolutio extra sacramentum si absoluens & in Sacramento, & extra sacramentum confessionis absoluere potest. ergo tunc pœnitens liber remanebit à censuris expressis, etiamsi absolutio quoad culpas sit inualida. Ita benè Rodriquez *tom. 1. qq. Reg. quæst. 21. art. 7. versic. at licèt.* Videatur etiam Suarez *tom. 5. de cens. disp. 7. sect. 5. num. 20.*

## DVBITATIO IX.

X. *An valeat absolutio, data per habentem facultatem delegatam absoluendi à censuris in confessione, si confessio sit inualida?*

Dico decimoseptimò, qui solùm habet facultatem delegatam absoluendi à censuris in sacramento Pœnitentiæ, à nulla censura expressa, vel non expressa in confessione validè absoluit, si sacramentum sit inualidum ex parte pœnitentis ob defectum contritionis, vel attritionis, vel ob defectum integritatis; quia tunc sicut absolutio à peccatis est nulla: ita etiam absolutio pro censuris etiam expressis erit inualida, si absoluens solùm habeat potestatem delegatam absoluendi à censuris in ordine ad sacramentum: nam sacramentum nullum, nullum effectum potest habere. Ita noster Nugno nuper relatus in simili casu. Rodriquez *summa part. 1. cap. 184. num. 13.*

Dico decimooctauò, consequenter, quando Prælati Religionum in aliquibus præcipuis festiuitatibus suam authoritatem impartiuntur Cōfessariis in conuentu expositis, vt eorum subditi possint absolui à censuris, & casibus reseruatis, si ipsi extra tempus concessum omnia peccata reseruata, & censuras sine debita contritione, aut attritione confitentur, aut scienter celato aliquo peccato mortali, minimè remanent liberati à censuris, & à reseruatione casuum; & sic transacto dicto tempore tenentur confiteri Confessario non cuicumque potenti absoluere à mortalibus, sed potenti à censuris absoluere, & à reseruatis liberare. quia Prælati, vt fit in sacro Prædicatorum Ordine, concedentes hanc authoritatem in hæc verba prorumpere solent: Concedimus omnibus Confessariis expositis nostram authoritatem, vt hanc solemnitatem purificatis conscientiis, dignè, & sanctè celebrare possitis. ergo minimè concedere intendunt eam authoritatem in fauorem eorum, qui purificandis conscientiis minimè incumbunt, accedendo ad sacramentum Pœnitentiæ sine debita dispositione, vel celando malitiosè aliquod peccatum mortale, & consequenter nec liberi remanent à censuris, nec à casuum reseruatione. Ita benè aduertit Rodriquez *tom. 1. cit. qq. Regul. quæst. 21. art. 7. fine.*

## DVBITATIO X.

XI. *Quomodo pœnitens dispositus, quando profertur absolutio à censuris, indispositus tamen, quando absoluitur à peccatis, non remanet absolutus, neque quoad censuras, neque quoad peccata: ab vtrisque tamen liberatur, si dispositus inueniatur, dum impenditur absolutio à peccatis, licèt non ita in absolutione à censuris?*

Sed insurges: nam dari potest casus, vt quis accedat ad sacramentum Pœnitentiæ sine debita contritione, vel attritione, & sic indispositus priùs à Confessario absoluatur à censuris, & statim quando Sacerdos profert formam absolutionis peccatorum per internam sancti Spiritus motionem debitè disponatur; sed in hoc casu, quem admittit Rodriquez nuuissimè relatus, Nugno *tom. 1. in tertiam part. q. 61. art. 1. diffic. 3. con. 2. fol. 39. mihi.* maneret hic pœnitens absolutus à censuris, & à peccatis, vt fatentur DD. cit. ergo si post absolutionē censurarum talis pœnitens, quando Sacerdos profert absolutionem à peccatis per internam Spiritus sancti motionem non debitè disponitur, remanebit absolutus à censuris, licèt non à peccatis, præcedit enim absolutio à censuris, & non dependet ab absolutione culparum. Propter hanc rationem Rodriquez nupertimè citatus, partem affirmatiuam dicit esse probabilem, quantum ad absolutionem à censuris, non tamen quantum ad ablationem reseruationis à casibus reseruatis, qui non habent censuram annexam.

Respondetur tamen ad argumentum, negando consequentiam. Nam Confessarius, qui non habet facultatem absoluendi à censuris nisi in ordine ad sacramentum Pœnitentiæ, peccaret mortaliter si pœnitentem sine dispositione ad sacramentum Confessionis requisita à censuris absolueret, quoniam sacrilegium committeret, faciens sacramentum inualidum: ideo non debet, nec potest intentionem habere absoluendi à censuris, nisi pœnitens, antequam proferatur forma sacramentalis, sit debitè dispositus, & sic licèt pœnitens, quando absoluitur à censuris, non sit debitè dispositus, si tamen statim quando Sacerdos profert absolutionem à peccatis per internam Spiritus sancti motionem disponatur, remanet absolutus à culpis, & à censuris liberatus. quia sacramentum fit validum, & Sacerdos in ordine ad sacramentum validum absoluere à censuris intendit:

secus autem si post absolutionem censurarum adhuc pœnitens manet indispositus, quando absoluitur à peccatis, quia tunc Sacramentum est inualidum, & nullum effectum habere potest, & sic pœnitens neque à censuris, neque à culpis remanet absolutus. nam Sacerdos absoluens, de quo loquimur, solùm habet absoluendi à censuris facultatem in ordine ad Sacramentum; si ergo quoad substantiam inualidum est Sacramentum ex parte pœnitentis, nullum etiam in illo operabitur effectum. Videatur pro hac solutione Nugno *tom.2. in addit.ad 3.p.q.9.art.2.dub.4.versic. Sed potest esse dubium.*

XII. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

DVBITATIO XI.

*An absolutio à censuris iniustè facta à iudice sit valida?*

Ad rationem in contrarium à principio positam, respondetur, probare nostram secundam assertionem: sed quatenus militare videtur contra nostrum tertium pronunciatum, respondetur, quòd cùm absolutio à censuris vites suas habeat ab intentione iudicis, præsertim si hic habeat liberandi à censuris potestatem ordinariam, licèt aliquando sit iniusta; quia iudex, e.g. debitorem absoluit, parte non satisfacta, valida tamen est, si absoluens habens authoritatē ordinariā reum absoluere intendit, etiā parte non satisfacta; & similiter valebit absolutio si falsa causa ad eam obtinendam explicetur, si iudex animum habeat liberandi à censuris, non obstante falsæ causæ expressione; quia tunc nec præsumitur iudex deceptus, nec inuitus absoluere. Nam licèt supprimenti veritatem absolutio subrepta non prosit, *cap.officij, de sententia excommunicationis*, hoc verum habet quando iudex deceptus absolutionem impartitur: secus autem si omninò velit absoluere, siue veritas in petitione absolutionis exprimatur, siue falsitas. Videantur pro hac solutione Syl. & Tolet. citati *suprà assert.* 1. Sed vt magis hæc solutio explicetur, sit

ARTICVLVS LIII.

## An habens priuilegium absoluendi à censuris, absque limitatione satisfactæ partis, validè absoluat pœnitentem à censuris, qui nondum satisfecit parti læsæ?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Dubitatio resoluitur quoad habentem potestatem ordinariam, & explicatur an id faciens peccet.*
3. *An habens facultatem delegatam possit in casu tituli absoluere validè.*
4. *Quænam particula requirantur in priuilegio, ad limitandam potestatem & iurisdictionem, vt pœnitens possit absolui, satisfacta, vel non satisfacta parte.*
5. *An non valens satisfacere propter impotentiam aliquam possit absolui cum cautione, & etiam quando non stat per pœnitentem, quin parti satisfiat.*
6. *An excommunicatus, facta restitutione, vel data satisfactione, absque alia absolutione, liber maneat ab excommunicatione? & an idem dicendum sit de interdicto, vel suspensione.*
7. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, quomodo possit aliquando esse iniusta absolutio, collata, non satisfacta parte, valida tamen.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm licèt in priuilegio, Bulla, vel Iubileo non fiat mentio de satisfactione præmittenda, semper tamen de iure communi concessio priuilegij, Bullæ, vel Iubilei intelligitur satisfacta parte, vt docet Sayr. *lib.2.de censuris, cap.20. num.*33. ergo inualidè absolnit ex vi priuilegij, Bullæ, vel Iubilei à censuris sine præuia partis satisfactione, etiamsi priuilegium absoluendi absque limitatione satisfactæ partis concedatur; eùm hæc conditio satisfacta parte, de iure communi in concessione priuilegij subintelligatur, & ita hanc sententiam tenet Sayr. *vbi suprà*. Graffius *lib. 4. decis. cap.16. num.6.*

II. *Dubitatio resoluitur quoad habentem potestatem ordinariam, & explicatur an id faciens peccaret?*

Dico primò, habens potestatem ordinariam absoluendi, validè potest absoluere pœnitentem, qui nondum satisfecit parti læsæ, quamuis antea potuerit satisfacere, aut cautionem satisfaciendi exhibere, peccaret tamen sic absoluendo. Probatur, quia cùm Ordinarius non habeat iurisdictionem limitatam, validè vtitur iurisdictione, quoties ea vti voluerit, quamuis ipse grauiter peccet absoluendo pœnitentem ante realem satisfactionem, quam præstare poterat quoniam agit contra ius litigatoris, licèt non contra ius constitutionis. Ita clarè habetur *in cap. venerabilibus, de sententia excomm.6.§.Sanè, ad finem.* & docet Syl. *Absolutio 3.num.3.fine.* Nauarr *summa cap.27.num.37.*

DVBITATIO I.

III. *An habens facultatem delegatam possit in casu tituli absoluere validè?*

Dico secundò, habens facultatem delegatam, seu priuilegium absoluendi à censuris absque limitatione satisfactæ partis, validè absolnit pœnitentem, qui nondum satisfecit parti læsæ, licèt peccet contra iustitiam, quia priuilegium accipiendum est prout verba sonant, & significant; sed verba significant auctoritatem absoluendi absque limitatione satisfactæ partis: ergo habens tale priuilegium validè absoluit, etiamsi nondum pœnitens satisfecerit parti læsæ, licèt sic absoluendo peccet; facit enim iniuriam parti læsæ. Suarez *tom.5. de censuris, disp.7.sect.5.num.*43. Bonacina *tom.1.tract.de censuris, disp.1.quæst.3.puncto 9.n.2.* contra Sayr. *vbi suprà*, asserentem nullam, & irritam esse talem absolutionem, dummodo satisfactio parti læsæ commodè ab absoluendo dati possit.

Dico tertiò, habens priuilegium limitatum sub conditione satisfactionis, non potest validè absoluere pœnitentem, quia nondum satisfecit, modò possit commodè satisfacere: quia priuilegium, & iurisdictio limitata non extenditur vltra limites præscriptos, & concessos, tantum enim valet, quantum sonat. ergo si priuilegium absoluendi collatum sit cum limitatione, & conditione satisfactionis, non potest virtute illius dari absolutio, nisi expleta conditione, & satisfactione, si pœnitens tunc commodè poterit satisfacere: tum,

tum, quia tunc esset defectus potestatis, & non tantùm abusus. Ita rectè Caiet. *summa verb. absolu.* quem sequitur, & adducit Suarez *vbi suprà, num. 42.* Bonacina *tom. 1. tract. de cens. disp. 1. q. 3. puncto 9. n. 2.*

## DVBITATIO II.

IV. *Quanam particula requirantur in priuilegio ad limitandam potestatem, & iurisdictionem, vt pœnitens possit absolui, satisfacta, vel non satisfacta parte?*

Dico quartò, priuilegium cum limitatione concessum tunc limitat potestatem, & iurisdictionem, & irritat absolutionem, quando in eius concessione apponuntur verba expressè negantia potestatem, & limitantia iurisdictionem, siue actiuè, siue passiuè proferantur, vt cùm dicitur, aliter non possint absolui, nisi satisfecerint, vel aliter non possint absoluere, vel aliter absolutio nullius sit roboris, vel momenti, & similia; quia forma data in concessione sub illis verbis tanquam necessaria conditio ad validitatem absolutionis requiritur. ergo si non seruata illa forma detur, nulla erit, & irrita. Vide Armill. *verb. Absolutio, num. 55.* quem sequitur Suarez *suprà cit. n. 44.*

Dico quintò, si priuilegium absoluendi sit concessum sub hac forma, satisfacta parte, vel de consensu partis, valida est absolutio collata ante satisfactionem partis. quia tunc in priuilegio non additur particula expressè irritans absolutionem, vel præscribens nouam formam, aliter ac est in iure communi: ergo valida esset absolutio, licèt iniusta; quia fieret iniuria parti læsæ. Tum, quia Superior apponens in priuilegio huiusmodi particulas, satisfacta parte, vel de consensu partis, non videtur iurisdictionem limitare, sed tantùm intendit certiorem facere Confessarium, vt seruet formam iuris communis, vt videlicet non absoluat pœnitentem absque satisfactione; ergo cùm tunc non addatur particula expressè irritans absolutionem, valida erit absolutio, licèt peccet sic absoluens. Ita colligitur apertè ex Syl. *verb. Absolutio 3. num. 2. fine.* & clariùs & apertiùs hanc assertionem docent Rodriquez *summa part. 1. cap. 81. num. 4.* Sanchez *lib. 3. de matrimonio, disp. 33. num. 3. cond. 2. vers. & confirmatur.* Bonacina *tom. 1. tract. de censuris, disp. 1. quæst. 3. puncto 9. num. 3.*

## DVBITATIO III.

V. *An non valens satisfacere propter impotentiam aliquam possit absolui cum cautione, & etiam quando non stat per pœnitentem, quin parti satisfiat?*

Dico sextò, quando pœnitens non potest satisfacere, & absolutio differretur per multum temporis, vel cum graui damno, potest Confessarius habens priuilegium absoluendi cum limitatione satisfactionis absoluere à censuris exhibita à pœnitente ea satisfactione quam potest exhibere ante absolutionem, exhibendo scilicet cautionem pignoratitiam, vel fideiussoriam, vel saltem iuratoriam, modò Confessarius credat illum oblata occasione satisfacturum. Probatur, nam, vt docet D. Anton. *part. 2. summa tit. 2. cap. 8.* & Nauarr. *summa cap. 17. num. 56.* debitor potest absolui restitutione non præmissa, non solùm quando nullo modo potest, sed etiam quando commodè nequit, eo quòd periculum vitæ, famæ, aut magni bonorum detrimenti imminet. ergo similiter si pœnitens non potest satisfacere, & absolutio censuræ per multum temporis esset differenda, poterit habens priuilegium absoluendi cum limitatione satisfactionis illum absoluere, exhibita saltem cautione iuratoria, adest enim tunc periculum decedendi è vita in excommunicatione: vide Sanchez *lib. 2. oper. mor. cap. 10. num. 19.* Bonacina *vbi suprà, num. 5.*

Dico septimò, clariùs explicans præcedentem assertionem: facultas concessa alicui delegato absoluendi à censuris, exprimens ne absoluat nisi præmissa, & reali satisfactione, potest validè, & licitè exerceri, quando reus simpliciter, vel moraliter satisfacere nequit. Probatur. nam in Motu proprio Clementis VIII. *de largitione munerum, interdicta Religiosis,* cuius initium est, *Religiosa congregationis*; sic dicitur de recipientibus munera ab illis: *Restitutione ipsa realiter non facta, neque etiam in foro conscientia absolui possint;* & tamen DD. grauissimi, nominatim Sosa *in eius expositione, num. 96.* Sanchez nouissimè relatus, dicunt intelligi, quando moraliter possunt restituere; ergo similiter in nostro casu: & ita hanc assertionem docet Rodriquez *summa cap. 87. part. 1. num. 8.* Nauarr. *summa cap. 21. num. 32.* Sanchez *vbi suprà.*

Dico octauò, delegatus, qui habet facultatem absoluendi à censuris, sub hac conditione, satisfacta parte, absoluere potest pœnitentem, quoties non stat per ipsum, ne satisfactionem præstet, sed potiùs stat per ipsam partem, quæ non vult satisfactionem acceptare. Probatur. nam in suo Motu proprio Greg. XIII. *de datis, & acceptis pro iustitia, vel gratia,* cuius initium est, *Ab ipso Pontificatus,* sic ait. *Nec quisquam admittatur ad absolutionis gratiam, nisi prius erogatum esset pauperibus, quantum ille dedisset, vel recepisset*; & tamen Molina *tom. 1. de iust. disp. 92. versic. Pœnis huius,* asserit posse hos absolui, quando per absoluendos non stat quo minus restituatur: ergo videantur DD. citati *præcedenti assertione.*

## DVBITATIO IV.

VI. *An excommunicatus, facta restitutione, vel data satisfactione, absque alia absolutione, liber maneat ab excommunicatione? & an idem dicendum sit de interdicto, vel suspensio?*

Dico nonò, satisfactione, vel restitutione facta, non statim aufertur excommunicatio absque alia absolutione, quando aliquis fuit excommunicatus ob aliquod delictum, e.g. ob furtum sub hac forma, sis excommunicatus, donec satisfacias, vel restituas. Sed sensus excommunicationis hoc modo latæ est, vt excommunicatus sic non possit absolui ante satisfactionem, possit verò liberari ea posita. Probatur modò conclusio, quia *cap. quod in dubijs, de sent. excommun.* dicitur huiusmodi excommunicatum esse absoluendum. ergo excommunicatio non aufertur statim satisfacta parte ante absolutionem. Suarez *tom. 5. de censuris, disp. 19. sect. 1. num. 3.* Syl. *verb. Interdictum 3. num. 13.*

Dico decimò, summus tamen Pontifex potest aliquem excommunicare, ita vt posita satisfactione, vel alia conditione liberatus remaneat ab excommunicatione, absque alia absolutione. Nam summus Pontifex est Institutor censurarum, & conditor canonum, ergo efficere potest, quòd excommunicatio lata non aliter liget, quàm ipse intendat; ergo si intendat excommunicationem tantùm ligare vsque ad satisfactionem, & non vltrà, liber remanebit excommunicatus absque alia absolutione. Alij verò Prælati Romano Pontifice inferiores hoc efficere nequeunt: nam

iute communi excommunicatio incursa tolli non potest sine absolutione; ergo cùm Prælati Papa inferiores potestatem non habeant supra ius commune, nequeunt. Vide Bonacinam *tom. 1. tract. de censuris, disp. 1. quæst. 3. puncto 9. num.* 10. *ad finem.* Syl. *absolutio 3. num.* 8. quem sequitur Suarez *tom. 5. disp. 19. sect. 1. num. 9.*

Dico vndecimò, censura verò interdicti si lata est ad tempus, vel vsque ad aliquam actionem, vel cessationem actionis, puta vsque ad annum, vel donec satisfeceris, restitueris, vel donec à contumacia cessaueris, vel huiusmodi, elapso illo tempore, vel facta restitutione, vel satisfactione, &c. ipso facto tollitur interdictum. Tabiena *Interdictum 3. num. 4.* Sayr. *lib. 5. de censuris, cap. 11. num. 2.* Syl. *interdictum 3. quæst. 9. n. 13.* Idem dicendum de censura suspensionis. Syl. *verb. suspensio, num. 8. in principio.* Bonacin. *tom. 1. tract. de cens. disp. 3. puncto vlt. de absolutione à suspensione, n. 1.* Nauarr. *summa cap. 27. num. 161. vers. Sextò dico, fine.* quia iudices inferiores Romano Pontifice sicuti possunt ferre suspensionem, & interdictum ad aliquem solum effectum: ita videntur posse illas censuras ferre, cum hac conditione, vt illa expleta, ipso facto cessent: quod non accidit in excommunicatione. Tum, quia ita vsu, & praxi est receptum in suspensione, & interdicto, non verò in excommunicatione, contra Suarez *tom. 5. de censuris, disp. 38. sect. 1. num. 5.* asserentem in vniuersum nullam censuram auferri, siue simpliciter, siue ad tempus, vel vsque ad aliquam actionem, vel cessationem actionis feratur, nisi per absolutionem, seu relaxationem eius, qui iurisdictionem habet; sed nostrum dictum est verius, & probabilius, vsu, & praxi receptum.

### VII. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

## DVBITATIO V.

### *Quomodo possit esse iniusta absolutio collata non satisfacta parte, valida tamen?*

Ad rationem in contrarium à principio positam quatenus militat contra secundam, & quintam assertionem, respondetur quòd commissione facta Confessario, vt absoluat à censuris satisfacta parte, si ille non præmissa satisfactione absoluit, valet quidem absolutio, licèt sit iniusta: quia quoties exprimitur in commissione forma iuris communis eo modo, quo iure inest, non est intentio delegãtis inducere nouam formam, & conditionem necessariam; sed est admonitio quædam, vt seruetur forma iuris communis eo modo, quo in iure est, quare ea prætermissa non irritatur actus, qui aliàs validus esset, nisi in commissione ea forma exprimeretur, & quia iure communi in forma absoluendi à censuris ferè semper apponitur illa particula, *satisfacta parte*; illa igitur prætermissa, actus absolutionis non annullatur: quoniam Superior in priuilegio apponens huiusmodi particulas, *satisfacta parte*, vel *de consensu partis*, quæ sunt de iure communi, siue explicitè, siue tacitè apponantur, solùm intendit admonere Commissarium id, quod secundùm ius facere debet, nõ tamen limitat potestatem, & sic Commissarius non absoluens secundùm formam iuris iniustè absolueret, non tamen inualidè: videatur Syl. *Absolutio 3. num. 3. fine.* Nauarr. *summa cap. 27. num. 37.* Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 33. n. 3.* præsertim *versic. & confirmatur.*

Sed contrà: nam ablatiuus absolutus conditionem importat. *l. à testatore, ff. de condit. & demonstr.* conditio autem importat formam. *l. qui heredi, & l. Manius, ff. eod. tit.* ergo priuilegium concessum cum hoc ablatiuo absoluto præmissa satisfactione comportat conditionem necessariam, ac formam, limitatque potestatem, consequenter valida est absolutio collata ante satisfactionem ab eo, qui priuilegium habet absoluendi satisfacta parte. Respondetur ablatiuum absolutum importare conditionem, & formam faciendi aliquid licitè, aut validè: in hoc autem casu non importat conditionem necessariam faciendi validè, sed tantùm licitè; quia illa particula *satisfacta parte*, apposita in commissione, est de iure communi. Commissarius autem non absoluens à censuris secundùm formam iuris communis, licèt iniustè, validè tamen absoluit, & consequenter valida est absolutio data ante satisfactionem, quamuis non licitè detur. Ita rectè Sanchez *lib. 3. de matrimonio, disp. 5. num. 4. solutione ad secundum argumentum.* Bonacin. *tom. 1. tract. de censuris, disp. 1. quæst. 3. puncto 9. num. 3. vers. Respondeo.* Contrarium tamen tenent Sayr. *vbi supra.* Sotus *in 4. dist. 22. q. 2. art. 3. concl. 2.*

---

## ARTICVLVS LIV.

### An absolutio à censuris data in foro interiori, seu conscientiæ, in sacramentali confessione, valeat etiam in foro fori, seu exteriori?

#### *SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas explicatur.*
3. *An pœnitens indigeat absolutione à censuris in foro exteriori si priùs ab illis fuit absolutus in foro conscientiæ, si delictum postea publicetur.*
4. *An innodatus censura publica, possit absolui ab illa in foro conscientiæ.*
5. *An absolutus à censuris in foro interno, si de absolutione non constet, debeat iterum absolui in foro externo, vt cum aliis communicet.*
6. *An Confessarius possit attestari se absoluisse pœnitentem in foro conscientiæ: & quomodo debeat facere istam attestationem; & an hac fide producta possit iudex delictum dissimulare.*
7. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, an absolutus in foro conscientiæ possit vti absolutione, si hæc publicè non constet.*

### I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm qui erat, e.g. excommunicatus occultus, potest obtenta absolutione in foro conscientiæ gerere se tanquam non excommunicatum, & communicare cum cæteris, modò absit scandalum, & de absolutione habita in foro conscientiæ constet; absolutio enim habita in foro interiore, absolutè, & re ipsa tollit censuras. ergo nedum valet pro foro interno, sed etiam externo, communicare enim cum aliis pertinet ad forum externum.

### II. *Veritas explicatur.*

Dico primò, quando facultas absoluendi à censuris in priuilegiis, seu Bullis Iubileorum nulla addita limitatione conceditur, videtur concessa in vtroque foro: nam verba generalia sunt generaliter intelligenda. Tum, quia non est hæc extensio adeò specialis, & extraordinaria, vt non possit ac debeat sub

generali

generali clausula comprehendi. Tum, quia potestas non deest in Pontifice ad delegandam hanc facultatem, hoc modo, vt scilicet absolutio data in vtroque foro valeat. ergo in verbis generalibus generaliter hæc facultas est intelligenda. tum, quia Sanctissimus Pius V. in Iubileo concesso anno millesimo quingentesim o sexagesimo sexto, declarauit, quòd absolutiones virtute Iubileorum datæ satisfacta parte, in vtroque foro suffragantur. ergo non deest in Pontifice facultas hanc potestatem concedendi, &c. Videantor verba Sanctissimi Pij V. apud Rodriquez *tom. 1. qq. Regul. quæst. 20. art. 6.* & ita hanc sententiam docet Suarez *tom. 5. de censuris, disp. 7. sect. 5. num. 21.* Bonacina *tom. 1. tract. de censuris, disp. 1. quæst. 3. puncto 10. num. 2. vers. Respondeo.* Medina *lib. 2. instruct. confess. cap. 12. fine.*

Dico secundò, quando dicitur in concessione priuilegij, vel Bullæ Iubilei, Absoluant à censuris in foro conscientiæ, vel in ordine ad sacramentalem confessionem; facultas absoluendi censetur concessa tantummodo pro foro interiori: nam priuilegium tantum valet, quantum sonat. Rodriquez *part. 1. summa cap. 83. num. 9.* Ille verò dicitur absolui in foro interiori, seu conscientiæ, qui absoluitur ab eo, cui Superior concessit facultatem absoluendi, saluo iure cognoscendi de illo delicto in foro exteriori, & de eo pœnam, & satisfactionem imponendi. Petrus noster de Ledesma *secundo tom. summa tract. 1. cap. 6. post 20. conclus. difficult. 8.* Sanchez *lib. 2. oper. mor. c. 11. n. 13.*

## DVBITATIO I.

III. *An pœnitens indigeat absolutione à censuris in foro exteriori si prius ab illis absolutus fuit in foro conscientiæ, si delictum postea publicetur?*

Dico tertiò, pœnitens, qui absolutus fuit in foro conscientiæ ab aliqua censura contracta ob aliquod delictum, si postea ipsius delictum defertur ad indicem, non indiget noua absolutione, vt possit cum cæteris communicare, aut actus per censuram prohibitos exercere: modò constet aliis ipsum fuisse absolutum, ita vt non subsit scandali periculum; quia reuera per absolutionem datam in foro conscientiæ fuit totaliter ablata censura: hinc deducitur perperam aliquos DD. asserere, quos tacito nomine refert Suarez *tom. 5. de censuris, disp. 7. sect. 5. num. 14.* facultatem absoluendi à censuris in foro conscientiæ solùm esse ad absoluendum à censuris ad hunc effectum, vt possit quis validè absolui à peccatis in sacramento Pœnitentiæ, quo effecto consequuto, statim redit censura, quæ noua eget absolutione ad licitè exercendos actus, quibus censura priuare solet. hoc, inquam, asserere falsum est. quia absolutio, quæ datur virtute priuilegij, vel Iubilei, in foro conscientiæ est absolutio simpliciter, absolutè tollens censuras. ergo effectu sacramentalis absolutionis sequuto, non redit censura, cùm non sit absolutio, cum reincidentia, & secundùm quid; sed absolutè, & simpliciter. Videatur Sotos *in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 3. post concl. secundam, vers. & præterea.*

## DVBITATIO II.

IV. *An innodatus censura publica possit absolui ab illa in foro conscientiæ?*

Dico quartò, quando censura fuit publica, tunc etiam absolutio in foro conscientiæ tollit illam; & moltò magis, quando censura fuit occulta: tamen vt possit quis publicè absolutione vti, si notoriè erat censura ligatus, necesse est, vt de absolutione publicè constet, non propter censuram veram, sed propter præsumptam putatam, & propter scandalum. Nam quandiu hoc non fit, non potest Ecclesiæ constare hominem recessisse à sua contumacia, & ad obedientiam Ecclesiæ rediisse: tum, quia talis publicè censuris irretitus, quoad vsque non constiterit de absolutione habita in foro interiori, sicut non absolutos est habendus, vt benè docet Sayr. *lib. 2. de censuris, cap. 20. num. 31.* & Suarez *vbi supra, num. 19.* Nauarr. *summ. c. 27. num. 278. versic. 8.*

## DVBITATIO III.

V. *An absolutus à censuris in foro interno, si de absolutione non constet, debeat iterum absolui, in foro externo vt cum alijs communicet?*

Dico quintò, si post absolutionem in foro conscientiæ de censura occulta casus iste iam censurati deducitur ad forum contentiosum, & in eo constare non potest de absolutione habita in foro interiori, cogitur iste ad aliam absolutionem petendam, vel à suo excommunicatore, vel ab alio, qui eum in foro exteriori causa cognita in forma iudicij absoluere potest; quia iste non posset audiri in iudicio, si in foro contentioso non constet de eius absolutione, vt habetur *in cap solet, de sententia excomm. 6.* ergo tunc cogeretur ad petendam aliam absolutionem ad tollendum murmur, & scandalum populi, & vt audiatur in iudicio. Videatur *cap. cit.* Sayr. *vbi supra.*

## DVBITATIO IV.

VI. *An Confessarius possit attestari se absoluisse pœnitentem in foro conscientiæ, & quomodo debeat facere hanc attestationem; & an hac fide producta possit iudex delictum dissimulare?*

Dico sextò, constare tamen poterit publicè de absolutione à censuris habita in foro conscientiæ, si censura ligatus tempore Iubilei, vel habenti facultatem absoluendi ab eis ex priuilegio aliquo fuerit confessus, vel per attestationem Confessarij asserentis se illi beneficium absolutionis impendisse; caueat tamen Confessarius, ne faciat prædictam attestationem, antequam obtinuerit à pœnitente facultatem istius attestationis faciendæ. quia Confessarius non potest extra confessionem loqui de auditis in confessione; nisi de licentia pœnitentis: vide Nauarr. *summa cap. 27. num. 41.* Suarez *tom. 5. de censuris, disp. 7. sect. 5. num. 19.* Bonacina *tom. 1. tract. de censuris, disp. 1. quæst. 3. puncto 10. num. 3.*

Dico septimò, fidem, de qua assertione præcedenti diximus, potest Confessarius præbere personæ absolutæ de licentia ipsius, sic dando pœnitenti tale scriptum coram testibus, & Tabellione, qui in altera scripturæ facie fidem faciat illud scriptum esse talis Sacerdotis, vt iuridicè constet illud esse testimonium talis Sacerdotis; & sic iudex exterioris fori posset dissimulare se nescire censuras illas, quarum absolutiones ostenderentur eis factæ quoad forum conscientiæ tantùm ad effectum dimittendi absolutum impunitum, si ex suo tantùm officio sine vllo præiudicio publico, & priuato procederet: si verò procedit ad instantiam partis, non tenetur credere testimonio dato

daro à Confessario, imò nec potest in præiudicium partis illi credere, posset tamen dissimulare cessante aduersario. quia iudex instante aduersario debet procedere secundùm allegata, & probata in foro exteriori. Videatur Nauarr. *tom. 1. consil. lib. 1. de fide instrumentorum, consil. 3. num. 4. & tom. 2. consil. lib. 5. de sententia excomm. consil. 47. num. 1. & summa cap. 27. num. 41.* Suarez nupertimè citatus *num. 16.* Sayr. *lib. 1. de censuris, cap. 10. num. 31.*

VII. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

### DVBITATIO V.

*An absolutus in foro conscientiæ possit vti absolutione, si hæc publicè non constet?*

Ad rationem in contrarium quateous directè pugnare videtur contra secundum nostrum pronunciatum; respondetur negando consequentiam. nam absolutio à censuris habita virtute alicuius Bullæ, vel Iubilei in foro conscientiæ, licèt tollat simpliciter censuras, si non sit absolutio ad reincidentiam, quando nimirum in ipsa absolutione exprimitur, Absoluo te ad hunc effectum, duntaxat, &c. tamen si censura fuit publica ante, vel post absolutionem, non potest absolutus in foro conscientiæ tantùm, publicè vti tali absolutione, quoad vsque iuridicè de absolutione constiterit, vt probauimus *assertione quarta.* Videantur DD. nouissimè relati, præsertim Sayr. *num. 31. ad finem.*

## ARTICVLVS LV.

## An absolutio à censuris, per laicum, vel Clericum non Sacerdotem, in articulo mortis, impendi possit?

### SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, explicando, quòd quilibet Sacerdos potest à censuris absoluere in articulo mortis, & liberare ab irregularitate.*
3. *An constitutus in probabili periculo mortis debeat recurrere ad Superiorem per nuncium, vel per litteras, ad obtinendam facultatem pro absolutione à reseruatis, vel à censuris.*
4. *An ab absoluto in articulo, vel periculo mortis, sit retorquendum iuramentum se præsentandi coram Superiore, cessante tali periculo.*
5. *Dubitatio resoluitur.*
6. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, an semper absolutio à censuris concedatur, vt præambulum ad absolutionem à peccatis.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm absolutio à censuris in articulo mortis videtur concessa, vt quis in illa extrema necessitate absolui possit à peccatis; sed neque laicus, neque Clericus non Sacerdos etiam in articulo mortis absoluere potest à culpis; ergo neque etiam à censuris; & ita hanc sententiam tenere videtur Nauarr. *summa cap. 16. num. 16. versic. Dixi Presbyter.*

II. *Veritas aperitur, explicando quòd quilibet Sacerdos potest à censuris absoluere & liberare ab irregularitate, in articulo mortis.*

Dico primò, existenti in articulo mortis potest quilibet Sacerdos simplex absolutionem earum censurarum impendere, quæ obstant susceptioni Sacramentorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ, qualis est excommunicatio, interdictum personale, suspensio à susceptione Sacramentorum, & ab Ecclesiastica sepultura. quia Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 7. de casuum reseruatione*, indicat facultatem absoluendi à reseruatis, & à censuris in articulo mortis, concessam esse cuilibet Sacerdoti, in absentia proprij, ne aliquis pereat, & damnum animæ spirituale patiatur. ergo si defectu sanæ mentis æger à peccatis absolui nequeat, debet, & potest à quocumque Sacerdote à prædictis censuris absolui, vt reliqua Sacramenta recipere possit, ac in loco sacro sepeliri: ne hoc damnum spirituale patiatur. Ita Nauarr. *summa cap. 27. num. 272. versic. Sexto.*

Dico secundò, existens in articulo mortis non potest liberari ab irregularitate à quolibet Sacerdote, neque absolui à suspensione, ab ordine, officio, vel beneficio: nam irregularitas, suspensio ab Officio, Ordine, vel beneficio, non impediunt consequutionem gratiæ & gloriæ. Sanchez *lib. 2. oper. mor. cap. 13. num. 12.*

Dico tertiò, etiam quando dubitatur an pœnitens existat in articulo mortis, nec ne, potest simplex Sacerdos præsens non expectata Superioris facultate illum absoluere à prædictis censuris, & casibus reseruatis: nam Superior non est censendus velle absolutionem à censuris, & aliquibus casibus reseruare cum periculo damnationis alterius. ergo si dubitatur, quòd æger sit in articulo mortis, potest, & debet simplex Sacerdos præsens cum absoluere à censuris, & casibus reseruatis, vt euitetur periculum damnationis. Bonacina *tom. 1. tract. de censuris, disp. 1. quæst. 3. puncto 3. num. 6.*

### DVBITATIO I.

III. *An constitutus in probabili periculo mortis debeant recurrere ad Superiorem per nuncium, vel per litteras pro obtinenda facultate absolutionis à reseruatis, vel à censuris?*

Dico quartò, pœnitens constitutus in probabili periculo mortis, qui non potest per se ipsum adire Superiorem, vt à censuris, & casibus reseruatis absoluatur, non tenetur per nuncium, vel per litteras ad illum recurrere; & ita potest absolui à quolibet Sacerdote. Probatur, quia sacrum Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 7. de casuum reseruatione*, vbi facultatem absoluendi ab omnibus censuris, & casibus reseruatis impartitur cuilibet Sacerdoti in articulo mortis, non imponit onus pœnitenti mittendi aliquem ad Superiorem, neque per litteras illum adire: ergo non tenetur, &c. præsertim cùm hoc priuilegium sit fauorabile in fauorem fidelium. Valent. *tom. 4. disp. 7. quæst. 10. puncto 2. versic. Ioannes autem, fol. 1450. col. 1. mihi.* vbi sic explicat Concilium Tridentinum quando non est legitimus Confessarius, potest in articulo mortis quilibet Sacerdos absoluere à censuris, & casibus reseruatis, &c. contra Bonacinam nuperrimè citat. *num. 5.*

DVBI

DVBITATIO II.

IV. *An ab absoluto in articulo, vel periculo mortis, sit extorquendum iuramentum se præsentandi coram Superiore, cessante tali periculo?*

Dico quintò, à pœnitente non habente impedimentum perpetuum adeundi Superiorem, qui in articulo mortis absoluitur à censuris & casibus reseruatis à Sacerdote non habente facultatem ab illis absoluendi extra mortis articulum, extorquendum est, si fieri potest, iuramentum, se se sublato impedimento non perpetuò præsentandi coram Superiore, qui de iure potest extra illum articulum absoluere: aliquin pœnitens non se præsentans reincidit io eandem excommunicationem. Ita expresse habetur *cap. eos, qui, de sententia excomm. 6.* quod est intelligendum, etiamsi Sacerdos absoluens hoc onus se præsentandi pœnitenti, tunc non iniunxerit per obliuionem, malitiam, aut ignorantiam. quia obliuio, aut malitia, aut ignorantia Confessuris non eximit ab obligatione, quæ non ex Confessoris voluntate, sed ex ipso iure pendet. Ita rectè Sanchez *lib. 2. oper. mor. cap. 13. n. 30. fine.*

V. *Dubitatio resoluitur.*

Dico sextò, directè respondens quæsito, piè satis, & probabiliter dicendum mihi videtur laicum, & multò magis Clericum non Sacerdotem in articulo mortis posse absoluere à censuris, quæ obstant susceptioni Sacramentorum & Ecclesiasticæ sepulturæ. nam Ecclesia saltem summus Pontifex potest hanc facultatem laico, & Clerico non Sacerdoti concedere, imò etiam & fœminis, vt docet Paludanus *in 4. dist. 19. q. 2. art. 1.* Sotus *in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 4. versus finem.* Suarez *tom. 5. de censuris, disp. 2. sect. 3. num. 7.* Nauarr. *tom. 2. consil. lib. 5. de sententia excommunic. consil. 1.* ergo piè, & probabiliter credendum est in articulo mortis concessisse, & hanc esse eius voluntatem. Probatur consequentia; quia etiamsi laicus, & Clericus non Sacerdos non possint absoluere à peccatis, ipsa absolutio à censuris per se est valdè vtilis, multùmque potest conferre ad salutem animæ, vt saltem sic absolutus possit in loco sacro sepeliri, & vt pro eo sacrificia offerantur: ergo cùm Ecclesia omnibus modis fidelium salutem procuret, & propterea in illo articulo det iurisdictionem ad absoluendum à peccatis, omnibus, qui sunt capaces illius, eadem ratione credendum est dare illam ad absoluendum à censuris, omnibus, qui sunt capaces talis iurisdictionis, cuiuscmodi sunt laici, & Clerici non Sacerdotes, & ita hanc sententiam tenet D. Antun. *3. part. summæ tit. 17. cap. 4. §. Septimum casum.* Syl. *Absolutio 1. n. 8. §. Imò in dicto.* glossa *in cap. Pastoralis, de officio iudicis ord. versic. Preterquam in mortis articulo.* Sanchez *lib. 2. oper. mor. c. 13. n. 13.* vbi ait hanc sententiam posse, ac debere amplecti, & eam sequendo potest à laico in articulo mortis à censuris absolutus in loco sacro sepeliri, & pro eo sacrificia offerri possunt.

VI. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

DVBITATIO III.

*An semper absolutio à censuris concedatur vt præambulum ad absolutionem à peccatis?*

Nec officit ratio in contrarium à principio posita: negamus enim ad eam, maiorem propositionem, quòd scilicet absolutio à censuris iu eo articulo semper concedatur, vt præambula, & quasi dispositio quædam ad absolutionem à peccatis: quia absolutio à censuris per se conceditur, etiamsi absolutio à peccatis dari non possit; & Concil. Trident. *sess. 14. cap. 7. de casuum reseruatione*, absolutè concedit in eo articulo potestatem absoluendi à peccatis, & censuris, non constituendo ordinem, nec necessariam connexionem vnius absolutionis cum alia: imò infirmo, qui oppressus infirmitate obmutuit, vel in phrenesim versus, absolutionem peccatorum petere non potuit, potest tamen absolutio censurarum impendi, vt recipiat reliqua sacramenta, & Ecclesiastica sepultura non priuetur, vt rectè adnotauit Bonacin. *tom. 1. tract. de censuris, disp. 1. quæst. 3. puncto 3. num. 10.* quamuis hic Auctor *loc. cit. num. 2.* & Suarez *tom. 5. de censuris, disp. 7. sect. 6. num. 6.* contrarium sentiant, non posse scilicet laicum, nec Clericum non Sacerdotem in articulo mortis à censuris absoluere. Sed nostra sententia est magis pia, cùm multum conferat ad salutem animæ.

## ARTICVLVS LVI.

## An absolutio censurarum dari possit sub conditione, vel ad cautelam?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur quid sit absolutio absolutè, vel conditionatè data, & quid absolutio ad cautelam, vel ad reincidentiam.*
3. *Veritas aperitur, declarando, an sit valida censura lata sub conditione de præsenti, de præterito, & de futuro.*
4. *An absolutio data sub conditione de futuro afficiat non extante conditione.*
5. *An absolutio à censuris dari possit ad cautelam, vel ad reincidentiam.*
6. *An requiratur nouum peccatum mortale, vt absolutus à censuris cum reincidentia in illas reincidat.*
7. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, an absolutio sacramentalis sub conditione de futuro sit valida.*
8. *Quomodo intelligenda sit illa regula iuris*, Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.
9. *An absolutio sacramentalis sub conditione de præsenti sit valida.*

1. *Pars negatiua probatur.*

Nam absolutio sacramentalis data hoc modo sub conditione, præsertim de futuro, nulla est; non enim virtus sacramenti sistit in pendenti. ergo & absolutio à censura. Probatur consequentia à paritate rationis, quæ ista videtur esse; quia actus legitimus conditionem non recipit, vt dicitur *de reg. iur. reg. 50. in 6.* ergo cùm absolutio à censuris sit quidam actus legitimus, sub conditione, præsertim de futuro, dari non potest. Similiter, quia absolutio sacramentalis à peccatis dari non potest ad cautelam, nec absolutio à censuris sic dari posse videtur, & ita hanc sententiã, loquendo de absolutione à censuris sub cõditione de futuro, tenet Angelus *verb. absolutio 3.* in quam etiam inclinare videtur Nauarr. *summ. c. 26. n. 12. in princ.*

DVBITATIO I.

II. *Quid sit absolutio absolutè, vel conditionatè data, & quid absolutio ad cautelam, vel ad reincidentiam?*

Dico primò. Diuiditur absolutio censuratum in absolutè latam & sub conditione, vel, quod idem est, in absolutam, & conditionatam. Absolutio censuratum absolutè lata, seu absoluta, illa est, quæ & in verbis, & in intentione absoluentis nullam claudit conditionem. Conditionata verò, seu sub conditione, illa est, quæ sub conditione alicui datur: hæc autem conditio potest esse de præsenti, vt, Absoluo te, si excommunicatus es; de præterito, vt, Absoluo te, si satisfecisti; de futuro, vt, Absoluo te, si satisfacies. Vide Sayr. *lib. 2. de censuris, cap. 16. num. 4. & 5.*

Dico secundò. Absolutio ad cautelam illa dicitur, quæ ex defectu cognitionis, seu certitudinis ipsius censuræ tribuitur quando ob periculum, quod inesse potest, dubitatur; contingit enim aliquando censuram esse ignoratam, aut saltem dubiam, & tunc propter maiorem certitudinem solet peti, & dari absolutio à censuris, sempérque hæc absolutio ad cautelam includit illam conditionem, si indiges, vel si contraxisti. Vide Hugol. *de censuris Ecclesi. tab. 1. c. 21. §. 1. num. 4.* Sayr. *lib. 2. de censuris, cap. 17. num. 2. cap. Apostolica, de exceptionibus.*

Dico tertiò. Alia etiam dicitur absolutio à censuris ad reincidentiam, & illa est, per quam quidem tollitur censura, non tamen in perpetuum, sed ita, vt reditura sit post certum tempus, vel post talem effectum consequutum. Hæc absolutio ad reincidentiam aliquando datur ad cautelam, quando scilicet dubitatur, quòd censura insit potest; aliquando verò ex certa scientia præexistentis censuræ. Vide Couar. *in cap. Alma mater, §. 11. num. 6.* Suarez *tomo 5. de censuris, disput. 7. sect. 8. num. 17.*

III. *Veritas aperitur, & declaratur*

DVBITATIO II.

*An sit valida censura lata sub conditione de præsenti, de præterito, & de futuro?*

Dico quartò. Absolutio censuratum validè fertur sub conditione de præsenti, & de præterito, dicendo sic: Absoluo te à vinculo excommunicationis, si parti læsæ satisfecisti, vel, Absoluo te à suspensione, si habes animum offenso satisfaciendi. Nam huiusmodi absolutio data sub conditione de præsenti, & de præterito, non suspendit actum, quia æquiualet absolutioni absolutæ, & perinde se habet, ac si esset absoluta. Nam adimpleta conditione operatur liberationem à censuris; ea verò non adimpleta nihil operatur, quia conditionalis nihil ponit in esse quando conditio non est adimpleta. Tabienna *Absolutio 3. in principio.*

Dico quintò, valida est etiam absolutio à censuris sub conditione de futuro; quia validè censura ferri potest sub conditione de futuro, vt si iudex dicat: Excommunico te, nisi infra 10. dies Titio satisfeceris, ergo etiam eius absolutio sub conditione de futuro, vt dicendo sic: Absoluo te à suspensione incursa si satisfacies. Antecedens habetur expressè *cap. preterea el 2. de appell.* & *ibi gloss. verb. impedire.* Consequentia verò patet: quia fauorabilior est absolutio à censura, quàm ipsa censura. Sed hæc valet sub conditione de futuro. ergo multò magis & absolutio sub eadem conditione valebit. Sayr. *lib. 2. de censuris, cap. 16. num. 4.*

DVBITATIO III.

IV. *An absolutio data sub conditione de futuro sortiatur suum effectum, non extante conditione?*

Dico sextò. Hæc tamen absolutio data sub conditione de futuro non sortitur effectum suum ante satisfactionem. Nam sicut excommunicatio lata sub conditione de futuro non tenet, nec ligat, nisi extante conditione, vt docet glossa *cap. preterea el 2. de appell. verb. impedire.* ita similiter absolutio à censura lata sub conditione de futuro non liberabit ab ea, nisi post adimpletam conditionem. Tum, quia absolutio censuræ est quædam humana sententia, quæ humano modo fertur iuxta voluntatem ferentis. ergo non sortitur effectum suum, nisi post adimpletam conditionem, quam iudex absoluens in forma absolutionis expressit: conditio enim de futuro suspendit actum vsque ad aduentum conditionis, vt rectè asserit Armill. *verb. absolutio num. 6.* Tabiena *verb. eod. 3. in princip.* Sayr. *vbi suprà.*

DVBITATIO IV.

V. *An absolutio à censuris dari possit ad cautelam, vel ad reincidentiam?*

Dico septimò. Absolutio censuratum dari potest ad cautelam, patet hæc propositio ex communi vsu, & praxi; nam vsu receptum est, vt quando nescitur, seu dubitatur an censura fuerit contracta, petatur absolutio ad cautelam ob maiorem conscientiæ tranquillitatem, & ita impendatur sub hac conditione, si pœnitens indiget; vel si contraxit; imò absolutio ad cautelam communiter præmitti solet, antequam pœnitens absoluatur à peccatis, vt tollatur impedimentum, si quod fortè subest ad recipiendum sacramentum. Nam excommunicatio inter cæteros effectus priuat susceptione sacramentorum. Armilla *verb. Absolutio, n. 66.* Syl. *eod. verb. 3. num. 13.*

Dico octauò, per absolutionem à censuris ad reincidentiam, licèt hæc non sit absoluta, & perfecta, quia non in perpetuum liberat à censuris, sed ad tempus, vel ad aliquem effectum consequendum: tamen homo verè, & validè absoluitur à censuris. Probatur. nam summus Pontifex in collatione beneficiorum, vel concessione alicuius priuilegij, hanc absolutionem à censuris cum reincidentia impendit sub his verbis ad hunc effectum duntaxat consequendum. ergo censura ligatus per hanc absolutionem verè, & validè absoluitur à censuris: nam præmissa illa absolutione valida est collatio beneficij. ergo verè, & validè liberat à censuris, etenim censuris ligatus incapax est collationis beneficij. ergo si præmissa absolutione licèt cum reincidentia validè recipit beneficium, verè, & validè per eam à censuris liberatur, quamuis non absolutè, perfectè, & in perpetuum, sed ad tempus, & ad reincidentiam. Videatur Sayr. *lib. 2. de censuris, cap. 16. num. 8.*

DVBI-

DVBITATIO IV.

VI. *An requiratur nouum peccatum mortale, vt absolutus à censuris cum reincidentia in illas reincidat?*

Dico nonò, liberatus à censuris ad reincidentiam post consummatum actum, ad quem fuit absolutus, iterum in eandem speciè censuram incidit, quæ non requirit nouum peccatum mortale. quia absolutio cum reincidentia non est absolutio absoluta, & perfecta, sed pro tali tempore, vel pro tali actu. ergo tempore finito, vel actu consummato, independenter ab omni actione ipsius personæ, sic absolutæ iterum censurarum incurrit: tum, quia censura redit ex vi prioris sententiæ. ergo sufficit prior contumacia, in qua talis sententia fundata fuit. ergo non requirit nouam culpam. Videatur Suarez *tom. 5. de censuris, disp. 7. sect. 8. num. 21.* Bonacin. *tom. 1. tract. de censuris, disp. 1. quæst. 3. puncto 3. num. 16. versic. Verum tamen est.*

VII. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

DVBITATIO V.

*An absolutio sacramentalis sub conditione de futuro sit valida?*

Nec officit ratio posita à principio, respondetur enim negando consequentiam: & ratio discriminis est, quia non est in potestate sacramentaliter absoluentis suspendere effectum sacramenti vsque ad aduentum conditionis futuræ: vt probè Caiet. obseruat *in summa verb. Absolutio.* Armill. *ibi num. 6.* est tamen in potestate iudicis absoluentis à censuris suspendere absolutionem censuræ vsque ad aduentum conditionis futuræ: nam absolutio à censuris est quædam sententia humana introducta à iure positiuo, sicut ipsa censura, & ideò eius effectus per se pendet ex voluntate ipsius absoluentis, qui proinde potest adiecta conditione de futuro effectum suspendere, vt postea sequatur conditione posita, & ideo absolutio illa sub conditione de futuro, nec est omninò nulla à principio, nec statim efficax, sed est conditionata, & suspensa, donec tempus conditionis adueniat. Cæterùm absolutio in sacramento Pœnitentiæ vim, & efficaciam habet ex institutione Christi Domini: & ideo ex intentione ministri eius effectus suspendi nequit vsque ad aduentum conditionis futuræ. Tum, quia vel sacramentum quando profertur forma sub conditione de futuro, est validum statim prolata forma, vel est validum adueniente conditione, sed non est validum statim prolata forma, cùm Sacerdos non habeat tunc intentionem absoluendi, & sine intentione ministri non fiat sacramentum, vt docet D. Thom. *3. part. quæst. 64. art. 8.* Neque etiam est validum adueniente conditione; tunc enim non adest forma, & materia, sine quibus non potest validè confici sacramentum. ergo sacramentum nullo modo est validum, quando formæ additur conditio de futuro. Videatur pro hac solutione Caiet. & Armill. *vbi suprà.* Suarez *tom. 3. in 3. part. q. 64. art. 10. disp. 13. sect. 3. vers. At verò.*



DVBITATIO VI.

VIII. *Quomodo intelligenda sit illa regula iuris,* Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem?

Et ad illam regulam iuris, *Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem*; respondetur, quòd ibi non statuitur pro generali regula nullum actum legitimum posse fieri sub conditione; alioquin absolutio à peccatis, nec validè, nec licitè sub conditione de præterito fieri posset, quod tamen apertè falsum est; nulloties enim Confessarij, & quidem timoratæ conscientiæ, vtuntur hac forma, Si non es absolutus, ego absoluo te, quæ & licita, & valida est, vt docent Caiet. Armill. Suarez nuperrimè citati. Regula ergo illa cum restrictione est intelligenda, scilicet illos actus legitimos, qui nó respiciunt diem, vel conditionem, vitiari per temporis, vel conditionis adiectioné: vt si Titius contrahit matrimonium cum Berta, vsque ad certam diem, non valet matrimonium, quia actus iste legitimus fieri non potest ad certum tempus; contractus enim matrimonialis durat vsque ad mortem: absolutio verò à censuris non continetur inter hos actus; sed potest sub conditione validè dari de præsenti, vt si habes animum restituendi, Ego te absoluo à vinculo excommunicationis de præterito, vt si satisfecisti, libero te à vinculo suspensionis; & etiam de futuro, vt si satisfacies intra decem dies, absoluo te ab excommunicatione. Videatur gloss. super regulam illam 50. Suarez *tom. 5. de cens. disp. 7. sect. 8. n. 9.*

DVBITATIO VII.

IX. *An absolutio sacramentalis sub conditione de præsenti sit valida?*

Ad aliud fundamentum tactum in argumento respondetur; quòd licèt absolutio sacramentalis dari validè non possit sub conditione de futuro, propter rationem allatam: tamen sub conditione de præterito validè, & licitè, & ad cautelam ferri potest, dicendo, Si non es absolutus, ego absoluo te à peccatis tuis; sub conditione verò de præsenti, vt si promittis restituere, ego absoluo te à peccatis tuis, valet quidem absolutio; quia per hanc conditionem non suspenditur effectus sacramenti: erraret tamen Sacerdos sic faciens, quia Christus Dominus mandauit sub forma certa, & absolutam ministrari hoc sacramentum; si verò Sacerdos dubitat de absolutione, licitè potest vti forma sub conditione de præterito, & ad cautelam, quia sacramentum sub conditione propter dubium & necessitatem salutis reiterari potest. Secus autem si nulla sit necessitas. Ita docet D. Th. *3. p. q. 66. art. 9.* præsertim *solutione ad quartum.*

## ARTICVLVS LVII.

## An absolutio à censuris, valeat si dicatur, Absoluo te, non addito, ab excommunicatione, suspensione, vel interdicto?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Resoluitur dubitatio.*
3. *An absolutio collata pœnitenti censuris irretito, sub his verbis tantùm, Absoluo te, liberet illum & à censuris & à peccatis.*

4. *An in absolutione tum à censuris, tum sacramentali necessaria sit inuocatio sanctissimæ Trinitatis.*
5. *An summus Pontifex, & alij Prælati illo inferiores possint absoluere per nutus, signa, verba, vel scripturas à censuris.*
6. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, quem sensum habeant hæc verba*, Absoluo te.

**I. *Pars negatiua probatur.***

QVia verbum *absoluo*, potest trahi ad diuersa significata, nimirum ad absolutionem tam à peccatis, quàm à pœnis. ergo quando fit absolutio à censuris, exprimi debet, Ego absoluo te ab excommunicatione, à suspensione, vel interdicto, vt sciatur à qua re fiat absolutio, & ita hanc sententiam sustinere videtur Syl. *Absolutio 6. n. 2. vers. quartum est.*

**II. *Dubitatio resoluitur.***

Dico primò, valida est absolutio à censuris sic impensa, Ego absoluo te, nulla facta censurarum mentione. Probatur, nam in sacramento Pœnitentiæ, vbi est forma præscripta, satis est dicere, Absoluo te, nulla facta peccatorum mentione, vt docet D. Th. 3. *part. q. 84. art. 3.* Caiet. *ibi* & communi Theologorum schola traditur. ergo à fortiori illa forma, Absoluo te, nihil addendo, valebit in absolutione à censuris, vbi nulla certa forma præscripta est. Hugol. *de censf. Ecclesf. tab. 1. c. 23.* Sayr. *lib. 2. de censf. c. 16. n. 3.*

DVBITATIO I.

**III. *An absolutio collata pænitenti censuris irretito, sub his verbis tantùm,* Absoluo te, *liberet illum & à censuris, & à peccatis?***

Dico secundò, Sacerdos potest his verbis, Absoluo te, validè vti ad absoluendum à peccatis, & simul à censuris, modò intendat simul absoluere à censuris, & à peccatis, in quo casu absolutio à censuris censetur prior natura absolutione à peccatis, quamuis vtraque absolutio fit simul tempore. nam confessor absoluens potest ex intentione iisdem verbis vti ad vtrumque effectum. Suarez *tom. 5. de censf. disp. 10. sect. 2. num. 7.*

Dico tertiò, quando excommunicatus tam est morti vicinus, vt non possit prius à censuris absolui, quàm à peccatis, si Sacerdos ignorans posse dari simul per hæc verba, Absoluo te, absolutionem simul à censuris, & à peccatis, proferat hæc verba, Absoluo te, intendens absoluere morti propinquum tantùm à peccatis, valida esset absolutio à peccatis collata ante absolutionem excommunicationum. quia non est credibile Ecclesiam velle priuare pœnitentem beneficio absolutionis à peccatis in eo euentu cum tanto ipsius detrimento. Medina *tract. 2. de Confess. quæst. de Confess. ab excommunicato facta, in fine.* Bonacin. *tom. 1. tract. de censf. disp. 1. q. 3. punct. 5. num. 4.*

DVBITATIO II.

**IV. *An in absolutione tum à censuris, tum sacramentali, necessaria sit inuocatio sanctissimæ Trinitatis?***

Dico quartò, sicut in forma sacramenti Pœnitentiæ non est necessarium de necessitate sacramenti adiungere inuocationem sanctissimæ Trinitatis, dicendo scilicet, Absoluo te à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: nam substantia formæ sacramenti Pœnitentiæ saluatur in his verbis, Absoluo te; vt docet D. Thom. 3. *part. quæst. 84. art. 3 solut. ad tertium.* Nugno *ibi dub. 2. versic. multa dubia*, & communiter Theologi, contra Durandum *in 4. dist. 22. quæst. 2.* Ita à fortiori, nec in absolutione à censuris de necessitate est inuocatio sanctissimæ Trinitatis: licèt de necessitate Sacramenti in forma Baptismi tres personæ sanctissimæ Trinitatis sint exprimendæ: tum ad indicandam causam principalem Baptismi, quæ est sanctissima Trinitas, vt benè inquit D. Th. 3. *p. q. 66. art. 5.* Tum, quia cùm Baptismus fit Sacramentum fidei, vt ait Conc. Trid. *sess. 6. cap. 7.* Deus voluit Baptismum administrari cum professione, & confessione obiecti principalis fidei, quod est sanctissima Trinitas. Nugn. *tom. 1. in 3. p. q. 66. art. 5. diffic. 5.*

DVBITATIO III.

**V. *An summus Pontifex, & alij Prælati illo inferiores possint absoluere per nutus, signa, verba, vel scripturas à censuris?***

Dico quintò, Episcopus, & alij Prælati inferiores summo Pontifice, non possunt impendere absolutionẽ à cẽsuris per nutus, & signa, absque verbis, vel scriptura, quia hi non possunt variare formam iuris communis, sed illam seruare tenentur; sed forma iuris cõmunis est, vt absolutio detur per verba, vel scripturam, vt constat per *cap. cùm desideres, de sententia excomm.* ergo, summus verò Pontifex si declaret se velle solo nutu, vel facto absoluere à censuris, valida erit absolutio. quia summus Pontifex supremam habet facultatem absoluendi à censuris, non seruata forma iuris communis. Ita *in Clem. de sent. excom. c. si summus Pontifex.* Vide Sanchez *lib. 8. de matrim disp. 4. n. 24.* Suar. *tom. 5. disp. 7. sect. 9. num. 13.*

**VI. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur sensus istorum verborum,* Absoluo te.**

Ad rationẽ in contrarium, quæ directè militat contra primam assertionem, respõdetur, quòd hæc forma, Absoluo te, limitatur, & extenditur secundùm intentionem absoluentis. Si enim Confessor absoluẽs proferens hæc verba, Ego absoluo te, intendit pœnitentẽ excommunicatum absoluere à vinculo excommunicationis, & non à peccatis, remanet absolutus ab excõmunicatione, minimè tamen à culpis. Si verò intendit excommunicationem, & culpas confessas tollere, vtrũque operatur; est enim per se sufficiẽs hæc forma, Ego absoluo te, si sit sacramentalis à censuris, & culpis pœnitentem liberare. quòd si absolutio non fit sacramentalis, hæc forma, Ego absoluo te, liberat à censura nam tractatio antecedens, & petitio absolutionis à censura, vt fieri solet, satis exprimit à qua re absoluto fiat: non tamen prætermitti debet in forma absolutionis expressio cẽsuræ, quia sic clariùs, à qua censura fiat absolutio, innotescit. Videatur Sayr. *lib. 2. de censf. c. 16. n. 39.*

# DISQVISITIO XXIII.

## *De Concilio generali.*

### ARTICVLVS I.

### An Concilium generale, ritè, & legitimè congregatum, maioris sit auctoritatis, quàm Romanus Pontifex?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*

2. Expli

2. *Explicatur quid sit Concilium.*
3. *Quid sit Concilium generale, & an sit validum sine Pontificis auctoritate congregatum, & quid sit Concilium prouinciale, & Episcopale.*
4. *Dubitatio resoluitur, & explicatur, quomodo Pontifex sit supra Concilium.*
5. *An potestas totius Ecclesiæ simul cùm Pontifice sit maior, quàm sola potestas Pontificis.*
6. *An dentur casus, in quibus liceat Concilium generale conuocari, sine Pontificis auctoritate, & qui sint? & qui possint tunc Concilium conuocare.*
7. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, quomodo in casu hæresis Concilium sit supra Papam.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm Concilium generale potest deponere ipsum summum Pontificem tanquam iudex ordinarius. ergo habet potestatem super illum. Consequentia est euidens, quoniam iudex ordinarius semper est superior. Antecedens verò est certum in casu hæresis, & in casu schismatis, vt habetur *in can. si Papa, dist. 40.* & ita hanc sententiam tenuit Cardinalis Cameracensis *in tract. de potestate Ecclesiæ*; Almaynus *in tract. de potestate suprema Ecclesiæ, cap. 16.*

## Dvbitatio I.

II. *Quid sit Concilium?*

Dico primò. Concilium, vt in præsentia loquimur, est conuentus, seu congregatio Sacerdotum, maximè Episcoporum, ad tractandum de fide, & Religione, & moribus auctoritate capitis conuocata. Hæc descriptio probatur ex vsu, & consuedine Ecclesiæ antiquæ, semper enim Concilia ex Sacerdotibus, maximè Episcopis, congregata sunt contra Lutherum, & Bucerum, aientes ad Concilium generale conuocari debere omnes indifferenter laicos, & Sacerdotes, dummodo essent viri prudentes, & pij, videatur noster Cano *lib. 5. de locis Theologicis cap. 2.*

## Dvbitatio II.

III. *Quid sit Concilium generale, & an sit validum sine Pontificis auctoritate congregatum, & quid sit Concilium prouinciale, & Episcopale?*

Dico secundò. Triplex est Concilium, generale, prouinciale, & Episcopale. Concilium generale est Synodus Catholicorum Episcoporum generali conuocatione, & congregatione summi Pontificis auctoritate celebrata. Dicitur *Episcoporum*, quia in Synodo generali soli Episcopi ex necessitate conueniunt, sed ex priuilegio conuocantur Abbates, & Generales Ordinum: nam soli Episcopi iurant se venturos ad Concilium generale cùm fuerint vocati, vt habetur *in c. de iureiur.* Dicitur quòd sit auctoritate Summi Pontificis celebrata; quia solus Summus Pontifex habet auctoritatem conuocandi Concilia generalia, vt habetur *in cap. significasti, de electione*, & docet D. Th. 2. 2. *quæst. 1. art. 10. ad secundum.*

Dico tertiò. Concilium generale sine auctoritate Papæ congregatum non meretur nomen Concilij Ecclesiastici, sed potiùs conciliabuli schismatici, & synagogæ Satanæ. quia sicut in regno temporali, si Magnates Regni conuenirent ad tractandum de rebus publicis, & legibus ferendis, diceretur illorum conuocatus conspiratio contra Regem potius, quàm comitia. ergo cùm Optimates Ecclesiæ sint Episcopi, & Summus Pontifex illorum vnicum, & supremum caput, Episcoporum congregatio sine Pontificis auctoritate, non est digna nomine Concilij Ecclesiastici, sed conciliabuli schismatici. Ita rectè Bannes 2. 2. *q. 1 art. 10. dub. 3. vers. Nota secundo.*

Dico quartò. Concilium prouinciale est Synodus Episcoporum vnius prouinciæ, aut Regni, Metropolitani, Primatis, & Patriarchæ auctoritate congregata, in quo fieri possunt constitutiones, & ferri possunt sententiæ fulminatoriæ, adstringentes omnes illius prouinciæ, vel Metropolis Clericos, & laicos, non exemptos. Aliud verò dicitur Concilium Episcopale, quod magis consueuit dici Synodus, & Congregatio, illud est, quod Episcopus celebrat cum Curatis, Clericis, & Religiosis, Abbatibus non exemptis, illudque celebrare potest ipse Episcopus, irrequisito suo Metropolitano, in quo condi possunt constitutiones adstringentes omnes illius diœcesis, & non alios. Videatur Syl. *verb. Concilium num. 1.* his positis,

IV. *Dubitatio resoluitur, & explicatur*

## Dvbitatio III.

*Quomodo Pontifex sit supra Concilium?*

Dico quintò, si distinguamus potestatem Concilij generalis legitimè congregati, & potestatem summi Pontificis tanquam duas partes, per se & simpliciter loquendo, maior est summi Pontificis potestas, quàm potestas Concilij generalis, & consequenter Concilium generale non est supra Papam. Probatur, quia summus Pontifex tribuit firmitatem his, quæ determinantur in Concilio generali, siquidem omnia Concilia legitimè congregata expectant illius confirmationem. ergo auctoritas summi Pontificis maior est, & consequenter summus Pontifex est supra Concilium, non autem è contrario: tum, quia Concilium Lateranense sub Leone decimo *sess. 11.* sic habet, solùm Romanum Pontificem pro tempore existentem tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem Conciliorum indicendorum plenum ius, & potestatem habere. ergo non est asserendum Concilium generale esse supra Papam. Videatur Caiet. *tom. 1. opusculorum tract. 1. cap. 6.* Bannes 2. 2. *q. 1. art. 10. dub. 2. vers. Praterea tertio.* Azor. *part. 2. institut. mor. lib. 4. c. 13. dub. 1.*

## Dvbitatio IV.

V. *An potestas totius Ecclesiæ simul cum Pontifice, sit maior, quàm sola potestas Pontificis?*

Dico sextò, etiamsi consideretur potestas totius Ecclesiæ, vt includit potestatem summi Pontificis, non est maior, quàm potestas ipsius summi Pontificis. Probatur, quia omnis potestas Ecclesiæ est saltim virtualiter, imò formaliter in ipso summo Pontifice. ergo eadem est potestas summi Pontificis, & totius Ecclesiæ. Antecedens probatur, quia omnis potestas Ecclesiæ est Monarchica, ab vno scil. & in vno; deriuatur enim tota potestas, & iurisdictio tanquam à prima, & vniuersali causa post Christum Dominum a Romano Pontifice in totam Ecclesiam, vt benè ait Nugnus noster *tom. 2. in 3. part. q. 8. art. 5. dub. 2. §. est tamen difficultas, fine.* ergo non solùm virtualiter, sed etiam formaliter est in illo omnis potestas Ecclesiæ; siquidem nullus potest signari actus, qui fieri possit ab aliquo ministro Ecclesiastico, qui non possit etiam fieri ab ipso summo Pontifice. ergo etiam si consideretur potestas totius Ecclesiæ, vt includit potestatem summi Pontificis, non est maior, quàm potestas ipsius R. P. cùm potestas

potestas totius Ecclesiæ sit tota in illo, & ab illo, tanquam à prima, & vniuersali causa post Christum Dominum, Sic rectè Nugnus noster *tom.2.in 3.p.q.20.a.3. diffic.5.concl.2.fol.425.col.2.mihi.*

## DVBITATIO V.

VI. *An dentur casus, in quibus liceat Concilium generale conuocari sine Pontificis auctoritate, & qui sint, & qui possint tunc Concilium conuocare?*

Dico septimò, dantur casus, in quibus sine R.P. auctoritate Concilium generale conuocari potest. Primus est ex causa hæresis, in quam summus Pontifex incurrisset, si hæresis manifestè constet, & Papa admonitus non resipisceret, & tunc Cardinalium, & Episcoporum est conuocare, & congregare Concilium ad inquirendum contra Papam, illúmque deponendum; & hoc possent Cardinales, & Episcopi in isto casu iure diuino: nam Christus Dominus suam Ecclesiam nō destituit. ergo ius illi, & potestatem concessit, vt si Papa hæreticus sit, ei Pontificatum possit auferre, ne quē debet habere Pastorem, Ducem, & Rectorem, habeat, ac seotiat lupum, hostem, & corruptorem. Secundus casus est ex causa schismatis, vt si duo contenderent de summo Pontificatu, & ex æquo vtriusque ius esset incertum, & dubium; tunc penès Ecclesiam potestas est generale Concilium conuocandi, vt schisma tollatur, & scandala ab Ecclesia auferantur. Tertius casus est, quem tamen Deus auertat, si Cardinales omnes morerentur, mortuo quoque Pontifice; tunc Concilium generale ab Episcopis esset conuocandum, cuius auctoritate Pontifex crearetur. Ita bene Syl. *verb. Concilium, n.7.* Azor. *p.2.instit.mor.lib.4.c.13. dub.3.* Quartus casus est, si Pontifex in perpetua infidelium captiuitate esset detentus, cuius redimendi spes Ecclesiæ esset adempta. Videantur Syl. & Azor. nuper relati. Alius consimilis casus ponitur à Syluestro, & Azor. *locis adductis*; videatur.

VII. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

## DVBITATIO VI.

*Quomodo in casu hæresis Concilium sit supra Papam?*

Et per hæc patet ad rationem in contrarium à principio positam, concedimus enim Concilium generale, & Ecclesiam in causa hæresis esse Papa iurisdictione superiorem, quam potestatem iure diuino sibi concessam fatemur: nam Christus Dominus suam Ecclesiam non destituit; ius ergo illi, & potestatem concessit, vt si Papa hæreticus pertinax sit, qui corrigi nolit admonitus, ei Pontificatum possit auferre, congregando Concilium generale ad inquirendum contra Papam, illúmque deponendum; & sic concedimus Concilium generale, & Ecclesiam in causa hæresis iure diuino esse Pontifice iurisdictione superiorem. Videatur Azor. *p.2.inst.mor.lib.4.cap.7.dub.2. vers. ad obiecta.* Respondetur etiam secondò cum Caiet. *tom. 1. opuscul. tract. 1. de authoritate Papæ, & Concilij, c.20. vers. Erit ergo media*, quòd in casu hæresis, & schismatis deponitur summus Pontifex ab Ecclesia, scilicet à Concilio generali, non tanquam à Superiori; sed tanquam à ministro Superioris; iudex enim ordinarius tunc est ipse Christus Dominus immediatè, & Ecclesia tantùm habet potestatem ministerialem, & instrumentalem: si enim esset causa principalis, & iudex ordinarius, posset pro quocumque peccato summum Pontificem punire, quod tamen est falsum: causa verò instrumentalis non habet superioritatem, sed tantùm est instrumentum superioris: vnde ex hoc non colligitur, quòd Concilium generale sit supra summum Pontificem, cùm solùm habeat potestatem ministerialem, & quasi instrumentalem ad inquirendum contra Papam hæreticum, vel schismaticum, illúmque deponendum: & quòd talem habeat potestatem generale Concilium in Pontificem in casu hæresis, & schismatis, est communis consensus totius Ecclesiæ; vnde creditur esse Apostolicam traditionem. Ita Nugnus noster *tom.2.in 3.p. q.20.art.3.difficult.5. vers. Ad argumentum igitur, fol.426. col. 1. mihi.*

## ARTICVLVS II.

## An Concilium generale legitimè, auctoritate scilicet summi Pontificis, congregatum, assistentibus Legatis ipsius Pontificis, possit errare in rebus fidei definiendis, ante Pontificis confirmationem?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, explicando an Concilium possit definire res fidei.*
3. *An vera sit sententia dicentium, Concilium generale, & Pontificem æqualiter posse definire res fidei.*
4. *An Pontificis potestas diffiniendi res fidei, possit alijs delegari.*
5. *Titulo dubitationis respondetur.*
6. *An Concilium generale, Prouinciale, vel Episcopale, summi Pontificis auctoritate confirmatum, possit errare in rebus fidei.*
7. *An Concilium generale, auctoritate summi Pontificis confirmatum, possit errare in legibus condendis spectantibus ad bonos mores.*
8. *An omnes Patres in Concilio generali congregati, possint errare in rebus fidei diffiniendis.*
9. *An sit hæreticum, negare veritates definitas, in Concilio generali, ante confirmationem R.P.*
10. *An Concilium generale licèt legitimè congregatum, Sede vacante errare possit, & in definiendo res fidei.*
11. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, an Concilium generale sine Pontifice, Ecclesiam vniuersalem repræsentet? & etiam explicatur quomodo Spiritus sanctus assistat Concilio generali, & Pontifici in definiendis rebus fidei.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm generale Concilium vniuersalem Ecclesiam repræsentat: at vniuersalis Ecclesia in fide errare nequit, quia de ipsa dictum est, columna, & firmamentum veritatis; & ipsi dictum est: Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. In illa itidem locum habet illud Augustini, Euangelio non crederem, nisi me auctoritas Ecclesiæ admoneret; & illud etiam Symboli Apostolici, Credo vnam sanctam Ecclesiam; ergo cùm generale Concilium legitimè congregatum, assistentibus in illo summi Pontificis Legatis vniuersalem Ecclesiam repræsentet, in rebus fidei definiendis ante confirmationem summi Pontificis errare non poterit: ita multi

viri

viri docti, quos tacito nomine refert Cano *de locis Theologicis, lib. 5. cap. 5. quaest. 1.*

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

DVBITATIO I.

*An Concilium possit definire res fidei?*

Dico primò, Concilium generale antequam Romani Pontificis auctoritate confirmetur, non est certa regola definiendi quae ad fidem, & mores spectant, sed fidei dogmata definiendi certam, & indubitatam normam, ac regulam esse penes Romanum Pontificem omninò tenendum est ratione muneris, & officij sibi diuinitus iniuncti, non autem ratione personae; quia Romanus Pontifex est Petri successor, cui Christus Dominus Lucae 22. dixit, *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* ergo ante confirmationem Romani Pontificis Concilium generale non est certa regula in definiendis rebus fidei: tum, quia Concilia generalia hactenus legitimè celebrata postularunt à Papa suorum decretorum confirmationem, vt probat optimè Cardinalis Turrecremata per singula Concilia discurrens, videatur *in summa de Ecclesia, lib. 3. cap. 34. 35. 36.* Tum, quia sanctissimus Thomas Ecclesiae Doctor *in tract. contra impugnantes Religionem*, asserit, quòd sancti Patres in Conciliis congregati nihil possunt statuere sine R.P. auctoritate interueniente, sine qua nec congregari Concilium potest. ergo, &c. tum quia à Concilio generali quantumuis legitimè congregato, licitum est appellare ad summum Pontificem; ergo eius definitio non est certa regula fidei. Consequentia est manifesta, quoniam à iudice faciente certam fidem non est licitum appellare. Antecedens verò asseritur à S.Thom. *q. 10. de potentia, art. 4. ad 13.* Idque probat ex gestis in Concilio Chalcedon. vbi *in actione 16.* Legati Pontificis appellauerunt à Concilio ad Leonem primum, & ita hanc sententiam tenet D.Thom. *loc. cit.* Caiet. *tom. 1. opuscul. tract. 1. cap. 8.* Bannes *2. 2. q. 1. art. 10. dub. 4. concl. 2.* Azor. *part. 2. instit. mor. lib. 1. cap. 12. dub. 1.*

DVBITATIO II.

III. *An vera sit sententia dicentium Concilium generale, & summi Pontificis aequaliter posse definire res fidei?*

Dico secundò, consequenter, non est admittenda eorum sententia dicentium, posse vtrumque, videlicet Romanum Pontificem, & generale Concilium, esse regulam firmam, & certam definiendi res fidei, quia alioquin essent in Ecclesia duo Tribunalia ad dogmata fidei definienda, cùm tamen sit vnum caput in Ecclesia, Papa scilicet, & Concilium in definiendo res fidei subiiciatur Papae, & ab eo confirmetur; vt docet egregiè D.Th. *2. 2. q. 1. art. 10. ad 2.* Tum, quia vna fides debet esse in Ecclesia, quod esse non posset, nisi quaestio de fide exorta determinaretur per eum, qui toti Ecclesiae praeest, per eum scilicet, cui dictum est, Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, cuius etiam auctoritate congregatur Synodus, & eius sententia confirmatur. Ita optimè sanctissimus D.Thom. *in corpore articuli cit.* ergo remota auctoritate summi Pontificis Concilium non potest esse infallibilis regula in definiendis rebus fidei. ergo nequeunt esse duo Tribunalia. Sic benè deducit Syl. ex doctrina D. Thom. *vbi suprà, verb. Concilium, q. 2. concl. 2. propè finem; & verbo fides, num. 10. quaest. 7.* hos sequitur, & adducit Azor. *part. 2. instit. mor. lib. 4. cap. 13. dubio 11.*

DVBITATIO III.

IV. *An Pontificis potestas diffiniendi res fidei, possit alijs delegari?*

Dico tertiò, nemini potest summus Pontifex, neque Concilio generali legitimè congregato, neque suis Legatis assistentibus in Concilio potestatem ad definiendum infallibiliter res fidei concedere, seu delegare; quia licèt potestas iurisdictionis, qua procedit summus Pontifex secundùm acta, & probata, tam in causis ciuilibus, quàm criminalibus Reipublicae Christianae excommunicando, vel absoluendo possit ab eo subdelegari, & alteri concedi, tamen potestas definitiua ad veritates fidei declarandas, & definiendas, licèt haec sit potestas iurisdictionis, excellentioris tamen ordinis, quàm praecedens, non potest alteri communicari: nam conuenit Pontifici, in quantum est caput totius Ecclesiae ex assistentia peculiari Spiritus sancti, quae nulli alteri promissa est, sed soli Romano Pontifici dictum est, *& tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*, Luc. 22. ergo, &c. Tum, quia haec potestas se habet ad modum propriae passionis respectu essentiae, quae est esse summum Pontificem, sed propria passio non potest communicari. ergo. Sic egregiè Nugnus noster *tom. 2. in 3. partem quaest. 10. art. 3. diffic. 7. post sextam conclusionem, versic. Itaque, fol. 433. mihi.* Bannes *2. 2. quaest. 1. art. 10. dub. 4. versic. Quapropter secundò supponendum.* Valentia *tom. 3. disp. 1. quaest. 1. de obiecto fidei, puncto 7. § 44. vers. ad confirmationem, fol. 283.* contra Lopez *p. 2. instr. tract. de Clauibus, cap. 1 §. Tertiò dicitur quod Concilium, fol. 745. vers. Tum quia Papa.*

V. *Titulo dubitationis respondetur.*

Dico quartò, directè respondens quaesito: Concilium generale legitimè conuocatum authoritate summi Pontificis, & ritè celebratum assistentibus ipsius Legatis non est regula infallibilis in definiendis rebus fidei, & sic potest errare ante summi Pontificis confirmationem. hoc pronunciatum satis patet ex rationibus adductis pro prima assertione: praeterea probatur, eius tantùm est controuersias fidei cum auctoritate infallibili, & sine errore determinare, cuius est in Ecclesia suprema post Christum Dominum potestas spiritualis; sed suprema haec potestas Romani dumtaxat Pontificis est, non autem vllius Concilij, etiam vniuersalis, secluso Pontifice. ergo solius Pontificis, sine per se, siue conuocato ad id Concilio, est infallibiliter, & sine errore determinare, & definire controuersias fidei, non autem vllius Concilij per se, secluso Pontifice: ergo ante confirmationem R.P. Concilium, & legitimè congregatum, & ritè celebratum, errare potest in definiendis rebus fidei: soli enim Petro, & eius successoribus dictum est, *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, & Luc. 22. *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & Ioannis vltimo* Petro singulariter dicitur, *pasce oues meas*: tum, quia aliqua Concilia etiam vniuersalia per Pontificem non confirmata quandoque errauerunt: vt Ephesinum II. cum Dioscoro, à Leone quidem indictum, sed non confirmatum. Item Basiliense sub Eugenio IV. vbi Iulianus, qui fuit Legatus Eugenij IV. consensit errori ipsius Concilij in sessione secunda, & tertia de authoritate Concilij supra Papam. ergo, &c. & ita hanc nostram assertionem egregiè docet Cardinalis Caiet. *tom. 1. opusc. tract. 2. Apologia 2. de authoritate Papae & Concilij, cap. 21.* Nugnus noster *vbi suprà, concl. 6.* Syl. relatus

relatus *assertione* 2. Valentia *tom.* 3 *disp.* 1. *quæst.* 1. *de obiecto fidei*, *puncto* 7. §. 44. *vers. primam assertionem*, *fol.* 279. *mihi*.

### Dubitatio IV.

VI. ***An Concilium generale, Prouinciale, vel Episcopale, summi Pontificis auctoritate confirmatum, possit errare in rebus fidei?***

Dico quintò, Concilium generale congregatum, & confirmatum authoritate Pontificis errare non potest in rebus fidei definiendis, quia ibi tunc interuenit tota Ecclesiæ auctoritas, quæ, secundùm D. Paulum, est columna, & firmamentum veritatis, 1. *Tim.* 3. Item neque Concilium Prouinciale auctoritate summi Pontificis confirmatum, imò etiamsi Episcopale sit in determinandis rebus fidei, errare non potest, si sit à R.P. confirmatum. Probatur, quia Papa non potest errare in diffiniendis veritatibus fidei, dummodo diligentiam adhibeat; vt docet Magister Bannes 2.2. *quæst.* 1. *art.* 10. *dubio* 2. *in responsione ad* 4. Canus *lib.* 5. *de locis Theologicis*, *q.* 3. sed dum confirmat Concilia Episcopalia, & Prouincialia, iam sufficientem diligentiam adhibuisse videtur: ergo talia Concilia confirmata à Papa, errare non possunt: tum, quia in Concilio Hierosolymitano, vbi non interfuere, nisi quatuor Apostoli, Petrus, Iacobus, Paulus, & Barnabas, dixerunt, *visum est Spiritui sancto, & nobis*, Act. 15. Tum, quia Pelagius, & eius errores damnati sunt in Synodis Prouincialibus, scilicet Mileuitana, confirmata ab Innocentio I. & in Carthaginensi, & Arausicana, à Leone I. & Bonifacio confirmatis. Sic benè Lopez noster *p.* 2. *instruct. cap.* 1. *de Clauibus*, §. *de potestate quoque Concilij*, *fol.* 745. *col.* 1. *mihi*.

### Dubitatio V.

VII. ***An Concilium generale auctoritate summi Pontificis confirmatum, possit errare in condendis legibus spectantibus ad bonos mores?***

Dico sextò, Concilium generale accedente confirmatione Romani Pontificis, nedum in rebus fidei non potest errare, sed etiam nec in suis legibus ferendis ad bonos mores in Ecclesia componendos errare potest. Probatur, quia Deus non deest suæ Ecclesiæ in mediis necessariis ad sui conseruationem; sed doctrina vera, & veræ leges, quæ non sint contra bonos mores, sunt etiam medium necessarium ad Ecclesiæ conseruationem, siquidem illa non solùm constat ex fide, sed ex bonis moribus, & ex legibus ad illos componendos; ergo & specialis prouidentia, & assistentia Spiritus sancti cum Concilio generali à Romano Pontifice confirmato ad componendos mores suis legibus in Ecclesia. Ita rectè Nugnus noster *tom.* 2. *in* 3. *p. q.* 20. *art.* 3. *diffic.* 4. *concl.* 1. *fol.* 421. *mihi*.

### Dubitatio VI.

VIII. ***An omnes Patres in Concilio generali congregati, possint errare in rebus fidei diffiniendis?***

Dico septimò, licèt simpliciter, & absolutè dici possit, & nos diximus *assertione* 4. quòd Concilium generale ante Romani Pontificis confirmationem in rebus fidei definiendis errare possit, quia maior pars Concilij errare potest; atque adeò ipsum Concilium, cùm denominatio fiat à maiori parte: tamen est impossibile, quòd omnes Patres Concilij generalis ad vnum vsque errare possint, etiam ante confirmationem Romani Pontificis in rebus fidei definiendis; quia ad bonam gubernationem Ecclesiæ plurimum refert, vt omnes Patres Concilij ad vnum vsque errare non possint: tum, quia omnes pastores Ecclesiæ simul in rebus fidei errare non possunt; sed in Concilio generali congregantur omnes Pastores Ecclesiæ, ergo omnes simul vsque ad vnum errare non possunt: tum, quia impossibile est quòd omnes Doctores Ecclesiæ simul deficiant à fide, vel sentiendo aliquid contra fidem, vel docendo, quoniam illi sunt dati Doctores, quos omnes alij tenentur sequi, vt docet Christus Dominus Matth. 23. *Quæcumque dixerint vobis seruate, & facite*, &c. ergo. Similiter impossibile est, quòd omnes Patres simul congregati in Concilio generali errare possint in fide. Tum, quia, vt docet D. Augustinus *lib.* 28. *contra Faustum, cap.* 2. quem refert, & citat noster Nugno *tom.* 2. *in* 3. *part. quæst.* 20. *art.* 3. *diffic.* 3. *concl.* 5. quando Ecclesia vult definire aliquam propositionem, vel recipere aliquem librum tanquam catholicum, attendit ad communem sententiam Doctorum Ecclesiæ. Sed tota Ecclesia non potest errare in definiendis rebus fidei; ergo nec etiam omnes Doctores, quorum doctrinam Ecclesia attendit in definiendis rebus fidei. ergo nec etiam omnes Patres simul, & Doctores in Conciliis generalibus legitimè congregatis errare possunt in rebus fidei; cùm summus Pontifex, qui est regula infallibilis in definiendis rebus fidei, ad communem Patrum, & Doctorum in Concilio generali conuocatorum sententiam in determinandis rebus fidei præsertim attendat, & ita hanc sententiam tenet Bannes 2.2. *quæst.* 1. *art.* 10. *dub.* 4. *concl.* 1. & eam sequi videtur Valent. *tom.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 1. *de obiecto fidei*, *puncto* 7. §. 44. *versic Respondendum est*, *fol.* 282. *mihi*. Lopez noster *vbi suprà*, §. *Tertiò dicitur*.

### Dubitatio VII.

IX. ***An sit hæreticum negare veritates definitas in Concilio generali ante confirmationem R. Pontificis.***

Dico octauò, licèt omnes simul Patres congregati in Concilio generali legitimè congregato errare non possint in fide, etiam ante confirmationem R.P. non tamen eorum definitiones facerent certam fidem, vnde eas negare non esset hæreticum, sed valde temerarium, & errori proximum. Probatur, quia totum Concilium simul ante confirmationem R. Pontificis, non est certa, & infallibilis regula in definiendis rebus fidei; soli enim Petro, & eius successoribus dictum est, Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, *Luc.* 22. ergo negare veritatem definitam in Concilio generali ante confirmationem Romani Pontificis, non est hæreticum: quòd autem sit valdè temerarium, probatur, quoniam ad probandam aliquam sententiam esse temerariam, hoc argumentum solet esse sufficiens, quòd sit contra communem sententiam omnium Scholasticorum. ergo à fortiori valde temerarium est recedere à communi sententia omnium Patrum Concilij generalis legitimè congregati, cùm sint ibi in nomine Christi Domini conuocati, & vbi fuerint duo, vel tres in nomine meo congregati, ait Dominus, *Matth.* 18. ibi sum in medio eorum. Et ita hanc sententiam docet Nugnus *tom.* 2. *in* 3. *part. quæst.* 20. *art.* 3. *difficult.* 7. *post sextam*

*conclusionem*,

*conclusionem, versic. Itaque illa potestas.* Bannes *vbi suprà conclusione 3. fine.* Lopex nuperrimè relatus, *versic. Sed tamen.*

### Dvbitatio VIII.

X. ***An Concilium generale, licèt legitimè congregatum, Sede vacante, errare possit in definiendo res fidei?***

Dico nonò, Concilium generale Sede Apostolica vacante legitimè congregatum, vt si congregentur omnes Episcopi, & Patres Ecclesiæ ad electionem R.P. vel si conueniant ad eligendum, & creandum vnum, & certum Pontificem in casu, quo duo, vel plures pro Romanis Pontificibus dubiis, & incertis haberentur, vt contigit tempore, quo celebratum est Concilium Constantiense, tunc in his casibus, etsi omnes simul Patres in rebus fidei errare non possint, tamen dogma, & sententiam fidei definire non possunt: quia tunc Ecclesia capite omnino caret, vel non habet certum, & verum. ergo iure res fidei infallibiliter definire non potest: tum, quia potestas definiendi infallibiliter res fidei est potestas iurisdictionis pertinens ad supremam dignitatem Romani Pontificis, vt summus Pôtifex est Vicarius, & Legatus Christi Domini; & se habet ad modū propriæ passionis respectu essentiæ, quæ est esse summum Pontificem. ergo extra supremam dignitatem Pontificiam reperiri non potest. ergo iure Concilium generale dogma, & sententiam fidei Sede vacante definire non potest. Sic egregiè Nugnus noster nouissimè adductus post sextam conclusionem, *Ad secundum argumentum.* Azor. *part. 2. instit. mor lib. 5. cap. 12. dub. 2.*

XI. ***Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur***

### Dvbitatio IX.

***An Concilium generale absque Pontifice Ecclesiam vniuersalem repræsentet? & etiam explicatur, Quomodo Spiritus sanctus assistat Concilio generali, & Pontifici in definiendis rebus fidei?***

Nec officit ratio à principio posita; nam ea omnia, quæ in antecedenti afferuntur, locum habent in Ecclesia, vt est corpus quoddam cum suo capite coniunctum, non autem in Ecclesia per se, & proximè, & sine capite. Concilium enim generale vna cum Romano Pontifice est corpus integrum; & Romanus Pontifex, vt Petri successor, repræsentat proximè Christū Dominum, cuius est summus in terra Vicarius: totum verò Concilium proximè reliquum Ecclesiæ corpus repræsentat, & sic Concilium generale est quidem regula certa, & infallibilis in definiendis rebus fidei, si cum R.P. simul iudicet de rebus fidei. Secus autem, si sermo sit de Ecclesia per se sine capite, & de Concilio acephalo. Ita egregiè Caiet. *tom. 1. opusc. tract. 1. parte Apologia, de auctoritate R.P. & Concilij, cap. 21.*

Respondetur secundò, & est ferè eadē solutio, quòd assistentia Spiritus sancti in definiendis rebus fidei est qu idem promissa principaliter supremæ Cōgregationi, atque adeò Concilio generali, in ordine tamen ad totam suā perfectionem, atque ita in ordine ad confirmationē, quę debet fieri à R.P. idcircò antequam adueniat talis confirmatio, licèt sit quędam regula proxima supremæ, certæ, & infallibili, quando omnes Patres simul conueniunt; atque adeò quòd determinatur ab omnibus Patribus Concilij legitimè cōgregati, est ita certum, vt oppositum sit valdè temerarium, & errori proximum, nondum tamē quod definitur ab omnibus Patribus simul sine capite, Romano scilicet Pontifice, est infallibilis veritatis, & de fide, nisi quoad vsque aduenias ipsius summi Pontificis confirmatio; qui solus est suprema regula, & infallibilis in determinandis rebus fidei. Ita probè Nugnus noster *tom. 1. in 3. p. q. 20. art. 3. diffic. 7. versi. ad arg in princ. fol. 433. col. 1. medio.*

## Articvlvs III.

## An Concilium generale legitimè congregatum, & auctoritate summi Pontificis confirmatum, in canonizatione Sanctorum errare possit?

*Svmmarivm.*

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Explicatur, quid sit canonizatio; & an liceat fundere preces non canonizatis; & quid in canonizatione Sanctorum Confessorum, vel Martyrum sit præcipuè requirendum.*
3. *An sit hæreticum negare, in Ecclesia auctoritatem canonizandi reperiri.*
4. *Dubitatio resoluitur.*
5. *An asserere, Concilium generale auctoritate Pontificis confirmatum, posse errare in canonizatione Sanctorum, sit temerarium, & impium.*
6. *An asserere, Concilium generale legitimè congregatum posse errare in canonizatione Sanctorum, sapiat hæresim.*
7. *An asserens Concilium generale posse errare in canonizatione Sanctorum possit puniri vt hæreticus.*
8. *Quid requiratur ad hoc vt aliqua propositio dicatur in Concilio definita de fide.*
9. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, quomodo Conciliū generale innitatur testimonio diuino, & quomodo Spiritus sanctus illi assistat.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

Omne iudicium, quod innititur medio infallibili, potest esse falsum; sed Concilium generale, etiā auctoritate R.P. confirmatum in iudicio de canonizatione Sanctorum innititur humano testimoniu, inquirens à testibus de vita, & miraculis, canonizandi. ergo videtur quòd Pontifex & Concilium generale errare possint in canonizatione Sanctorum: in hac controuersia pessimè errauit VVicleph, asserens D. Augustinum, D. Benedictum, & D. Bernardum fuisse damnatos, si pœnitentiam in fine vitæ non egerunt. Sed error huius hæretici in Concilio Constantiensi *sess. 8.* condemnatur.

### Dvbitatio I.

II. ***Quid sit canonizatio, & an liceat fundere preces non canonizatis? & quid in canonizatione Sanctorum Confessorum, vel Martyrum sit inquirendum?***

Dico primò, Canonizatio est canonicè, & regulariter instituere, quòd aliquis pro Sancto honoretur; puta, quòd fiat pro eo solemne Officium, sicut pro aliis Sanctis eiusdem conditionis, vt si est Confessor, fiat Officium Confessoris, aut Martyrum, si Martyr: quia sine hac canonizatione facta auctoritate Romanæ Ecclesiæ nulli licet aliquem venerari pro Sancto, & pro eo Officium, vel preces solemnes facere, vt habetur *in cap. audiuimus, de reliq.*

*& vener. Sanct.* Videatur Innoc. *in c.cit.audiuimus.* Syl. *verb.canonizatio num.*1.

Dico secundò, licèt Ecclesia non consueuerit publicè precari singulos iustorum hominum spiritus, qui sunt Regna cœlestia,& beatitudinem consequuti, quales sunt paruuli, qui sacto Baptismate abluti statim ex hac vita migrarunt,sed tantùm eos,qui sunt in Sanctorum numero adscripti; priuatim tamen licebit eos orare,eorúmque auxilium, & patrocinium petere, & sic licitum est priuatim porrigere preces defuncto, quem virum bonum credebamus, & nunc tenemus esse cum Christo, licèt non sit canonizatus; quia Deus orantis fidem respicit. Sic Innocent. *cap.2. de reliq. & vener. Sanct.* Armilla *verb. canonizatio n.*1. Azor. *part.1.inst. mor.cap.*30.*lib.9.dub.*5.

Dico tertiò, in canonizatione Sanctorum inquiritur primò de excellentia vitæ canonizandi, si fuit in laboribus multis,& iustis,si motibus castus, & actibus strenuus, & maximè si simplex, & humilis fuerit, *cap. ex studijs, de præsumpt.* & si sustinuit persecutionem, 7. *quæst.* 1. *can. ibi adunati.* si sustinuit, inquam, cum charitate,1.*quæst.*1.*c.vide quàm bonum.*Inquiritur etiam de miraculis in vita,&post mortem.Tabiena *verbo canonizare, num.*1. Tantaautem inquisitio fit de Confessore, secundùm Syl. *verb. canonizatio*; non autem de Martyre, sed inquiritur de miraculis, & causa passionis, argumento *de consecr. dist.* 4. *can. catechumenum.*

## Dubitatio II.

### III. *An sit hæreticum negare in Ecclesia, auctoritatem canonizandi reperiri?*

Dico quartò. Hæreticum est negare esse auctoritatem in Ecclesia & Romano Pontifice ad canonizandos Sanctos. Probatur.Hæreticum est negare Sanctos inuocandos esse, vt patet ex multis Conciliis, præsertim ex sacro Trident. *sess.* 25. *decreto, de inuocatione, adorat. & reliquijs Sanctorum.* ergo auctoritas est in Ecclesia ad Sanctos canonizandos, & hoc negare similiter esset hæreticum. Patet consequentia, quia aliàs non esset hæreticum negare inuocandos, adorandósque illos esse, qui ab Ecclesia canonizati sunt; sed est hæreticum negare Sanctos esse inuocandos, adorandósque. ergo etiam est hæreticum negare potestatem esse in Ecclesia Sanctos canonizandi; non enim sunt adorandi publicè, & solemnibus precibus inuocandi, nisi illi, quos Ecclesia in numerum Sanctorum adscripsit.Bannes 2,2.*quæst.*1.*art.*10. *dub.*7.*concl.*1.

### IV. *Dubitatio resoluitur.*

Dico quintò. Concilium generale Romani Pontificis auctoritate confirmatum non potest errare in canonizatione Sanctorum. Nam Concilium generale vt sic confirmatum deficere non potest proponendo vniuersali Ecclesiæ aliquam legem intrinsecè malam; aliàs enim Ecclesia Christi esset deficiens ferendo leges ad mores fidelium componendos. ergo neque etiam errare potest in canonizatione Sanctorum.Antecedens est certissimum,& est commune inter Theologos, D. enim Petro dictum est Ioan.21. *Pasce oues meas,* & si in huiusmodi statutis, & legibus ferendis ad mores fidelium componendos erraret Concilium, & Pontifex, non pasceret salubriter oues Christi Domini.ergo errare non potest in huiusmodi legibus ferendis.Consequentia verò probatur: nam dum Concilium auctoritate Apostolica aliquem numero Sanctorum adscribit, proponit illum toti Ecclesiæ tanquam bonæ, & sanctæ vitæ exemplar, ac legem;sed in legibus ferendis toti Ecclesiæ ad componendos fidelium mores errare non potest. ergo nequit errare adscribendo aliquem numero Sanctorum, toti enim Ecclesiæ tunc hic proponitur tanquam lex & exemplar bonorum morum. Ita tenuit D.Th. *quodl.9 art.vlt.*D. Antoninus 3.*part.summæ tit.*12.*cap.*8.§.*secundò.*

## Dubitatio III.

### V. *An asserere Concilium generale auctoritate Pontificis confirmatum posse errare in canonizatione Sanctorum, sit temerarium, & impium?*

Dico sextò. Valde temerarium est asserere, quòd Concilium generale auctoritate summi Pontificis confirmatum possit errare in canonizatione Sanctorum. Probatur,nam illa propositio meretur hanc censuram temeritatis,scil.quæ torrenti Doctorum aduersatur,circa ea,quæ certa,& indubitata assertione, non verò probabili ab ipsis communiter affirmantur; sed Concilium generale confirmatum auctoritate Romani Pontificis in canonizatione Sanctorum non posse errare, certa,& indubitata assertione, & non probabili, communiter asseritur à Doctoribus, vt videre est apud D.Thom.*quodl.9.art.vlt.* D.Antoninus *vbi suprà.* Syl. Tabien. Armil. Azor *part.2. inst. mor. lib.5. cap 6. dub.*5.Canum *lib.5. de locis Theolog. cap.* 5. Bannes 2.2. *quæst.*1.*art.*10. *dub.*7. *concl.* 2. Nugnum *tom.2.in 3 part. quæst.*20.*art.*3. *diffic.*4. *concl.*3. Valent. 2.2. *tom.*3. *disp.*1. *quæst.*1 *de obiecto fidei*, §.40. *vers. Alij autem, fol.* 239. *mihi,* & apud omnes alios. ergo valde temerarium est à communi hac assertione habita pro certa,& indubitata, à Doctoribus sine fundamento recedere. Hæc censura meritò decernitur à Doctoribus citatis contra affirmantes posse Concilium generale errare in canonizatione Sanctorum.

Dico septimò. Non solùm temerarium,sed impium valdè est dicere Concilium generale confirmatum auctoritate Pontificis posse deficere in canonizatione Sanctorum.Nam,inquit D.Th.*quodl.9.art. vlt.* piè credendum est, quòd Ecclesia secundùm suam perfectionem, cum capite scil. errare non possit in canonizatione Sanctorum.ergo oppositum asserere impium est; quia,vt benè aduertit Nugnus *tom.2.loc.cit.post 3.concl. sed contra,fine.* D.Thomas,dum asserit, *piè credendum est quòd summus Pōtifex errare non possit in canonizatione Sanctorum,* non solùm est intelligendus de pietate conuenientiæ, sed etiam de potestate necessitatis, ita vt impium sit asserere oppositum.Tum,quia propositio impia illa est, quæ verum Dei cultum,& Sanctorum negat, & quæ parentibus debitum honorem, & subsidium impendi differetur: at asserere Concilium generale confirmatum auctoritate summi Pontificis posse errare in canonizatione Sanctorum,est negare debitum Sanctorum cultum;non enim Sancti sunt adorandi,& inuocandi,nisi auctoritate Ecclesiæ fuerint priùs canonizati; & sic certò nobis constare esse cum Christo Domino in cœlo regnantes. ergo impium est, &c. & sic hanc censuræ notam imponit asserentibus posse Concilium errare in canonizatione Sanctorum. Nugnus nouissimè relatus.

## Dubitatio IV.

### VI. *An asserere Concilium generale legitimè congregatum posse errare in canonizatione Sanctorum, sapiat hæresim?*

Dico octauò. Non solùm est temerarium,& impiū, sed etiam sapit hæresim,asserere Conciliū generale in canonizatione Sanctorū posse errare,quia in Concilio

Constan

Conſtantienſi *ſeſſ.* 8. condemnatur VVitcleph eo quòd dixerit Auguſtinum, Benedictum, Bernardum damnatos fuiſſe, niſi pœnitentiam egerunt in fine. ergo ſapit errorem VVitcleph aſſerere poſſe Eccleſiam errare in canonizatione Sanctorum. Tum, quia illa propoſitio dicitur ſapiens hæreſim, quæ licèt in ſe ipſa expreſsè hæreſis, aut error contra fidem non ſit, illum tamen ſupponit, aut indicat; exemplum ſit in hac propoſitione, ſtultum eſt, & inutile, ſacramentum Euchariſtiæ ſolemni ritu per plateas circunducere. hæc propoſitio non eſt hæreſis manifeſta, quia nihil expreſsè dicit contra fidem, ſapit tamen hæreſim Lutheranam, quæ in ſacramento Altaris realem Chriſti Domini præſentiam negat; ita in noſtro caſu aſſerere Eccleſiam poſſe errare in canonizatione Sanctorum, licèt expreſsè hæreſis non ſit, ſapit tamen hæreſim, negantium eſſe in ſummo Pontifice auctoritatem probitate præditos Sanctorum numero adſcribendi. Sic rectè Lopez noſter *tom. 2. inſtruct. de Clauibus, cap. 1. §. Decimum tertium, fol. 744. col. 2. mihi.* videatur etiam Bannes *2. 2. quæſt. 1. art. 10. dub. 6. concl. 3.* vbi optimè explicat adducens Concilium Tridentinum *ſeſſ. 13. canone 6.* quomodo non ſit hæreticum, ſed hæreſim ſapere Lutheranorum aſſerere, non eſſe ſacramentum Euchariſtiæ ſolemni ritu per plateas circumgeſtandum.

Dico nonò, non ſolùm eſt temerarium, impium, & ſapiens hæreſim, aſſerere Concilium generale, auctoritate Romani Pontificis confirmatum, poſſe errare in canonizatione Sanctorum; ſed etiam eſt erroneum. Probatur: propoſitio erronea eſt illa, quæ doctrinæ fidei aduerſatur, ſed non manifeſtè, & notoriè; in hoc enim differt hæreſis ab errore in fide, quòd hæreſis eſt error manifeſtus in fide, quia manifeſte aduerſatur fidei Catholicæ, quæ continetur in ſacra Scriptura in traditionibus diuinis, & in decretis Pontificũ, & Conciliorum. At error in fide, ſtrictè loquendo, eſt quidem error in fide, ſed non manifeſtus, & notorius; ſed aſſerere Concilium generale auctoritate R. P. confirmatum poſſe errare in canonizatione Sanctorum, eſt quidem error in fide, ſed non manifeſtus, & notorius; ergo eſt erroneum illud aſſerere. Minor probatur, quòd non ſit error manifeſtus in fide aſſerere, quòd Eccleſia poſſit errare in canonizatione Sanctorum. nam hoc non habetur expreſsè in ſacra Scriptura, neque in diuinis traditionibus, neque vſque adhuc eſt definitum à ſummis Pontificibus, neque in Conciliis, Eccleſiam non poſſe errare in canonizatione Sanctorum. ergo non eſt hæreſis, neque error manifeſtus in fide, aſſerere quòd Eccleſia poſſit errare in canonizatione Sanctorum. quo ad aliam partem, quòd ſit error non manifeſtus in fide, & conſequenter erroneum probatur. nam eſt error in fide notorius, aſſerere Sanctos non eſſe ſolemnibus precibus inuocandos, & publicè adorandos; ergo aſſerere Eccleſiam poſſe errare in canonizatione Sanctorũ, eſt error in fide non manifeſtus: quia hoc eſt negare quodammodo Sanctos eſſe adorandos & inuocandos; non enim ſunt adorandi, niſi quatenus ab Eccleſia proponitur, quòd certò, & infallibiliter cum Chriſto regnent in æterna felicitate. Sic Nugnus noſter *vbi ſuprà, concl. 3.*

## Dvbitatio V.

VII. ***An aſſerens Concilium generale poſſe errare in canonizatione Sanctorum, poßit puniri vt hæreticus?***

Dico decimò, conſequenter. Non eſt damnandus tanquam hæreticus aſſerens Concilium generale confirmatum auctoritate ſummi Pontificis poſſe errare in canonizatione Sanctorum, quia Eccleſia non apertè declarat veritatem iſtam certam eſſe tanquam de fide. Tum, quia Eccleſia Catholica quædam tenet, & proponit ſuis fidelibus, tanquam de fide neceſſariò credenda, quibus qui aduerſatur, eſt hæreticus manifeſtè. Quædam verò, vt piè, & rationabiliter credenda, quæ ſi quis negat, non ſtatim hæreticus iudicatur, ſed temerarius, & in hoc numero eſt numerandum quòd Eccleſia poſſit errare in canonizatione Sanctorum; & quòd B. V. Maria in cœlum cum corpore non fuerit aſſumpta, vt docet optimè Magiſter Medina *3. part. quæſt. 27. art. 1. in expoſitione articuli.* ergo non eſt hæreticum aſſerere Concilium generale confirmatum auctoritate ſummi Pontificis poſſe errare in canonizatione Sanctorum, quia hoc non proponit Eccleſia ſuis fidelibus tanquam de fide neceſſariò credendum, ſed tanquam piè, & rationabiliter ſuſcipiendum, vt rectè Medina nuperrimè relatus. Tum, quia, vt aliqua veritas, quæ eſt communis conſenſus vniuerſalis Eccleſiæ, habeatur tanquam de fide, ita vt oppoſitum aſſerere ſit hæreticum, requiritur vt omnes fideles non quomodocunque aſſentiantur illi, ſed vt tanquam de fide illi adhæreant; ſed iſti propoſitioni ſummus Pontifex non poteſt errare in canonizatione Sanctorum, vniuerſalis Eccleſia non adhæret, nec recipit illam tanquam de fide, ſi quidem circa illam ſunt variæ ſententiæ inter Doctores. nam alij, inter quos eſt Ioannes è Neapoli oriundus *quodl. 10.* aſſeruerunt hæreticum eſſe aſſerere poſſe Romanum Pontificem errare in canonizatione Sanctorum. Alij verò, & ferè multi, & grauiſſimi Doctores, D. Thom. D. Ant. Medina, Syl. Armill. Lopez, Bannes, Valentia, Azor *loc. citat.* affirmant non eſſe hæreticum aſſerere Eccleſiam poſſe deficere in canonizatione Sanctorum. ergo conſenſus vniuerſalis Eccleſiæ non recipit illam tanquam de fide, licèt adhæreat illi tanquam certæ, & veræ, & piè & rationabiliter credendæ. ergo oppoſitum ſentire non eſt hæreticum, licèt ſit temerarium, impium, & erroneum, & conſequenter ſic tenentes eſſent temerarij, ſcandaloſi, atque adeò digni, vt ab Eccleſia puniantur, vt rectè notat Melchior noſter Canos *lib. 5. de locis Theolog. cap. 5.* Valentia *vbi ſuprà.* Ad maiorem præcedentium aſſertionum intelligentiam explicatur,

## Dvbitatio VI.

VIII. ***Quid requiratur ad hoc, vt aliqua propoſitio dicatur in Concilio definita de fide?***

Dico vndecimò, tunc Concilium generale legitimè congregatum aliquam propoſitionem tanquam de fide proponit, quando expreſsè, & ex profeſſo in eo definitur, vt quando congregatur Concilium contra aliquos hæreticos, & procedit, aſſerendo, quòd ſit anathema qui dixerit oppoſitum, quòd hoc, vel illud habetur certum ſecundùm fidem, quòd ſit hæreticus, qui contrarium tenuerit, & tunc oppoſitum eſt hæreſis manifeſta. quia negare propoſitiones diffinitas expreſsè, & ex profeſſo, eſt diffiteri res fidei; ſed hoc eſt hæreſis manifeſta. ergo, &c. Ita benè aduertit Nugnus noſter *tom. 2. in 3. part. quæſt. 20. art. 3. diffic. 7. concl. 3. fol. 431. col. 2.*

Dico duodecimò, quando de aliqua propoſitione in Concilio generali ex profeſſo non agitur, quamuis in illo repetiatur, non debemus illam putare illic expreſsè eſſe definitam tanquam de fide. quod colligi poterit ex erroribus hæreticorum, aduersùs quos

ex instituto & primaria intentione Concilium est congregatum. quia non omnia, quæ in Conciliis generalibus ad res fidei confirmandas adducuntur, nobis tanquam de fide credenda proponuntur; sed ea, quæ ex principali intentione diffiniuntur. Ita egregiè annotauit Caiet. *part.1.quæst.61.art.3.* Valentia 2.2.*q.5. de subiecto fidei, disp.* 1. *puncto* 8. *vers. Secundò probatur, fol.* 368. Extat exemplum accommodatissimum ad hoc explicandum in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. quòd Concilium ex professo fuerat congregatum ad diffiniendum contra hæreticos illius temporis, quòd Deus sit trinus in personis, & vnus in essentia, quod ex principali intentione ibi diffinitur, obiter tamen asseritur ab isto Deo trino & vno vniuersas creaturas procedere, corporeas scilicet, & incorporeas, vt Angelos: hæc diffinitio refertur *in cap. firmiter, de summa Trinitate, & fide Catholica.* Tamen non est certum secundùm fidem, quòd Angelus sit incorporeus, vt docent communiter Theologi *part.* 1. *quæst.* 50. *art.* 1. & D.Thom. *quæst.* 16. *de Dæmonibus, a.* 1. *in corpore*, asserit, siue Dæmones habeant corpora, sibi naturaliter vnita, siue non habeant, hoc non multum refert ad fidei Christianæ doctrinam. Hæc D. Thom. licèt sit ita verum, vt oppositum sit temerarium. ergo illud, quod in Conciliis generalibus, seu in diffinitionibus Pontificiis obiter adducitur, non proponitur nobis tanquam res fidei, nisi ex professo, & principaliter tanquam de fide sit diffinitum. Videatur pro hac re Nugnus noster *vbi suprà, concl.* 3. *post medium.* Bannes 2.2.*q.* 1. *art.*10. *dub.*6. *concl.*3. Caiet. & Valent. nuper relati.

IX. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur*

## DVBITATIO VII.

*Quomodo Concilium generale innitatur testimonio diuino, & quomodo Spiritus sanctus illi assistat?*

Ad rationem in contrarium à principio positam, quæ directè militat contra quintam, & sequentes assertiones, respondetur concedendo maiorem, quòd iudicium, quod tantùm innititur testimonio humano fallibili, possit esse falsum: tunc ad minorem, negamus, quòd definitio Concilij generalis auctoritate R.P. confirmati in canonizatione Sanctorum solùm innitatur testimoniis hominum; nam innititur etiam diuinæ prouidentiæ, & promissioni, qua Christus Dominus rogauit pro Petro, & Ecclesia, ne deficeret fides eius, ne erraret in rebus fidei, & in tradendis legibus toti Ecclesiæ ad mores fidelium componendus, & consequenter, ne etiam deficeret in canonizatione Sanctorum: Sancti namque canonizati proponuntur ab Ecclesia omnibus fidelibus tanquam leges, & exemplaria sanctæ vitæ, ac bonorum morum. Vnde demus, quòd testimonia hominum in canonizatione Sanctorum essent falsa, ad diuinam tamen prouidentiam tunc pertineret suæ Ecclesiæ ostendere & patefacere ea testimonia esse falsa; & sic Concilium generale legitimè conuocatum, & confirmatum, & ipse summus Pontifex absque Concilio generali nunquam in canonizatione Sanctorũ errabit. Ita egregiè D.Th. *quodl.* 9. *quæst.*7. *art.*16. *ad secundum argumentum.*

Respondetur secundò, quòd licèt fortè possit esse error quando Sanctus canonizatur in aliquo particulari miraculo, & in aliquibus accidentibus, nunquam tamen Spiritus sanctus permittet, vt saltem in his, quæ sunt essentialia, & principaliter pertinent ad informationem capiendam, vt de facto Sanctus canonizetur, error esse possit, cùm Concilium generale, vel ipse summus Pontifex in canonizatione Sanctorum Spiritus sancti instinctu regatur. Sic rectè Nugnus noster *tom.*1.*in* 3.*part. quæst.*20. *art.*3. *diffic.*4. *post quintam conclusionem, solutione ad secundum argumentum, vers. ad secundam & tertiam probationẽ, fol.*423.*col.*1.*mihi.*

## ARTICVLVS IV.

## An negans Concilium generale, v.g. Tridentinum, legitimè congregatum, & auctoritate summi Pontificis confirmatum, esse verum, & legitimum Concilium, esset tanquam hæreticus puniendus?

*SVMMARIVM.*

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas explicatur, declarando, quid requiratur vt propositio sit de fide, & quotuplex illa sit.*
3. *An hæc propositio, Vrbanus VIII. est summus Pontifex, & Concilium Tridentinum, v.g. est verum Concilium, sint propositiones de fide per se primò, vel per se secundò.*
4. *An dicere, Vrbanum VIII. non esse verum, & legitimum Pontificem, sit temerarium, scandalosum, & hæreticum.*
5. *Dubitatio in titulo proposita magis aperitur.*
6. *An Pontifex putatiuus, scilicet simoniacè electus (si per impossibile daretur) haberet potestatem diffiniendi res fidei, vel conuocandi Concilium generale, illudque confirmandi.*
7. *Rationi in contrarium à principio respondetur, & explicatur, an quando ab Ecclesia Vniuersali recipitur, hunc esse Romanum Pontificem, vel hoc generale Concilium esse ritè conuocatum & confirmatum, sit de fide, illum esse verum Romanum Pontificem, & hoc legitimum Concilium.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm non est de fide, quòd Pontifex conuocans, & confirmans Concilium aliquod generale, sit legitimus, & verus Pontifex: ergo neque etiam est de fide, quòd Concilium generale congregatum auctoritate summi Pontificis, sit verum, & legitimum Concilium, & consequenter huc negare non est hæreticum. Consequentia probatur. nam vt Concilium sit verum, & legitimum, à vero, & legitimo Romano Pontifice debet conuocari, & confirmari; at non est de fide, Pontificem conuocantem, & confirmantem Concilium generale, esse verum, & legitimum Romanum Pontificem. ergo non est de fide fateri Concilium generale, puta Tridentinum, esse verum, & legitimum Concilium. Maior est clara, & illam docet D.Thom. 2.2.*quæst.*1. *art.*10. Minor autem probatur. nam hic homo, quòd sit verus, & legitimus Pontifex, dependet ex eo, quòd sit legitimè, & canonicè electus, & quòd sit baptizatus; sed non est de fide, quòd hic homo, puta sanctissimus Vrbanus VIII. qui nunc regnat summus Pontifex, sit verè baptizatus, quia non est de fide, quòd Parochus illum baptizans, intentionem habuerit illum baptizandi, & defectus intentionis irritat sacramentum, vt docet D.Thom. 3.*p.q* 64. *art.*8. & est communis inter Theologos; ergo non est de fide, quòd iste homo Vrbanus VIII. sit verus, & legitimus

legitimus summus Pontifex: Baptismus enim necessariò requiritur, cùm sit ianua Sacramentorum omnium, vt quis sit capax, & habilis ad suscipiendam potestatem Ordinis, & spiritualis iurisdictionis, & ita hanc propositionem, scil. non esse de fide, quòd iste homo Vrbanus VIII. sit verus, & legitimus summus Pontifex, tenuerunt quidam iuniores, quos tacito nomine refert Nugnus noster *tom. 2. in 3. partem quæst. 20. art. 3. difficult. 1.*

II. *Veritas explicatur, & declaratur*

DVBITATIO I.

*Quid requiratur vt propositio sit de fide, & quotuplex ista sit?*

Dico primò, pro explicatione huius difficultatis. Vt aliqua propositio pertineat ad fidem, debet haberi expressè in sacris litteris, vel in aliquo Concilio generali legitimè congregato, & confirmato definita, vel ab ipso summo R. P. vel debet esse communis consensus totius Ecclesiæ, quæ recipiat illam propositionē tanquam certam, & veram secundùm fidem: quia vt propositio sit de fide, debet esse reuelata à Deo, vel formaliter in sacra Scriptura, & per expressam diffinitionem sacrorum Conciliorum, & summorum Pontificum, vel virtualiter per communem consensum totius Ecclesiæ tenentis, & proponentis illam tanquam de fide. Videatur pro hac veritate Nugnus nouissimè relatus *difficultate 1. in princip.* Bannes *2. 2. q. 1. art. 10. dub. 2. solutione ad secundum, immediatè ante vers. quapropter.* Medina *3. part. q. 27. art. 1.*

Dico secundò, vt veritas huius dubij illucescat, duplicitèr aliqua propositio pertinet ad fidem per se primò, & per se secundò. Illa propositio per se primò pertinet ad fidem, quæ immediatè est reuelata ab ipso Deo formaliter, vel virtualiter, vt proximè explicatum est; illa verò propositio per se secundò pertinet ad fidem, quæ euidenter infertur ex aliqua propositione fidei, & altera quæ sit euidens lumine naturali per euidentem consequentiam, & talis propositio appellatur conclusio Theologica, qualis est ista; Christus Dominus est risibilis: quia bene sequitur, Omnis homo est risibilis, Christus est homo. ergo Christus est risibilis. Maior est euidens lumine naturali; minor verò pertinet ad fidem per se primò, & immediatè, ideòco conclusio pertinet ad fidem per se secundò, & mediatè, estque conclusio Theologica per talem scientiam scita. Videatur Bannes *2. 2. quæst. 1. art. 5. dub. super citatum art. concl. 2. fol. 70. mihi.* Nugnus *vbi suprà vers. secundò notandum est, fol. 400. col. 1. mihi.* Idem Bannes *2. 2. quæst. 11. art. 2. dub. 2. vers. Nihilominus notandum, fol. 644. col. 2. mihi.*

DVBITATIO II.

III. *An hæc positio, Vrbanus VIII. est summus Pontifex, & Concilium Tridentinum, v. g. est verum Concilium, sint propositiones de fide per se primò, vel per se secundò?*

Dico tertiò, ista propositio, hic homo, scil. Vrbanus VIII. est verus & legitimus summus Pontifex, mediatè, & per se secundò pertinet ad fidem. Probatur, illa propositio mediatè, & per se secundò pertinet ad fidem, quæ per euidentem consequentiam infertur ex vna præmissa de fide, & ex altera communiter approbata, & recepta tanquam vera, & certa; sed hæc propositio, iste homo Vrbanus Octauus est verus, & legitimus Pontifex, per euidentem consequentiam



deducitur ex vna præmissa de fide, & ex altera tāquam vera, & certa communiter approbata. ergo mediatè, & per se secundò pertinet ad fidem. Maior est clara; probatur minor: quicumque canonicè, & legitimè est electus in summum Pontificem, est verus, & legitimus B. Petri successor, & Christi Vicarius; sed hic homo Vrbanus VIII. qui modò totius Ecclesiæ primatum tenet, est ita electus. ergo est verus B. Petri successor, & legitimus Christi Vicarius. Prima propositio est certa de fide, vt colligitur ex illo Matth 18. *Si duo consenserint ex vobis super terram, de omni re quacumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est.* &, *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* ergo de fide est, quòd congregati in electione summi Pontificis, si canonicè, & legitimè illum eligant, errare non possint, illis enim promittitur assistentia Spiritus sancti. Secunda propositio, quæ est ista, Hic homo Vrbanus VIII. est ritè, & legitimè electus in summum Pontificem, est communiter recepta tanquam vera; etenim oppositum sentire esset temerarium, & scandalosum, vt docet Azor *part. 2. inst. mor. lib. 5. cap. 5. dub. 4. §. in hac controuersia*, & antea alleguerat Turrecremata *in summa de Ecclesia lib. 4. p. 2. cap. 8. vers. Octauum genus.* ergo quòd iste homo Vrbanus VIII. sit verus, & legitimus summus Pontifex, infertur euidenter ex vna præmissā de fide, & ex altera communiter approbata; ergo mediatè, & per se secundò pertinet ad fidem, & ita assertionem hanc tenere videntur Turrecremata & Azor *vbi supra*, & alij, quos tacito nomine adducit Nugnus *tom. 2. in 3. part. q. 20. art. 3. diffic. 1. §. tertia sententia.*

Dico quartò, idem prorsus est dicendum de ista propositione, Concilium generale, puta Tridentinum, est verum, & legitimum Concilium, hanc scil. propositionem mediatè, & per se secundò pertinere ad fidem, & consequenter esset temerarium, & scandalosum oppositum sentire. Probatur, nam deducitur euidenter ex vna præmissā de fide, & ex altera communiter approbata, vt patet ex hac argumentatione, Concilium generale ritè & legitimè conuocatum, & à Romano Pontifice confirmatum, est verum, & legitimum Concilium; sed hoc Concilium, puta Tridentinum, est ritè congregatum, & confirmatum auctoritate summi Pontificis. ergo Concilium Tridentinum est verum, & legitimum Concilium. Prima propositio huius argumentationis diuina fide creditur fundata in illis Christi Domini verbis, *vbi fuerint duo, vel tres in nomine meo congregati, in medio illorum sum.* Secunda propositio communiter pro certa habetur. ergo ista propositio, Concilium Tridentinum est verum & legitimum Concilium, euidenter deducitur ex vna præmissa de fide, & altera communiter approbata. ergo per se secundò pertinet ad fidem, & illā negantes, tanquam temerarij, & scandalosi essent puniendi. Eadem igitur cēsuræ nota, scandali scil. & temeritatis sunt inurendi negantes hanc propositionem, Vrbanus VIII. est verus, & legitimus summus Pontifex, & diffitentes istam, Concilium Tridentinum est verum, & legitimum Concilium, eadem enim est ratio inter illas, vt docet Bannes *2. 2. q. 1. art. 10. dub. 2. vers. quapropter.*

DVBITATIO III.

IV. *An dicere, Vrbanum VIII. non esse verum & legitimum Pontificem, sit temerarium, scandalosum, & hæreticum?*

Dico quintò, ista propositio, Vrbanus VIII. qui nunc clauum Ecclesiæ tenet, est verus, & legiti-

mus summus Pontifex, nedum mediatè, & per se secundò pertinet ad fidem, sed etiam per se primò, & immediatè,& sic diffinieri illam,nun solùm esset temerarium, & scandalosum, sed etiam esset hæreticum. Probatur,quia tota Ecclesia fide diuina credit, docet, ac tenet hunc hominem, Vrbanum scilicet VIII. qui modò præest,esse verum,& legitimum Romanum Pontificem. ergo omnibus fidelibus hanc veritatem tanquam de fide credendam proponit, & consequenter oppositum sentire esset hæreticum. Antecedens probatur. nam si tantùm fide humana, & non diuina crederet vniuersalis Ecclesia, hunc hominem Vrbanum VIII. esse verum, & legitimum Romanum Pontificem, tota Ecclesia in re graui pertinens ad fidem falli,& fallere posset; nam id quod credimus fide humana, potest esse falsum; sed est impossibile, quòd tota Ecclesia in re graui pertinens ad fidem decipiatur, ipsi enim principaliùs facta est promissio à Christo Domino Ioannis 5. *Ego rogaui Patrem,& alium Paraclitum dabit vobis,& manebit in æternum Spiritus veritatis, quem vos cognoscetis, quia apud vos manebit.* ergo fide diuina tota Ecclesia tenet, & docet, hunc hominem Vrbanum VIII. modò esse verum, & legitimum Romanum Pontificem. ergo tanquam de fide virtualiter diffinitam omnibus fidelibus hanc veritatem credendam proponit. ergo oppositum tenere est hæreticum. Sic docet Nugnus noster *tom.2. in 3.part. quæst.10. art.3. diffic.1. concl.2.fol.402.col.2.mihi.* Azor. *part.1. instit. mor. lib.5. cap.5. dub.4.versic. Deinde, meo iudicio.*

V. *Dubitatio in titulo proposita magis aperitur.*

Dico sextò, hæc propositio, Concilium Tridentinum, vel aliud ritè conuocatum, & confirmatum auctoritate summi Pontificis, est verum, & legitimum Concilium, non solùm mediatè, & per se secundò pertinet ad fidem, vt probatum est *assertione* 4. sed etiam immediatè,& per se primò, & sic qui illam negaret, non solùm tanquam temerarius, & scandalosus, sed etiam vti hæreticus esset puniendus. Probatur. nam est communis assensus in tota Ecclesia,quòd vt aliqua propositio sit de fide, satis est, quòd tanquam de fide sit definita in aliquo Concilio generali ritè congregato,& confirmato, sicuti dicimus esse de fide, sacramenta nouæ legis causare gratiam ex opere operato,quia ita diffinitum est in Concilio Tridentino *sess.7.de Sacramentis, canon.*8. ergo priùs vniuersalis Ecclesia sentit esse de fide, quòd Concilium generale ritè conuocatum & confirmatum diffiniens aliquam propositionem sit verum, & legitimum Concilium. Probatur consequentia. nam tota Ecclesiæ fatetur istam causalem esse propriam,& veram: quia ista propositio est definita in tali Concilio generali; ideò est de fide: sed non esset vera, & infallibilis illa causalis, nisi de fide etiam esset, quòd Concilium illud diffiniens sit verum,& legitimum Concilium. ergo cùm tota Ecclesia recipiat illam causalem tanquam veram,& propriam,& infallibilem, priùs recipit tanquam de fide quòd Concilium definiens aliquam propositionem sit verum,& legitimum Concilium. In eodem namque gradu certitudinis debet esse propositio definita in Concilio, & quòd ipsum Concilium definiens sit verum,& legitimum Concilium; cùm igitur propositio definita in Concilio generali sit certa, & infallibilis, & de fide, de fide etiam erit quòd Concilium generale ritè conuocatum, & confirmatum diffiniens illam, sit verum,& legitimum Concilium. ergo oppositum sentientes tanquam hæretici essent puniendi: sic benè Nugnus noster *tom.2. in 3. part. quæst. 10. art.3. diffic.1. post secundam conclusionem, versic. Sed solutio ista*, &c. Pro maiori huius assertionis intellectu explicatur

## DVBITATIO V.

VI. *An Pontifex putatiuus, scilicet simoniacè electus (si per impossibile daretur) haberet potestatem diffiniendi res fidei, vel conuocandi Concilium generale, illud confirmandi?*

Dico septimò,ex data hypothesi, sed non concessa, quòd in Ecclesia esset aliquis putatiuus Pontifex solùm habens titulum putatiuum, vt si simoniacè eligeretur, tunc non esset,vt dixerunt aliqui, verus, & legitimus Pontifex,sed Apostaticus, vt dicitur in constitutione Iulij II. quæ incipit, *Cum tam diuino*; & refertur in Concilio Lateranensi *sess.* 5. sub eodem Pontifice. Tunc hic putatiuus Pontifex,& non legitimus, non haberet potestatem definiendi res fidei infallibiliter. Neque Concilium generale conuocatum, & confirmatum à tali putatiuo Pontifice: quia hæc potestas in solo vero Romano Pontifice, & consequenter in Concilio generali ritè conuocato, & confirmato à vero,& legitimo R.P.residet; Petro enim,& eius veris, & legitimis successoribus à Christo Domino dictum est Luc. 22. *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*:ergo,&c.Sic Bannes 2.2. *quæst.1. art. 10.dub.2.§.ad secundum argumentum,versic.Secundò respondetur.* Sanchez *lib.3.de matrim.disp.22.num.*28. Sed veriùs Less.*lib.2.de iust.c.35.dub.15.num.*146.vbi ait,quòd Pontifex,qui ex parte rei non esset verus Pontifex;ratione tamen tituli colorati concurrente communi errore in suis diffinitionibus haberet infallibilem auctoritatem Deo illi propter commune bonum Ecclesiæ assistente; vt iam superiùs dictum est *in disquis.* 18. *art.*1. *dub.*5. videantur ea quæ *ibi* diximus.

Dico octauò, data hypothesi quòd in Ecclesia Dei esset aliquis non legitimus, sed putatiuus Pontifex, nunquam error ipsius deficientis in determinandis rebus fidei redundaret in Ecclesiam vniuersalem.quia vel non definiret res fidei,vel definiret verum, vel si falsum definiret, non reciperetur ab Ecclesia; & hoc citra miraculum, sed secundùm legem communem, diuinam tamen, quæ *Matthæi* 16.explicatur, dum dicitur, *& portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Sic probè annotauit Magister Baones nuper relatus *in principio solutionis, ad secundum argumentum.* Idem prorsus dicendum de Concilio generali conuocato, & confirmato à non legitimo, sed putatiuo Pontifice,si talis daretur, quod non determinaret res fidei,vel determinaret verum; vel si falsum determinaret, non reciperetur tanquam de fide à tota, & vniuersali Ecclesia.

VII. *Rationi in contrarium à principio respondetur,& explicatur*

## DVBITATIO VI.

*An quando ab Ecclesia vniuersali recipitur, hunc esse Romanum Pontificem, vel hoc generale Concilium,esse ritè conuocatum, & confirmatum, sit de fide, illum esse verum Romanum Pontificem,& hoc legitimum Concilium?*

Ad rationem in contrarium adductam à principio, quæ

quæ directè militat contra quintam & sextam assertionem, respondetur negando antecedens. nam statim quòd summus Pontifex est electus, proponitur vniuersali Ecclesiæ, & recipitur ab illa, vel à maiori parte Ecclesiæ, quæ sufficit ad illam repræsentandam, est de fide per se primò, & immediatè quòd ille sit summus Pontifex; & similiter dicendum de Concilio generali ritè conuocato, & confirmato, eo ipso, quo recipitur à tota Ecclesia, de fide est, quòd sit verum & legitimum Concilium. quia non fide humana, sed diuina vniuersalis Ecclesia assentitur isti propositioni: Iste homo Vrbanus VIII. qui modò tenet clauum Ecclesiæ, est Romanus Pontifex, & isti alteri, Concilium generale est verum Concilium, cùm in re grauissima, qualis est veritas, de qua loquimur, decipi non possit, regitur enim Ecclesia à Spiritu sancto, iuxta promissionem Christi Domini Ioann. 15. *Ego rogaui Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, & manebit vobiscum in æternum*; & cap. 16. *Cum autem venerit Spiritus veritatis, ille vos docebit omnem veritatem.*

Et cùm dicitur, nam est omninò contingens, quòd iste homo, qui eligitur in Romanum Pontificem, sit baptizatus: ergo, &c. Respondetur, quòd licèt sit omninò contingens, quòd iste homo sit baptizatus, tamen supposita electione ipsius in R. P. & quòd à tota Ecclesia recipiatur vt talis, certum est, quòd sit baptizatus. quia non est credendum quòd Deus permittat vt eligatur in summum Pontificem, qui non esset baptizatus. Quòd si non esset Baptismi fonte donatus, hoc Deus secundùm promissionem suam suæ Ecclesiæ reuelaret, nec reciperetur tanquam summus Pontifex. Sic rectè Nugnus noster respondet *tom. 1. in 3. part. quæst. 20. art. 3. diffic. 1. fine ad vndecimum argumentum.* Pissimus, & doctissimus Magister Grauina *tom. 4. part. 2. disp. 3. de causa formali Conciliorum, versic. ad septimum argumentum.*

Idem sentiendum si ritè, & legitimè non esset electus, vel si simoniacè esset intrusus, secundùm aliquorum opinionem, vel si inhabilis iure naturali, & diuino ad summum Pontificatum esset electus. nam Spiritus sanctus, qui Dei Ecclesiæ assistit, nunquam permittet, neque permisisset, vt inhabilis ad summum Pontificatum eligeretur, eligatúrve quin priùs ostendat, & declaret eum esse inhabilem. Quòd si ritè, & legitimè non eligeretur, puta simoniacè à tota Ecclesia tanquam verus, & legitimus Pontifex minimè reciperetur. Videatur Nugnus *vbi suprà.* Azor. *part. 1. instit. mor. lib. 5. cap. 5. dubio 4. versic. Ad argumentum oppositæ sententiæ.* Ex dictis deducitur, quòd istæ propositiones, Concilium generale, e. g. Tridentinum, est verum Concilium, & quòd iste homo Vrbanus VIII. qui modo tenet clauum Ecclesiæ, sit verus summus Pontifex pertinent ad fidem, & illas negare esset hæreticum. Nugnus nuper citatus *post secundam conclusionem, versic. Sed solutio ista.*

*FINIS TOMI PRIMI.*